Estante 210
Tom. 3a
Vol. 8

ILLVSTR^rum ET REV^rum

ROTÆ ROMANÆ AVDITORVM ET SACRÆ POENITENTIARIÆ REGENTIVM

LVDOVICI GOMES

EPISCOPI SARNENS. IOANNIS BAPTISTÆ COCCINI ROTÆ DECANI.

Dor. Contreras.

DECISIONES.

Stata

Nunc primùm in lucem prodeunt.

Cum triplici Decisionum, Rerum, ac locorum Indice.

LVGDVNI,
SVMPTIBVS LAVRENTII DVRAND.

M. DCXXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Este libro dio al Real Colegio de
S.ta Catharina V.gen. Universidad de
Oma el D.or D.n Manuel de
Contreras, Colegial que fue de dho
Colegio, y Can.o Magistral de la Sta Yglesia
Colegial de Medina celi, y al presente
Abad de la de Benavega.

ILLVSTRISSIMO ET REVEREND^MO

D. IOAN. BAPT. COCCINO

ROTÆ DECANO, ET SACRÆ

Pœnitentiariæ Regenti meritiſſ.

D. Contrera.

LAVRENTIVS DVRANDVS

CIVIS BIBLIOPOLA LVGDVNEVS

Gallicus Rhodanicus, Araricus, &c.

SVMMO, ingenito, infinito, indefinito, immutato, incomprehenſo, immoto vnà cum Cælitibus æternùm quieſcentibus ſolo ſibi ſtante, conſtante, ſempiternùm quieſcente lumine, numine, flamine, Cæteris demum, aut à prioribus, aut à mediis, aut à poſterioribus cauſis, citis, motis, circumactis conſtat, reipsâ, ipsóque naturali lumine, Illuſtriſsime Præſul, frequentioribus cælorum motibus, rerumque viciſſitudinibus quodcumque facilè ad eundem ex quo traxit originem ſeriùs ocyùs locum, circumferri, circumduci, redire. Hinc illa Solis à puncto ad punctum, à ſigno ad ſignum, à plagâ ad plagam annalis orbita. Hinc mirabiles lunaris globi defectus, mutationes. Hinc vel Protheo mutabilior prima Totius materia. Hinc ſoliti curſus aquarum ab Oceano, frequentes earumdem ad eumdem, mæandri, amfractus, recurſus. Hinc eiuſdē Oceani certiores fluxus ac refluxus. Quæ cùm ita ſint etiam à primo conditore, & architypo motore, iure & ratione

ad amuſſim quàm optumè ordinata, & diſpoſita, ſtabilitas has non vulgares ſacræ Romanæ Rotæ ex iudicio Sapientiſſimorum Iureconſultorum Deciſiones, (Quæ ſunt veluti totidem Optumatum reſponſa, prudentiſſimorúmque virorum Sancita, Decreta, Dicta, Pronunciata, Arreſta, Thelemata, Oracula) Tibi tanquam earumdem vigilantiſſimo, ſtudioſiſſimóque ſelectori iam typis ex induſtriâ & meo ære mandatas, iuxta illud æquum duxi quàm fœliciſſimè tibi demandari, dicari, ferri, offerri. Sed præterea offert ſe nominis illuſtris tui amplitudo, quæ non Italis concluſa finibus, exteras quoque regiones ſui admiratione compleuit: colitur, & obſeruatur vbique gentium, Illuſtriſſime Præſul, reſponſorum tuorum inconcuſſa veritas, prædicatur conſtantiſſimæ mentis integritas, ea denique legalis diſciplinæ peritia circumfertur, vt ſi abolitis vniuerſi iuris voluminibus ipſa etiam tam præclaræ ſcientiæ memoria intercidiſſet, vel è ſolo pectoris tui ſcrinio in priſtinum reſtitui poſſe non ambigatur. Caput es Tribunalis illius, quod intemeratum Juſtitiæ perfugium eſt, in quo ſanctum, & immutabile eſt priùs mori, quàm fœdari: ſacræ inſuper Pœnitentiariæ, vt vocant, munere ita fungeris, vt nec eis qui peccauerunt ſolamen mitius, nec peccaturis obſtaculum potentius contingere poſſe videatur. Accipe igitur theſaurum ex tuis, & collegarum tuorum vnionibus conflatum, eumque in celeberrimo tuo ſcientiarum omnium domicilio repone, quod vniuerſa iam dudum admiratur Europa; in illa, inquam, clariſſimi nominis bibliotheca tam induſtri labore, ac propè immenſis ſumptibus per te congeſta, vbi & Theologicarum indagationum, & legalium diſceptationum fertiliſſima ſeges exuberat; Vbi & recondita ſcrutantes naturæ miracula ſpectãtur Philoſophi, & Medicæ facultatis egregia lumina inclareſcunt: vbi & nobiliſſima humanarum actionum ſpeculatrix hiſtoria, & reliquæ amœnioris literaturæ delitiæ propria velut in ſede commorantur: Vbi denique quicquid vſpiam fuit in re literaria præclari, vel eſt, vel non eſſe dolet. Vale.

LE

LECTORI BENEVOLO.

NON inconcinnè, meo quidem iudicio, agricolæ ſolerti ac induſtrio vigilantem ac exercitum Bibliopolam quiſpiam coæquare tentauerit. Quemadmodum enim ille agellum ſuum florum ac fructuum iucunda varietate amœnum reddere ſatagit, ita & hic variorum librorum copia omnis generis artium & ſcientiarum Bibliothecã inſtructam, refertamque omnibus conſpicuam exhibere, perpetuò ſtudet, molitur, enititur. Imò ſi examuſſim, æquiorique trutina cuncta pendantur; tantò bibliopolæ agricolis præſtare cernentur, quantò res corporeæ licèt iucundæ, licèt perutiles, incorporeis ac intellectualibus cedunt, inferioreſque cenſentur. Eſt tamen vtriuſque artificij quædam conformitas, & par ſollicitudo. Floribus enim qui fragranti odore ſuo, necnon colorum multiplici variatione cerebrum recreant, & oculorum aciem oblectantur; hiſtoriarum, eloquentiæ, ac poëſeos libros; fructibus verò, quibus ſuauis ac placidus ſapor gutturi ac ſtomacho immittitur, necnon totum corpus ſubſtantia quadam viuifica humectatur, ac reficitur, arduarum ſcientiarum exquiſita volumina; Theologiæ dico, Iuriſprudentiæ, tum ciuilis, tum canonicæ; atque etiam noſtris corporibus perneceſſariæ medendi artis, quæ ſuo quæque in genere vniuerſis hominibus ſunt vtiliſſima, haud ineptè contuleris. Non itaque decebat, me, qui ſtudioſi bibliopolæ perſonam recens gero, & refero, quidquam eorum prætermittere quæ ipſius incumbunt vigilanti muneri, & quæ ab eo deſiderari ſolent. Proinde protinus, quantum valui, in excudẽdis exquiſitarum harum ſcientiarum libris ſedulus incubui: nec infœliciter ſucceſſit. Doctiſſimi enim Theologi in reconditos Prophetarum libros, nondum propatula, haud tamen contemnenda

commentaria ad me tranſmiſſa nuper in lucem edidi. De Iatria verò nõ inutiles tractatus necdum manibus hominũ tritos,typis mea opera & ſumptibus mandati ſunt. Reliquũ erat,vt nonnulli etiam Iuriſprudentiæ libri proferrẽtur,quò bibliotheca omnibus ſuis abſoluta numeris apud me conſpiceretur. Verùm cùm tãta librorum congerie ipſi potiùs Iuri tenebras, quàm lucem afferri quàmplures grauiſſimi, & magna authoritate viri non dubitanter aſſererent, hæſi tantiſper hactenus, donec collatis ſimul,perpenſiſque ſingulorum diſcrepantibus ſentẽtiis,media amplexus ſum eorum qui cõſtanter affirmant, nullos Iuris vtiliores libros, quàm qui quæſtiones ſupremis iudiciis terminatas continerent. Quod vel hac potiſſima ratione mihi ſatis accepta conficere potuerunt. Iuriſprudentiam ſiquidem virtutem eſſe permagnã, nec anguſtis concluſam ſeptis, quæ longo ſtudio,aſſiduo vſu,ac ex ipſis rerum argumentis, non ex futilibus leguleiorum diſputationibus comparanda eſſet, ac ex tenebris quodãmodo eruenda. Quamobrem ſiqua iam à peritis & vſum callentibus viris repoſita, deciſaque & annotata, à cæteris qui ad tam arduum iudicandi faſtigium adſpirant, præ manibus ſemper habenda,terendaque, vt quæ viam Iuſtitiæ commonſtrent, &

——— *quid turpe, quid vtile, quid non,*
Plenius, ac melius, Chryſippo & Crantore dicant.

Hæc meticuloſo mihi animos addidere, vt ſi quos huiuſmodi libros comperirem, prælo ſubiicerem, tumque ex voto & peropportunè ſucceſſit, vt manuſcripta exemplaria ad me tranſmitterentur, queis diuerſa negotia, in ſupremo Rotæ Romanæ tribunali agitata à ſapientiſſimis,iiſdemque perſpicaciſſimis, ac omnibus animi dotibus cumulatiſſimis viris noſtræ tempeſtatis Iureconſultiſſimis deciſa & terminata fuere. Quorum alter, nempe Ludouicus Gomeſius Epiſcopali quoque dignitate refulgens,ab aliquot annis vita functus eſt. Alter verò Illuſtriſſimus videlicèt ac Reuerendiſſimus vir Ioannes Baptiſta Coccinus eiuſdẽ Rotæ meritiſſimus Decanus, necnon Sacræ Pœnitentiariæ Præfectus, omni tum ſcientiarum cũmulo,tum virtutum,ac vitæ ſanctitatis radianti fulgore nunc ſupereminet.Hanc ego anſam de Rep.bene merendi auidus arripui, nihil iam mihi deeſſe arbitratus,quò bibliothecam tantarum deciſionum exaratione omnibus ſuis partibus abſolutam exhiberem. Quæ omnia in primis Deo Opt. Maximo accepta fero. Tibi verò, Candide lector, non iniucunda, non inutilia fore perſuaſum habeo, nec honeſto quæſtui meo importuna.

IN

IN IOANNIS BAPT. COCCINI ROTÆ DECANI, ET SACRÆ Pœnitentiariæ Regentis Deciſiones.

CARMEN I.

PApono dudum exultauit Gallia, cuius
Collectis adeò Gallorum gloria Patrum
Præmicat Arreſtis: Aſt Coccinus ecce Quirinus
Cum fulgente Rotæ comitatu ſurgit, & omnem
Iuſtitiæ, & iuri præbet per ſæcula lucem.

II.

Quòd vigilis ſcriptis animi teſtatur acumen,
Fit mihi Coccineus nomine, reque Pater.

IOANNES BAPTISTA COCCINVS. IBI COETVS PASCAT IN ANNOS.

III.

Qui cum melliſluis apibus, Chriſtoque laborat
Sacriſque Cœlitum choris:
In medium vigiléſque refert pro numine curas
Chriſti, Petri, & ſequacium,
Opto vbicumque aderit, COETVS IBI PASCAT IN ANNOS:
Semper Deo gratiſſimus.

I. Floreſtani Seraud, Cuſtodis fani, ſub Crucis in Eccleſ. Lugd. Rhod. Ar.

IOANNES BAPTISTA COCCINVS. CIBIS COETVS PASCAT IN ANNOS.

IIII.

In ſolo quòd homo non viuat pane, ſed omni
Verbo, quod manans audit ab ore DEI.
Iure, CIBIS *veluti omnes* COETVS PASCAT IN ANNOS:
Ius, & Iuſtitiam COCCINVS *ipſe docens.*

APPRO

APPROBATIO.

ET Illuſtriſſimi æquè atque Reuerendiſſimi Domini Ioannis Baptiſtæ Coccini Rotæ Romanæ Decani Authoritas ſuas commendat Deciſiones. Et ipſæ cùm tales ſint, vt quod iuſtum eſt æquum eſt dicant, more & conſuetudine Rotæ, meritò prodeunt in lucem in publicum bonum & vtilitatem, vnà cum illis quæ ex eiuſdem Bibliotheca excerpta Reuerendiſſimi Epiſcopi Sarnienſis Ludouici Gomeſ. fuerunt, quas in iſto codice ſuis anteponit. Actum Lugd. 3. Aug. 1622.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Epiſcop. Damaſci.

FR. CLAVDIVS COCHET Dominicanæ fam. Lugdunenſ. alumnus & Prior.

AFfirmo ea quæ ſuprà probata ſunt F. I. MARION Gardianus Conuentus S. Bonauenturæ Lugd. & Profeſſor in Theologia.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISſimo Galliarum Rege Conceſſi.

LVDOVICI XIII. GALLIÆ ET NAVARRÆ REGIS auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſue locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos ſex à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione curet, librum qui inſcribitur. *Ludouici Gomes Epiſcopi Sarnenſ. Deciſiones ex Bibliotheca Ioannis Baptiſtæ Coccini Rotæ Romanæ Decani*, præter LAVRENTIVS DVRAND. Bibliopolã Lugdunenſem aut illos, quibus ipſemet conceſſerit prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII DVRAND. Idque omne ſub confiſcatione librorum aliiſque pœnis originali diplomate contrà delinquentes expreſſis. Datum Caſtel-darri, die 6. Iulij 1622.

De mandato Regis ſignatum,

COVPEAV.

LVDOVICI GOMES

EPISCOPI SARNEN.

DECISIONES.

EX BIBLIOTHECA IOANNIS Baptiſtæ Coccini Rotæ Romanæ Decani.

VT LIT. PEND.

EPITOME.

Attentare non dicitur qui habet poteſtatem capiendi poſſeſſionem propria authoritate, licèt anteà commiſerit cauſam ſuper iactationibus.

DECISIO I.

ATTENTARE non dicitur qui habet poteſtatem capiendi poſſeſſionem propria authoritate, licèt antè cauſam commiſerit ſuper iactationibus, moleſtationibus, & manutentionibus. Ita hodie 28. Octobris 1531. concluſit Rota coram D. Petro Vortio in cauſa Farfen. Prioratus, pro Fratre Catherino contra fratrem Herculem, per *conſ.* Alex. 131. *In cauſa, & lite*, lib. 4. Et ita limitatur communis opinio de qua Iaſ. *in l. 2. nu. 114. C. de iur. emphyt.*

DE PRÆBEN. ET rer. permut.

EPITOME.

Beneficium ſine redditibus poteſt dici beneficium, & permutari.

DECISIO II.

BEneficium ſine redditibus poteſt dici beneficium, & permutari cum habente redditus, niſi fraus arguatur Dec. *conſ.* 210. Contrarium Rota 1530. de menſe Ianuarij coram Ioanne Paulo, vt dixi in recollectis, & ſuper reg. de annali.

DE PRÆBEN. Cardin.

EPITOME.

Cardinales non ſunt familiares continui commenſales Papæ, & comprehenduntur in Indulto conceſſo Cardinali ordinario.

DECISIO III.

CArdinales non ſunt familiares continui commenſales Papæ. Ita tenuit Rota deciſ.8. in nou. 1531.in vna Valentina Archidiaconatus Xatiuæ coram me, *iuxta gloſ. in reg.3. Cancell.* Item tenuit, quòd Cardinales comprehendantur in Indulto conceſſo Cardinali ordinario,etiamſi de illis non fiat mentio. Itaque fuit concluſum quòd in Indulto Leodienſis Cardinalis,qui eſt Valentinus Epiſcopus,comprehendatur beneficium vacans per obitum Cardinalis.

DE PACTIS.

EPITOME.

Correſpectiui dicuntur actus qui fiunt eodem loco,& coram iiſdem teſtibus.

DECISIO IV.

COrreſpectiui dicuntur actus, qui fiunt eodem loco, & coram iiſdem teſtibus. Dec. *in l. certi conditio, §.ſi nummos nu. 13. ſi cert. pet.* Felin. *in cap. Paſtoralis in pen. col. de reſcript.* Et ita fuit iudicatum coram Camillo,in cauſa Gerunden. de anno 1532.

DE FIDE INSTRVM.

EPITOME.

Declarationi Papæ ſtatur etiam in præiudicium tertij.

DECISIO V.

DEclarationi Papæ in præiudicium tertij ſtari debet. Dec. *conſ.114.col. pen.* Et declaratio poteſt fieri quandocumque,etiam poſt terminum. Cardin. *in Clem. conſtit.§.1. quæſt. 1. de elect.* Gemin. *cap. præſentium.§.teſtes.nu.9. prope finem,de teſtib. lib.6.* Vide Iaſ. & Doctor. *in l. petens C.de pactis.* Et ita fuit dictum in Rota in vna Tridentina Decanatus coram D. Ioanne clerico de menſe Februarij 1534.

DE DECRETIS.

EPITOME.

Decretum irritans poteſt apponi ab inferiore , ſed non ligat ignorantes.

DECISIO VI.

DEcretum irritans poteſt ab inferiore apponi , ſed non ligabit ignorantes. Communis opinio, Dec.*conſ.*112.quam tenet Rota,Petr. Gambar. *in extrauag. Iulij 2.nu.278. & 279.* Licèt ipſe teneat contrarium. Lap. *alleg.* 14. Sed de decreto inferioris contrà tenet Coſmas *in prag. fol.* 83. *col.* 1. *in gloſ. cenſetur*, & Ioannes Brunelli *in tract. legati concl.* 19. *in fine fol.*56. & gloſ. *in verbo decretum in cap. propoſuiſti in fine*, 81. *diſtinct.* quòd liget, dicit ſeruari Collecta *in cap.Eccleſia veſtra de ſortileg.* Contraria eſt magis communis. Alex. *conſ.*90.*vol.*7. Ita iudicauit Rota coram Clerico,in cauſa nullius de menſe Maij 1533. Hanc tenet Aeneas de Falco *in tract. reſeruat.9. quæſt. princ. vlt. partis.*

DE FIDEIVSSORIB.

EPITOME.

Excuſsio non fit inter mercatores in ſolidum obligatos.

DECI

DECISIO VII.

EXcuſſio inter mercatores in ſolidum obligatos, an fieri debeat? Anchar, quòd ſic, *conſ.* 337. *col. pen. in fine* Fulgoſ. *conſ.* 209. *in fine col. penult.* contrà Curt. *conſ.* 6. *col.* 1. *per gloſ. in* §. *abſolutè creditoribus, propè finem*, in *auth. de fideiuſſ.* Quam ſequitur Bald. alibi, & Roman. *in conſ.* 392. *col.* 4. quia excuſſio eſt de apicibus iuris, Alex. *conſ.* 114. *nu.* 9. *vol.* 6. Socin. *conſ.* 24. *col. vlt.* Et contra mercatores non ſeruatur. Dec. *l. lecta. ſi cert. pet.* Rota coram me de anno 1531. in cauſa inter Ghiſios, pro Iacobo Petrutio de menſe Nouembris 1532. Ita tenet Barbat. *c. dilecti nu.* 47. *col.* 4. *& ſeq. de iudic.*

DE PROCVRATORIBVS.

EPITOME.

Excuſator habens litteras, per quas conſtat de voluntate excuſan. non admittitur ſine mandato, etiam ad cauſam probabilem.

DECISIO VIII.

EXcuſator ad cauſam probabilem, putà diſcrimen viarũ, non admittitur ſine mandato. Nec ſola voluntas per literas illius qui excuſatur, ſufficit. Ita hodie Rota coram Paulo Capizucco, in cauſa Anglicana matrimonij inter Regem, & eius vxorem, in qua Imperator interuenit. Et hoc per doctrinam Bart. *in l. ad crimen, de public. iudic.* Rota hodie 25. Octobris 1531. Pro qua allegaui *cap. cùm dilecti de dol. & contum.* Nam licèt text. dicat, ſpeciale in electione, quæ requirit celeritatem, Innoc. *in cap. querelam. de procur.* idem dicitur in cauſa matrimonij quæ celeritatem requirit. Doct. *in cap. oblatæ, in fin. de appell.* Et argumentum de vno ad aliud, tanquam de ſpirituali ad carnale valet. *c. 2. c. quanto. de tranſlat. epiſc.* Felin. *in c. quoniam* §. *porrò, vt lit. non conteſt.* Nec obſtat motiuum Aduocatorum Regis, ponderando verba Bart. *d. l. ad crimen.* ibi, quia neſcit quid abſens velit. Ergo ſi habemus voluntatẽ Regis per literas, ſatisfactũ eſt: quia reſpondetur, quòd illud non dicit Bart. ſed ſumitur à contrario ſenſu verborum illius, quod non licet, quia ex dictis Doct. capi non poteſt Alex. qui Salicet. reprehendit *in l. 1. col. 10. de leg.* 1. Maximè cum *text. d. c. cùm dilecti.* Quæ inductio placuit Rotæ, licèt Marcellus & Nicolaus Aragoniæ fuerint ſibi contrarij.

DE CONCESS. Præben.

EPITOME.

Expectatiua non capit reſeruata.

DECISIO IX.

EXpectatiua non capit reſeruata, Roman. *conſ.* 342. Card. *q. de præbend.* Roman. 160. *in propoſito,* & 442. Et eſt regula Cancellariæ, & Rotæ in Zamoren. Archidiaconatus coram Marcello de menſe Ianuarij 1532.

DE PRÆBEN. DE Cardin.

EPITOME.

Familiarium appellatione veniunt Cardinales non tamen continuorum Commenſalium.

DECISIO X.

FAmiliarium appellatione veniũt Cardinales. Oldrad. *conſ.* 48. *ius*

commune Roman. *conſ.* 498. *in caſu quæritur.* Faciunt ad cauſam Valentinam de qua ſuprà n. 3. verſa inter nepotem Hieronimi Cinthij, & Conſtantinum Caſtelli.

DE CONCESS. præben.

EPITOME.

Irregularis poteſt eſſe exequutor expectatiuæ.

DECISIO XI.

IRregularis poteſt prouidere expectanti tanquam exequutor 8. Nouembr. 1531. tenuit Rota in Gibennen. Parochialis coram D. Nicolao Piccolomineo.

DE IVREIVRANDO

EPITOME.

Iuramentum non præſumitur præſtitum, niſi probetur, etiamſi præſtari ſit ſolitum.

DECISIO XII.

IVramentum licèt ſit ſolitum præſtari in aliquo actu, tamen non præſumitur præſtitum, niſi probetur. Socin. *conſ.* 85. *col.* 2. Purpur. *l. certi condictio* §. *ſi nummos n.* 33. *ſi cert. pet.* Socin. *conſ.* 97. *in fine.* Et quòd præſumatur præſtitum, Cardin. *conſ.* 137. *col.* 2. Socin. *in l. Gallus* §. *idem credendum col.* 2. *de lib. & poſthum.* Et iſte caſus nunc pendet coram D. Nicolao Piccolomineo in cauſa locationis ſancti Andreæ in Scotia.

DE IVREPATR. ET præben.

EPITOME.

Iuſpatronatus præſumitur laicale, ſi laicus eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi & Eccleſia per clericum fundata, eſt de iurepatronatus laicorum, niſi appareat fundata ex bonis Eccleſiæ.

DECISIO XIII.

IVſpatronatus ſi laicus eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi, præſumitur laicale. Ita Rota, de menſe Nouembris 1534. in conc. Hen. capellaniæ, coram Mohedano, ne præſumatur detentator, contra *l. merito, pro ſocio*, cùm non poſſit habere, niſi ex fundatione & dotatione: & Aduocatus dicebat, aliàs in Caurienſi ſanctæ Catherinæ coram Conrado Manlio concluſum, quòd Capellania fundata per Religioſos beneficiatos cenſeretur de iurepatronatus laicorum, niſi probaretur, quòd bona illa eſſent acquiſita ex bonis Eccleſiaſticis. Et pro Martino Spinoſa contra Ioannē Cilianum notarium D. Pauli in Niciburgien. Canonicatus. Videndus Roch. *verb. ius. penult. quæſt. contra Felin. in cap. ex literis, de conſtit.*

VT LIT. PEND.

EPITOME.

Lis poſt ſententiam etiam quæ tranſiuit in rem iudicatam durare dicitur propter exequutoriales.

DECISIO XIV.

LIs dicitur etiam poſt ſententiam, propter exequutionem Bald. *l.* 1. *de iuram. calum. & in l. ſi cauſa, Cod. de exequut. rei iudicatæ & l. litis*, poſt Bart. *C. de agr. & cenſ. lib.* 10. *& in* §. *vol. alleg. fol.* 24. Io. Faber. *l.* 2. *C. de liti.* vbi tenet, quòd poſt ſententiam adhuc

adhuc dicitur lis pendere. Et ita tenetur in vna Ouetenſ. coram Ioanne Clerici à Rota, de anno 1533. Sarn. *reg.* 138. quòd poſt ſententiam quæ tranſiuit in rem iudicatam, dicatur lis durare, propter exequutionem. Vid. Iacob. Narnienſem *5. vol. alleg. fol.* 35. facit text. *in ca.* 1. *& in §. fin. de except.* 6. in contrarium Bald. *in addit. Specul. tit. de ceſſ. act. in princ.*

DE IVDIC. ET except.

EPITOME.

Negans non punitur, niſi in caſibus à iure expreſſis.

DECISIO XV.

NEgans non punitur, niſi in caſibus à iure expreſſis. Dec *cap. paſtoralis num.* 70. *de except.* facit *l. nemo* ex his, *de reg. iur.* vbi *Dec.* Idem notat, & reprehendit Aretin. §. *fin. Inſtit. de action.* pro quo tenuit Rota vt dico in nouiſſima deciſione, & Iaſ. *in l. fin. autem* §. *quòd autem, ff. de re iud. Et l.* 1. *col. penult. C. de tranſactionibus.*

DE IVD. ET depoſito.

EPITOME.

Oblatio deponen. vnum Iulium, ſufficit ante liquidationem.

DECISIO XVI.

QVòd ante liquidationem fructuum ſufficiat oblatio deponendi vnum Iulium, donec liquidentur, tenet Bald. *in l.* 1. *C. ne liceat tert. pronocare col.* 2. *verſ. modo quæro nu.* 4. Dec. *in l. edita col. fin.* Et ita de menſe Maij 1538. tenuit Rota in Bononia Cruciferorum coram Marcello.

DE PROBAT.

EPITOME.

Obitus probatur per vnum teſtem qui publicè audiuit, & alium de publica voce & fama, vt decernatur proceſſus per Auditorem.

DECISIO XVII.

OBitus bene probatur, quoàd effectum decernendi proceſſum per contradictas, per vnum teſtem qui publicè audiuit, & alium de publica voce & fama. Ita Rota in Cæſarauguſtana, de Moſcarella parochialis, coram me, 27. Octobris 1531.

DE CONCESS. PRÆB. priuil.

EPITOME.

Preces imperatoris per totum Romanum Imperium non comprehendunt beneficia vacantia in Ciuitate Nouarienſi.

DECISIO XVIII.

PRECES Imperatoris conceſſæ per totum Romanum Imperium, non comprehendunt beneficia vacantia in ciuitate Nouariæ, licèt ſit de directo dominio Imperatoris, quia requiritur, quòd omni caſu ſubſit. Ita Rota 25. Octobris 1531. in vna Nouarienſi Canonicatus

ſancti Gaudentij, coram Nicolao Aragonia. Pro qua opinione allegaui Aloyſium Triſtanum 2. *vol. alleg.* qui id dixit in Rota iudicatum, & Antonium Caffarellum in quadam quæſtione ſuper precibus. Quod forte ortum habuit à Ioanne Andrea referen. Specul. *in c.* 18. *his quidem, de præben.*

DE PRIVILEG.

EPITOME.

Scriptores Apoſtolici non præferuntur veris familiaribus, continuis, commenſalibus.

DECISIO XIX.

SCriptores apoſtolici non ſunt verè deſcripti, ſed virtualiter per priuilegium, & ideo non præferuntur veris familiaribus Papæ, continuis, commenſalibus, qui ſunt verè, & non per priuilegium deſcripti. Ita bis in Rota in vna Barchinonenſis Canonicatus inter Ioannem Cordellas, & Michaelem Pignet coram D. Iacobo Simonetta, de menſe Nouembris 1534. Sarn. *reg.* 38.68.

DE RENVNCIAT.

EPITOME.

Conſenſus trahitur ad diem datæ ſupplicationis, niſi medio tempore facta eſſet alia reſignatio, & deſuper præſtitus conſenſus.

DECISIO XX.

COnſenſus præſtitus ſuper renunciatione facta retrotrahitur ad tempus datæ ſupplicationis, etiamſi ſit præſtitus longo tempore poſt obitum conſentientis, etiamſi in medio ſit facta alia reſignatio. Ita Rota in cauſa Cardinalis Cibo per Bullam Alexandri, vt refert Caſſad. *in ſuis deciſ.* 1. *&* 2. *de renunc.* Hodie tamen 25. Octobris 1532. coram Camillo in cauſa Geracen. Cuſtodiæ Sanctæ Mariæ Rota limitauit, niſi antequàm conſenſus fuerit præſtitus, idem reſignans 2. loco reſignauerit, & præſtiterit conſenſum; quia tunc conſenſus poſteà præſtitus, ad primam reſignationem non retrotraheretur, quia media eſſent impedita. Nam licitum fuit reſignanti ante præſtitum conſenſum pœnitere, & 2. reſignare, & conſentire. Et maximè, quia in caſu iſto, etiam in medio erat lis. Et ita fuit iudicatum pro Andrea, contra Ioannem poſſeſſorem, qui habuit ex prima ceſſione Cardinalis SS. Quatuor, quæ per ſecundam, vt dixi, fuit reuocata Ranellen. 189.

DE PRÆSVMPT. DE Diſpens.

EPITOME.

Diſpenſatio ad incompatibilia præſumitur ex diuturnitate temporis.

DECISIO XXI.

DIſpenſatio ad incõpatibilia, ex diuturnitate temporis præſumitur. Anchar. *conſ.* 117. 119. 172. per quod ita fuit iudicatum per Marcellum Auditorem, de anno 1533. in Regien. Plebaniæ.

DE SOLVTIONIBVS.

EPITOME.

Cap. Odoardus, & cap. peruenit, non iuuat condemnatum per tres ſententias.

DECI

DECISIO XXII.

Cap. Odoardus, de ſolut. & cap. peruenit, de fideiuſſ. non iuuant cõdemnatum per tres ſententias, vt hodie Rota in Arboren. Parochialis de Lazaro coram Marco Antonio 24. Nouembris 1540. & in ſignatura iuſtitiæ in Aſten. Plebaniæ Fundamenta ſcribo *in fin. tract. ſignaturæ.*

DE SPONSALIBVS.

EPITOME.

Publicatio non arguit matrimonium.

DECISIO XXIII.

Cap. 2. de clan. deſponſ. quòd publicatio arguat matrimonium contractum, concluſum eſt in Colonien. matrimonij coram Raynaldo Petrutio 15. Nouembris. 1538. Rota 3. in antiq.

QVI FIL. SINT LEGIT.

EPITOME.

Spurius legitimatur per ſubſequens matrimonium, & ſine dotalibus inſtrumentis etiam in terris Imperij.

DECISIO XXIV.

Cap. tanta, qui fil. ſint legit. an habeat locum in terris Imperij, Ang. *conſ.* 29. tenet, quòd non, quia legitimatus vt hic, non admittitur ad ſucceſſionem niſi in terris Papæ. Contrarium tenet Angel. Aretin. *in §. final. inſtit. de nupt.* & latiùs Guil. Bened. *in repet. cap. Raynutius in verſ. & vxorem, fol.* 65. Iaſ. *conſ.* 234. *vol.* 2. & 168. *col.* 5. *vol.* 4. Dec. 155. *col.* 2. Idem Iaſ. *in l. ſed eſt quæſitum, col. penult. de lib. & poſthum. & l. generaliter §. cùm autem, col. final. C. de inſtit. & ſubſtit.* Tamen cum Angelo *dicto conſ.* 19. tenet Curt. iun. conſ. 136. Et iſta quæſtio pendet coram Raynaldo, in Colonien. Matrimonij de menſe Nouembri 1538. & pro Iaſ. *in d. l. ſed eſt quæſitum,* quæ eſt communis, tenet Nicol. Vbald. *in tract. ſucceſſ. 1. parte fol.* 13. *alleg. text. in §. reliquit, in auth. quibus modis naturales effic. ſiu.* & Dec. *conſ...* & Tiraq. poſt Rip. *l. ſi vnquã C. de reuoc. donat.* Et Rota hoc iudicauit, nemine contradicente, die 15. Nouembris 1538. in dicta cauſa Colonien. vt ſuprà nu. 1.

DE IVREPATRONATVS.

EPITOME.

Immiſcens ſe adminiſtrationi beneficiorum, etiam inferiorum, cadit ab omni iure per cap. auaritiæ de elect. in 6.

DECISIO XXV.

Cap. auaritiæ, de elect. in 6. habet 1 locum in præſentato adminiſtrante ante inſtitutionem Lap. *alleg.* 8. Calder. *conſ.* 8. *de elect.* Curt. *de iurepatr. verb. honorificum, quæſt.* 39. Rota in Salamantina capellaniæ coram Marcello 13. Ianuarij 1535. facit gloſ. final. *in c. ſciant cuncti, in eodem.* Et 28. Ianuárij fuit in eadem 2 concluſum, quòd hoc cap. haberet locum in beneficiis inferioribus à dignitate, vt anteà etiam concluſum fuerat. Hoc addito, quòd licèt textus dicat de illis qui ſe adminiſtrationi ingerunt, & de his qui ſub aliquo quæſito colore ſe immiſcent, tamen Rota voluit, quòd haberet locum, etiamſi beneficium 3

non haberet adminiſtrationem, vt erat ea capellania, propter odium ſe inimiſcentis, & fauore Eccleſiæ, attento proœmio iſtius cap. Et tunc verbum *adminiſtratio* capitur hîc aliter, quàm capiat Domi. *in cap. præſente, de offic. ordin.*

DE OFFICIO VICARII.

EPITOME.

Sicut nec beneficia conferre, ita nec cum illegitimo diſpenſare poteſt Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali mandato.

DECISIO XXVI.

CAp. *vltimo, de offic. Vicar. in 6.* Officialis, aut Vicarius generalis Epiſcopi beneficia conferre non poſſit, neque etiam cum inhabilibus diſpenſare, niſi ſpecialiter, vt probat Paul. *conſ.* 348. notan. *lib.* 1. Ita Rota in Cæſarauguſtana portionis coram Clerici de menſe Octobris 1532. pro Ferdinando Caualero cõtra Nicol. Caſa Franca illegitimum qui ab Officiali dicebatur diſpenſatus. Io. Paul. 47. Sarnen. *primo M.*

DE OFFICIO VICARII.

EPITOME.

Sufficit communis reputatio, etiam ſine conſuetudine, in Officiali deputato, & Metropolitano in Dioceſi ſuffraganei, quando agitur inter præſentatos, & non inter Epiſcopum & Metropolitanum.

DECISIO XXVII.

CAp. 1. *de offic. ordin. in* 6. niſi aliud Rhemenſis Eccleſia circa talium Officialium inſtitutionem de conſuetudine obtineat ſpecialiter, & ad idem ſufficeret communis reputatio, licèt non eſſet conſuetudo, vt concluſit Rota 3. Martij 1542. in vna Abulen. matrimonij coram Ioanne Mohedano, præſertim non contradicente Epiſcopo, vt ibi. Iſte igitur tex. procedit, quando ageretur inter Epiſcopum & Metropolitanum. Nam Metropolitanus non poteſt Vicarium conſtituere illo contradicente, niſi adeſſet conſuetudo 40. annorum, ſecùs quando agitur inter partes priuatas ſuper nullitate actus.

DE PROCVR.

EPITOME.

Reuocatio procuratoris parte aduerſa tacitè vel expreſsè conſentiente fieri poteſt poſt litem contestatam.

DECISIO XXVIII.

CAp. 2. *de procur. in 6. verb. poſteà.* Vid. Paul. de Caſtr. *in l. quæ omnia §. actus ff. eodẽ*, qui limitat, niſi tacitè vel expreſsè pars aduerſa renũciauerit, aliàs non poteſt reuocari. Et ita 26. Nouembris 1535. Rota cõram me in Recanaten. Canonicatus.

DE PROCVR.

EPITOME.

Duo Procuratores licèt cum libera, non intelliguntur inſolidum.

DECISIO XXIX.

CAp. *ſi duo de procur. in* 6. limitatur tribus modis, vt per Dec. poſt Abb. *cap. prudentiam col.* 7. *de offic. deleg.* in quibus eſt, quando conſtituti

ſtituti ſunt cum libera, quia cenſentur in ſolidum conſtituti. Bald. *in rubr. C. de excercitoria, col. fin.* cum quo tranſit Philippus Franc. hîc, & Dec. *conſ.* 297. Sed contrarium tenet *Aret. conſ.* 66. *col. fin.* & Dec. *d. cap. prudentiam*, & latiùs Aret. *in l. eandem col.* 2. *ff. de duob. reis* & Rota 4. Febr. in vna Vlixbonen. Nullitatis emphyteuſis coram Thoma de Ianis Vide Io. Paul. 104. deciſ.

DE RESTIT. IN integr.

Epitome.

Vltra quadriennium in beneficialibus non datur reſtitutio in integrum.

Decisio XXX.

1 *Api.* 1. *de reſtit. in integr. in* 6. Die 29. Nouembris 1540. Tenuit Rota, multiplicatis votis, tribus exceptis in beneficialibus poſt quadriennium non dari reſtitutionem, ne ſit fruſtratoria diſpoſitio illius text. vt declarat Felin. *in c.* 1. *col. fin. in fine, de præſcript.* Et ita tenuit Rota In vna Aſtoricen. penſionis co-
2 ram M. Antonio, & concordat Caſſad. *dec.* 2. *iſto titulo* Ratio videtur, quia hoc beneficium reſtitutionis poſt quadriennium minori, vel Eccleſiæ datur propter enormiſſimam læſionem, vt dicit Iaſ. *conſ.* 54. *& ſeq. nu.* 17. *lib.* 1. declarando vt per Socin. *conſ.* 166. *col.* 10. Sed hæc læſio non poteſt prætendi in beneficialibus. Innoc. *cap. querelam, de elect.* Rota *deciſ.* 8. *de procur. in antiq.* Fel. *cap. ſi diligenti col.* 8. *de for. compet.* Igitur non militat ratio textus, quia hoc cap. ſeruiret nobis de vento, ſi cuilibet reſtitutio cõcederetur, cùm tantùm hoc priuilegium minori, vel Eccleſiæ ſit conceſſum. Et in mate- 3
ria beneficiali minor maior reputatur, *cap. final. de iudic. in* 6. Nec obſtat 4
quòd vbi agitur de peccato reſtitutio poſt quadriennium debet concedi, vt Felin. *in cap. lator. de re iudic.* quia illud eſt verum quando vitium non eſt remiſſibile per taciturnitatem partium, ſecùs ſi eſt remiſſibile, vt exemplificat Abb. *conſ.* 60. *vol.* 2.

VT LIT. PEND.

Epitome.

Patronus qui vnum præſentauit pendente lite non poteſt alium præſentare.

Decisio XXXI.

Cap. 1. *vt lit. pend. in* 6. An iſte textus habeat locum in præſentationibus: Roc. *de iurepatr. verb. honorificum q.* 23. Et quòd ſic, tenuit Rota hodie 27. Nouembris 1535. coram Marcello, in Barchinonenſ. beneficij ſancti Chriſtophori. Vide latiſſimè Lambert. *fol.* 208. quòd patronus qui præſentat vnum, non poteſt lite pendenti alium præſentare.

DE PRÆBEN.

Epitome.

Prouiſio Ordinarij præfertur prouiſioni Papæ eadem die factæ, ſi prouiſus ipſe habeat poſſeſſionem etiam poſteà captam.

Decisio XXXII.

Cap. ſi à ſede de præben. in 6. de menſe Aprilis & Maij 1541. coram Raynaldo Petrutio in vna Aquilana Archidiaconatus fuit du-

bitatum, Numquid collatio ordinarij præcederet collationem Papæ factam eodem die, ſi prouiſus ab ordinario per ſeptem dies poſt, aſſequutus fuit poſſeſſionem. Caſſad. *deciſ. 15. de præbend.* poſt Gemin. & Franc. tenet, quòd non, quia poſſeſſio dabet eſſe eodem die, vel antè prouiſionem, non poſt. Idem tenet Dec. *conſ. 169. col. penult.* facit quod Barbat. *conſ. 23. col. penult.* lib. 1. & Socin. *conſ. 67. lib. 3.* Sed iſtis non obſtantibus, Rota 3. Maij concluſit, idem eſſe ſi poſſeſſio fuiſſet capta poſteà per aliquot dies, quia retrotrahitur, & facit, quòd collatio ordinarij ſit potior Apoſtolica, per conſ. Steph. Bertrand. 87. *lib. 3.* Calder. *de præb. conſ. 7.* & alia tunc deducta. Et vid. latè per Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. pag. 57. & ſeq. in gloſ. non appareat*, ibi, *niſi probetur per teſtes de hora.*

DE PRÆBEN. DE reſtit. ſpoliat.

EPITOME.

Habens horam in inſtrumento, ſeu gratia, præfertur habenti eodem die ſine hora, etiam poſſidenti. Vide tamen an ſit verum.

DECISIO XXXIII.

IN *gloſ. in verb, nec apparet*, ibi, *vt ſi probetur per teſtes de hora.* Caſſad. *deciſ. 20. de præbend.* dicit, ſe pronunciaſſe in vna Viterbienſis Capellaniæ, de menſe Iunij 1521. quòd habens diem & horam in inſtrumento poſſeſſionis captæ vigore expectatiuæ, reſtitueretur aduerſus habentem poſſeſſionem eadem die ſine hora. Imò fortiùs voluit Rota 20. Septembris 1530. in Placen. Capellaniæ, coram me, quòd Ioannes Segobia habens in acceptatione ſua diem, & horam, præferatur Gomeſio Ferdinando habenti acceptationem eiuſdem diei, & poſſeſſionem, per iſtum tex. iuncta hac gloſ. & Soc. *in l. 1. ff. ſolut. matrim. col. 2.* vbi vide Rip. 2 *& gloſ. reg. cancell. 15. & in regula prærogatiuarum Iuiij.* Contrarium tamen in duobus inſtrumentis eadem die fabricatis tenuit Rota in Fulginatenſi coram Marc. Antonio per dictum Dec. *in cap. paſtoralis, de reſcript. & in regula in ambiguis.* Ego tamen contrà per dictum Bald. *in cap. capitulum, de reſcript. col. 1.*

DE REGVLARIBVS.

EPITOME.

Mendicantes ſunt capaces legatorum ad effectum vendendi.

DECISIO XXXIV.

IN *cap. 1. §. confirmatos, de relig. domib. in 6. in gloſ. domum*, ſi legetur eis domus vt vendant, benè poterunt recipere. Ita communiter dicit ſeruari Bald. *conſ. 80. lib. 1.* Cardin. *conſ. 66. 102.* Calder. *de teſtam. conſ. 48. col. 7.* Alex. *conſ. 87. col. 2. vol. 1.* qui dicit, communem eſſe, & Dec. *conſ. 559.* Nicol. Vbald. *de ſucceſſ. ab inteſt. q. 3.* Rot. 17. *Martij* 1542. coram Thoma de Thanis in Abulenſi bonorum pro monialibus ordinis Prædicatorum.

DE PRÆBEN. DE Mora.

EPITOME.

Commenda ad annum à die captæ poſſeſſionis non expirat, licèt commendatarius per duos annos non ceperit poſſeſſionem.

DECI

DECISIO XXXV.

CAp. imputari de reg. iuris in 6. Declarat hoc Ias. poſt Alex. in l. centeſimis §. 1. col. 1. ff. de verb. oblig. Socin in l. iure ciuili. ff. de cond. & dem. Alber & alij in l. cùm ab eo ff. de contrah. empt. Gemin. conſ. 78. Per quæ Rota in Salamantina beneficij de Palacios Rubios 28. Octobris 1540. coram Marcello, quòd commenda facta Epiſcopo Salamantino ad annum à die captæ poſſeſſionis non expirauerat, licèt Epiſcopus per duos annos poſſeſſionem non acceperit, quia ex quo conditio erat in faciendo voluntariè, non incidebat in pœnam, niſi interpellaretur, vel moneretur, quia in actu negatiuo hoc requiritur, iux. Innoc. & alios in cap. extirpandæ de præbed. Præſertim cùm alius eſſet Intruſus, & quia propter negligentiam quis iure ſuo non priuatur, vt tenuit Rota in pluribus cauſis, de quibus dixi in regula de iur. quæſit. non tollend. quæſt. 5. in fine. Et prædicta magis declarata fuerunt per Alber. in l. etſi poſt tres ff. ſi quis caut. Sed conſidera, an in contrarium faciat conſ. Calder. de præben.

DE PROCVRATOR.

EPITOME.

Per ceſsionem, ſeu renunciationem iuris extinguitur mandatum, & omiſſo procuratore contra renunciantem procedi poteſt per contradictas.

DECISIO XXXVI.

CLem. vlt. de procurat. procedit etiamſi ſolùm ſit facta renunciatio iuris, & non litis; †quia licèt per mortem non extinguatur lis in Rota, ſed per ſententiã, † tamen extinguitur mandatum, etiam per renunciationem ſolius iuris, & contra renunciantem poteſt procedi per contradictas. Ita hodie 14. Decembris 1537. in Oxomen. Archidiaconatus coram me pro Roderico Lopez contra Alphonſum Henriquez, qui renunciauerat iuri in fauorem tertij, & ſic Lopez neglecto procuratore per contradictas habuit ſententiam. Facit Rota deciſ. 376. in nou. Roman. conſ. 374. præſens eſt quæſtio. Stephan. Bertrand. conſ. 250. vol. 2. licèt Guido Pap. contrà deciſ. 547. Viden. Felyn. cap. licet, lib. 2. de offic. deleg.

DE SEQVESTR. poſſeſ.

EPITOME.

Clem. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fructib. habet locum in eo qui incederet in habitu Decanatus in proceſsionibus, quia per hoc violatur ſequeſtrum, ſicut per prædicationem. Non habet locum in attentatis, neque in ſequeſtro appoſito vigore ſententiæ latæ ſuper attentatis. Item non habet locum in eo qui accipit fructus poſt ſequeſtrum ſeparatos ante ſequeſtrum.

DECISIO XXXVII.

CLem. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. hodie 24. Nouembris 1534. in Taruiſina Decanatus coram Ioanne Mohedano, tenuit Rota, quòd pœna huius Clem. haberet locum quando quis incederet in habitu Decanatus in proceſſionibus, quia per hoc dicitur violari ſequeſtrum, ſicuti violatur per prædicationem, vt dicit Ægid. deciſ. 424. 2

Non tamen habet locum in attentatis, Ægid. *deciſ.*54. Felin. *in rubr. de re iud.col.*4. Caſſad. *deciſ.* 134.135. 136.143. Et hodie 8. Februarij 1539. tenuit Rota, in Gerunden. beneficij de Storna corã Io.Mohedano,quòd hic text.non habet locum in ſequeſtro appoſito vigore ſententiæ latæ ſuper attentatis. Nam violans illud non incidit in pœnam iſtius textus. Item voluerunt, quòd pœna
3 iſtius textus non afficit illum, qui accepit fructus poſt ſequeſtrum qui erant iam collecti ſeu ſeparati ante ſequeſtrum, vt tenet Bonif. Vital. *hic in fine princip.* Et ſaltem auctoritas eius Doctoris qui fuit Auditor Rotæ excuſat capientem,vt in ea cauſa accidit, in qua etiam fuit capta quantitas minima, videlicet vnius Ducati.

EPITOME.

Pœna priuationis impoſita violanti ſequeſtrum,non applicatur parti, ſed beneficium debetur primo impetranti.

DECISIO XXXVIII.

1 ITem pœna violationis ſequeſtri, hoc eſt priuatio beneficij, non cenſetur applicata collitiganti, quia eius fauore non apponitur priuatio, ſed propter iudicis contemptum, & ideo primo impetranti dabitur. Ita hodie 10. Nouembris 1539. in Vrgellen. Archidiaconatus corã Mar-
2 cello pro Cardinali Grimaldo, qui impetrauit cum clauſula, *quouis modo*,contra Antonium. Nam voluit Rota, illam clauſulam, *quouis modo*, comprehẽdere vocationem per priuationem iſtam,iux.alleg. Lap.6. Vide Cardin.*conſ.*45.circa iſtã Clementinam, in eadem ibi, *illi reſtituat qui finalem.&c.*Per iſta verba fuit alias in 3
Rota dictum, quòd ſequeſter nõ poteſt præſentare pendente ſequeſtro, ſed expectare finem litis. Felin. *in c. cum Bertholdus, col.fin.*

DE FIDE INSTRVM.

EPITOME.

Verbis narratiuis Papæ dicen. aliquem rebellem nõ creditur. Clem. 1.de probat. habet locum in Imperatore, ſicut in Papa. Papæ fundanti ſe in facto alieno non creditur, nec facit præſumptionem,niſi reſcriberet motu proprio.

DECISIO XXXIX.

C*Lem. 1. de probat.* De menſe 1
Aprilis & Maij, vt ſæpiùs diſputata,concluſit Rota in Vrbeuetana Caſtri 1541. corã Ioanne Mohedano, quòd non creditur verbis narratiuis Papæ,quòd aliquis laicus, etiam ſubiectus Eccleſiæ, ſit rebellis,ad effectum, vt confiſcentur eius bona, niſi aliunde probetur, per ea quæ latè tradit Dec.*conſ.*445.& 544. Iaſ.*conſ.* 34. *lib.*1. & 86.*col.* 1.*lib.* 3. Et plures alij quos allegauit Ant. Gabr. non obſtante conſilio Socin. 266. *col.* 12. Et ita etiam anno 1532. menſe Aprilis tenuit Rota in cauſa Bonon. Bentiuolorum coram Paulo Capizucco. Item. 14. Aprilis 2
1559. in Parmen.Vallium concluſit Rota, iſtam clementinam habere locum in Imperatore ſicut in Papa. Et quòd dictum Gemini. *conſ.*96.nõ ſit verum, cùm non detur diuerſitas rationis, licèt Felin. *in cap.cum à nobis de teſtib.* dubitauerit. Et omnia alia conſilia Decij, & aliorum, quæ allegabantur, loquuntur in inferio-

ribus

ribus ab Imperatore, & ideo non obſtant. Latè Dec. *conſ.* 544. *in gloſ. feciſſe, in fine.* Communis opinio eſt
3 contra iſtam gloſſ. Videlicet, quòd Papæ fundanti ſe in facto alieno non credatur, nec faciat præſumptionem. Ita Alex. *conſ.* 112. *vol.* 7. & Cur. ſen. *conſ.* 20. *col.* 5. Aret. *in c. cum à nobis col.* 3. *de teſtib.* Ripa *lib.* 2. *reſponſ.* 6. *col.* 1. Aret. *conſ.* 23. *col.* 2. Abb. *cap. dudum de priuil.* Oldrad. *conſ.* 258. Rota 27. Maij 1541. in vna Vrbeuetana Caſtrorum coram Ioanne Mo-
4 hedano. Quòd verum eſt, niſi Papa reſcriberet *motu proprio* per dictum Lap. hîc, quem ſequuntur Doctores præfati & Curt. Iun. *conſ.* 61. *col.* 5. *lib.* 1. Socin. *conſ.* 166. *col.* 12.

DE RESTIT. SPOLIAT.

EPITOME.

Execrabilis ſpoliatus non reſtituitur.

DECISIO XLI.

EXtrauagans *Ioannis* 22. *execrabilis, de præben.* An execrabilis debeat reſtitui ſpoliatus, quòd non tenet Rota *in antiquis.* 371. Roman. *conſ.* 499. Rot. *deciſ.* 16. in nou. Contrarium videtur ſentire *additio vlt. ad deciſ.* 3. *de reſtit. ſpoliat. in nou.* & Oldrad. *conſ.* 227. Caſſad. *in regul. de annal. fol.* 180. Dixi in eadem regula. Vide gloſ. *hîc*, verbo, *ipſo iure.* Corſettus *in regula quòd ſpoliatus fallen.* 16. & 33. Abbas *in diſp. Titius* 3. *dub.* & *in cap. in literis col. penult. de reſtit. ſpoliat.* Et ita fuit coram Petro Bortio 8. Octobris 1535. in Giennen. beneficij pro Rodico Lopez contra familiarem Cardinalis Genen. concluſum, quòd execrabilis, probata incompatibilitate non reſtitueretur.

DE IVD. DE FOR. Comp. de Priuil.

EPITOME.

Geſta in partibus contra Curialem, vel ad Curiam venientem, non tamen priùs citatum ſunt nulla, ſine monitione vel inhibitione.

DECISIO XLII.

EXtrauagans *Eugenij* 4. *de priuil.* Rota in vna Gerunden. hebdomadariæ coram me de menſe Februarij 1542. tenuit, quòd ſententia, & acta geſta in partibus contra Curialem ſunt nulla, etiamſi contra iudices, vel partes proſequen. nullum antea decretum fuiſſet monitorium vel inhibitio, & eodem modo dec. 13. eiuſdem, Rota in eadem tenet, iſtam extrauagantem eodem modo tueri venientes ad Curiam, niſi illi priùs fuerint per citationem præuenti, & ex eo quia in quantum fieri poteſt extrauagans in dubio debet interpretari ſecundum ius cómune, vt notat Salicet. *in l.* 2. *de noxa.*

DE RESTIT. SPOLIAT. de reſcript.

EPITOME.

DECISIO XLIII.

REmedium *cap. reintegranda* 3. *quæſt.* 1. An iſtius Canonis remedium perpetuò competat, id eſt, vſque ad 30. annos, an verò ſine præfinitione temporis latè diſputat Caſſad. *deciſ.* 6. *de reſtit. ſpoliat.* & Socin. *conſ.* 39. *col.* 2. *lib.* 3. tenet, quòd præſcribatur ſpatio 30. annorum, & *in conſ.* 266. *col.* 4. & *ſeq.* & 8. *lib.* 1. Sed quòd competat poſt mille annos, & in perpetuum, Rota in Placetin.

Caſtrorum re ſæpiùs diſputata coram Ioanne Paulo de menſe Martij, Aprilis,& Maij 1541.

DE RESTIT. SPOLIAT.

EPITOME.

Spoliatus à iudice non reſtituitur.

DECISIO XLIV.

CAp.præſentium,7. quæſt.1.*in gloſ. in aliam*,ibi, *quòd ſpoliatus à iudice non poſſit petere reſtitutionem circa illam gloſ.de ſpoliato à iudice* Dec. *in cap. referente nu.4.de præben.* Felin. *in cap.ſi quando, in princ.de offic.deleg.* dicit,ſingularem.Limita vt per Soc. *in l.iuſtè ff.de acquir. poſſeſſ.* Rip.*in §. nihil commune l.naturaliter ff.eod.* Iaſ. *in l.à Diuo Pio §.1.in venditorem ff.de re iud.*Et latiùs in informatione cauſæ Romanæ Caſalium inter Camillum & Iulium coram Ioanne Paulo 1541. in qua, Rota iudicauit iuxta iſtam doctrinam.

DE RE IVD. DE cauſ. poſſeſſ.

EPITOME.

Sententia ſuper poſſeſſorio debet ferri in ſcriptis, de æquitate tamen toleratur, ſi ſine ſcriptis feratur.

DECISIO XLV.

1 ABb.*cap.vlt.de iudic.num.*13.*item debet ferri in ſcriptis.*Quòd ſententia ſuper poſſeſſorio,ſit diffinitiua; & debeat in ſcriptis proferri, tenuit Rota 16.Febr. 1540. coram Iac. Puteo in cauſa Vlixbonen. decimarum per iſta dicta Abbat.Et quòd ſit diffinitiua tenuit Dec.dicens,eſſe com-
2 munem, *in c.conſultationibus, de offic. deleg.* Et Iaſ. *in l. quod iuſſit,de re iud.* & Franc.Aret.*in tract.quæſit ſententia.* Et Prouincial. *fol.*34. cum aliis tunc allegatis. Hoc tamen intellexit Rota,quando cauſa poſſeſſorij,eſt cauſa principalis, ſecùs ſi acceſſoria, vt quia eſt commiſſum petitorium, & licèt iſta de iure vera putauerit, tamen quia in præfata cauſa ſententia erat multum iuſtificata, tendens in fauorem Eccleſiæ,fuit dictum,quòd de æquitate poterat ſine ſolennitate prædictæ ſcripturæ tolerari, per dictum Cyni *in l. iudicij C. de iudic. vt dixi in cap.fin.§. verum, num.*17. *de iudic.*

DE RESTIT. SPOLIAT.

EPITOME.

Exceptio ſpoliationis repellit ſolùm illum qui ſpoliauit.

DECISIO XLVI.

ABb. *c.cum dilectus de ordin. cogn. num.*12. Exceptio ſpoliationis ſolùm repellit illum qui tenetur interdicto Vnde vi. Iſta opinio videtur communis, nam eam ſequitur Paul.Salicet,Alex. Iaſ. & Corn. *in l. ſi te bonis,C.de iur.delib. & deciſ.Tolle* 443.& Neapol.19. Io. Andr. & Gemin. *cap. frequens, de reſtit. ſpoliat. in* 6. Rota in Peruſina Prædij ſiue ſpolij coram Iacobo Puteo de menſe Octobris 1541. & Mil. *verb. poſſeſſorium deducens*, cum aliis de quibus Hier. Caſtel.

DE PRÆBEN. DE regreſſ.

EPITOME.

Ex lapſu decem annorum videtur quis habere beneficium pro derelicto,

licto,& amittit poſſeſſionem,non titulum.

DECISIO XLVII.

1 ABb. *cap.contingat de dol. & contumac. num.*14. ibi, *videtur quis habere beneficium pro derelicto*, intelligitur, quoàd poſſeſſionem, ſecus quoàd titulum, ſiue ius mihi competens, quia illud non perditur ex patientia, vel negligentia mea, niſi in caſibus à iure expreſſis, vt dixit Rota *in l. ſolent. §. fin. de offic. Pro-*
2 *conſ.*Balb.*de præſcript.fol.*13. *num.*49. Et ita intelligitur Abb. *in c. cùm veniſſent, de reſtit. ſpoliat. Et in c. capitulum de reſcript.* Iaſ.*in l.*1. *col. penult. C.de ſerui. fugit.* Rota in vna Gebennen. pro Cardinali Anconitano co-
3 ram Camillo 3. Iulij 1531.& 24.Nouembris 1539. Rota tenuit in Vrbeuetana Archipreſbiteratus coram Ioanne Paulo, quòd ius regreſſus per ceſſum non perderetur per negligentiam Cardinalis Farneſij nunc Papæ, non petentis. Vid. Io. Paul. 56. 58.

DE PRÆBEN. DE conſtit.

EPITOME.

Canonici conferentes Canonicatum contra formam ſtatuti iurati ſunt periuri, licèt collatio teneat.

DECISIO XLVIII.

ABb. *cap. dilecto, de præben. nu.* 18. *verſ. & ideo*, dicit Io.Andr. Hodie 10.Decembris 1533. de voto omnium qui bis ſuper hoc votauerunt, ſententiam in Burgen. Canonicatus pro Ioanne Ruizi contra Ioannem Ognati,nam Canonici cótra ſtatutum iuratum contulerunt Canonicatum Ioanni Ruiz qui non erat antiquior portionarius, quia ſecundùm ſtatutum debet dari antiquiori,vt erat Ioannes Ognati.

DE SOLVT. DE VALOR. de penſ.

EPITOME.

Moneta debet ſolui illius valoris,cuius erat tempore quo fuit promiſſa.

DECISIO XLIX.

ABb. *cap.olim de cenſib. nu.*4.*verſ. iuxta monetã quæ erat tempore contracti debiti.* Iſta eſt cõmunis opinio,vi latè probat Brun.*de augm.monet.fol.*25.*verſ. his ſic præmiſſis.* Quid autem in penſionibus ſolusdis?dicit idem. Declarandum tamen, vt per Abb. *in c.quanto,nu.*14.*de iur.iur.* Cuius opinio in hoc eſt communis. ſecundum Brun. *d. tract.fol.*28. *verſ.*8. *& fol.* 29. *col.* 2. Et iſta quæſtio de penſionib. pendet nunc de menſe Aprilis 1540. in Segobien.penſionis coram Puteo.

DE DISPENS.

EPITOME.

Illegitimus diſpenſatus per Epiſcopum poteſt obtinere portionem in Eccleſia Cathedrali.

DECISIO L.

DEciſ.2.*de fil.presbyt.in nou. aliàs* 136. Fuit hodie 28. Martij 1546.coram Nicolao Aragonia concluſum, quòd illegitimus diſpenſatus per Epiſcopum ad beneficium, poſſit obtinere portionem in Ec-

cleſia Cathedrali, in cauſa Ciuitaten. dimidiæ portionis.

DE PROCVRAT.

EPITOME.

Valent geſta per Procuratorem etiam ignorantem ſe eſſe procuratorem.

DECISIO LI.

Deciſ.7. de procurat. in nou. aliàs 145. in fine. Pro iſta deciſione facit *deciſ.19. eodem tit. in antiq.* Felyn. *cap. ſciſcitatus, col. fin. de reſcript.* Et hodie 12. Decembris 1533. iudicauit Rota in Zamoren. coram Sylueſtro, duobus exceptis. Vbi quidam Titius tanquam Procurator Ioannis obtinuit commiſſionem, & citationem contra Hieronymum, & deinde ille Procurator ſe abſentauit, poſteà Hieronymus citatus comparuit, & petiit declarari litem nullam, attento quòd ille Titius nõ habebat mandatum, & verè ignorauerat ſe habere, quia impetrauerat tanquam aſſertus procurator Ioannis. Comparuit quidem Titius nomine Ioannis, & produxit mandatum Titij. Concluſerunt Domini, quòd ſufficiebat, & licèt Titius ignoraret ſuum mandatum, tamen clauſula rati quæ in ea erat, ſufficiebat quoàd actum per eum factum nomine domini ad notata per Domi. *in cap. is qui, de procur. in 6.* Imò iſte ſtylus fuit intellectus per Rotam, quando non cõſtaret de mandato, vel in prima, vel in tertia Inſtantia, & vltrà. Ita in quadam Corduben. Prioratus coram Marcello anno 1531. Sed Alex. *conſ. 72. vol. 4.* dicit, quòd poſt concluſionem in cauſa non poteſt produci mandatum, ſed vide eundem *conſ. 75. vol. 5.* Vide latiſſimè Curt. Iun. *conſ. 67. per totum.* Vide quæ dixi *in 19. eod. in antiq.*

DE PROCVRAT.

EPITOME.

Geſta per procuratorem valent, licèt de procura tunc non appareat, ſi tamen erat procurator, & probari poteſt, quem eſſe procuratorem etiam per teſtes, etiam poſt ſententiam.

DECISIO LII.

Deciſ. 19. eod. tit. in antiq. aliàs 248. Sed poſteà apparuit, & ſic poſt ſententiam. Et ita hodie practicatur in Rota, vt dixi *in 7. eodem in nou.* Et iſta deciſio non ſolùm procedit in mandato in ſcriptis, ſed etiam quando poſt ſententiam quæ tranſiuit in rem iudicatam probaretur, mandatum interueniſſe, per teſtes, vt concluſit hodie 4. Febr. 1538. Rota in Mediolanen. Præpoſituræ de Vico Baldono coram me inter Cardinalem Triuultium & Epiſcopum Nouarien.

DE PROCVRAT.

EPITOME.

Mandatum generale ad lites, trahitur & intelligitur etiam de futuris.

DECISIO LIII.

Deciſ. 32. eod. tit. in nou. aliàs 413. Mãdatum generale ad mouendum omnes lites, & ſingulas cauſas, quam, & quas habet, & poſſet habere, quæ & mouere vult, & intendit contra quaſcumque perſonas, & ipſæ perſonæ contra ipſum, &c. extendi

extenditur ad futuras lites: Fuit hodie 18. Febr. 1538. concluſum per omnes in Calaguritana Archidiaconatus pro Ioanne Angliano contra Ioannem Mahedatium, & idem coram me fuit tentum in eadem cauſa in prima inſtantia pro fundamento iſtius deciſionis, quæ eſt communis, vt tenet Alex. *in addit. ad Bart.* & ibi, *Roman. in l. damni* 18. §. *ſi is, de damn. infect.* & tenet Abb. *in cap. non iniuſtè de procur.*

DE PROCVR. DE renunciat.

EPITOME.

Procurator nomine alieno agens in re in qua habet intereſſe, videtur iuri ſuo renunciare. Vide An ſit verum.

DECISIO LIV.

DEciſ. 34. *eod. tit. in nou. alias* 415. ibi, *&c. quibus iuribus* Felyn. *c. literas col. 2. de præſcript. in cap. quamuis in fine, de re iudic. in verb. procurator agit.* Præpoſ. *c. iudicis, de nat. ex lib. ven.* Et pro hac deciſione Dominus Manilius Rotæ Auditor tẽpore Leonis Decimi iudicauit in cauſa Compoſtellana de Nauazo, in eo qui tanquam Procurator comparuit, vt videatur iuri ſuo renunciaſſe. Ita in quadam Biſuntina Prioratus coram Mercurio allegauit Ioan. Baptiſta. Tantò magis, quando comparuerat in cauſa, non tanquam Procurator. Item videretur tunc iuri ſuo renunciaſſe ſi peteret, beneficium alteri adiudicari. Sed ſi ſe reum defendit, & ſtat in terminis defenſionis, non poteſt dici renunciare. Abb. *cap. ex literis, de renunc.* Item, quia iſta deciſio multò magis procedit in illo qui ignorauit ceſſionem beneficij factã in ſui fauorem, ideò non poteſt dici renunciaſſe iuri quod ignorabat. Io. Andr. notat. *in d. cap. ex literis, l. ſi mater de inoff. teſtam. C.*

DE DOL. ET CONtumac.

EPITOME.

Quando Iudex eſt præſens in loco, non requiritur inſertio commiſſionis in citatione.

DECISIO LV.

DEciſ. 15. *de dol. & contumac. in nou. alias* 355. *in fin.* Declarat tamen, hoc procedere, quando citatio fit in loco vbi eſt Iudex, ſecùs ſi in loco remoto, quia tunc requiritur inſertio. Ita Rom. *l. ſciendum, col. 12. nu. 49. verſ. quinta concluſio ff. de verb. oblig.* Et opinionẽ Romani, quando Iudex eſt præſens, tenuerunt Ant. & Abb. *cap. præterea, de dilat.* Iaſ. *in l. 2. col. 1. ff. ſi quis in ius voc. non ier. & conſ.* 145. *col.* 11. *vol.* 4. Et iſte caſus modò pendet coram Thoma in Colimbrien. de Penacona 15. Nouembris 1540.

DE TESTIBVS.

EPITOME.

Iudex poteſt eſſe teſtis.

DECISIO LVI.

DEciſ. 5. *de teſtib. in nou. aliàs* 89. Iudex poteſt eſſe teſtis Ita hodie 4. Nouembris 1541. iuxta iſtam deciſionem iudicauit Rota, in Dolen. Penſionis, coram D. Iac. Puteo Vidend. Alber. de Malectis *in tract. de teſtib. fol. 7.* vbi hoc examinat,

Franc. *cap. Romana col. 2. de teſtib.* Mil. *in verb. teſtificari poteſt*, Felyn. *c. cùm dilecti de accuſ. col. 3. cap. quia nobis, col. penult. de teſtib.*

DE LOCAT.

EPITOME.

Succeſſor recipiens penſionem à conductore anteceſſoris, pro tempore quo recepit intelligitur remanere.

DECISIO LVII.

Deciſ. 2. de locat. in nou. aliàs 233. ibi, *pro tempore quo recepit penſionem.* Iuxta iſtã deciſionem tenuit Rota in Romana Afflictus, ſiue Portuen. inter Cardinalẽ Franen. & Petrum de Maximis, de menſe Octobris 1541. coram Puteo, & de menſe Martij 1542. iterum ventilatum coram eodem, vt infrà 75.

DE PROCVRAT.

EPITOME.

Nomina capitularium non ſunt de neceſſitate ſpecificanda in mandato, ſed ſufficit dicere, Prælatus, & Capitulum, *& quòd ſit appoſitum ſigillum capituli.*

DECISIO LVIII.

Deciſ. 36. de procur. in antiq. aliàs 791. Etſi non ponat Capitulũ. Iſta deciſio hodie ſeruatur in Rota, & non contrariatur alia in antiquis 132. vt Simonetta iudicauit in Placentina decimarum 1511. Et idem tenuerunt in Elboren. fructuum, de menſe Decembris 1539. coram Petro Vortio, qui ita iudicauit.

DE CONCESS. præbend.

EPITOME.

Acceptanti beneficium incumbit probatio, ſi dicat poſteà, non cadere in ſua gratia.

DECISIO LIX.

Deciſ. 8. de cauſ. poſſeſſ. aliàs 193. in antiq. Acceptanti incumbit probatio. Iſta deciſio fuit approbata per Dominos triplicatis votis in cauſa Placen. Parochialis de Pagho, de menſe Ianuarij & Februarij 1542. coram Puteo, reprobata *deciſ. Ægid. 528.* Eorum hac concurrit Gemin. *conſ. 103.* & Sylua *de Benef. 3. parte quæſt. 11.* Lap. *alleg. 120.*

DE IVDIC. DE FOR. compet.

EPITOME.

Per decretum citationis perpetuatur iuriſdictio, quoàd iudicem ſecus quoàd partem, niſi ſequatur executio.

DECISIO LX.

Deciſ. Biſign. 1. de offic. deleg. verſ. non tamen quoàd partem. Iſtam deciſionem tenuit Rota in vna Vlixbonen. decimarum coram Paulo, licèt plura in contrarium allegata fuerint.

DE PRÆBEN.

EPITOME.

Reſeruatio beneficiorum exceptis ſpectantibus ad collationem Epiſcopi intelli

intelligitur de illis in quorum quaſi poſſeſſione conferendi eſt Epiſcopus.

DECISIO LXI.

D*Eciſ. Biſign. 5. de præben.* Cald. *conſ.* 23. Et iſta deciſio fuit ſeruata in cauſa Terracinen. Canonicatus pro Robuſt.

DE CONCESS. præben.

EPITOME.

Impetrans tenetur probare, beneficium eſſe infra taxam ſuæ expectatiuæ.

DECISIO LXII.

D*Eciſ. Biſign. 6. eod. tit.* In gratiis factis ſub iſta forma ſpeciali prout, hodie fit, expectatur: & iſtam deciſionem tenuerunt Domini hodie 28. Iunij 1538. in vna Calaguritana Archidiaconatus coram Marcello pro Ioanne Anguiano contra Martinum Ximenez, qui dedit de expectatiua, quem Domini voluerunt aſtringere ad probandum, Archidiaconatum prędictum cadere infra taxam expectatiuæ per iſtã deciſionẽ, & aliã Ægid. Et hoc idẽ 22. Nouembris 1540. fuit concluſum in Aſtoricen. beneficiorum coram Ioanne Paulo, & præteritis annis. Idem tenuiſſe Rotam in duabus aliis cauſis, vt annotauerat Marcellus, vt ipſe in Rota retulit, rationes ponit Felyn. *cap. ad aures de reſcript.*

DE RE IVDIC.

EPITOME.

Nihil refert in cuius perſona Domini vel poſſeſſoris verba ſententiæ concipiuntur.

DECISIO LXIII.

D*Eciſ. in nou. in addit. vlt. de procur.* in cuius perſona ſint concipienda verba ſententiæ, Canoniſtæ tenẽt nihil referre. Iſtam opinionem tenuit Rota de menſe Octobris 1532. in Gennen. Decimarum coram me.

DE PACT. CONTRA-ctibus conſtit. dot.

EPITOME.

In alienatione rei dotalis æſtimatæ immobilis requiritur ſolennitas auth. ſiue à me.

DECISIO LXIV.

A*Vth. ſiue à me, C. ad Senat Conſult. Velleian. verſ. & multò magis idem in dotibus,* locum habet, quia iſta auth. reſpectu conſenſus geminati, & alterius ſolennitatis requiſitæ in donatione propter nuptias, etiã habet locum in alienatione dotis æſtimatę rerũ mobilium, Ea æſtimatione quæ non facit emptionem: quod tenuit Rota 6. Octobris 1536. in Romana Domus coram Paulo Capizucho. Itaque doctrina Bart. *hod. in 2. lect.* & Paul. Caſtr. fuit approbata, ad ampliationem, vel limitationem *l. ſi æſtimatis, ff. ſolut. matr.*

DE EMPT. ET VEND. De contr.

EPITOME.

Læſus vltræ dimidiã reſcindit venditionem contra ſingularem ſucceſſorem qui iuſtè emit.

DECISIO LXV.

L*. 2. C. de reſcind. vend.* Iſta lex eſt repetita per Socin. *num.* 519. An

habeat locum contra ſingularem ſucceſſorem Alex. *conſ.* 92. *lib.* 1. tenet, quòd non. Contrarium tenent plures, quos allegat Pantaleo hic *in repetitione col.* 26. Et ita Rota 29. Octobris 1535. coram Bortio in Romana officij ſequuta opinione Bald. *hic* 13. *quæſt.* & Salicet. Et quòd habeat locum in ſubhaſtatione tenet latè Pantaleo, *in repetit. limit.* 8. *col.* 26. Dicit cõmunem Alex. *conſ.* 117. *in fine vol.* 7. *& in l. pretia ad l. falcid.* Ita Rota, de menſe Nouembris 1535. coram Petro Bortio in Romana.

DE IVD. DE DOTIB. De tutel.

Epitome.

Recentio dotis non fit matri quæ tutelam adminiſtrauit, quouſque rationem adminiſtrationis reddat.

Decisio LXVI.

L. *vnica* §. *taceat. C. de rei. vxor. act.* Numquid ob adminiſtratam tutelã poſſit fieri retentio dotis matri, donec reddat computum adminiſtrationis? Socin. *conſ.* 126. *&* 180. tenet, quòd ſic; & reſpondet ad illum text. Sed quidam Ant. Neguz. *de pignor.* 1. *memb.* 2. *partis*, tenet cõtrarium. Hodie 27. Aprilis 1541. dubium diſcutitur in Vicentina dotis coram Ioanne Paulo, & die 26. Maij 1546. coram Fabio Accorambono in eadem concluſum eſt contra Socinum.

DE TESTAM.

Epitome.

Teſtamentum imperfectum patris valet inter liberos, quando ſunt æqualiter inſtituti, ſed teſtamentum inualidum ratione præteritionis, non valet inter liberos.

Decisio LXVII.

L. *hac conſultiſſima.* §. *ex imperfecto C. de teſtam.* Iſte text. limitatur, non procedere quando pater non æqualiter teſtatur inter filios, ſed in odium vnius, & cõmodum alterius, ſed quando æqualiter in omnium commodum. Ita Roman. *conſ.* 179. *col.* 1. *editione & 385. in* 2. *col.* Crot. *cap. Raynutius col.* 29. *de teſtam.* Sequitur Dec. *conſ.* 105. *col. fin.* Et iſtud punctum modò pendet coram Ioanne Paulo in Lucana de menſe Decembris 1540. Et ita fuit concluſum; nam communis eſt opinio, quòd iſte text. non procedit quãdo teſtamentum eſt inualidum ratione præteritionis, vt dicit Claud. *l. inter cætera col.* 1. *de lib. & poſth.* Iaſ. *l. ſi filius qui in poteſtate, col.* 6. *eod. tit.* Et pro opinione Dec. *d. conſ.* 105. tenet Ant. Rub. *conſ.* 6. *&* 7. & idem Dec. *in* l. 1. *C. vnde liberi, & conſ.* 63. Vide Tiraq. *in tract. de iure primog.* qui tenet hanc partem.

DE EXPENSIS.

Epitome.

Priuilegium vni ex collitigãtibus ex cauſa oneroſa conceſſum non competit alteri.

Decisio LXVIII.

L. *vlt. C. de fruct. & lit. expenſ.* Rot. 5. Martij 1540. in vna Conchen. Parochialis coram me tenuit, priuilegium cõceſſum notariis Rotę de litigando gratis quoad expenſas, non prodeſſe aduerſario non priuilegia

legiato condemnato, quominùs teneatur ſoluere expenſas quas ſi ipſe viciſſet, in cauſa feciſſet. Nec obſtat iſte textus, quia procedit in priuilegio gratioſo, non autem in oneroſo, vt dicit hic Salicet, quale eſt notariorũ, & ſimilium mentium ſua officia, vel laborantium in vinea Domini. Et ita Franch. Piſguiſa obtinuit cõtra Ludouicum de Torres.

DE PIGNOR.

L. 2. *C. de pignor.* Notabiliter limitat Chaſſan. *in tract. glor. Mund. in par. 99. conſid. 25. limit. fol.* 102. Cremen. *ſing.* 54. Ant. Neguſ. *de Pignor. 1. membr. 8. partis num. 20. fol.* 163. Quos ſequuta eſt Rota in Romana domus 12. Nouembris 1540. coram Petro Bortio.

DE FOR. COMPET.

Epitome.

Vbi quis exercuit argentariam, ibi rationes edere debet.

Decisio LXX.

L. *prætor ait*, §. 15. *etiam ff. de eden.* quòd vbi argentariam exercuit. Et ſic in vna Florentina pecuniaria coram Ioanne Paulo tenuit Rota de menſe Iunij 1538.

DE PIGNORIBVS.

Epitome.

Pignore reddito debitum peti poteſt, nec præſumitur ſolutio.

Decisio LXXI.

L. *poſtquam verò, ff. de pact.* debitum peti poſſe. Cuman. *conſ.* 39. *col.* 2. Et ita tenuit Rota coram Mohedano de menſe Iunij 1537. in vna Redonen. Parochialis de Roſtonis pro Ioanne Clerici contra Ioannem Mullium.

DE CONCES. PRÆBEN.

Epitome.

Qualitas adiecta verbo intelligitur ſecundùm tempus verbi. Secundùm ſinẽ gratia conceſſa ſine præiudicio expectantium, intelligitur de illis qui eſſent tempore vacan. licèt non eſſent tempore gratiæ.

Decisio LXXII.

L. *in delictis* §. 1. *de noxal. in ſummar.* Bald. Qualitas iũcta verbo, ſignificat ſecundùm verbi tempus: Cardin. *cap. perpendimus col. 8. de ſent. excom.* ponit notabilem limitationem. Et quòd qualitas debeat attendi ſecundùm irritum, & tunc dicatur tempus verbi, *eſt deciſ. 857. & ſeq. in antiq. per iſtum text.* & alia quæ tenet Oldrad. *conſ. 58. & 168. in 2. quæſt.* Et Caſſad. *deciſ.* 3. de præben. Iuxta quas deciſiones Rota menſe Decembris 1540. in Virdunen. Canonicatus, coram Puteo, tenuit, quòd ſi Papa in ſua gratia dicat, illam concedere ſine præiudicio expectantium gratias ſuas proſequendi, quòd illa verba debent intelligi de expectatiuis, non ſolùm de extantibus tempore datæ gratiæ, ſed de conceſſis tempore poſt vacationem beneficij. Et ſic illud tempus debet conſiderari. Et hoc propter dictionem tunc poſitam in gratia. Et ita excluditur ratio *l. ſi ita de aur. & arg. leg.* in contrariũ alleg. ad quam deciſ. 857. reſpondet. Et quòd qualitas adiecta debeat interpretari iuxta

tempus verbi, Bartolo. Brix. latè *in repertorio, in verb. qualitas.* Vid. Ægid. *deciſ.* 575. & contrariam 1. Dec. *in nou. de procur.*

DE PROCVRATOR.

EPITOME.

Procurator ex iuſta cauſa poteſt etiam in faciendo excedere fines mandati.

DECISIO LXXIII.

L. *ſi hominem ff. mandati.* Quòd iſta lex procedat etiam ſi procurator excedat in faciendo, Rota 20. Maij 1538. in Manticana Zuccarorum coram Petro Bortio. Pro qua facit *l. in confirmando vtilitatem ff. de confirm. tutor.*

DE PACT. DE CONTR.

EPITOME.

Prouiſio caſuum fortuitorum comprehendit inſolitos.

DECISIO LXXIV.

L. *fiſtulas*, §. *vlt. ff. de contrah. empt.* Quòd prouiſio caſuum fortuitorum comprehendit inſolitos, concluſit Rota, coram Mohedano in Mediolanen. penſionis de menſe Ianuarij 1534. Vide Socin. *in l. ſi ex toto, in princ. col.* 2. *de legat.* 1.

DE LOCATION.

EPITOME.

Relocatio ſolum pro tempore, quo pecunia recipitur facta intelligitur per ſucceſſorem.

DECISIO LXXV.

L. *Item quaritur* §. *qui impleto, ff. locat.* limitat. vt dixi. *in nou. deciſ.* 233. *num.* 55. vbi eſt bona deciſio, quam tenuit Rota coram Puteo Octobris 1541. in cauſa Porticen. affictus inter Cardinalen. Tranen. & Petrum de Maximis. Et hodie 17. menſis eiuſdem concluſit Rota pro Cardinali N. contra Petrum de Maximis, quòd licèt Cardinalis poſt finitam locationem per promotionem Cardinalis Tranen. eius prædeceſſoris, non receperit aliquas penſiones nomine affictus, non per hoc cēſetur relocaſſe dictas poſſeſſiones Portus, licèt Petrus probauerit fuiſſe de cōſuetudine 40. annorū illas poſſeſſiones locari ſolitas ad nouennium. Nam hoc non obſtante, non videtur Cardinalis tacitè relocaſſe niſi pro illo anno currenti iuxta diſpoſitionē illius text. ad quem videnda eſt *deciſ. Neapol.* 366. & *Ægid. deciſ. num.* 348. & *not. iuxta illius deciſ.* Neapol.

DE PROCVRATOR.

EPITOME.

Ex duobus mandatis eadem die confectis in qualitate diuerſis, neutrum valet, ſecùs, ſi diuerſitas ſit in ſumma.

DECISIO LXXVI.

L. *duo ſunt Tityj ff. de teſtam. tutel.* Calder. *de priuil. conſ.* 6. & Oldrad. *conſ.* 1. 2. *volum.* vbi loquitur de duobus mandatis, & duobus teſtamentis. Et quando duo mandata eiuſdem dantur, vnum purum, & alterum ſub conditione, quod debeat valere vid. Ægid. *deciſ.* 322. Pendet cauſa coram Marcello in Montis Rega

Regalis Archipreſbiteratus, de menſe Ianuarij 1539. Et 13. eiuſdem, tenuit Rota neutrum valere. Nec obſtat Bald. *l. falſus, C. de furt. col. 9.* quia loquitur quando duo mandata differunt in ſumma, ſecùs ſi in qualitate. Ita Alex. *in l. 1. §. ſi ſtipulanti, col. 1. ff. de verb. oblig.* & de duobus mandatis, quòd debet valere minus præiudiciale, Bald. *in l. falſus col. 9. verſ. ſuas tamen & ibi.* Apoſtill. *C. de furt.* Iaſ. *in l. 1. 2. & 3. ff. ſolut. matr.* Dec. *in l. in ambiguis, de reg. iur.* Tamen Rota in vna Montis Regalis coram Marcello de menſe Ianuarij 1539. vt dixi, tenuit, neutrum valere. Et ita dicit, à Rota fuiſſe ſuo tempore deciſum Rom. *ſing. 251.* vbi allegantur alia. Idem tenet Alex. *in l. ſi quis antè, & ibi* Socin. *6. not.* & Iaſ. *de acquir. poſſeſſ.* Et omnes ſequuntur Bald. *d. l. falſus.* Quod intelligitur quando mandata ſunt diuiſa in qualitate, prout in caſu propoſito, quia vnum erat ad renunciandum iuri ſimpliciter, aliud eodem die coram iiſdem teſtibus, & notario factum eidem perſonæ ad permutandū, tunc neutrum valet; ſecùs in ſummis, vt ibi, & prædictam opinionem tenet Iaſ. *in l. edita num. 35. C. de edict. diu. Adr. tollen.* Gemin. *cap. ſi à ſede 10. col. de præbend. in 6.* Et ita declarat additio ad Bald. *d. l. falſus*, & hoc tenet Oldrad. *conſ. 1. col. 2.*

QVI FIL. SINT legit.

EPITOME.

Filius præſumitur mariti, & non adulteri, niſi in contrarium plures præſumptiones concurrunt.

DECISIO LXXVII.

L. *miles §. quapropter, in fine ff. de adult.* ſingularis, vt latè Barbat. *conſ. 58. lib. 2.* & Crem. *notab. 126.* Et hodie 3. Iunij 1538. Rota in Placentina legati de Todeſchis coram me tenuit, præſumptionem iſtius §. non procedere, quando in contrarium eſſent plures præſumptiones, vt in dicta cauſa, quos refert Aloyſius Aduocatus.

DE PROBAT.

EPITOME.

Succeſſor non tenetur probare omnia narrata in gratia anteceſſoris, vt putàs, Doctoratum, vel familiaritatem.

DECISIO LXXVIII.

AEgid. *deciſ. 561.* Probatio Doctoratus & familiaritatis narratorum in gratia Ioannis non pertinet ad P. Et ita de menſe Decembris 1533. fuit iudicatum corā Ioanne Clerici in Tiraſonen. Canonicatus pro Torres, & in Zamorenſis Archidiaconatus coram Camillo pro Galerano Buoninſegne. 12. Decembris 1533. Pro quibus Iaſ. *in l. 2. C. de iur. emphyt.* & Socin. *conſ. 145.* Et facit Ægid. *deciſ. 112. & 641.*

DE EXCOMM. DE iurepatr.

EPITOME.

Patronus laicus excommunicatus poteſt præſentare, & Clericus etiam, ſi non fuit declaratus, & publicatus, ſecùs ſi fuit declaratus.

DECISIO LXXIX.

EXcommunicatio. Patronus excommunicatus non poteſt præ-

ſentare, *in antiq. dec.* 161. Hoc tamen fuit declaratum in Rota in vna Zamoren. Archidiaconatus corã Ioanne Clerici, de menſe Martij 1533. procedere in clerico, ſecùs in laico. Et fortè ſi clericus non eſſet declaratus, & publicatus, poteſt præſentare, *per extrauag. Martin.* Vide Felin. *c. ad proband. de re iud. deciſ.* 522. *in antiq.*

DE PRÆBEN.

Epitome.

Gratiam, ſi neutri, *continentem priuationem faciendam ſufficit intimare procuratori.*

Decisio LXXX.

GRatia *ſi neutri* debet per Auditorem reo abſenti intimari, *in nou. deciſ.* 320. *licèt in cauſis, de reſcriptis, & 750. in antiquis, aliàs 20. de dol. & contumac.* Quæ dicit, quòd quando committitur priuatio beneficij, debet fieri intimatio principali, & non procuratori exiſtéti in Curia. Et iſte caſus modò pendet coram me in Conuerſana Archidiaconatus, & Archipreſbiteratus, de menſe Februarij 1539. in qua fuit concluſum, quòd ſufficeret Procuratori intimare gratiam *ſi neutri*, cõtinentem priuationem faciẽdam: ſecùs, ſi eſt ſimplex gratia cum commiſſione priuationis, quia tunc procedit *deciſ.* 750.

DE CONCESS. PRÆBEN.

De ſent. excom.

Epitome.

Irregularis acceptare & prouidere poteſt expectanti, ſicut exequutor excommunicatus & laicus, tanquam procurator & capax prouiſionis ab exequutore.

Decisio LXXXI.

IRregularis poteſt acceptare, & acceptanti prouidere. Ita hodie 8. Decembris 1533. coram Nicolao Piccolomineo in Giennen. Parochialis pro Ioanne Porno cõtra Gabrielem Vignodi. Quia ratio deciſionis 128. in antiq. quæ vult, quòd exequutor excommunicatus prouidere poſſit, à fortiori militat iſto caſu. Tum etiam quia collatio tali facta valeret, ad not. *in cap. noſtra, de conceſſ. præbend.* Ergo & alteri facta.

DE CONCESS. præbend. De procur.

LAico procuratori clerici poteſt fieri prouiſio per exequutorem, & poteſt acceptare. Abb. *in cap. accedens, de præbend.* Et ita hodie 20. Iunij 1539. tenuit Rota in Palentina Sacriſtiæ coram Paulo Capizucho, & temporibus præteritis idem tenuit in alia, coram eodem, vt notauit Marcellus.

DE PRIVIL.

Epitome.

Nominatus ab habente facultatem, ſi per Superiorem recipitur, licèt nominatus deſinat habere facultatem, non expirat nominatio.

Decisio LXXXII.

HAbens facultatem nominandi loco ſui ad participationem priuilegiorum, vt Milites ſancti Petri, ſi nominant vnum, & ille nominatus expediuit gratiam expectatiuam tanquam talis, & Papa cõcedit; talis

talis nominatio non expiret, etiamſi nominatus deſinat eſſe miles, vt cõcluſit Rota de menſe Decembris 1532. coram Ptolomeo, in Placentina. Pro qua allegabatur *text. in cap. bonæ* 1. *& 2. de poſtulat. Prælat.* vbi nominatio nihil iuris tribuit, ſicut poſtulatio, quæ re integra poteſt reuocari. Si tamen illã admittit Superior, fit irreuocabilis, *d. cap. bonæ* 2. quia tunc effectus dicitur conſumatus, & ceſſante cauſa non ceſſat effectus. Et pro deciſ. eſt *conſ. Franc. Xip. 2. lib. 2. reſponſ.*

DE DILAT. DE remiſſ.

EPITOME.

Obliganti ſe de ſtando vnicæ ſententiæ noua dilatio pro remiſſoria datur, licèt in primo termino fuerit negligens.

DECISIO LXXXIII.

REmiſſio ad partes non concedi-tur cuilibet partium, niſi ſemel, *deciſ.* 520. *&* 830. *in antiq.* Ægid. 36. Tamen quando quis obligatur ſtare vnicæ ſententiæ, ſolet iterum vel pluries ex iuſtis cauſis dari, vt in Caſanien. coram Marcello, & in Placen. coram Simonetta. Vid. in nouis 215. *&* 218. Item quando eſt ſuſpicio calumniæ, remiſſoria non datur, Innoc. *in cap. poſt erectionem, de conceſſ. præb.* Ægid. *deciſ.* 427. qui dicit idem in eo qui fuit in notabili negligentia exequendi remiſſoriam infra tempus; nam alia dilatio danda non eſt, vt latè idem Ægid. *conſ.* 36. In contrarium facit 20. *de teſtib. in nou.* Sed hodie 6. Octobris 1536. fuit limitata deciſio, & cont. Ægid. Niſi petens dilationem ad exequendã remiſſoriam omiſſam per negligentiam, ſe obligaret ſtare vnicæ ſententiæ. Ita concluſerunt in vna Virdunen. Canonicatus coram Aragonia.

DECISIO LXXXIV.

SEntentia lata ab obſeruat. iudicij, etiam per ineptitudinem libelli, eſt interloquutoria habens vim diffinitiuæ. Et ideo ab ea appellari poteſt verbo, ſicut in diffinitiua, *c. cordi. de appell. in 6. & clem. appellanti* tali caſu non habet locum. Ita per omnes concluſum eſt, excepto Nicolao Picolomino in Gebennen. Prati, corã me 29. Febr. 1532. Et quòd haberet vim diffinitiuæ allegabatur deciſio 3. *de dol. & cont. in antiq.* Felyn. *in rubr. de re iud. col. antepenult.* In contrarium per Nicolaum Aragon. allegabatur quoddam Concilium, Aret. & Iaſ. *in l. properandum §. & ſi quidem, de iudic.* Dixi latè *in addit. ad Bart. in l. Titia, de accuſat.*

DE RE IVD. DE appell.

EPITOME.

Debitor ſub pœna, non tenetur facere conſignationem in loco deſtinato ſolutioni, ſi ibi non adeſt certus procurator ad recipiendum.

DECISIO LXXXV.

BArt. *in l. ſi reus ff. de procur. in fine.* Hoc dictum Bart. limitatur, tantùm habere locum in caſibus in quibus requiritur conſignatio, vt ad impediendum vſurarum curſum, aliàs ſecùs, vt declarat Alex. *conſ.* 92. *num.* 10. *lib.* 1. vbi tenet, neque iſtam conſignationem, neque oblationem eſſe neceſſariam, ſed de bene eſſe. Ita

tenuit Aret. *conſ.*162. *incip. verum eſt.* Iaſ. *in l.ad diem, de verb. oblig.* circa finem, Anchar. *conſ.* 85. Qui omnes tenent, oblationem non eſſe neceſſariam. Et ita tenuit Rota in vna Cremonen. penſionis coram Chriſtophoro Panigarola Decembris 1529. & Febr. 1540. in Aſtoricen. præſtimonij coram Ioanne Paulo, vbi ſicut in illa Cremonen. agitur de priuando ob non ſolutionem penſionis, ſeu aſſignationem nõ factam in loco deſtinato ſolutioni. Nam concluſit Rota, quòd ſi non eſt certus procurator ad recipiendum, non tenetur debitor de neceſſitate cõſignare, per præfata. Cum quibus tranſit Marcus Antonius Bauerius, *de mora, in fine* Iaſ. *in l.2.q.* 20. *C.de iur.emphyt.* Purpurat. *in l. vinum, nu.* 24. Facit deciſio *in l.non hoc culpa, col. penult. C. vnde leg.* Corn. *conſ.*79. *col. vlt.vol.*3.

DE IVDIC. DE CAVS. poſſeſſ.

EPITOME.

Creditoribus habentibus hypothecam, ſi debitor cadat à poſſeſſione datur vtile interdictum pro illa reuocanda.

DECISIO LXXXVI.

BArt. *in l. ſi rem alienam, de pignor. act. num.*9. intentabitur vtile interdictum. Iſtam opinionem dicit Iaſ. cõmuniter teneri *in* §. *Item Seruiana col.* 17. Tenuit Rota in Romana viginti millium ducatorum Ducis Florentiæ nomine Alexandri coram Iacobo Puteo.

DE CONFESS. DE procur.

EPITOME.

Procurator generalis non poteſt reuocare confeſſionem ætatis factam per principalem ſub prætextu erroris, niſi probet iuſtam cauſam erroris.

DECISIO LXXXVII.

BArt. *in l. ſi hominem ff. mandati.* Rota in Legionen. Parochialis coram Puteo 28. Febr. 1541. tenuit, procuratorem generalem non poſſe reuocare confeſſionem in actis factam per principalem ſub prætextu erroris, niſi probet iuſtam cauſam erroris, per doctrinam Bart. *hic* & Bald. *in l.error.in fine C.de iuris & fact. ignor.*

DE TESTAM.

EPITOME.

Etiam ex cauſa præteritionis teſtamento nullo, clauſula codicillaris operatur.

DECISIO LXXXVIII.

BArt. *in l.* 1. *ff. de iur.codicill.nu.*9. Iaco. Bal. & antiquus gloſſator tenet iſtam opinionem contra gloſ. in auth. Et communiter tenetur, vt probat Dec. *conſ.*242. *col.* 2. & Guill. Bened. *in cap. Raynutius verſ. in eodem teſtam.*1. *num.*242. & Rota 4. Februarij 1541. iudicauit in Liuiana hæreditatis coram Ioanne Paulo.

DE TESTAM.

EPITOME.

Clauſula Codicillaris ex conſuetudine notariorum cenſetur appoſita, & de ea præſumitur notarius roga

rogatus, ſi eam legerit coram teſtatore.

DECISIO LXXXX.

BArt. *ibidem num.*10. *in fine*, magis de conſuetudine notariorum, quàm quòd teſtator deliberet, quid importet. Item plures quos allegat Curt.Iun.*conſ.*3. *col. vltim.* qui dicit, communem. Et vid. Ant. Gabr. in cauſa Lucinia coram Ioanne Paulo menſe Decẽbris 1540. In qua idẽ tenuit.Rota tamen cõtra Bart.& quòd clauſula codicillaris cenſeatur appoſita de voluntate teſtatoris.Dec. poſt Bart.& alios *in l. vt liberis n.*14. *C. de collat.*quod latè Alex.*conſ.*142.*col.*3.*&* 4.*vol.*2. vbi reſpondet ad contrariũ, de quo ipſe *col.*2.Et quòd licèt clauſula non ſit appoſita,cenſetur notarius rogatus ex conſuetudine. Alex. *conſ.*53.*col.*3.*lib.*7. Declarat Aret. iſta dicta Bart.& defendit, *conſ.fin.col.fin.* Nam contra Bart.dicitur, quòd notarius præſumitur rogatus ponere dictam clauſulam conſuetam, quia dicit eſſe verum, quando eam legit coram teſtatore, tunc licèt teſtator nihil dicat, præſumitur rogatus, ſecùs ſi eam non legerit, ſed poſteà apponat.Et ita debet intelligi Bart. Facit Corn. *conſ.* 50. *col.*3. *lib.*3. vbi præſupponit claram lecturam, vt præſumatur poſita de voluntate teſtatoris.Idem Corn. *conſ.*225.*col. fin. lib.*3. Et Socin. *conſ.*93.*col.*9.*num.*27. *vol.*4. non ſolùm requirit lecturam, ſed quòd teſtator intellexerit vim clauſulæ,& quòd etiam ſi non legatur, ſtetur notario, ex conſuetudine loci. Guil. Bened. *in cap. Raynutius fol.*20. *de teſtam.*

DE CAVS. POSSESS.

EPITOME.

Quaſi poſſeſſio eligendi perditur, ſi alius eligat, & poſſidens eligere negligat.

DECISIO LXXXX.

BArt. *in l.*1.§. *huius,num.*30.*ff. vti poſſid.verſ. iſtud commune, perderet quaſi poſſeſſionem.* Vide plura per Roch. *de iurepatr. verb. competens,nu.* 42. Rota 13.Februarij 1542. in Romana viginti millium ducatorum coram Iacobo Puteo pro hæredibus Alexandri de Medicis contra Margaretam Auſtriam.

DE PROBAT.

EPITOME.

Conceſſum ex duplici cauſa finali, non ceſſat vna ceſſante.

BArt. *in l. ſi neutri,* §.1.*ff.de priuil. cred.num.*1. Vbi aliquid concedit ex duplici cauſa finali. Idem in reſcriptis, & priuilegiis procedit.Caſſan. *conſ.*64. *col.*5. Fel. *c. ex parte, col.* 12.*verſ. fallit* 3. *de reſcript.* Ita Rota in Parmen. ſeu Ferrar. Præceptoriæ coram Marcello de menſe Iunij 1541. Sylu. nupt. latè, *fol.* 25. *col.*4.

DE SOLVTION.

EPITOME.

Debitores rebellium liberantur ſoluendo Superioribus ciuitatis.

DECISIO LXXXXII.

BArt. *in l. creditor* 102.*ff. de ſolution.num.*2.*verſ. in contrarium videtur, quòd ſint liberati.* Hoc latè tenet Dec. *conſ.*25. & Afflict.*deciſ.*150. Rota de menſe Martij 1540.in Foroliuien.pecuniaria, coram Maynoldo Epiſcopo Foroliuien. contra hæredes de Strozzis.

DE PRÆSCRIPT.

EPITOME.

Naturalis obligatio tempore non tollitur, ſed bene omnis eius effectus.

BArt. *in l. vltima §. 1. ff. rem rat. haberi.* Licèt tempore non tollatur naturalis obligatio, tollitur tamen omnis eius effectus. Ita eſt communis opinio Bald. *de præſcript. 1. par. quæſt. 6.* Rota bis de menſe Februarij 1541. in Fulginaten. pecuniaria coram Petro Vortio.

DE TESTIBVS.

EPITOME.

Trebellianica in filiis primi gradus hodie prohiberi poteſt.

DECISIO LXXXXIV.

TRebellianica poteſt prohiberi per teſtatorem in liberis primi gradus; Alex. *conſ. 29. lib. 5.* Rota coram Marcello de menſe Ianuarij 1532. in Romana de Bubalis, & aliàs bis idem tenuit Rota, vt notauit Simonetta.

DE VSVR.

EPITOME.

Vſurarius eſt contractus cenſus diſponens, re ſuper qua imponitur perempta, eſſe impoſitum ſuper aliis bonis.

DECISIO LXXXXV.

VSurarius iudicatus fuit contractus per Staphil. in cauſa Argentina cenſus, propter clauſulã inſolitã, quòd ſi periret res ſuper qua cenſus imponitur, ſuper aliis bonis ſuis cenſus eſſet impoſitus. Vid. Bald. *conſ. 447. & 7. art. 9.* Aret. *conſ. 8. & 9. vol. 2. & l. ſi quis ſub conditione, ff. de condit. inſtit.* & ibi Paul. de Caſtro.

DE PROBAT. DE reſt. in integr.

EPITOME.

Reſtitutio in beneficialibus maiori 24. annis non datur.

DECISIO LXXXXVI.

ÆTas per inſtru. curæ ad effectũ reſtitutionis nõ probatur. Salicet. *in l. ſi minorem C. de reſtit. in integr.* Item licèt probetur, non ſufficit in beneficialibus, niſi ſit minor 14. Lap. *alleg. 52. num. 10. in fine.* Contrà Rota 9. Martij in Toletana Canonicatus contra Epiſcopum Placen. coram Panigarola.

DE PRÆBEN. DE priuil.

EPITOME.

Etiam in cauſa reſtitutionis allegans priuilegium debet probare eius qualitatem.

DECISIO LXXXXVII.

PRædicatores qui allegant Martinianã, vt Religioſi poſſint habere domos cum ſufficienti dote, deberent in cauſa reſtitutionis probare ante omnia, quòd domos iſtas habuerunt, cum illa qualitate in eo requiſita. Nam eſt regula, quòd vtens priuilegio, vt ſibi prouideatur, debet probare qualitatem in eo requiſitã. Bart. *in l. 1. §. quod ait, ff. ne quid in flumin.*

fluminū. pub. Latè Felin. *cap. auditis, col. penult. de præſcript.* Rota pridie Natal. Domini 1529. coram Petro Bortio, in Toletana domus, & bonorum.

DE RESTIT. IN INtegr. de iureiur.

Epitome.

Enormis læſio non obſtante iuramento operatur reſtitutionem.

Decisio LXXXXVIII.

Enormis læſio facit, vt non obſtante iuramento, de non contraueniendo, quis reſtituatur. Abb. *cap. cùm contingat, de iureiur.* Rota de anno 1513. in Romana domus de Columna.

DE RESTIT. SPOLIAT. De iudic.

Epitome.

Reſtitutio datur monialibus etiam etiam excommunicatis, non tamen publicatis.

Decisio LXXXXIX.

Reſtitui debent Moniales in cauſa Abulen. coram Ioanne Clerici 19. Nouembris 1513. cùm vna nocte ſint omnes aſportatæ, & vna auulſa à Crucifixo, maximè cùm habeant ſententiam. Non obſtante, quòd is iudex fuerit recuſatus, quia hoc fieri non poterat, quia Religioſus. Franc. *cap. poſtremo ver. 6. quæro, de appell.* Nec obſtat, quòd Moniales ſint excommunicatæ, cùm non ſint confeſſæ, quia cùm non ſint publicatæ, & agant de ſe redimendis ab huiuſmodi tyrannide, & vſurpatione, poſſunt impetrare, & agere. Felin. *cap. vlt. col. 1. de except.* Dominicus *cap. 1. in fine de reſcript. in 6.* Et ita Auditor de voto Rotæ iudicauit, quòd Moniales compulſę ſunt reintegrandæ, & religioſus iudex non poteſt recuſari, vt ſuſpectus.

DE CONSTIT.

Epitome.

Statutum Vrbis requirens ſolennitatem in donatione inter viuos, vel cauſa mortis, non habet locum in patre donante filiæ.

Decisio C.

Lib. 4. cap. 22. ſtatut. Vrbis de donat. inter viuos, vel cauſa mortis. An habeat locum hoc ſtatutum, quando Pater donat filiæ, pendet in Rota coram Marcello in Romana Parafreni, & 10. Februarij 1533. tenuit quòd non, per dictum Iaſ. *in l. præſens & l. tranſactionem not. C. de tranſact.* Bald. *in l. pactum C. de collat.*

DE CONSTIT.

Epitome.

Statutum Vrbis requirens ſolennitatem in obligatione minorum, & mulierum non procedit in patre vel matre donante.

Decisio CI.

IN nouis ſtatutis cap. 19. de pactis & donationibus non valituris. Limitatur, non procedere hoc ſtatutum in patre, vel matre donãte filio propter affectionem. Bald. *in l. pactum, C. de Collat.* Alex. *conſ. 166. col. 1. & 29. col. 3.* Dec. *conſ. 180.* Iaſ. *133. vol. 4. & in l. tranſactionem. C. de tranſact.* Et Rota 24. Iunij 1542. coram Thoma de Thanis in Romana dotis

pro Curtio, & fratribus de Matthæis. Vide quæ addidi *in* §. *omnium col.* 10. *de act.*

DE CONSTIT.

EPITOME.

Conſanguineorum appellatione in ſtatuto Vrbis veniunt cognati.

DECISIO CII.

IBI, *Niſi duobus conſanguineis proximioribus*, concluſit Rota in vna Romana coram Capizucho menſe Maij, ac Iunij 1536. quòd ſub iſto verbo comprehenduntur cognati, vel proximiores ex parte matris.

DE CONSTIT.

EPITOME.

Intereſſe conſideratur in actu ſuper quo præſtandus eſt conſenſus in ſtatuto Vrbis.

DECISIO CIII.

IBI, *quorum non interſit.* Iſtud intereſſe declarat 12. Iunij 1536. in Romana coram Capizucho, de intereſſe ſuper actu, ſuper quo præſtari debeat conſenſus. Et hoc ſæpiùs Rota dixit.

DE CONSTIT.

EPITOME.

Statutum excludens ſorores dotatas à ſucceſſione fratris, intelligitur de dotatis ex bonis defuncti fratris.

DECISIO CIV.

CAp. 4. *de ſucceſſ. ab inteſt.* Vide latè Brun. *de ſtatut.* quòd ſtantibus maſculis *argu.* 8. *quæſt.* 16. & Rota de menſe Martij 1542. in Romana hæreditatis de Flores coràm Thoma de Ianis tenet, hanc congruam dotationem debere intelligi de bonis defuncti fratris, Bart. *in l.* 1. *C. de leg.* & Brun. Sed vbi non ſunt dotatæ à defuncto, ſufficit, quòd fratres qui ſuccedere volunt, excludendo ſororem, ſint parati eam dotare, vt ibi dicitur.

DE CONSTIT.

EPITOME.

Terminus iuris ſecundùm ſtatutum Vrbis, eſt quinque dierum, illorum, qui per idem ſtatutum dantur ad repræſentandam appellationem.

DECISIO CV.

CAp. 48. *de temp. apoſtolor. peten.* 12. Octobris 1531. fuit propoſitum dubium iſtius ſtatuti per Simonet. An per ſtatutum iſtud dentur alij 5. dies appellanti pro termino iuris vltra illos quinque quos habet ad repræſentandum, iuxta formam ſtatutorum *lib.* 1. *cap.* 162. *fol.* 41. An verò illi quinque dies dati ad repræſentandum, dentur etiam per iſtud ſtatutum pro termino iuris. Et fuit concluſum, quòd eſſet vnus & idem terminus. Pro qua opinione facit, quia iſtud ſtatutum eſt declaratorium, & qui declarat nihil de nouo inducit, *l. hæredes, ff. de teſta.* Secundò, quia iſta verba *ille idem terminus*, important identitatem termini, non alium terminum quinque dierum, quia eſſet terminus ſimilis illi de quo in primo ſtatuto, & nullum ſimile poteſt dici idem: *l. quod Nerua, ff. depoſit.* Et quia eſt hîc relatus ille qui ſe ad aliud refert.

D.E

DE PROCVRAT.

EPITOME.

Procurator ad componendum non poteſt gratuitum pactum facere.

DECISIO CVI.

FEder. *conſ.*177. *ſuper primo puncto, puto non poſſe gratuitum pactum facere, cùm huiuſmodi pactum ſit donatio.* Hoc conſilium ſequitur Iaſ. *in l. contra iuris* §. *ſi filius ff. de pact.* & tenuit Rota, in Abulen. pecuniaria de menſe Octobris coram Paulo.

DE TESTAMENT.

EPITOME.

Vi ſuprà deciſ. 67.

DECISIO CVII.

ROman. *conſ.*179. *fol.*129. *col.*2. beneficia quæcumque quæ conſequuntur per teſtamentum paternum factum inter liberos: locum habet quando pater, ſi plures habet filios, in omnium fauorem diſponit. Limitatio ad* §. *ex imperfecto*, quam ſequitur Dec. *conſ.*105. *col. final.* Idem Roman. *conſ.* 385. *col.*2. ſequuta eſt Rota 17. Decembris 1540. in vna Liuiana coram Ioanne Paulo compromiſſa. Vide ſuprà 67.

DE IVREPATR.

EPITOME.

Procura ad præſentandum in gegenere, eſt valida.

DECISIO CVIII.

ROch. *de iurepatr. verb. honorificum quæſt.*5. Aduertendum eſt, circa hanc quæſtionem, quòd ſufficit, Procuratorem eſſe conſtitutum ad præſentandum in genere. Ita hodie 7. Maij 1540. tenuit Rota in vna Aſtoricen. Canonicatus coram Raynaldo Petrutio, vbi tractabatur de indulto Marchionis Aſtoricen. vigore cuius poteſt præſentare ad Canonicatum, & beneficia vacantia, ac ſi eſſet patronus ex dotatione, & fundatione, quia Marchio conſtituit Procuratores idoneos ad præſentandum perſonas idoneas ad beneficia vacatura; & valet. Et ita ibi iudicauit Rota pro Bernardino de Quios cõtra Franciſcum Cumel.

DE FID. INSTR. DE probat.

EPITOME.

Licentia ordinarij probatur per verba enunciatiua in inſtrumento Ordinum.

DECISIO CIX.

CArdin. *cap. Albericus, de teſtibus.* Per inſtrumentum Ordinum celebratorum de cõſenſu Ordinarij probatur conſenſus. Hoc tenuit Rota 23. & 27. Octobris 1542. in vna Calaguritana Prioratus coram D. Fabio, licèt contrà, teneat Caſſan. *conſ.*20. *num.*19. quia licentia debet præcedere actum, & in ſcriptis debet de ea conſtare, vt idem dicit in conſuet. Burgundiæ.

DE DISPENSAT.

EPITOME.

Diſpenſatus vt fructus percipiat, à fortiori habebit diſtributiones quotidianas.

Decisio CX.

Gemin. *cap. ex eo, §. elapſo, de elect. in 6.* Quando in diſpenſatione dicitur, quòd fructus recipiat interim abſens. Ita ſequitur hic Philippus & Ancardi, hoc eſt in fructibus, fortiùs in diſtributionibus quotidianis, *argum. cap. final. de reſcript. cap. cùm non deceat, ſuprà eodem.* Et tenet expreſsè Ant. *cap. cùm ex ratione, in fin. de ætat. & qualit.* Ita anno præterito, & nunc de menſe Februarij 1540. tenuit Rota in Romana Canonicatus Sancti Celſi contra Ioan. Baptiſtam de Nigronis pro Capitulo coram Ioanne Paulo.

Finis Libri Primi.

ILLVSTRISSmi AC REVERmi

D. LVDOVICI GOMES EPISCOPI SARNAT. ROTÆ ROM. DECIS.

LIBER SECVNDVS.

DE CONCESS. Præben.

EPITOME.

Si in gratia sunt clausulæ, & facultates insolitæ, non videtur expectatiua, sed potiùs reseruatio, tamen fuit tentum contrarium.

DVBITATVM in vna Hispalen. Canonicatus,& Præbendæ coram Capizucho, An gratia Petri Xuarez concessa per Leonem decimum, ad Canonicatum, & præbendã Hispalen. cum creatione in Canonicũ, & ad quæcumque beneficia etiam reseruata,& seruitoria,cum clausula suspẽsiua,siue derogatoria quarumcumque gratiarum, & expectatiuarum,& cum clausula *quòd illa gratia perinde valeret, ac si*, sub data Kal. Nouembris Põtificatus sui anno V. & processus die 3. Iulij decreti fuissent,quo tempore concessæ fuerant expectatiuæ per Leonem; & cum clausula, *volumus cæteris anteferri*, debeat iudicari expectatiua;An verò reseruatio:cùm inter ista maxima sit differentia propter regulas Cancellariæ, Quòd esset reseruatio plura adducebantur. Primò, quia creatus in Canonicum per expectatiuam non potest acceptare beneficia simplicia seruitoria,secundùm regulam Cancellariæ eiusdem Leonis. Secundò.Expectans non capit reseruatas,vt est alia regula,& decis. Rotæ. Tertiò quia expectatiua de stylo non suspendit alias expectatiuas.Quartò quia ista gratia erat qualificata, & non simplex; Ergo non debet regulari sub regulis loquentibus simpliciter de expectatiuis,*argum. cap. statutum, de elect.in 6.*

Ex aduersò dicebatur, quòd sit expectatiua vberior,& hoc annotauit Simonett.*in tract.de reseru.*quod patet ex relatione datæ, quia Papa voluit illam videri concessisse Kal. Nouembris,& sic tempore,quo nullæ reseruationes concessæ fuerant, sed dumtaxat expectatiuæ, & sic initium debet attendi.Secundò si ex eo data gratia expectatiua est creatio in Canonicum, quæ creatio solet fieri in gratiis expectatiuis dumtaxat, non in reseruationibus. Tertiò, quia in dicta gratia est clausula *volumus anteferri*, quæ solet de stylo poni in expectatiuis dũtaxat. Quartò addebam ego vnum aliud quòd Papa appellabat dictam gratiam expectatiuam in quodam Breui.Breui-

ter poſt multa fuit per omnes dominos cõcluſum, quòd dicta gratia diceretur expectatiua exuberãs, prout ſimiles gratię pingues ſolebant cõcedi tempore Leonis. Nec obſtabant tria prima motiua, quia in dicta gratia fuerat derogatum regulis, & ſic illa tria non obſtant. Nec illud de gratia qualificata, quia illud procedit quando qualitas mutat ſubſtantiam rei, vt in *dicto cap. ſtatutum*, ſecùs verò quando vtraque qualitas manet, nec vna eſt alterius detractiua, ſed cumulatiua, vt in caſu noſtro. Et ratio præſentis iſtius deciſionis fuit, quia licèt præfata gratia partim ſaperet gratiam expectatiuã, partim reſeruationem, placuit tamen in iſto dubio controuerſo, potiùs iſtam gratiam expectatiuam iudicare, ex eo quia expectatiuæ ſunt de ſui natura, & ſecundùm regulas, & ſtylum, minùs odioſæ & præiudiciales, quàm reſeruationes. Ergo in meliorem partem debet fieri interpretatio ad regulã. *Odium* &c. Et ita fuit iudicatum prædicta die 25. Octobris 1539. per D. Paulum pro D. Petro contra Epiſcopum Scalen.

DE CONCESS. præben. De procur.

Epitome.

Acceptare poteſt in genere, in Archiuio habens expectatiuam, licèt cum qualitatibus inſolitis.

Decisio II.

FVit etiam in cauſa Hiſpalen. ſupradicta, facta alia dubitatio. Vtrùm D. Petrus potuerit in genere acceptare in Archiuio Romanę Curiæ per procuratorem, & acceptatio illa valeret. Fuit deciſum, quòd ſic, cùm non reperiatur prohibitum. Nam omnia cenſentur cõceſſa, quæ non ſunt expreſsè prohibita. *l. nec non ff. ex quibus cauſ. maior.*

DE PACTIS.

Epitome.

Promiſſio taleæ pro omnibus in vna domo exiſtentibus, facta ab omnibus nominatim, intelligitur pro virili, nec alij tenentur pro mortuis, vel non ſoluendo.

Decisio III.

EOdem menſe, & anno fuit concluſum in Romana taleæ Reuerendiſſimi D. Cardinalis, quòd talea triginta quinque milliũ ducatorum, pro qua fuit redempta domus dicti Cardinalis, cum ibi ſe recipientibus, & ad quam ſe obligauerãt præfati recepti nominatim, intelligeretur pro virilibus partibus, ita quòd ſi aliqui ex nominatis mortui fuerint, vel effecti non ſoluẽdo, vel, vt dicebatur, incogniti remanentes, non tenerentur ad ſoluendam eorũ partem, ſed de parte Cardinalis, qui pro illis ſoluerat dictam ſummam triginta quinque millium ducatorum. Et remanentes non tenentur niſi ad illã partem dumtaxat, quam ſoluere tenerentur ſi omnes viuerẽt, vel eſſent ſoluendo.

DE PACT. DE FID. inſtrument.

Epitome.

Obligatio facta à muliere pro redemptione perſonæ, & bonorum, valet, etiam forma ſtatuti non ſeruata.

Decisio IV.

FVit etiam dubitatum in eadem cauſa Romana taleæ, Numquid

ex

ex quo fœminæ pro redemptione perſonarum, & bonorum in dicta domo conſtitutarum ſe obligauerãt ad dictam taleam ſine conſenſu cõſanguineorum, & ſic non ſeruata forma ſtatuti Vrbis, An tenerentur. Fuit concluſum, quòd ſic, ex eo quia in cauſa talis neceſſitatis ceſſat tale ſtatutum, ſicut videmus in Clericis, qui ad onera non tenentur, niſi in caſu neceſſitatis, & redemptionis.

DE CONSENS.

EPITOME.

Iuramentum in ſupplementum delatum fuit Cardinali pro ſumma quinque millium ducatorum, ſtantibus duobus teſtibus ſingularibus de auditu. Credo fuiſſe factum propter grauitatem perſonæ, & veriſimilitudinem.

DECISIO V.

EX eodem facto fuit etiam contentio inter Dominos, vtrùm D. Cardinali eſſet deferendum iuramentum in ſupplementum probationis ad quinque millia ducatorũ, attento quòd inſtrumentum non cantabat niſi de triginta millibus, illa quinque millia fuerunt promiſſa in ſecreto illi Duci exercitus nominato Maramao: Attento quòd per duos teſtes dicebatur, audiuiſſe in domo de illa remuneratione; fuit per maiorem partem, nemine contradicente cõcluſum, quòd ſic. Dicebãtamen, quòd obſtabat dictũ Bald. *in l. de quibus ff. de legib.* quem allegat Lanfranc. *c. quoniam contra de probat.* vbi voluit, quòd iuramentum in ſupplementum non deferatur, vbi ſunt teſtes ſingulares.

DE CONSTIT. DE Concord. Nicol. Pap. cum German.

EPITOME.

Dignitas maior in Collegiata, etiamſi non excedat decem ducatos vigore concordatorum, per ordinarium conferri non poteſt.

CONcluſum etiam fuit 25. Nouembris 1529. coram Capizucho in alia cauſa exemplari Meten. Præpoſituræ Sancti Saluatoris, quæ eſt principalis dignitas in Collegiata; Numquid de illa poſſet Ordinarius prouidere vigore concordatorum, attento quòd non excedit eius valor decem ducatos? Dicebatur, quòd non, ex eo quia concordata excipiunt principales Dignitates in Collegiatis. Ergo quòd indiſtinctè excipiuntur, non facta differentia valoris, Ordinarius conferre non poteſt. Ex aduersò replicatur, quòd principales Dignitates fuerunt in Concordatis Nicolai Papæ exceptæ, vt reſeruatæ. Patet, quia per regulas ſuas idem Nicolaus eaſdem dignitates priùs reſeruauerat. Contra ergo concordata quæ poſteà fecit idem Nicolaus cum natione Germanica, vt reſeruatas exceperat, ex quo per regulas apparebat, circa quas concordata ſimpliciter loquentia intelliguntur; Sed ſic eſt, quòd talis reſeruatio non ligat manus Ordinariorum, niſi dictæ Dignitates tranſcendant ſummam decem ducatorum, vt patet per regulas modernorum Pontificum, ſub quibus dicta Dignitas Prępoſiturę vacauit; Quod patet quia de illa potuit Ordinarius prouidere. Sed tamen his non obſtãtibus, fuit pro prima parte conclu-

ſum, videlicèt, quòd Ordinarius prouidere non poſſit; iſta ratione, quia concordata ſunt quidam Cõtractus, quem facit Papa cum ipſa natione. Vnde eſt declinatum ab ipſa Regula, neque cum ea quid cõmune habet. Ergo illa exceptio poſita in Concordatis, indiſtinctè ſeruari debet, non habito reſpectu ad regulas. Et ſic, quòd priuat Ordinarios.

DE PRIVIL.

EPITOME.

Alternatiua non dicitur reuocata per regulam de reuocatio. priuilegiorũ, & indultorum Apoſtolicorum, de diſpoſitione beneficiorum.

DECISIO VII.

DE eodem menſe Nouembris 1529. dubium etiam maximum fuit in Lunen. Sarzanen. coram Panicarola, Vtrùm regula Clementis reuocatoria expectatiuarum, & cõceſſionum &c. ſub illis verbis, *Et quòd priuilegia & indulta Apoſtolica de diſponendis comprehendant alternatiuam ſex menſium conceſſam Epiſcopo.* Fuit reſolutum per omnes dominos, quòd non, per rationem, quia alternatiua eſt fauorabilis, vt probat Ancar. *conſ.* 131. incip. ad excluſionem. Et regula reuocatoria odioſa, vt dicit Calder. *conſ.* 22. de præben. in qua nulla expreſſa fit mentio de alternatiua. Ego pro hoc allegaui, optimè facere conſil. Roman. 498. 436. Præterea quia ſub illis verbis priuilegia non poſſunt comprehendi, cùm priuilegia ſint contra ius commune, *cap.* 2. *de conceſſ. præbend.* Ergo ſub illis verbis non includitur, neque ſub verbo *Indulta*, quia indultum eſt conceſſio temporalis, conceſſa loco, non perſonæ, vt dicit Ant. de Butr. *in cap. in noſtra in ſecunda oppoſit. de ſepult.* Alternatiua verò eſt conceſſio perpetuò perſonæ conceſſa, vt patet ex verbis alternatiuæ. Cùm igitur ſic ſe habeant, vt ſpecies appoſitæ, vnum ſub alio non comprehenditur. Et ita iſtam partem tenui conſulendo in Alternatiua Epiſcopi Algaren. commiſſa Romano Cardinali. SS. Quatuor, vbi pluribus fundamẽtis probo iſtam partem, quæ ibi videri poſſunt.

DE TESTIBVS.

EPITOME.

Teſtes ante publicationem recepti examinari non poſſunt poſt dicta teſtificata, & publicationem teſtium.

DE eodem anno & mẽſe coram Panigarola in vna Romana Reſponſionis Caſalis, inter Hectorem de Mutinis ex vna, & Ioannem Baptiſtam Puccinum ex altera, fuit concluſum in Rota, quòd poſt publicationem atteſtationis, non poſſunt examinari teſtes, qui fuerunt recepti ante publicationem, contra dictum Mariani Socin. *in repet. cap. Fraternitatis, in 6. limit. de teſtib.* quæ contrarium dicit. Et rationem iſtius deciſionis ego tunc in Rota exiſtens aſſignaui, quia ſi hoc permitteretur, aperiretur via fraudibus iſto modo, nam ſemper dubitans de iure ſuo, ad maiorem cautelam, faceret ante publicationem recipere aliquos teſtes ſine examine, ad effectum, vt poſteà petens publicationem teſtiũ publicatorum, & videns quòd dicta teſtium publicatorum non facerent pro ipſo, facilè teſtes ſubornaret, vt ſupplerent, vel deponerent pro

ipſo

ipſo. Et ideo illa ratio quæ militat, quando nullus teſtis eſſet productus ante publicationem, militaret etiãſi eſſet receptus, cùm vtroque caſu timeatur ſubornatio. Eſt tamen verũ, quòd ſi probaretur, quòd poſt publicationem teſtium non fuerunt didicita teſtificata, quòd tali caſu poteſt ſaluari dictum Mariani. In dubio tamen præſumentur didicita, cùm ad illum effectum publicatio teſtium petatur.

DE DILAT.

EPITOME.

Dilationes ad partes non dantur procuratori, ſi dominus per edictum in partibus fuerit citatus, nec etiam quando quis eſt citatus in Curia, vel loco proximo, vt Neapoli.

DECISIO IX.

DIctum etiam fuit in alia coram Marcello, de eodem menſe, & anno, non debere dari procuratori generali dilationem ad certificandum dominum, quando dominus fuit citatus per edictum in partibus, conſtito de non tuto acceſſu, ex quo lex præſumit ſciẽtiam in domino. Vnde ſicut non daretur, ſi ipſe comparuiſſet, pariformiter, nec eius procuratori. Sicut etiam citato in Curia, vel in loco proximo, vt in Neapoli, dari non debet.

DE TESTIB. ET atteſt.

EPITOME.

Habens intereſſe in cauſa poteſt pro aliis in ea eſſe teſtis, cum proteſtatione, quòd ex dicto ſuo non vult commodum conſequi.

IN cauſa Romana taleæ Cardinalis de Valle, cuius in quibuſdam deciſionibus facta fuit mentio, extitit de menſe Nouembris eodem anno concluſum coram Panigarola, quòd prætendentes habere ius in dicta cauſa quæ tractabatur, poterãt eſſe teſtes in ea, ſi proteſtabantur, quòd ex dicto eorum nullum volebant commodum conſequi, per dictum Baldi *in l. dictantibus, C. de teſtament.* quem cum pluribus concordatis ſequitur Soc. *in tract. regulari. verſ. teſtes in ſua cauſa, in prima fallen.* Et vltra ipſum Alex. *conſ. 72. in 4. col. vol. 1.* Felin. *cap. inſuper, in fine, de teſtib.* Et iuxta illud fuit iudicatum, & deciſum per Dominos.

DE DONAT. DE pact. De Contr. ſtipul.

EPITOME.

Renunciatio l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. facta in contractu doloſo, in quo eſt enormiſſima læſio, non valet.

DECISIO XI.

MAgna fuit contentio in vna Carpentoraten. Reſciſſionis contractus, contra Ioannem curatorem pro Ludouico Fratre coram Petro Vortio de menſe Decẽbris 1529. An renunciatio *l. ſi vnquam C. de reuocan. donat.* facta in contractu doloſo, per illum qui intendebat preſbiterari, valeret: Et quidam ex Dominis, duo numero, dicebant, quòd ſic, cùm illi legi renunciari poſſit, & in puncto allegatur text. *cap. quicumque, cap. final. 17. quæſt. 4.* Contrà

tamen per alios fuit concluſum, ex eo quia principalis intentio & finalis illius renunciationis fuit, quia volebat preſbiterari, & non habere filios. Sed ſi ante presbiteratum duxit vxorem, & plures filios habuit, ceſſat cauſa finalis, de quaſi tempore renunciationis fuiſſet interrogatus, An vellet filios ſuos priuare, dixiſſet, quòd non. Et propterea iſta ratio debet haberi pro expreſſa *iuxta gloſ. in l. tale pactũ §. fin. ff. de pact.* Ergo & effectus, iuribus vulgar. Pro iſta parte facit conſ. Socin. *li.* 3. Curt. ſen. *conſ.* 2. Non obſtat text. *d. cap. quicumque*, quia attento iure Poli, id eſt, æquitate, vt ibi exponitur, quam Rota ſolet obſeruare, reſtitui debebant bona. Et iuxta hoc ille textus faceret pro iſta parte. Secundò, quia text. eſt Auguſtini, qui poteſtatẽ legis condendę non habuit. Tertiò ſuper illo textu non poteſt fieri fundamentum, cùm variè exponatur per Doctores in c. *in præſentia de probat.* & text. qui variè exponitur, eius veritas ignoratur: propterea fundamentum in eo fieri non poteſt, iuxta doctr. Bart. *in l. in ambiguo, de reb. dub.* Vltimò & hoc eſt fundamẽtum totale huius deciſionis, quia dominus Ioannes curator, & maior induxerat Ludouicum fratrem ſuum minorem, ſub reuerentia, & eius cura, & obedientia educatum, ad faciendum donationem duorum caſtrorum de quibus agebatur, valentium in annuis redditibus 350. ducatos vel circa, & quod illi conſtituerat expenſas pro ſe, & duobus famulis, & duobus equis. Deinde quia iſtud inſtrumentum non ſufficiebat, induxit iuuenem ad faciendum ſecundum inſtrumentum, in quo dimittit vnum famulum, & equum: Et quia adhuc eius auaritiæ non putabat ſatisfactum, cùm tamen dies eſſet, & ſine liberis, induxit tamen, & tertiò ad faciendum aliud inſtrumentum tranſactionis, in quo abſtulit equum, & expenſas, & illi conſtituit ducatos 50. vel 60. Ita quòd ex omnibus iſtis apparuit dolus dicti Ioannis, & enormiſſima læſio Ludouici. Vnde viſum fuit de æquitate Rotæ, quòd licèt renunciatio beneficij dictæ legis *ſi vnquam*, valeat iuxta magis communem opinionem, hoc tamen fallit, quando fieret in contractu doloſo, quia ex ratione, qua quis fuit inductus ad contrahendum, eadem præſumitur inductus ad renunciandum, iuxta doctrinam Bart. *in l. fin. §. non quæſiuit, de condict. indeb.*

DE CONFESS. DOT. recept.

EPITOME.

Confeſſio dotis factæ à marito, ſtatim ſequuta promiſſione ſoceri, ſpe futuræ numerationis facta præſumitur, ſecùs ſequuta promiſſione extranei.

DECISIO XII.

CORam D. Camillo de Baglionibus eodem die, & anno fuit in vna Gabennen. Dotis inter Robertum de Doria, & Hugolinã de Pandectis coniuges ex vna, & Petrum tutorẽ filiorum quondam Ioãnis de Artibus primi eius mariti, cõcluſum per omnes Dominos, quòd deciſ. Bart. *in l. penult. §. ſi vir. ff. ſolut. matr.* non habet locũ in ſocero promittẽte dotem confeſſatam à genero, per dictum Felin. *in cap. ſi cautio col.* 20. *verſ. fallit.* 1. *de fid. inſtr.* & Roman. *conſ.* 445. *in* 1. *dubio*, quia confeſſio generi præſumitur potiùs facta, vt

ſibi

ſibi proſpiciat, & ſic ſpe futuræ numerationis, non promiſſionis, vt dicebat Bart. Nam actus agentium debent iuxta eorum intentionem regulari: & intentio confitentis ſe recepiſſe dotem, præſumitur omni meliori modo, &c. *l. 3. de milit. teſtam.* maximè ſi conſtante matrimonio, vt in caſu noſtro fuiſſet facta, quia cùm donatio tali caſu non valeret, non poteſt præſumi, fuiſſe facta eo animo vt promiſſionem ſtatim ſequutam per ſocerum in ſolutum reciperet, quia tali caſu eſſet ſpecies donationis: & omnis alia præſumptio potiùs eſt conſideranda, quàm iſta *ad l. cùm de indebito, cum ſimil.* Et quia in caſu noſtro pro promiſſione ſua dedit pignus genero, Ergo non poteſt dici, illi ſolutum per ſolam promiſſionem. Nam pignus non fuiſſet neceſſarium.

DE PROBAT.

EPITOME.

Poſſeſſio per tres teſtes, vnum de viſu, alium de auditu, & alium de publica voce, & fama probatur.

POſſeſſio alicuius probatur per tres teſtes, per vnum de publica voce & fama, per alium de viſu, & per alium de auditu. Et ita fuit concluſum coram Marcello in vna Redien. 3. Decembris eodem anno.

DE FIDEIVSSI.

EPITOME.

Fideiuſſor vti principalis, & in ſolidum, mortuo principali, remanet obligatus ad ea omnia pro quibus fideiuſſerat.

ALphonſus Villetal Abbreuiator de maiori, dederat cuidam Ioãni ad ſocietatem 200. ducatos ad emendum quoddam officium, & in euentum quòd non emeret, in mutuum dedit, ſub pactis & conuentionibus in ſimilibus ſocietatibus apponi ſolitis. Pro qua ſocietate Nicolaus Cauart Rotæ notarius fideiuſſerat, & ſe principaliter obligauit. Dubitatũ fuit in Rota, nũquid mortuo Ioanne, ille notarius diceretur. Dicebatur, quòd non, cùm ſocietas fuiſſet nulla, ex quo in ea non erat appoſitus locus, *ad not. cap. 1. & 2. de fid. inſtr.* Ergo fideiuſſio non valebat, *l. qui contra, ff. de fid. inſtr.* Præterea quia fideiuſſio, ſe referebat ad ſocietatem, & ſocietas non reperiebatur: Ergo &c. Ex aduerſò replicabant alij Domini, quòd dictus notarius ſe obligauerat principaliter, vt debitor, quo caſu *d. l. qui contra* non habet locum, cùm principalis obligatio non habeat relationem ad aliam, ſed ſubſiſtat de per ſe, vt latè probat Caſtr. *conſ. 53. tria ſunt, in 2. volum. col. fin.* qui ſic limitat prædicta iura. Nec obſtat *l. ſi quis in aliquo*, quia limitatur in fideiuſſoribus, quæ ſi faciat mentionem de alia obligatione non requiritur, quòd illa producatur. Iaſ. tenet, *d. l. ſi quis in aliquo, col. fin.* Alex. & alij *in l. ſciendum, de verb. oblig.* Fuit concluſum per omnes Dominos pro ſecũda iſta parte, dummodò Alphonſus prædictus probaret, numerationem pecuniæ fuiſſe factam. Et hoc duplici ratione, primò quia illa fideiuſſio erat reſtricta ad ſocietatem, & contenta in ea, & quia illa diſſoluta per mortem Ioannis, reſtabat obligatus Cauart ex cauſa mutui propter illam clauſulam, & contenta in ea: & in mutuo requiritur quòd conſter de actuali numeratione, Ideo &c. Et

hoc fuit æquum, quia dictus Cauart. notarius ex quo neque comederat, neque biberat dictas pecunias, foret acerbum, quòd in caſu numerationis condemnaretur. Nam quàndo numerata fuit pecunia, poteſt agere de euictione, & tali caſu magis imputandus, quòd fideiuſſerit. Et ita coram Panigarola die 3. Decembris fuit concluſum.

DE PENS. DE POEN.

EPITOME.

Regreſſus ob non ſolutionem penſionis canonizari non poteſt, niſi principali ſit facta literarum intimatio.

DECISIO XV.

CONcluſum fuit in vna Cremonen. penſionis coram Panigarola 10. Decembris 1529. quòd quoàd incurrendam priuationem ob non ſolutionem penſionis, non ſufficeret notitia vaga & incerta. Vel etiam quòd Procurator meus ſciat, etiam quòd ego eius acta ratificarem; ſed requiritur principaliter, vt intimatio ſit facta principali per ea quæ tradit Felin. *in cap. quoniam* §. *porro col. ante penult. vt lit. non conteſt. & cap. cùm contingat, col. penult. de reſcript.* Et quæ notantur *in clem. cauſam, de elect.* Maximè quia priuatio eſt res odioſa quæ per quamlibet cauſam, etiam inſufficientem, euitatur; iuxta ea quæ notat Bart. *in l. fin. de leg.* cum pluribus aliis, quæ pro iſta parte D. Aloyſius de Aragonia ex aduerſo adduxit, quæ breuitatis cauſa non refero.

DE PENS. DE Proteſt.

EPITOME.

Si penſionarius non eſt in loco, non requiritur aliqua proteſtatio ad hoc ne ſit moroſus, nec ob non ſolutionem priuationem incurrit.

DECISIO XVI.

IN eadem per eundem fuit etiam quæſitum, An debitor penſionis ad certum diem, reſidens in beneficio, eóſtituatur in mora poſt lapſum diem ad effectum priuationis, ſi creditor qui erat diuerſi fori, nõ interpellauit, cùm dubiũ faciebat doctr. Bart. *in l. item illa, ff. de conſtit. pecun.* qui vult, quòd debitor quando videt, quòd inſtat, & venit dies ſolutionis, debet proteſtari coram notario, & teſtibus, quòd ipſe eſt paratus ſoluere, ſed quòd non reperit in loco, cui ſoluat. Nam hoc excuſat adeò quòd Alex. *conſ.* 170. *in fine vol.* 5. dicit, hoc requiri de neceſſitate, & plures alij *in cap. ſignificante, de pignor.* & alibi ſæpe. His tamen non obſtantibus, per maiorem partem fuit concluſum contrarium, videlicèt, quòd talis proteſtatio non requiritur, ſed ſit de bene eſſe, & de conſilio, & ita latiſſimè concluſit idem Alex. *conſ.* 92. *col.* 3. *in* 1. *vol.* & Ioannes de Anania *conſ.* 5. *col. fin.* Facit quia ſi quis non ſoluit poſt lapſum diei, ſi non eſt interpellatus, non eſt in peccato, nec mala fide, Hoſt. *in ſum. de præſcript.* Abb. *in cap. fin. col. fin. eodem* tit. Si non eſt in peccato, ergo priuari non debet *l. ſancimus. C. de pœn. cap. ex parte de conſtit. cap. ac ſi clerici ext. de iudic.*

DE DOL. ET CONT.

EPITOME.

Sufficit, notarium dicere, quòd affixit

fixit in valuis, inſinuauit, notificauit, inſinuauit, & publicauit, etiam ſi non dixit, legit.

DECISIO XVII.

PVlchra etiam fuit diſceptatio in vna Monaſterien. Theſaurariæ, & Canonicatus coram D. Camillo Decembris 1529. An ſufficeret, quòd notarius dixerit in inſtrumento appellationis extra iudicialis, quòd illud in valuis Cathedralis Monaſterien. affixerit, intimauerit, notificauerit, & publicauerit, abſq; eo quòd dixerit, *legit*: fuit concluſum, quòd ſufficeret, & ſic eſſet ſatisfactum *clem. cauſam, §. quòd ſi forſan. de elect.* Et ſecundū hoc declaratur deciſ. *de dol. & cont. in nou.* quæ ponit lectionem, vel publicationem diſiunctim. Et ita etiam fuit dictum, aliàs fuiſſe in vna alia tentum.

DE RE IVDIC.

EPITOME.

Clauſula, ſi quid exequendum, operatur, ſi res eſt iudicata.

DECISIO XVIII.

FVit etiam coram me in vna Parmen. penſionis eodem die, menſe, & anno concluſum, quòd mandatum de ſuſpenden. præſentatum per R. D. Ambroſium Triuulcium, in quo exceptuatur exequutio facienda ſuper re iudicata, quòd illa verba non cōprehenderent ſententiam latam per A.C. de ſoluend. penſione, à qua fuerat appellatum, licèt in cōmiſſione daretur, quòd procederet, etſi quid exequendum erat, quòd exequeretur, quia talis ſententia non eſt rès iudicata.

DE SOLVTION.

EPITOME.

Ceſsio bonorum etiam à condemnato per ſententiam fieri poteſt.

DIe 10. Decembris 1529. coram Panigarola, fuit quæſitum, An ceſſio bonorum fieri poſſit per tribus ſententiis cōdemnatum & conuictum. Et concluſum fuit per omnes Dominos, vno excepto, quòd non, per ea quæ tradit. Bald. *in l. 1. C. de his qui bon. ced. poſſ.* & Aret. & Iaſ. *in §. eum qui, inſtit. de act.* Socin. *reg. 46. in ante penultima limit.* Pro qua parte benè allegata fuere ea quæ dicit Bald. *auth. contra quæ proprium col. 3. C. de non num. pec.* qui dicit, quòd fideiuſſor negans, ſi conueniatur, perdit beneficium diſcuſſionis, & cedendarum. Quod dictum ſequitur cum multis cōcordan. Hypol. Marſil. *in tract. de fideiuſſ. Q. 46.* vbi latè. Tamē cùm cauſa fuiſſet iterum propoſita, & diutiùs cogitarem, ex nouis motiuis ortæ ſunt mihi, & maiori parti Dominorum diuerſæ opiniones. Itaque fuit viſum contrarium concluden. Primò per text. *in l. nemo ex his, ff. de reg. iur.* vbi eſt caſus, quòd negans debitum, nunquam priuatur beneficio iuris, niſi in caſibus à iure expreſſis, & ibi per illum text. Dec. expreſsè reprobat opinionem Aretin. *in d. §. final.* Et quia pœna & priuatio iuris non debet alicui imponi, niſi lege cauetur; *§. cùm igitur in auth. de non eligen. 2. nuben.* Et ita per iſtam rationem, in ſimili, vel ferè eodem caſu, dicit iudicatum fuiſſe Iaſ. & pluriès conſuluiſſe *in l. ſicut autem, §. quod autem ff. de re iud. & in l. quod te, in 11. col. num. 31. & ſeq.*

col. fin. ff. ſi cert. pet. & in l. 1. col. penult. C. de tranſact. Et licèt *in d. l. 1. col. penult. C. de tranſact.* videatur Iaſ. tenere contrarium, illud eſt in caſu de quo ibi loquitur, videlicet, in tutore, ſed in caſu noſtro regula quam ipſe facit, non procedit.

DE OFFIC. VICAR.

EPITOME.

DECISIO XX.

Die 10. Maij 1530. coram D. Capizuccho fuit diſputata cauſa ſalarij, quæ vertebatur inter D. Petrum Stella ſancti Laurentij in Damaſo Vicarium, ex vna, & Canonicos dictæ Eccleſiæ reos conuentos. Nam denegabant ſoluere Domino Petro ſalarium 8. rubeorum grani, & 4. ordei & 12. barilia vini. Petrus autem petebat illa ſibi dari multis de cauſis. Pro ratione ſalarij, quia erat Vicarius, & interueniebat in diuinis, & in tractatibus, & negotiis Dominicæ Eccleſiæ. Secundò quia prædeceſſores ſui ſoliti fuerant illa exigere à dictis Canonicis, & illud idem fuerat illi per quinque annos præſtitum. Tertio, quia etiamſi non deberetur ratione ſalarij, tamen debebatur ſibi ratione viſitationis. Iſtæ fuerant rationes Petri. Canonici verò pro quorum parte iudicauit D. Paulus, ex aduerſo dicebant, quòd ad ſalarium Vicarij ipſi non tenebantur, ſed ordinarius eum ponens, per text. *in cap. ſi Epiſcopus de offic. ordin. in 6. lib.* Nec obſtat, quòd prædeceſſores Vicarij, & ipſe Petrus ſoliti fuerant recipere dictum ſalarium, quia reſpondebant, illud fuiſſe illis conceſſum, ex quadam gratia, & liberalitate per modum facultatis, non autem quòd præceſſerit aliquis titulus promiſſionis, vigore cuius poſſet præſcribere contra Capitulum, qui quidē titulus licèt eſſet præſcriptus 40. annis probari deberet, ex quo contra Eccleſiam ad iura vulgaria. Cùm igitur hic nullus titulus fuerit percipiendi, ſed ſola facultas, ea quæ iure facultatis percipiuntur, non præſcribuntur; ſicuti ſi ſolitus fuiſſes ex nemore meo ligna conſcindere, & ex ciſterna mea aquā capere, & in furuo meo panes coquere. Nam licèt per mille annos hoc feceris, non præſcribis, quia poteſt hodie negari, vt tradit Cæpoll. *in tract. ſeru. vrban. num. 7.* Iaſ. *in §. aquè, inſt. de action.* Rip. *in cap. cùm Eccleſia, Sutrina, nu. 68. extrà de cauſ. poſſeſſ. & propr.* vbi latè in iſta materia, ſicut in propoſito dicebatur. Nec id faciebat, quòd iure Viſitationis videbatur ſibi deberi, quia hoc non eſt verum, pluribus de cauſis. Primò quia in Vrbe nihil capi ſolet iure viſitationis, cùm ceſſent omnes rationes propter quas procuratio cōceditur viſitantibus. Nam illa datur viſitantibus dioceſim, & ſic loca extera, ſecùs, ſi in eadem Vrbe. Et ita vſus Romæ obtinuit, qui tenendus eſt. Sed ſuppoſito quòd procuratio deberetur Vicario viſitanti in Vrbe, illa tamen ceſſat quando Eccleſiæ redditus per calamitatem temporum defecerunt, iuxta, *cap. cauendum 10. quæſt. 3.* & notatur *in cap. cùm Apoſtolus, de cenſ.* Sed redditus S. Laurentij ſunt longè diminuti. Ergo &c. Et eſto quòd illa ratio non eſſet, clarum eſt, quòd procuratio datur ratione alimentorum tempore quo quis viſitat, ita quòd, ſi D. Petro Vicario daretur, debet dari quando viſitat, quod contingit ſemel, vel bis in anno. Sed in illis vicibus, non eſt poſſibile, quòd conſumat comedendo 8. rubeos grani,

grani, 4. ordei, & 12. barilos vini. Igitur &c. Ex quibus omnibus fuit concluſum, Canonicos non teneri ad illam præſtationem. Et ita iudicatum fuit.

DE STATVT.

EPITOME.

DECISIO XXI.

DE menſe Decembris 1532. coram Panigarola diſcuſſa fuit vna Romana Caſalium ad dilucidationem duorum ſtatutorum diſponentium circa tempus appellationis & inſtantiæ. Vide Dec. 22.

DE APPELL.

EPITOME.

Appellatio interpoſita vltima die termini, vel circa horam noctis valet.

DECISIO XXII.

IN alia Catanien. Canonicatus, & præbendæ coram D. Petro Vortio fuit pronunciatum contra Hieronymum actorem, & pro Gerardo reo, qui appellauerat vltima die termini ad appellandum à iure præfixi, circa vnam horam noctis. Nam fuit dubitatum, numquid talis appellatio valeret. Et certè ſi fuiſſet intra terminum, non eſſet dubium, quòd valuiſſet, quia licèt de nocte pronunciari non poſſit, vt traditur *in cap. concluſit, de offic. deleg.* appellari tamen poteſt, vt trad. Ang. *in l. more, ff. de fer.* & Bald. *in auth. hodie, col. penult. C. de appell.* Felin. *in cap. fin. de appell. verſ. 8. quæritur & in cap. cùm M. num. 34. de conſtit.* In caſu noſtro appellatio fuit in vltima die circa vnam horam noctis, & ideo erat dubium, nũquid ille dies vltimus deberet computari vſque ad occaſum ſolis, & ſicut vſque ad 24. horas, an verò vlteriùs. Et fuerunt plura hinc inde allegata. Tamen pro iſta parte fuit iudicatum, ſcilicèt quòd appellatio fuiſſet rectè interpoſita. Primò *l. more Romano de feriis* quæ diem de media nocte vſque ad aliam dimidiam noctem numerat, 2. quia dies dicitur quouſque vnus alium diſcernere poteſt, licèt ſol non videatur ὀculis noſtris, quia illa claritas reſultat ex ſole, *cap. 3. & ibi not. omnes de homicid. latè* Angel. *in tract. malefic. in verſ. de nocte.* Præterea quia in dubiis opinionibus iudicare debemus, ne appellatio ſit deſerta, quia per hoc ius partis conſeruatur. Ita dicit Paul. Caſtr. ſe conſuluiſſe *in l. 1. per illum text. ff. ſi quis caut.* cum quo ibi tranſit Alex. & Iaſ. cum concord. vt trad. Felin. *in c. ſignificauerunt, in 2. col. de teſtib.* Et ita per D. Petrum pronunciatum fuit pro D. Gerardo reo 10. Ianuar. 1530.

EPITOME.

Inſtantia appellationis hodie ſecundùm ſtatuta Vrbis incipit currere à die repræſentationis appellationis.

DECISIO XXIII.

SVnt duo ſtatuta in Vrbe. Primum antiquum, diſponens quòd appellantes poſt 8. dies qui dantur ad appellandũ ſecundùm ſtylum Capitolij: habent etiam quinque dies cõtinuos ad repræſentandum appellationem, deinde 40. pro inſtantia, & dicti 40. dies ſunt vtiles, & numerãtur à die repræſentatæ appellationis. Eſt & aliud ſtatutũ nouum

correctiuum iſtius veteris quod ad tollen. intricationes dierum vtiliũ diſponit, quòd pro inſtantia dentur 60.dies. Dubium modo eſt, nũquid iſti 60. dies debeant computari à die appellationis, an verò à die repræſentationis,eius? Et dubium faciebat finalis ratio ſtatuti noui ſupradicti, quod vult,hoc eſſe factum, vt lites breuiùs finiantur. Iſta ratio innuit,quòd dicti 60. dies incipiunt currere à die appellationis,ita quòd in eis includantur illi 5. dies ad repræſentan.Sed contrarium fuit concluſum in vna Lunquetana corã D. Chriſtophoro Panigarola 14.Iãuarij 30. in qua concluſerunt omnes Domini,excepto. D. Paulo, & Marcello, quòd aliàs quãdo certa lis etiam fuerat propoſita, dixerunt quòd illi 60. dies inſtantiæ appellationis debent numerari à die repræſentationis,non appellationis.Ita quòd poſt appellationem habebit appellãs 65. dies. Itaque illi quinque dies non computabuntur in 60. Ratio deciſionis eſt, quia ex quo dictum ſtatutum nouum eſt correctorium circa dies tantùm vtiles,non debet extendi ad dies continuos de quibus non loquitur, quia diſpoſitio ſuper vno caſu expreſſo non extenditur ad aliũ dimiſſum non expreſſum *cap. nonne de præſumpt. l.quamuis C.de impub.& aliis ſubſtit.* quia ex diuerſis non fit illatio,vulgata *l.Papenianus.ff.de minor.* Remanebat igitur iſte caſus quinque dierum continuorum ſub diſpoſitione antiqui ſtatuti: Et ſecundùm iſtam rationem correctio quæ eſt odioſa non corriget in totum antiquum ſtatutum, ſed remanebit, & operabitur in illo caſu 5. dierum. Et iſta interpretatio eſt fauore litis ex alio, quia per eam minùs læditur ius commune. Et quia de iure antiquo terminus inſtantiæ erat annus; & ex cauſa biennium, *cap.cùm ſit Romana, & cap. ex tenore, de appell.* Quæ quidem diſpoſitio iuris communis minùs læditur, ſi illi 5. dies continui ſint vltra illos 60. quàm ſi in his computarentur. Et maximè quia in caſu noſtro ſi dicti 5. dies fuiſſent computati, cauſa fuiſſet deſerta, & ſic ius partis periret. Ne igitur pereat, ſed conſeruetur, dixi, in dubio iudicandum eſſe pro non deſertione, vt dicit Paul. de Caſtr.& modern. *in l.1.ff. ſi quis cautio.* Felin.*in cap.ſignificauerunt,in 2. col.de teſtibus.*

DE PROCVR. DE Confeſſ.

Epitome.

Procura ſeu mandatum ad recipiendum computa, & habere pro bonis, & quietandum, debet intelligi de verè receptis.

Decisio XXIII.

COram D. Paulo in vna Caſalen. Penſionis eiſdem die & anno,fuit tentum per omnes Dominos,excepto Marcello, quòd mãdatum ad recipiendum computa, & habendum pro bonis & quietandũ, debet intelligi de iure receptis. Nec creditur notario aſſerenti,computa fuiſſe facta benè,legitimè,& legaliter per ipſum procuratorem; niſi probetur, quòd receperit, vel quòd habuerit, ad confitendum recepta, per ea quæ dicunt Doctores *in l.2.§. creditum ff.ſi cert. pet.*

DE PROCVR.

Epitome.

Procura facta à Priore ad lites,valet

let ſine conſenſu fratrum monaſterij.

Decisio XXIV.

EAdem die, & anno, coram D. Petro Bortio fuit concluſum in vna Toleta. domus. An madatum factum per Priorem Prædicatorum ad conſentiendum in arbitros, vel ſententiari, valeat ſine conſenſu fratrum illius monaſterij? Et fuit dictum, quòd ſic, per *not. in cap. edoceri, de reſcript.* Nam ſi canonicus poteſt agere pro Eccleſia ſua ſine mandato, & Prælatus. Ergò & procuratorem conſtituere, vt ibi notatur.

DE RENVNC. DE Procur.

Epitome.

Procurator qui à me recepit mandatum alicuius ad reſignandum in mei fauorem, ad mei inſtantiam tenetur illud exhibere. Alexandrina non habet locum quando non eſt lis de beneficio, & quando aggreſſio non fit animo iniuriandi, vel verberandi, ſeu occidendi.

MAgna etiam fuit altercatio in vna Pacen. exhibitionis mandati coram D. Chriſtophoro eadem die, An procurator conſtitutus ad reſignandum, qui recepit mandatum ab eo in cuius fauorem reſignari debebat, & præſtare fecit conſenſum à tergo, teneretur mandatum exhibere. Et pro parte negatiua conſiderabantur tria. Primò quia conſtituens fecit aliud mandatum ad reſignandum in fauorem alterius, antequàm ſupplicatio reſignationis facta vigore dicti mandati eſſet redempta à manibus Datarij. Et ſic videbatur illud mandatum non pertinere ad ipſum Gaſparem actorem. Secundò, quia nemo cogitur edere iura ſua *l. Prætor, cum ibi not. ff. de eden. cum ſimil.* Tertio quia probatum fuit per teſtes, quòd dictus Gaſpar quoad effectum, vt faciliùs capi faceret d. procuratorem, contra quem vltra cenſuras habebat brachium ſeculare, armatus aggreſſus fuerat dictum procuratorẽ, nõ ad effectum occidendi, vel vulnerandi, cùm hoc haberet in facultate, ſecundùm dicta teſtium, ſed detimendi, & tradendi cum Bariſello, qui promiſerat D. Gaſpari, ſe ſtatim affuturum. In qua quidem contentione ſecati fuerunt duo, vel tres digiti procuratoris ex vulnere. Neſcitur tamen, an illati ab eo ipſo in contentione recepti; & ſic videbatur obſtare extrauag. Alexandrina, quæ aggreſſores percutientes litigantes, priuat iure ſuo &c. Breuiter fuit cõcluſum pro parte affirmatiua, quòd dictus procurator teneatur ad exhibitionem dicti mandati; nec Gaſpar ob prædictam aggreſſionẽ perderet ius ſuum. Ratio primi dicti fuit, quia licèt quis non teneatur edere rationes ſuas; fallit de æquitate Canonica, quam ſequitur Rota, vel niſi ex cõiunctione iuris mei ſequatur editio ſui, vt trad. Doctor. *cap. 1. de probat.* Et in propoſito iſta duo concurrebant, non ſolùm æquitas canonica; ſed etiam intereſſe dicti Gaſparis, propter conſenſum reſignationis præſtitum à tergo. Nec amiſit ius ſuum Gaſpar propter aggreſſionem prædictam: Tum quia lis negotij principalis ſuper beneficio aderat contra procuratorem: tum etiam quia illa aggreſſio non fuit facta ad

effectum occidendi,vel vulnerandi, ſed detinendi ad effectum facilioris exequutionis brachij ſecularis. Et ita cõcluſum fuit per omnes Dominos, vno excepto.

DE FIDEIVSS.

EPITOME.

Vt ſuprà.

DECISIO XXVI.

IN alia coram eodem Romana ſocietatis inter Alphõſum Villaratẽ,& Ioannem Camert notariũ Rotæ,contra quem agebat Alphonſus ad 250. quæ fuerãt expoſita pro ſocietate officij ſcriptoris regiſtri cum quodam Petro contracta.Dicebatur ex parte Ioannis, non teneri , ex eo quia ſocietas non valebat,& in eius inſtrumento deficiebat locus contractus, *ad cap.* 1. *&* 2.*de fid.inſtr.* & ibi latè Moderni , Præterea dicebatur, ex inſtrumento fideiuſſionis nõ teneri , quia non erat in eo expreſſa quantitas,ſed referebat ſe ad inſtrumentum ſocietatis, quod,vt dicebatur , erat nullum.Et,ſi ex illo & aliis coniecturis ſaltem ſemiplena probatio elici poſſet , illa non ſufficiebat,nec debebat deferri iuramentum D.Alphonſo in ſupplementum probationis, quia conuincebatur ex dictis ſuis vſurarius , ex quo petebat dictos ducatos 250. etiam ex cauſa mutui , cum intereſſe,ſeu fructibus. Hoc enim ſapiebat vſuram manifeſtam *ad c.conſuluit cum ſimil.de vſur.* Et ideo fuit concluſum inter Dominos , dandam eſſe remiſſoriam D.Alphonſo ad probandam numeratione , ſi noluerit concordare,qua non probata abſolui deberet Ioannes,*vt ſuprà* deciſ.14.

DE PROBAT.

EPITOME.

Literis Epiſcopi nunciatiuis mandati , etiam iuncta aſſertione notarij dicentis , ſe rogaſſe : non creditur.

DECISIO XXVII.

PRopoſui ego in vna Bertuſen. Canonicatus & præbendæ, vnũ dubium, An crederetur literis Epiſcopi factis ſuper permutatione dicti Canonicatus, in quibus aſſeruit, ſibi conſtare de mandato legitimè facto vnius ex permutãtibus, etiã ex aſſertione notarij,qui in inſtrumẽto prouiſionis aſſeruit , conſtare etiam de mandato apud ipſum celebrato, & breuiter fuit concluſum à Dominis, quòd non.

DE RERVM PERMVT.

EPITOME.

In fraudem expectantium ſiue reſeruationẽ habentium, non valet permutatio facta cum beneficio nullius valoris quod ſtatim ordinario redditur.

DECISIO XXVIII.

PRopoſita fuit vna Tarraconen. Parochialium coram D. Paulo 28. Ianuarij 1530. numquid *extrauag.Bonifac. Paſtor.* locum habeat in beneficiis renunciatis per viam permutationis factæ cum beneficio de pertica vulgariter nuncupato, quod quidem beneficium ſecundùm conſuetudinem dictæ dioceſis confectũ fuit ad introducendas permutationes, & ideo ſemper vacãs.Nam

Epiſco

Epiſcopus confert illi in cuius fauorem reſignatio veri beneficij fieri debet dictum beneficium de pertica, vt ipſe permutans cum reſignante videatur conſequi verum beneficiũ ex cauſa permutationis, quo facto, ſtatim beneficium redditur ordinario. Cùm igitur in caſu propoſito, quidam N. infra duos dies reſignauerit tres Parochiales, recepto dicto beneficio de pertica, dubitatur, nũquid hic militaret præſũpta fraus dictæ extrauagantis. Tres ex Dominis dicebant, inter quos ego eram, quòd in caſu iſto circumſcripta conſuetudine illius Diœceſis, quæ fuit probata per teſtes, quòd ibi permutationes paſſim fieri ſolent; non video quare permutatio valere non debuiſſet. Nam ex quo clarè conſtabat de voluntate reſignantis, quia ſciebat, ſe recipere ex permutatione dictum beneficium de pertica nullius valoris, non dicitur volenti & ſcienti fieri fraus, vulgata regula, ſcienti *de reg. iur. in 6.* Nec obſtat deciſio 369. de rerum permutatione in antiq. quæ vult, permutationem præſumi fraudulentam, quando fit cum beneficio tenui, quia reſponderur, quòd tenuitas ſola non ſufficit, cùm tria alia requirantur & contrarium tenet Feder. *in tract. de rerum permutatione, quæſt. fin.* Et hoc in caſu noſtro factum fuit, non in fraudem, ſed ad euitandas fraudes, & vt reſignantes debito effectu non fruſtrarentur, quia contingebat ſæpe, quòd beneficia reſignata ſimpliciter in manibus ordinarij capiebantur contra voluntatẽ reſignantis per reſeruationes, & acceſſus ad vacantia per ceſſum vel deceſſum. Vt igitur fraudes iſtæ tollerentur, & vt reſignantes haberent exitum ſecundùm voluntatem reſignantium, inuentum fuit ab ordinariis illius diœceſis & ſimilium, vt reſignationes præfatæ fierent ex cauſa permutationis prędictæ, & ſic excludantur acceſſus, & reſeruationes, quæ non capiunt beneficia vacantia ex cauſa permutationis. Tamen his non obſtan. quatuor ex Dominis qui iam priùs dederant votum, & fortè iſta priùs nõ cogitarunt, tenuerunt, tales permutationes cum illo beneficio nullo non tenere; & eorum dictum iudicio meo generaliter non eſſet verum; ſed in caſu propoſito poſſet ſuſtineri, ex quo propter breuitatem temporis iſtarum trium permutationum, non præſumitur, neque probatum fuit, quòd ille qui ſucceſſiuè reſignauerat illas tres Parochiales tribus perſonis, recipiendo à ſingulis dictum beneficium de pertica, illud in qualibet reſignatione reſignaſſet iterũ ordinario, quoàd hoc vt ordinarius iterum cõferret ſecundo permutare volenti, ille ſecundus iterum daret. Nam alias ſi reſignans in prima reſignatione habuit beneficium de pertica, non potuit à ſecundo, & tertiò permutantibus habere, ſine noua renunciatione, & collatione, cùm vnicum tantùm fuerit beneficium de pertica, & non potuit vno tempore eſſe penes duos vel tres.

DE REG. DE TRIENN. de Præſum.

EPITOME.

Noua prouiſio impetrata in Curia, pro eo qui nulliter fuerat prouiſus in partibus, tribuit iuſtum titulum ad effectum regulæ de trien. poſſeſſ.

DECISIO XXIX.

PRopoſita fuit vna Traiecten. coram Vortio 22. Ianuarij 1530.

Numquid noua prouiſio impetrata in Curia pro abſente, qui fuerat prouiſus à Capitulo, de cuius poteſtate non conſtabat, daret præſumptum titulum ad effectum regulæ de trienn. poſſeſſ. Dubium faciebat, quia non conſtabat, quòd noua prouiſio fuiſſet impetrata de conſenſu, ſiue ad inſtantiam abſentis; Imò verba nouæ prouiſionis videbantur innuere contrarium, ex quo in ea dicebatur, poſſeſſione forſan ſubſequuta, & ſic videbatur dubitare de poſſeſſione; de qua tamen clarè cõſtabat: &, ſi non conſtaret, in facto proprio quilibet debet eſſe certus *l. quamquam C. ad Velleian. cap. ab excommunicato, de reſcriptis.* Et per conſequens, videbatur, quòd iſta noua prouiſio fuiſſet impetrata ab aliquo amico abſentis, eo inſcio. Secundò, quia poſito, quòd abſens mandaſſet impetrari nouam prouiſionẽ, tamen non conſtabat, quòd ſciuerit, eam eſſe expeditam. His tamen non obſtantibus fuit concluſum per omnes Dominos, excepto Domino Chriſtophoro, qui dubitabat, nouam prouiſionem ſufficere ad effectum regulę de trienn. Non obſtant prædicta, quia ego qui erã ſecundus reſponſalis, reſpondebam, quòd erat deciſio clara, & firma Doctorum, *in l. cùm ſeruus, de verb. oblig.* quòd actus factus cum impenſa, præſumitur factus ad inſtantiam abſentis, & in terminis ſupplicationis impetratæ pro abſente tenet Oldrad. *conſ.* 136. *col* 2. Et ſic, etiam reſpondebam ad ſecundum motiuum, quòd ex quo dicta noua prouiſio tendebat in commodum abſentis, præſumitur facta, & impetrata, & expedita, eo ſciente, iuxta *conſ. Rom.* 360. Et maximè quia à tempore datæ decurrerat tantum tempus, ita quòd veriſimiliter potuiſſet ad ipſius peruenire notitiam.

DE REG. DE TRIENN.

EPITOME.

Collatio Capituli de cuius poteſtate non conſtat, non tribuit iuſtum titulum ad effectum regulæ de triennali.

DECISIO XXX.

CIrca eandem regulã de trienn. fuit dubitatum, numquid poſſidens beneficium per triennium ex collatione Capituli, de cuius poteſtate præſupponebatur, quòd non conſtat, eſſet tutus auxilio dictæ regulæ. Fuit per omnes concluſum, quòd nõ, ex eo quia regula loquitur de collatione ordinaria. Ergo debet intelligi de ordinario Epiſcopo habente collationẽ de iure communi, non autem de habente ex priuilegio, vel iure extraordinario, *arg. l. ſcio, §. medico, de ali. & cibaria legat.* quia verba in dubio debent intelligi ſimpliciter, & non iuxta qualitatem, *l. 1. ff. de donat. l. 1. §. hoc interdicto* & ibi Bart. *ff. de ſent. l. hoc legatum,* & ibi Bart. *de legat. 3.*

EPITOME.

Noua prouiſio etiam non faciens mentionem de ætate, in qua per Bullã expectatiuæ erat expectans diſpenſatus, ſupplet diligentias.

DECISIO XXXI.

FVerat etiam coram D. Petro Vortio die 14. Februarij 1530. propoſita vna difficultas in vna cauſa vertente inter Ferdinãdum Gundiſaluum ex vna, & Ioannem Anglianum reum ex altera; numquid noua prouiſio non faciens mentio

mentione de ætate, in qua expectans fuerat diſpenſatus per Bullam expectatiuæ ſuppleret diligentias? Dicebatur pró parte Ferdinandi, quòd non. ex eo quia per omiſſionem diligentiarum gratia expectatiua, acceptatio, & prouiſio fuerant ipſo iure annullatæ. Ergo noua prouiſio, ex quo totaliter reſtaurat gratiam, debet etiam facere mẽtionem de ætate, aliàs non ſupplet, quia quod nullum eſt, ſuppleri non poteſt, *l. eius, ff. ſi cert. pet.* & notant Modern. *in cap. ex tenore, de reſcript.* Et hoc in propoſito tenet Domin. *poſt gloſ.* ibi, *in cap. ſi Apoſtolicæ, de præben. lib. 6.* dicens, quòd in omnibus literis per quas ius nouum tribuitur, vel augmentatur, requiritur mentio de contentis in prima gratia, aliàs literæ ſunt nullę. Et hoc in terminis dicit Roman. *in conſ.* 383. *in propoſito caſu dico, in 1. colum.* ſequitur Felyn. *in cap. in noſtra in 16. correl. de reſcript.* Pro parte Ioannis Anglian. dicebatur, quòd dicta noua prouiſio ſubintrat in locum primæ gratiæ, quoàd effectum diligentiarũ, nihil aliud iuris noui adiiciẽs, quàm quod vigore primę gratiæ cõtinebatur. Ergo debet talis noua prouiſio iudicari vt prima; Et ſic ea ratione quia in prima non requiritur mentio aliqua, ita neque in iſta; per ea quæ dicit Felin. *in d. cap. in noſtra in d. verſ. primus eſt deciſ.* Rota *in nou. de præben.* 274. Præterea quia noua prouiſio continet duo, ſcilicet prouiſionẽ, & ſupplementum diligentiarum. Vnde licèt quoàd primũ eſſet nulla, manet ſecundum, maximè quia Anglianus non petit ſibi prouideri vigore nouæ prouiſionis, ſed expectatiuæ.

Non obſtat quòd gratia annullaretur, quia illud eſt verum ſub conditione reſolutiua, iuxta notata *in cap. cæterum de reſcript.* Et plura alia motiua fuerunt tunc facta quæ breuitatis cauſa omitto, per quæ ita fuit tentum, & concluſum in Rota.

Epitome.

Noua prouiſio etiam nulla, ſupplet negligentias & publicationem.

Decisio XXXII.

ET hodie 16. Nouembris 1534. in vna Tullen. Parochialis coram Ioanne Clerici fuit concluſum per omnes, exceptis duobus, quòd noua prouiſio etiam nulla ſuppleret publicationem; per iſtam rationem, quia publicatio eſt quid facti, & illa ita fit per actum nullum, ſicut per validum: nam ratio quare fuit receptum in Rota, quòd noua prouiſio ſuppleat diligentias, fuit, quia coram Principe vbi fit ſignatura, præſumuntur nota, & publica omnia *l. omnium, & ibi* not. Iaſ. *C. de teſtam.* Iſta ratio militat in noua prouiſione, licèt nulla, quia nullitas non impedit publicationem quæ eſt facti, ſed bene prouiſionem, & licèt prouiſio ex actu nullo reſultans non valeat, quia eſt iuris, valet tamen publicatione non facta. Secundò, quia quòd noua prouiſio bona ſuppleat diligentias, fuit ideo tentum, quia regula requirens publicationem eſt pœnalis, & vt euitaretur pœna, fuit illud receptum. Sed iſta ratio militat etiam in prouiſione nulla, quia actus nullus excuſat à pœna, iuxta *gloſ. in cap. venerabilis, de conſuet. & gloſ. in cap. denique*, maximè quia concurrit voluntas impetrantis, ſecundùm quam actus debet regulari, *l. non omnis, ſi cert. pet.* Et quia ex actu nullo declaratur etiam voluntas *l. fin. ff. de reb. eorum.*

Et ita concluſerunt Domini me præſente, & quia vidimus, quòd diſpoſitio nulla excuſat à pœna *extrau. execrabilis.*

DE FID. INSTR.

EPITOME.

Exequutio debet fieri contra eum ad quem pecunia peruenit, licèt alius ſit inſolidum obligatus.

DECISIO XXXIII.

EXequutio per vnum ex obligatis inſolidum poteſt peti, quòd fiat periculo ſuo contra alium ad quem pecunia deuenit, per doctr. Bart. *in auth. hoc ita in 7. quæſt. nu. 29. C. de duob. reis & in l. 3. ff. eodem titulo.* Ita fuit tentum in vna Romana pecuniaria verten. inter Petrum, & fratres de Maximis ex vna, & hæredes Sigiſmundi Ghiſij die 11. Febr. 1530.

DE PROCVR. DE renunc.

EPITOME.

Error diœceſis non nocet, ſi de corpore conſtat.

DECISIO XXXIV.

19 OCtaua Martij 1530. in vna Dolen. Parochialis de Plenguen. fuit tentum per omnes Dominos, quòd error diœceſis, ſi de corpore conſtat per teſtes, non nocet, quo minùs ille qui ex renunciatione errantis venit, non poſſit ſuam prouiſionem canonizare. Et ita ego canonizaui in fauorem Petri Nabuſen. contra Ioannem Gentilem, qui per noctem anteà præſentiens ius non habere, ceſſit liti, iuri & cauſæ in fauorem D. Petri.

DE PROCVR.

EPITOME.

Duo Procuratores in ſimul conſtituti poſſunt, vnus poſt alium, conſentire.

DECISIO XXXV.

IN vna Barchinonen. Parochialis de Papioli, coram Clerici de menſe Maij 1530. fuit tentum, quòd iſta verba poſita in mandato ad reſignandum, & conſentien. videlicèt *conſtituo duos procuratores ſimul*, & non inſolidum &c. reſpiciant conſtitutionem tãtùm, non autem exequutionem; & ideo vnus potuit de per ſe conſentire, & poſteà ex interuallo alius. Pro qua opinione facit deciſio *in nou. tit. de procur. num. 107.*

DE PROCVR. DE renunc.

Ex duobus procuratoribus ad reſignan. non obſtat quòd vnus conſentiat poſt alium, & poſt annum, etiam poſt mortem reſignantis, & poſtquàm tertius impetraſſet.

DECISIO XXXVI.

POſteà 3. Iunij fuit dubitatum de validitate conſenſus, ex eo quia vnus poſt alium per annum conſenſit, poſt mortem conſtituentis, & poſteà quidam tertius veniens ad cauſam, impetrauit, & litẽ mouit. Et ego tenui, cum quo maior pars Dominorum fuit, quòd valet, & allegaui pro hoc deciſionem notabilem Rotæ *in antiq. 873. quæſt. 17. de iurepatr. incip. quidam.*

DE

DE CONCESS. Præbend.

EPITOME.

Alexandrina non punit affectũ, niſi ſequatur effectus.

DECISIO XXXVII.

DIe 29. Nouembris tenuit Rota coram D. Capizucho, in vna cauſa Lucenſi, quòd *extrauag. Alexandri 6.* non habet locum in eo qui procurauit aliquem vulnerare, vel interficere, niſi deducatur ad effectum.

DE CONCESS. Præbend.

EPITOME.

Expectans poteſt acceptare ſecundum beneficium, quando primum non poſſidet pacificè, & reſignato ſecundo, poteſt capere primum.

DECISIO XXXVIII.

EOdem die, & anno, fuit tentum coram me in vna Seguntina Parochialis de prados redondos, quòd quis poteſt acceptare ſecundã Parochialem, quando primam acceptatam non poſſidet pacificè, licèt poſt renunciationem cum reſeruatione penſionis obtinuerit, cum exequutorialibus primam acceptatam.

DE RE IVD.

EPITOME.

Exequutoriales per prædeceſſorem intimatæ intruſo, per ſubrogatum intimari poſſunt Procuratori intruſi cui datur dilatio ad partes.

DECISIO XXXIX.

DIe 23. Iunij 1535. fuit coram D. Ioanne Paulo, in vna Aurien. Monaſterij de Oſera concluſum per omnes, exceptis tribus, quòd ſubrogatus ad proſequutionem exequutorialium, quæ fuerant iam priùs per prædeceſſorem ſubrogati intimatæ intruſo, non tenebatur eas de nouo perſonaliter intimare intruſo, ſed ſufficeret, eas intimare procuratori eius reperto in Curia, qui, ſi petebat dilationes, concederentur.

DE REGVL. DE Trienn.

EPITOME.

Regula de triennali defendit illegitimum.

EAdem die coram D. Petrutio in vna Romana Parochialis concluſerunt omnes Domini, quòd regula de triennali defenderet illegitimum.

EPITOME.

Vſura non eſt, pactum, quòd pro dote ſoluantur ſeptem cum dimidio, pro centenario.

EAdem die coram D. Ioanne Paulo in vna Palentina pecuniaria, ſiue dotis, fuit concluſum, quòd valet pactum inter ſocerum, & generum, de dando tot annuatim, putà ſeptem cum dimidio pro centenario, donec dos ſolueretur, pro oneribus matrimonij, vt per Alex. *conſ. 51. viſo themate, præfato lib. 6.* & per Doctor. *in cap. ſalubriter, extrà*

de vſur. & latiùs per Bald. Nouel. *in tract. de dot. fol.* 34. *in* 3. *ſpeciali*, & per Campeg. *in eod. tract. part.* 2. *q.* 6. & per ſum. Angel. *in verb. vſura.* 1. Non obſtãte dicto Ioannis Andreæ *in d. cap. ſalubriter*, & Socin. *conſ.* 79. quia loquuntur, quando pactum ſonat in vſuram, vt latè in informatione D. Ioannis Aloyſij.

DE FEVDIS.

EPITOME.

Licèt Imperator creauerit Ducem Mediolani, potuit feudum, & exemptionem ab illo alij concedere, quia ſicut Papa, Imperator concurrit cum omnibus inferioribus.

DECISIO XLII.

EAdem die coram Aragonia, in vna Parmen. Vallium, fuit concluſum per omnes, excepto Ioanne Paulo, quòd licèt Imperator Vladiſlaus conceſſerit Duci Mediolani ſtatum ſuum, & eum creauerit Ducem, dando pleniſſimam poteſtatem infeudandi, & alia faciendi; tamen potuit Federicus Imperator eius ſucceſſor cõcedere DD. de Corrigio feudum, & eos eximere à Duce Mediolanenſi, quia licèt plenã Duci cõceſſerit auctoritatem, maiorem tamen apud ſe retinuit Imperator, *argum. cap. dudum, de prabend. in* 6. & quia Imperator concurrit cum omnibus inferioribus, ſicut Papa; vt latè Brun. *conſ.* 47. cum aliis allegatis in informatione.

DE EMPT. ET VEND.

EPITOME.

Facta venditione plurium animalium per aliquorum morbum contagioſum omnia redhiberi poſſunt.

DECISIO XLIII.

EAdem die coram D. Marco Antonio in vna Romana Vaccarum, fuit concluſum per maiorem partem Dominorum, quòd quando fuit facta venditio plurium Vaccarum, ſi aliquæ ſint infectæ morbo contagioſo, videlicèt pulmonaſiæ, propter illas cæteræ redhiberi poſſunt, quia aliàs non eſſet verum, quòd veriſimiliter eas fuiſſet emپturus. Præſertim cùm ille morbus latenter ſerpat, & videri non poſſit, quænam ſit infecta, donec morte detegatur per allegata in informationibus.

DE IVDIC.

EPITOME.

Suſpectum quis dicere non poteſt iudicem ab Aduerſario electum, ſi ipſe priùs pro ſe elegit.

DECISIO XLIV.

DIe 11. Ianuarij 1538. fuit concluſum per Dominos, quòd quando aliquis accepit aliquos iudices pro ſua remiſſoria exequenda, non poteſt illos poſteà ille qui eos priùs approbauit, ſi aduerſarius eoſdem nominat pro ſua remiſſoria, recuſare vt ſuſpectos, etiam cum iuramento, niſi ſpecificando ſuſpicionis cauſam alleget. Ita tenuerũt omnes coram me, in vna Regien. Parochialis contra Stephanum de Creſcentiis.

DE

DE PENSION.

EPITOME.

Reſignans non excuſatur à ſolutione penſionis, niſi ſit abſens à beneficio.

EOdem die, & anno, fuit etiam concluſum per Dominos, coram Mohedano, quòd per reſignationem, non excuſaretur quis à ſolutione penſionis, quia præſumitur manifeſtè in detentatione, niſi probetur, fuiſſe abſentem à beneficio. Et idem concluſerunt Domini diebus præteritis coram eodem in vna Oxonen. penſionis pro Sebaſtiano Ponte, contra Malateſtam de Medicis.

DE REGVLA. DE Vacan. per Obitum fam. Cardin.

EPITOME.

Regula de familiaribus Cardinalium habet locum in reſeruatione de beneficio vacaturo, ſicut de vacante.

DECISIO XLVI.

DE menſe Martij 1532. coram D. Ioanne Maria in vna Ariminen. Canonicatus, fuit concluſum per Dominos, quòd regula de familiaribus Cardinalium, haberet locum in reſeruatione de beneficio vacaturo, ex eo quia illa regula eſt fauorabilis, & debet latiſſimè interpretari in præiudicium concedentis; Maximè, vbi non fit præiudicium tertio. Ego tamen cum quibuſdam aliis Dominis tenebam contrarium, quòd regula loquitur de beneficio vacante. Ergo non debet habere locum in vacaturo, per rationem regulæ vigeſimæprimæ, & quia regula habet in ſe diuerſam rationē, quia in vacante ſumus certi de perſona quæ obiit, an ſit familiaris Cardinalis, vel non, & ideo tunc debet fieri talis mentio, ſed in vacaturo non poſſumus diuinare perſonam morituram, an ſit futura familiaris, vel non. Et ideo meritò ratio regulæ non militat. Ad iſtam rationem non fuit reſponſum, & ideo quatuor ex Dominis fuerūt pro hac, & quinque pro alia parte.

DE EADEM REGVLA.

EPITOME.

Regula de familiaribus Cardinalium habet locum, etiam in gratia, & Motu proprio.

DECISIO XLVII.

EAdem die in eadem cauſa fuit cōcluſum per maiorem partem, quòd eadem regula haberet locum in impetratione *motu proprio*. Ego tamen cum quibuſdam aliis tenui contrarium, non ſolùm ea ratione, quia aliàs ita fuerat tentum in Rota coram Sabinen. vt refert P. Andræas Gambar. *in tract. de offic. leg.* Sed etiam, quia regula loquitur in impetrante, & gratia motus proprij non eſt impetratio. Vbi igitur verba regulę non adaptantur, nec etiam habet locum eius diſpoſitio: niſi dicamus, quòd gratia motus proprij largo modo dicatur intelligi, & interpretari per Bald. *in cap. niſi, num. 4. de offic. deleg.* de quo tamen latiùs dicam in dicta regula.

DE IVREIVR. DE REB. Eccleſ. de Præſum.

EPITOME.

Iuramentum de non alienan. rebus Eccleſiæ, non præſumitur præſtitum à Prælato.

DECISIO XLVIII.

EOdem anno & menſe, coram Nicolao Piccolomineo, in cauſa Archidiaconatus ſancti Andreę; fuit concluſum per Dominos, quòd iuramentum ſolitum præſtari de non alienandis rebus Eccleſiæ, inconſulto Romano Pontifice, per Prælatos in promotione ſua, non præſumitur præſtitum, niſi probetur. Pro qua opinione ego allegaui Imolã & Abb. poſt Ant. *in cap. penult. de iureiur.* & Socin. *conſ.* 85. *num.* 5. *lib.* 1. cum concordatis quæ ſcribunt Modern. Taurinen. *in l. certi condictio*, §. *ſi nummos. ff. ſi cert. pet.* vbi volunt, quòd licèt regula ſit quòd ea quæ ſunt ſolita interuenire in actu, præſumũtur interueniſſe, fallit tamen in iuramento, propter eius formalitatem. Ita ibi Aret & Modern. *in l. ſciendum, ff. de verb. oblig. in l. vt liberi. C. de collat.*

DE REB. ECCLESIÆ.

EPITOME.

Alienatio facta contra iuramentum à Prælato valet, ſed ipſe eſt periurus.

DECISIO XLIX.

COram eodem in eadem fuit tentum per quinque ex Dominis, aliis in contrarium tenentibus, quòd alienatio facta à Prælato contra iuramentum de non alienan. valeret, licèt eſſet periurus, quod tamen non eſt verum ſine maxima difficultate, per ea quæ dicit Signoro. *conſ.* 71. quem plures ſequuntur.

DE PENSION.

EPITOME.

Abbas ſine conſenſu Conuentus authoritate Papæ poteſt imponere penſionem ſuper fructibus Abbatiæ.

DECISIO L.

IN vna Gerundin. coram Aragonia, de eodem anno, & menſe; fuit cõcluſum per maiorem partem Dominorum, exceptis duobus, quòd Abbas ſine conſenſu Conuentus, poſſit authoritate Papæ imponere penſionem ſuper fructibus Abbatiæ Conſiſtorialis. Et hoc propter authoritatem Papæ, licèt Epiſcopus ex authoritate ſua, ſine conſenſu Capituli, non poſſet eam imponere ſuper fructibus ſui Epiſcopatus, nec etiam Abbas. Et ita procedit *text. cap. Paſtoralis. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. cap.*

DE IVREPATR.

EPITOME.

Epiſcopus poteſt prorogare tempus ad præſentandum.

DECISIO LI.

COram Vortio in vna Placen. eodem anno, & menſe, fuit cõcluſum per maiorem partem Dominorum, quòd Epiſcopus poteſt prorogare tempus ad preſentãdum, licèt exaduerſo adducerentur not. per Alex. *in l. 2. ff. de re iud.* vbi cõmuniter concluditur, quòd quando à lege imponitur tempus ſine miniſte

niſterio iudicis, non poteſt illud minui, neque prorogari ſine cauſæ cognitione. Ad quæ reſpondebatur, quòd procedebat in profanis, ſecùs in beneficialibus, in quibus cauſa præſumitur in Epiſcopo.

DE IVD. ET DILAT.

EPITOME.

Actori qui commiſit cauſam, veniēti pro intereſſe vigore clauſulæ, omneſque alios, *&c. ſed non datur dilatio ad partes ſecus ſi veniret vigore ſpecialis commiſſionis, cui inniteretur.*

DECISIO LII.

FVit etiam 22. Martij eiuſdem anni concluſum in Rota, coram me in vna Caurinen, quòd Actor, qui cōmiſit cauſam cōtra Aduerſarium, non debet habere dilationem contra tertium venientem ad cauſam vigore clauſulæ, *omneſque alios, &c.* licèt ille tertius priùs petierit, ſe admitti pro intereſſe, vigore ſpecialis commiſſionis, & actorem citauerit ad dicendum contrà, cui commiſſioni renunciauit. Nam licèt aliqui ex Dominis vellent, dilationes dari ex eo quia priùs venit vigore ſpecialis commiſſionis, quæ facta erat communis per citationem ad dicendum contrà; tamen maior pars Dominorum voluit, quòd attēto quòd iſte tertius habebat duas vias veniendi ad cauſam; Primam vigore ſpecialis commiſſionis, Secundam vigore clauſulæ, *omneſque alios, &c.* primam eligendo, non videbatur renunciare ſecundæ, cùm non ſint veræ contrariæ, & nemo pluribus defenſionibus vti prohibetur, reg nemo, *de reg. iur. in 6.* Renunciando igitur primæ poteſt deuenire ad ſecundam.

DE ORD. COG. DE reſtit. Spol.

EPITOME.

Falſi cauſa introducta, reſtitutio impeditur.

DECISIO LIII.

IN cauſa Romana ſpolij de Sinibaldis coram Simonetta, 7. Aprilis 1532. fuit concluſum per omnes Dominos, quòd licèt exceptio criminis non impediat reſtitutionem ſpolij, vt *in cap. item cùm quis, de reſt. ſpoliat.* hoc tamen non habet locū, quando cauſa criminalis, putà falſi inſtrumenti, prout hic erat, fuiſſet poſteà commiſſa Gubernatori, quo quidem inſtrumento, ſi probaretur falſum, reſolueretur ſpolium. Nam tali caſu veluti in connexis, cauſa criminalis impedit cognitionem cauſæ ciuilis, iuxt. *l. fin. C. de ordin. iudic.* & quæ tradūt Petr. de Anchar. *conſ. 62.* & Dec. *l. edita num. 29. verſ. 5. reg. C. de eden.* cum concord. quæ congerit Præpoſ. *in cap. porrò in 3. & 4. col. de diuort.* Et iſta adeo ſunt vera, vt etiam ſi fuiſſet lata ſententia ſuper ſpolio, quæ tranſiiſſet in rem iudicatam, impediretur exequutio per *l. 1. cap. ſi ex falſ. inſtrum.*

DE REG. DE IVR. Quæſit.

EPITOME.

De priuilegio in fauorem Reipublicæ conceſſo, non requiritur expreſſa derogatio regulæ de iur. quæſ. non tollend.

DECISIO LIV.

FVit etiam coram eodem Paulo, eodem die, in vna Bonon. bonorum de Ghiſileriis concluſum, quòd regula de non tollen. iure quæſito, non obſtat priuilegio conceſſo fauore Reipublicæ, per quod infertur maximum præiudicium alicui. Nam in tali priuilegio non requiritur expreſſa mentio regulæ, quia ſufficit clauſula generalis, *non obſtant.* per ea quæ not. Felin. *in cap. nonnulli* 17. *fallen. de reſcript.*

DE SEQVESTR. POSSES.

EPITOME.

Reſignatario habenti ſolam ſupplicationem, non relaxatur ſequeſtrum decretum vigore ſententiæ latæ in fauorem reſignantis, niſi literis expeditis.

DECISIO LV.

DIxerunt etiam Domini in alia cauſa coram Camillo, eodem die, quòd reſignatario habenti ſolam ſupplicationē, non relaxaretur ſequeſtrum decretum vigore ſententiæ latæ in fauorem reſignantis, niſi expediret literas, aliàs non niſi officio debere relaxari. Per ea quæ dicit Card. *clem.* 1. *de ſeq. poſſeſſ. & fructibus*, &c.

Finis Libri Secundi.

INDEX

INDEX PRIMVS
RERVM ET MATERIARVM
IN DECISIONIBVS
CONTENTARVM.

ABbas sine consensu Conuentus, authoritate Papæ potest imponere pensionẽ super fructibus Abbatiæ dec.50.lib.2.

Absens dispensatus, vt fructus percipiat, intelligitur dispensatus etiam quoad distributiones quotidianas, dec.50.lib.1.

Acceptanti beneficium incumbit probatio, si dicatur postea non cadere in sua gratia, dec.59.lib.1.

Acceptare potest in genere in Archiuio, qui habet expectatiuam, licèt cum qualitatibus insolitis. dec.2.lib.2.

Acceptare potest secundum beneficium, qui primum acceptatum pacificè non possedit, & post resignationem secundi non obstat quo minùs obtineat primum. dec.38.lib.2.

Accessus non capiunt beneficia vacantia ex causa permutationis dec.28.nu.3. lib.2.

Actus factus cum impensa pro absente, præsumitur factus ad instantiam illius.dec.29. nu.3.lib.2.

Actus nullus excusat à pœna,dec.32.nu. 4.lib.2.

Actus nullus declarat voluntatem. dec. 32.nu.5.lib.2.

Actori, qui commisit causam, venienti pro suo interesse vigore clausulæ omnesque alios, &c. *non datur dilatio ad partes, secùs si veniret vigore specialis commissionis cui inniteretur. dec.52.lib.2.*

Ætas non probatur per instrumentum curæ ad effectum restitutionis,dec.96. lib.1.

Ætas minor, in beneficialibus maior reputatur,dec.30.nu.3.lib.1.

Alexandrina non punit affectum, nisi sequatur effectus, dec.37.lib.2.

Alexandrina non habet locum, quando non est lis de beneficio,& quando aggressio non fit animo iniuriandi, vel verberandi, seu occidendi, dec. 25. lib.2.

Alienatio rei detalis Vide dotalis res *& dec.64.lib.1.*

Alienatio facta contra iuramentum à Prælato,an valeat, licèt ipse sit periurus,dec.49.lib.2.

Alternatiua non dicitur reuocata per regulam reuocatoriam priuilegiorũ, & indultorum apostolicorum de disponendo de beneficiis, dec.7. num.1. lib.2.

Alternatiua est fauorabilis, ibid.n.2.

Appellatio interposita decima die, prima hora noctis, non est valida, dec. 21.lib.2.

Appellari potest de nocte, dec.21.nu.2. lib.2.

Appellationis instantia incipit currere à die repræsentatæ appellationis, secundum statutum Vrbis, dec.22. nu.1. lib.2.

Appellatio extraiudicialis an sit necessariò legenda,dec.17.lib.2.

Argumentum de ſpirituali ad carnale valet. dec.8. nu.2.lib.1.

Argumentum à contrario ſenſu ex dictis DD. capere non licet, ibid. nu.3.

Attentare non dicitur, qui habet poteſtatem capiendi poſſeſſionem propria authoritate. licèt anteà commiſerit cauſam ſuper iactationibus, dec. 1. lib.1.

Beneficium ſine redditibus dicitur beneficium, & poteſt permutari, dec.2. lib.1.& dec.28.nu.1.lib.2.

Beneficium ex lapſu decem annorum habere quis præſumitur pro derelicto, quoad poſſeſſionem, ſecùs quoàd titulum, dec.47.nu.1.lib.1.

Canonicus poteſt agere pro Eccleſia ſine mandato, dec.24.num.2.lib.2.

Canonici conferentes Canonicatum contra formam ſtatuti iuratis ſunt periuri, ſed collatio tenet, dec.48.lib.1.

Canon reintegrandæ *nunquam præſcribitur, dec.43.lib.1.*

Capitularium nomina non ſunt neceſſariò ponenda in procura, ſed ſufficit apponere nomen Prælati, cum ſigillo Capituli, dec.58.lib.1.

Cap. Auaritiæ, *habet locum in præſentato adminiſtrante ante inſtitutionem, dec.25.nu.1.lib.1.*

Item habet locum in beneficiis inferioribus dignitate, ibid. nu.2.

Etiamſi beneficium non habeat adminiſtrationem, nu.3.

Cap. Odoardus, & cap.peruenit, *non iuuant condemnatum per tres ſententias, dec.22.lib.1.*

Cardinales non ſunt familiares continui commenſales Papæ, & comprehendantur in indulto conceſſo Cardinali ordinario, dec.3.lib.1.

Caſuum fortuitorum prouiſio comprehendit inſolitos, dec.74.lib.1.

Cauſa criminalis, putà falſi, impedit cognitionem cauſæ ciuilis in ſpolio, & eius exequutionem, etiam ſi ſententia lata in ſpolio tranſierit in iudicatum, dec.53.nu.2.lib.2.

Ceſſione, ſeu renunciatione iuris mandatum extinguitur, dec.36.lib.1.

Cenſus impoſitus ſuper prædio cum clauſula, quòd ſi illud periret, cenſeretur impoſitus ſuper aliis bonis, eſt vſurarius, dec.95.lib.1.

Ceſſante cauſa finali non ceſſat effectus, ſi quid eſt conceſſum ex duplici cauſa finali, dec.91.lib.1.

Ceſſio bonorum etiam à condemnato per tres ſententias fieri poteſt, dec.19.n.1. lib.2.

Clauſula codicillaris ex notariorum conſuetudine cenſetur appoſita, & de ea notarius præſumitur rogatus, ſi legerit coram teſtatore, dec.89.lib.1.

Clauſula Codicillaris etiam teſtamento nullo ex cauſa præteritionis, operatur dec.88.lib.1.

Clauſula volumus anteferri *de ſtylo ponitur tantùm in expectatiuis, dec.1. nu.5.lib.2.*

Clauſula, ſi quid exequendum fuerit *operatur, ſi res ſit iudicata, dec.18. lib.2.*

Clauſula quouis modo *capit vacationem per priuationem, dec.38.nu.2. lib.1.*

Clement. vlt. de procurat. *habet locum, etiamſi facta ſit renunciatio iuris, & non litis, dec.36.nu.1.lib.1.*

Clement.1.de probat. *habet locum in Papa & Imperatore, dec.40. num.2. lib.1.*

Clem.1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fructib. *habet locum in illo qui incedit in habitu Decanatus in proceſſionibus, quia per hoc, ſicut per prædicationem dicitur violari ſequeſtrum, dec.37. nu.1.*

Non tamen habet locum in attentatis, vel in ſequeſtro appoſito vigore ſententiæ latæ ſuper attentatis, ibidem num.2.

Item non habet locum in eo qui accepit fru

fructus poſt ſequeſtrum, qui erant collecti, & ſeparati ante ſequeſtrum, ibidem nu.3.

Collatio Capituli de cuius poteſtate non conſtat, non tribuit iuſtum titulum ad effectum regulæ de triennali, dec. 3.lib.2.

Commenda ad annum, à die captæ poſſeſſionis non expirat, licèt commendatarius per duos annos non ceperit poſſeſſionem.dec.35.lib.1.

Commiſſio non eſt neceſſariò inſerenda in cautione, quando iudex eſt præſens, in loco,dec.55.lib.1.

Conceſſa ex liberalitate, & gratia per modum facultatis non præſcribuntur, dec.20.nu.2.& 3.lib.2.

Concordatorum vigore ordinarij conferre non poſſunt dignitatem maiorem in Collegiatis, etiamſi non excedat decem ducatos,dec.6.lib.2.

Confeſſio facta per principalem non poteſt à procuratore generali reuocari,niſi probet iuſtam cauſam erroris, dec.87. lib.1.

Conſanguineorum appellatione in ſtatuto Vrbis,veniunt cognati, vel proximiores ex parte matris, dec.102. lib.1.

Conſenſus trahitur ad diem datæ ſupplicationis, niſi medio tempore facta fuit alia reſignatio, & deſuper præſtitus conſenſus, dec.20.lib.1.

Confeſſio dotis facta à marito ſtatim ſequuta promiſſione ſoceri, ſpe futuræ numerationis facta præſumitur, ſecus ſequuta promiſſione extranei,dec.12.lib.2.

Correſpectiui dicuntur actus qui fiunt eodem loco,& coram iiſdem teſtibus, dec.4.lib.1.

Creditoribus habentibus hypothecã datur vtile interdictum pro reuocanda poſſeſſione, ſi debitor ab ea ceciderit, dec.86.lib.1.

Criminis exceptio non impedit reſtitutionem in ſpolio,dec.53. nu.1.lib.3.

Curialis vel veniens ad Curiam nulliter conuenitur in partibus, & geſta contra ipſum, ſunt nulla, etiamſi contra iudicem vel partem non emanauerit monitorium, vel inhibitio, dec.42. lib.1.

Debitor penſionis in loco beneficij exiſtens,etiamſi ipſe non fuerit proteſtatus, ſe eſſe paratum ſoluere, dec. 16.nu.2.& 3.lib.2.

Debitor negans debitum,nunquã priuatur beneficio iuris, niſi in caſibus expreſſis,dec.19.nu.3. lib.2.contrarium vide num.2.

Debitor ſub pœna, non tenetur facere obligationem, vel conſignationem in loco deſtinato ſolutioni, ſi ibi non adeſt procurator ad recipiendum, dec.85.lib.1.

Debitores rebellium liberantur ſoluendo ſuperioribus ciuitatis,dec.92.lib.1.

Debitum in quantitate ſolui debet ſecundum monetam quæ erat tempore contracti debiti. Idem in penſione, dec.79.lib.1.

Declarans nihil de nouo inducit, dec. 105.nu.2.lib.1.

Declarationi Papæ ſtatur etiam in præiudicium tertij, dec.5.lib.1.

Declaratio poteſt fieri poſt terminum, ibidem.

Decretum irritans poteſt apponi ab inferiore, ſed non ligat ignorantes,dec.6. lib.1.

Dies, more Romano, computatur de media nocte in mediam noctem, dec. 21.nu.3.lib.2.

Dies dicitur quouſque vnus alium diſcernere poteſt, ibid. nu.4.

Diœceſis error,vide Error.

Dignitas maior in Collegiatis etiamſi non excedat 10. ducatos vigore concordatorum per ordinarium conferri non poteſt, dec.6.lib.2.

Dilationes ad partes non dantur procuratori, ſi dominus per edictum in partibus fiat citatus, ſicut necesse

quando quis eſt citatus in Curia, vel loco proximo, vt Neapoli, dec. 9. lib. 2.

Dilatio ad partes quando detur, actore veniente pro ſuo intereſſe, vide dec. 52. lib. 2.

Diſpoſitio loquens ſimpliciter non comprehendit caſum qualificatum, quando qualitas mutat ſubſtantiam, aliàs ſecus, dec. 1. nu. 6. lib. 2.

Diſpoſitio ſuper vno caſu expreſſo non extenditur ad non expreſſum, ſicut nec diſpoſitio correctoria, dec. 22. nu. 2. lib. 2.

Diſpenſatus vt fructus recipiat, à fortiori habebit fructus quotidianos, dec. 110. lib. 1.

Donatio cum renunciatione, l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. *per ſuperuenientiam liberorum reuocatur, dec. 11. nu. 2. lib. 2.*

Dotalis res immobilis æſtimata alienari non poteſt ſine ſolennitatibus auth. ſiue à me C. ad Senat. conſult. Velleian. *dec. 64. lib. 1.*

Dotis non ſolutæ fructus peti poſſunt ſine vitio vſuræ, dec. 41. lib. 2.

Dotis retentio non fit matri tutrici quouſque rationem adminiſtrationis reddat, dec. 66. lib. 1.

Dotis confeſſio. Vide Confeſſio.

Eligendi quaſi poſſeſſio per negligentiam amittitur, dec. 90. lib. 1.

Eligens vnam viam non cenſetur renunciaſſe alteri quando viæ non ſunt contrariæ, dec. 52. nu. 2. lib. 2.

Enormis læſio non obſtante iuramento operatur reſtitutionem, dec. 98. lib. 1.

Epiſcopus prorogare poteſt tempus ad præſentandum, dec. 51. lib. 2.

Error in Diœceſi non nocet, ſi de corpore conſtet. dec. 34. lib. 2.

Exceptio ſpoliationis repellit ſolùm illum qui ſpoliauit, dec. 46. lib. 1.

Exceptio criminis non impedit reſtitutionem in ſpolio, dec. 53. nu. 1. lib. 2.

Excuſator habens literas per quas conſtat de voluntate excuſati, non admittitur ſine mandato, etiam ad cauſam probabilem, dec. 8. lib. 1.

Excommunicatus exequutor poteſt conferre beneficium, & collatio tenet, dec. 81. lib. 1.

Exequutoriales per prædeceſſorem intimatæ intruſo per ſubrogatum intimari poſſunt procuratori intruſi cui datur dilatio ad partes, dec. 39. lib. 2.

Exequutor poteſt prouidere laico procuratori clerici in fauorem ipſius clerici, dec. 82. lib. 1.

Exequutio debet fieri contra eum ad quem pecunia peruenit, licèt alius ſit inſolidum obligatus, dec. 33. lib. 2.

Excuſſio non fit inter mercatores in ſolidum obligatos, quia eſt de apicibus iuris, dec. 7. lib. 1.

Execrabilis ſpoliatus non reſtituitur, dec. 41. lib. 1.

Exhibere tenetur procurator mandatum illi à quo recepit, dec. 25. lib. 2.

Expectatiua non capit beneficia reſeruata, dec. 9. lib. 1. & dec. 1. num. 2. lib. 2.

Item non ſuſpendit alias expectatiuas, dec. 1. nu. 3. lib. 2.

Item eſt magis odioſa, quàm reſeruatio, ibid. nu. 7.

Per expectatiuam creatus in Canonicum non poteſt acceptare beneficia ſimplicia, dec. 1. nu. 1. lib. 2.

Expectatiuam habens acceptare poteſt in genere, etiam per Procuratorem in Archiuio Romanæ Curiæ, dec. 2. lib. 2.

Expectans poteſt acceptare ſecundum beneficium, quando primum acceptatum non poſſidet pacificè, & reſignato ſecundo poteſt capere primum, dec. 38. lib. 2.

In facto proprio quilibet debet eſſe certus, dec. 29. nu. 2. lib. 2.

Falſi cauſa introducta, reſtitutio impedi

peditur, dec. 53. lib. 2.
Familiarium appellatione veniunt Cardinales, non tamen cõtinuorum commenſalium, dec. 10. lib. 1.
Fideiuſſor vti principalis, & inſolidum mortuo principali remanet obligatus ad ea omnia pro quibus fideiuſſerat, dec. 14. lib. 2.
Fideiuſſor negans debitum, ſi conuincatur perdit beneficium diſcuſſionis, dec. 19. nu. 2 lib. 2.
Gratia cum facultatibus, & clauſulis inſolitis, an ſit expectatiua, vel reſeruatio, dec. 1. lib. 2.
Gratia conceſſa ſine præiudicio expectantium, intelligitur de illis quæ ſunt tempore vacationis, licèt non eſſent tempore gratiæ, dec. 72. lib. 2.
Gratiam ſi neutri, quæ continet priuationem faciendam ſufficit intimare procuratori, ſecùs ſi eſt ſimplex gratia cum commiſſione priuationis, dec. 80. lib. 1.
In gratia 2. debet fieri mentio de contentis in prima gratia, aliàs nulla, dec. 31. nu. 2 lib. 2.
Habens gratiam ſeu inſtrumentum cum hora, præfertur habenti gratiam, ſeu inſtrumentum cum poſſeſſione ſine hora, vide dec. 33. lib. 1.
Illegitimus diſpenſatus per Epiſcopum poteſt obtinere portionem in Eccleſia Cathedrali, dec. 50. lib. 1.
Illegitimum defendit regula de triennali, dec. 40. lib. 2.
Immiſcens ſe adminiſtrationi, vide infrà intruſus.
Imperator ſucceſſor poteſt partem feudi ab anteceſſore conceſſi infeudare, dec. 42. nu. 1. lib. 2.
Impetrans beneficium vigore expectatiuæ, tenetur probare eſſe infra taxam ſuæ expectatiuæ, dec. 62. lib. 1.
Imperator, & Papa concurrunt cum omnibus inferioribus ibidem nu. 2.
In indulto conceſſo Cardinali ordinario comprehenduntur beneficia vacantia per obitum Cardinalis, dec. 5. lib. 1.
Inſtantia appellationis ſecundùm ſtatutum Vrbis incipit currere à die repræſentationis commiſſionis, dec. 22. lib. 2.
Initium debet attendi, dec. 1. nu. 4. lib. 2.
Intereſſe conſideratur in actu ſuper quo præſtandus eſt conſenſus in ſtatuto Vrbis, dec. 103. lib. 1.
Intereſſe habens in cauſa, quando poſſit eſſe teſtis in eadem, dec. 10. lib. 2.
Intruſus dicitur præſentatus, adminiſtrans ante inſtitutionem, dec. 25. num. 1. lib. 1. Et vide ſuprà in verb. cap. Anaritiæ.
Interpellatio, ſeu monitio eſt neceſſaria ad hoc, vt quis incidat in pœnam propter cõditionem non adimpletam, dec. 35. nu. 2. lib. 1.
Irregularis poteſt eſſe exequutor expectatiuæ, dec. 11. lib. 1.
Iuramentum non præſumitur præſtitũ, niſi probetur, dec. 13. lib. 1. & 48. lib. 2.
Iuramentum in ſupplementum poteſt deferri ſtantibus duobus teſtibus ſingularibus de auditu, dec. 5. nu. 1. lib. 2.
Contrarium vide nu. 2.
Iudex poteſt eſſe teſtis, dec. 56 lib. 1.
Iudex electus non poteſt ab eo qui illum elegit recuſari vt ſuſpectus, etiam cum iuramento, ſine cauſa expreſſa, ſi alius illummet iudicem deinde eligat. dec. 44. lib. 2.
Iudex religioſus non poteſt allegari vt ſuſpectus, dec. 99. lib. 1.
Ius patronatus præſumitur laicale, ſi laicus eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi. Item præſumitur laicale etiamſi fundatum ſit per clericum, niſi appareat eſſe fundatum de bonis Eccleſiæ, dec. 13. lib. 1.
Iuriſdictio prorogatur quoad iudicem, per ſolum decretum citationis, ſecùs quoad partem, niſi ſequatur exequutio, dec. 60. lib. 1.
Ius regreſſus per ceſſum, non perditur per negligentiam, dec. 47. nu. 3. lib. 1.

Læſus vltra dimidiam poteſt reſcindere venditionem contra ſingularem ſucceſſorem qui iuſtè emit.

Item poteſt reſcindere ſubhaſtationem, dec.65. lib.1.

In lege quæ variè exponitur, nullum poteſt fieri fundamentum, dec.11. nu.3. lib.2.

Licentia ſe promouendi ad Ordines probatur per verba enunciatiua Ordinarij in inſtrumento Ordinum, dec. 109.lib.1.

Lis non extinguitur per mortem, ſed per ſententiam, dec.36 nu.2.lib.1.

Lis poſt ſententiam quæ tranſiuit in iudicatum durat propter exequutoriales, dec.14.lib.1.

Literis Epiſcopi enunciatiuis etiam iuncta aſſertione notarij dicentis ſe rogaſſe de mandato, non creditur, dec. 27. lib.2.

Mandatum procuræ præſumitur propter actus cum impenſa factos, dec.29. nu. 3. lib.2.

Mandatum extinguitur per renunciationem ſolius iuris, deciſ. 36.num.3. lib.1.

Mandatum generale ad lites intelligitur etiam de futuris, dec.53. lib.1.

Mandatum, an poſſit produci per teſtes etiam poſt ſententiam quæ tranſiuit in iudicatum, dec.52.lib.1.

Si mandata duo eadem die conficiantur, quæ differant in qualitate, neutrum valet. dec.76.nu.1.3.6. lib.1.

E duobus mandatis eadem die factis valet minus præiudiciale, dec. 76. nu.4. lib.1.

Quod mandatum valeat, quando ab eodem dantur duo mandata, alterum purum, alterum ſub conditione, vid. dec.76 num.2.lib.1.

Moneta debet ſolui illius valoris cuius erat tempore quo fuit promiſſa, dec. 49. lib.1.

Narrata omnia in gratia anteceſſoris non tenetur probare ſucceſſor, vt pu-

tà doctoratum vel familiaritatem, dec.78. lib.1.

Narratiuis verbis Papæ non creditur, dec.4.num.2. lib.1. nec faciunt præſumptionem, nu.3. niſi reſcribat motu proprio nu.4.

Naturalis obligatio non tollitur tempore, ſed eius effectus, dec.93.lib.1.

Propter negligentiam quis iure ſuo priuari non debet, dec.35. nu.3.lib.1.

Negans non punitur, niſi in caſibus à iure expreſſis, dec.15.lib.1.

Nominatio & poſtulatio nihil iuris tribuit, & re integra poteſt reuocari, dec. 82.nu.2. lib.1.

Nominatus ab habente facultatem, ſi per ſuperiorem recipitur, licèt nominans deſinat habere facultatem, non expirat nominatio, dec.82.lib.1.

Notario aſſerenti computa eſſe legitimè facta non creditur, niſi conſtet de receptione in caſu, quem vide, dec.23. nu.2. lib.2.

Pactum gratuitum eſt donatio, dec.16. lib.1.

Patronus qui vnum præſentauit pendente lite non poteſt alium præſentare, dec.31.lib.1.

Patronus laicus excommunicatus poteſt præſentare, & clericus ſi non fuerit declaratus, & publicatus, dec.79. lib.1.

Penſio ſoluenda eſt à reſignante, niſi ſit abſens à beneficio, dec.45.lib.2.

Penſio imponi poteſt ab Abbate ſuper fructibus Abbatiæ ſine conſenſu Cõuentus, ſed cum authoritate Papæ, dec.50. nu.1.lib.2.

Penſio imponi non poteſt ab Epiſcopo ſuper fructibus ſui Epiſcopatus, ſine conſenſu capituli, dec.50. num.2. lib.1.

Penſionem domus recipiens à conductore Anteceſſoris cenſetur demum relocaſſe, dec.57. & 75.lib.1. pro vno anno tamen, & non pro pluribus, licèt probetur, ſolitum fuiſſe locari pro plu-

ribus

ribus annis, decis. 75. lib. 1.
Permutatio poteſt fieri cum beneficio nullius valoris, & quod ſtatim reddi debet, dec. 28. nu. 1. lib. 2. Contrarium vide nu. 4.
Permutatio, quæ fit cum beneficio tenui an præſumatur fraudulenta, dec. 28. nu. 2. lib. 2.
Pignore reddito debitum peti poteſt, nec præſumitur ſolutio, dec. 71. lib. 1.
Pœna priuationis impoſita violanti ſequeſtrum non applicatur parti, dec. 101. lib. 1.
Poſſeſſio per tres teſtes vnum de viſu, alterum de auditu, tertium de publica voce & fama probatur, dec. 13. lib. 2.
Quaſi poſſeſſio eligendi amittitur, ſi alius eligat, & poſſidens eligere negligat. dec. 90. lib. 1.
Præſentare an poſſit ſequeſter, vide ſequeſter.
Præſentare poteſt patronus laicus excommunicatus. Item clericus excommunicatus, non declaratus, vel publicatus, dec. 79. lib. 1.
Qui vnum præſentauit lite pendente, non poteſt alium præſentare, dec. 51. lib. 1.
Præſcribi non poſſunt ea quæ ex liberalitate, & gratia per modum facultatis conceduntur, dec. 20. num. 2. & 3. lib. 2.
Preces Imperatoris per totum Romanũ Imperium non comprehendunt beneficia vacantia in ciuitate Nouarienſi, dec. 18. lib. 1.
Princeps. Quæ fiunt corã Principe præſumuntur nota & publica, dec. 32. num. 2. lib. 2.
Priuatio beneficij per quam habet cauſam etiam inſufficientem euitatur, dec. 15. nu. 2. lib. 2.
Priuilegium conceſſum notariis Rotæ de litigando gratis quoad expenſas, non prodeſt aduerſario nõ priuilegiato condemnato, quin minus teneatur ſoluere expenſas quas ſi ipſe viciſſet in cauſa feciſſet. Vnico verbo priuilegium vni conceſſum non extendatur ad alium, dec. 68. num. 1. & 2. lib. 1.
Qui vult vti priuilegio probare debet qualitates in priuilegio requiſitas, dec. 97. lib. 1.
In Priuilegio ad fauorem Reipublicæ cõceſſo, non eſt derogandum regulæ de iur. quæſit. dec. 54. lib. 2.
Procurator agens nomine alieno in cauſa in qua habet intereſſe, videtur iuri ſuo renunciare Vide dec. 54. lib. 1.
Procuratores duo, licèt cum libera, non intelliguntur in ſolidum dati, dec. 29. lib. 1.
Procurator generalis non poteſt reuocare confeſſionem ætatis, factam per principalem ſub prætextu erroris, niſi probet iuſtam cauſam erroris, dec. 87. lib. 1.
Procurator ad componendum non poteſt gratuitum pactum facere, dec. 106. lib. 1.
Si Procuratores duo in ſimul conſtituti ſint ad reſignandum, vnus poſt alium poteſt conſentire, dec. 35. & 36. lib. 2.
Procurator qui à me recepit mandatum ad reſignandum in mei fauorem, tenetur ad meam inſtantiam illud exhibere, dec. 25. lib. 2.
Procurator ex iuſta cauſa poteſt excedere fines mandati, dec. 73. lib. 1.
Geſta Per procuratorem valent, licèt de procura tunc non appareat, ſi tamen erat procurator, dec. 52. lib. 1.
Procuratori laico poteſt prouideri ab exequutore, dec. 81. lib. 1.
Procura probari poteſt per teſtes etiam poſt ſententiam quæ tranſiuit in rem iudicatam, dec. 52. lib. 1.
Procura Epiſcopi cum ſigillo Capituli valet, licèt non ponantur nomina illorum de Capitulo, dec. 58. lib. 1.
Procura ad præſentandum in genere valet, dec. 108. lib. 1.

Procur. mandatum ad recipiendum computa, & habendum pro bonis, & quietandum, intelligitur de verè receptis, dec.73.nu.1.lib.2.

Procura facta à Priore ad lites valet ſine conſenſu fratrum monaſterij, dec.24.nu.1.lib.2.

Procuratio datur viſitantibus ratione alimentorum, dec.20.nu.6.lib.2.

Promiſſio caſuum fortuitorum comprehendit inſolitos,dec.74.lib.1.

Promiſſio pro omnibus in vna domo exiſtentibus facta ab omnibus nominatim intelligitur pro virili, dec.3. lib.2.

Prorogari poteſt tempus ad præſentandum ab Epiſcopo,dec.51.lib.2.

Prouiſio noua impetrata in Curia pro eo qui nulliter fuerat prouiſus in partibus, dat præſumptum titulum ad effectum regulæ de trienn.dec.29.nu.1. & 2.lib.2.

Prouiſio noua non faciens mentionem de ætate in qua per Bullam expectatiuæ expectans erat diſpenſatus ſupplet diligentias, dec.31.num.1.& dec.32. nu.1.lib.2.

Prouiſio ordinarij præfertur prouiſioni Papæ eadem die factæ, ſi prouiſus ab ipſo habeat poſſeſſionem etiam poſteà captam,dec.32.lib.1.

Publicatio arguit matrimonium,dec.23. lib.1.

Qualitas adiecta verbo intelligitur ſecundum verbi tempus,dec.72.lib.1.

Quadriennio elapſo in beneficialibus non datur reſtitutio in integrum,dec.30. lib.1.

Rationes reddi debent in eo loco vbi quis argentariam ex gratia exercuit, dec. 70.lib.1.

Redhiberi poſſunt omnia animalia, ſi aliqua morbo contagioſo laborent, dec.43.lib.2.

Regula requirens publicationem,eſt pœnalis,dec.32.nu.7.lib.2.

Regulæ de iure quæſito non tollendo, non eſt neceſſario derogandum in priuilegio in fauorem Reipublicæ conceſſo, dec.54.lib.2.

Regula de familiaribus Cardinalium, habet locum in gratia de vacaturo beneficio, ſicut de vacante, dec.46. lib.2.

hæc Regula eſt fauorabilis, ibidem in princ.

Regula de familiaribus Cardinalis, an habeat locum etiam in gratia motu proprio, *dec.47.lib.2.*

Regula de triennali,an requirat titulum validum,dec.20.& 30.lib.2.

Regula de triẽnali defendit illegitimum, dec.40.lib.2.

Relocatio facta per anteceſſorem, ſolum pro tempore, quo pecunia recipitur, intelligitur facta per ſucceſſorem, dec.75.lib.1.

Religioſus iudex non poteſt recuſari vt ſuſpectus, dec.99. lib.1.

Regreſſus ob non ſolutionem penſionis canonizari non poteſt, niſi principali ſit facta literarũ intimatio,dec.15. nu.1.lib.2.

Remedium cap. reintegrandæ perpetuò durat.dec.43.lib.1.

Remiſſoria ad partes ſemel concedi ſolet, dec.83.nu.2.lib.1.

Item illi qui habuit dilationem ad exequendam remiſſoriam, ſi fuit negligens, dilatio dari non ſolet, dec.83. num.2.lib.1.

Limitatur, niſi ſe obligaret de ſtando iuri, ibid. nu.3.

Remiſſoria non conceditur quando eſt ſuſpicio calumniæ, dec. 83. num.2. lib.1.

Renunciatione iuris mandatum extinguitur, dec.36. lib.1. & omiſſo procuratore poteſt agi contra renunciantem,ibid.

Renunciatio l.ſi vnquam *facta in contractu doloſa non valet,dec.11.lib.2. licèt illi validè renunciari poſſit ibid. num.1.& 4.*

Reſeruatio beneficiorum exceptis ſpectantibus ad collationem Epiſcopi, intelligitur de illis in quorum quaſi poſſeſſione conferendi eſt Epiſcopus, dec. 61. lib. 1.

Reſignans nõ excuſatur à ſolutione penſionis, niſi ſit abſens à beneficio, dec. 45. lib. 2.

Reſignatio, habenti ſolam ſupplicationem non relaxatur ſequeſtrum decretum, vigore ſententiæ latæ in fauorem reſignantis, niſi literis expeditis, dec. 55. lib. 2.

Reſtitutio in beneficialibus maiori 14. annis non datur, dec. 96. lib. 1.

Reſtitutio conceditur habenti in ſuo inſtrumento horã & diem contra habentem poſſeſſionem ex inſtrumento factlo eadem die ſine hora, dec. 31. num. 1. lib. 1.

Reſtitutio datur etiam excommunicatis, non tamen publicatis, dec. 99. lib. 1.

Reſtitutio in integrum quadriennio elapſo nõ datur in beneficialibus, dec. 30. nu. 1. lib. 1.

Reſtitutio in integrum Eccleſiæ, vel minori datur propter enormiſſimam læſionem, dec. 30. nu. 2. lib. 1.

Reſtitutio in integrum an concedatur poſt quadriennium vbi adeſt peccatum, ibid. nu. 4.

Reſtitutio datur enormiter læſo, non obſtante iuſtrumento, dec. 98. lib. 1.

Reſtitutio in cauſa ſpolij impeditur, ſi falſi cauſa introducatur, dec. 52. num. 2. lib. 2.

Retentio dotis non fit matri, quæ adminiſtrauit, quouſque rationem adminiſtrationis reddat. dec. 66. lib. 1.

Reuocatio procuratoris parte aduerſa tacitè, vel expreſsè conſentiente fieri poteſt poſt litem conteſtatam, dec. 28. lib. 1.

Salarium debetur Vicario per Epiſcopum, dec. 20. nu. 1. lib. 2.

Scriptores Apoſtolici non præferuntur veris familiaribus continuis commenſalibus deſcriptis, dec. 19. lib. 1.

Sequeſtrum violans quando incidat in pœnam clem. 1. de ſeq poſſ. & fruct. vid. nom. Clement.

Sequeſtrum violantis pœna non applicatur collitiganti, dec. 38. nu. 1. lib. 1.

Sequeſter non poteſt præſentare pendente ſequeſtro, dec. 38. nu. 3. lib. 1.

Sequeſtrum decretum vigore ſententiæ, latæ in fauorem reſignantis, non relaxatur reſignatario niſi literis expeditis, dec. vlt. lib. 2.

Sententia de nocte ferri non poteſt, dec. 21. nu. 1. lib. 2.

Sententia lata ab obſeruatione iudicij etiam per ineptitudinem libelli eſt interloquutoria habens vim diffinitiuæ, & ab ea datur appellatio, dec. 84. lib. 1.

Sententiæ verba concipi poſſunt tam in perſonam domini, quàm procuratoris, dec. 63. lib. 1.

Sentẽtia in poſſeſſorio ferri debet in ſcriptis, de æquitate tamen toleratur, ſi ſine ſcriptis feratur, dec. 45. nu. 1. & 3. lib. 1.

Sententia lata ſuper poſſeſſorio principaliter intentato eſt diffinitiua, ſecùs ſi acceſſoriè ſit intentatum, ibid. num. 2.

Simile non poteſt dici ſibi ipſi ſimile, dec. 105. nu. 3. lib. 1.

Solutio non præſumitur facta, etiamſi pignus reddatur, dec. 71. lib. 1.

Spoliatus à iudice non reſtituitur, dec. 44. lib. 1.

Spoliatus execrabilis non reſtituitur, dec. 41. lib. 1.

Spoliationis exceptio impedit illum qui ſpoliauit, dec. 46. lib. 1.

Spurius legitimatur per ſubſequens matrimonium etiam ſine dotalibus inſtrumentis, etiam in terris Imperij, dec. 24. lib. 1.

Statutum Vrbis requirens ſolennitatem in obligatione minorum & mulierũ: non habet locum in patre, vel matre

donante, dec. 101. *lib.*1.

*Item non habet locum in muliere obligante ſe pro redemptione perſonarum, dec.*4.*lib.*2.

*Statutum Vrbis requirens ſolennitatem in donatione inter viuos, vel cauſa mortis, non habet locum in patre donante filiæ, dec.*100. *lib.*1.

Statutum excludens ſorores dotatas à ſucceſſione fratris, intelligitur de dotatis ex bonis defuncti fratris, dec. 104.*lib.*1.

Statutum correctorium extendi non debet ad caſum non expreſſum, dec. 22. *nu.*2.*lib.*2.

*Succeſſor non tenetnr probare omnia narrata in gratia anteceſſoris,vt putà Doctoratum, vel familiaritatem, dec.*78.*lib.*1.

Suſpectus dici non poteſt iudex ab illo qui prius ipſum pro ſe elegerat, deciſ. 44.*lib.*2.

*Terminus iuris ſecundum ſtatutum Vrbis eſt quinque dierum ex illis, qui per idem ſtatutum dantur ad repræſentandum appellationem,dec.*105.*lib.*1.

*Terminus à lege conſtitutus non poteſt ab homine prorogari,dec.*51.*lib.*2.

*Teſtamentum imperfectum patris valet inter liberos, quando ſunt æqualiter inſtituti,ſed teſtamentum inualidum ratione præteritionis,non valet inter liberos, dec.*67.*&* 107.*lib.*1.

Teſtes ante publicationem recepti examinari non poſſunt poſt didicita teſtificata, & publicationem, dec. 8. *lib.*2.

Teſtis habens intereſſe in cauſa, quando in eadem poſſit eſſe teſtis, dec. 10. *lib.*2.

*Titulus beneficij non amittitur ex patientia,vel negligentia,niſi in caſibus in iure expreſſis,dec.*41.*nu.*2.*lib.*1.

*Titulus an debeat eſſe validus ad effectum regulæ de triennali, dec.*29. *nu.* 301.*lib.*2.

*Trebellianica in filiis primi gradus hodie prohiberi poteſt,dec.*95. *lib.*1.

*in Venditione plurium animalium, ſi aliqua ſint contagioſa, omnia poſſunt redhiberi, dec.*43. *lib.*2.

Verba enunciatiua Epiſcopi, vide verb. Literis Epiſcopi,& licentia.

Verba narratiua Papæ,vide verb. narratiuis.

*Vicarius Epiſcopi non poteſt conferre beneficia,neque cum inhabili diſpenſare ſine ſpeciali mandato,dec.*26.*lib.*1.

*Vicarius an poſſit conſtitui à metropolitano, in diœceſi Epiſcopi ſuffraganei, dec.*27.*lib.*1.

*Vicario debetur ſalarium per Epiſcopum, dec.*20.*nu.*1.*lib.*2.

*Viſitantibus in Vrbe nihil ſolui debet pro viſitatione, dec.*20.*nu.*4.*lib.*2.

*Item nihil ſolui debet quando reditus Eccleſiæ propter temporis calamitatem defecerunt, dec.*20. *nu.*5.*lib.*2.

*Viſitantibus datur procuratio ratione alimentorum tempore quo viſitant, ibid. nu.*6.

*Vſura eſt petere fructus, vel intereſſe, cauſa mutui, dec.*26.*num.*2.*lib.*2.

Vſura non eſt petere fructus dotis non ſolutæ, etiam ex pacto, dec. 41. *lib.*2.

INDEX SECVNDVS
PRINCIPALIVM MATERIARVM
Capitulorum, legum, & authorum, qui in deciſionibus continentur.

Abbas in cap. vlt. de iudiciis. 45. lib. 1.
in cap. cùm dilectus, de ord cogn. 46. lib. 1.
in c. cùm contingat, de dol. & cont. 47. lib. 1.
in cap. dilecto, de præben. 48. lib. 1.
in c olim de cenſib. conſ. 49. lib. 1.
Acceptatio. 2. 38. lib. 2.
Actus correſpectiuus. 4. lib. 1.
Ægid. dec. 161. 70. lib. 1.
Ætas. 96. lib. 1.
Alienatio. 48. lib. 2.
Appellatio. 105. lib. 1. 17. lib. 2.
Attentare. 1. lib. 1.
Authorit. Suæ à me, C. ad Vellei. 4. ib. 1.
Bart. in l. ſi reus, ff. de Procur. in fin. 85. lib. 1.
in l. rem alienam, ff. de pign. action. 86. lib. 1.
in l. ſi hominem, mandati. 87. lib. 1.
in l. 5. num. 10. de iur. codicill. & 87. 88. 89. lib. 1.
in l. neutri, §. 1. de priuil. cred. 91. lib. 1.
in l. 1. §. huius, ff. vti poſſid. 90. lib. 1.
in l. creditor, ff. de ſolut. 92. lib. 1.
in l. vlt. §. rem rat. haberi. 93. lib. 1.
Beneficium. 2. lib. 1.
C. Odoardus. 22. lib. 1.
Cap. 2. de clandeſt. deſpon. 23. lib. 1.
Cap. tanta, qui filij ſint legit. 24. lib. 1.
Cap. auaritiæ, de elect. 25. lib. 1.
Cap. 1. de offic. ordin. in 6. 27. lib. 1.
Cap. vlt. de offic. Vicar. in 6. 26. lib. 1.
Cap. 2. de procur. in 6. 28. lib. 1.
Cap. 1. de reſtit. in integr. in 6. 30. lib. 1.
Cap. 1. vt lit. pend. in 6. 31. lib. 1.
Cap. ſi à ſede, de præben. 32. lib. 1.
Cap. 1. §. conformans, de relig. dom. 34. lib. 1.
Cap. imputari, de reg. iur. in 6. 35. lib. 1.
Cap. reintegrandæ. 43. lib. 1.
Cap. præſentium, 7. q. 1. 44. lib. 1.
Cap. vltimum de iudic. 45. lib. 1.
Cardinalis. 3. lib. 1.
Card. in c. Albericus, de teſtib. 109. lib. 1.
Caſſad. in dec. 20. de pub. 33. lib. 1.
Ceſſio bonorum. 19. lib. 2.
Clauſula, omneſque alios. 52. lib. 2.
Clauſula conſtituo duos procuratores ſimul, & non in ſolidum. 35. lib. 2.
Clement. cauſam, §. qui ſi forſan. de elect. 17. lib. 2.
Clem. vltima de Procur. 36. lib. 1.
Clem. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. 37. lib. 1.
Clem. 1. de probat. 39. lib. 1.
Concordata. 6. lib. 2.
Confeſſio dotis. 12. lib. 2.
Conſanguineus. 102. lib. 1.
Conſenſus. 20. lib. 1. 35. lib. 2.
Correſpectiuus actus. 4. lib. 1.
Deciſ. Caſſad. 20. de præben. 33. lib. 1.
Declaratio Papæ. 5. lib. 1.
Deciſ. 2. de fil. preſb. 50. lib. 1.
Deciſ. 7. de procur. 51. lib. 1.
Deciſ. 19. eod. tit. in ant. alias 248. de procur. 50. 52. lib. 1.

Dec.32. eod.tit.in nou. 53.*lib.*1.
Dec.34.in nou. de procur. 54 *lib.*1.
*Dec.*15 *de dol.& cont.* 55.*lib.*1.
Deciſ. 5. *de teſtib. in nou. aliàs* 89. 56.*lib.* 1.
*Deciſ.*2. *de locat. in nou. aliàs* 233. 57.*lib.*1.
*Dec.*36.*de procur.in antiq.* 191. 58. *lib.*1.
Dec 8.*de cauſ.poſſeſſ. aliàs* 193. *in ant.* 59.*lib.*1.
Dec.Biſign. 1.*de off.deleg.* 60.*lib.*1.
5.*de præbend.* 61.*lib.*1.
eodem tit. 62.*lib.*1.
*Dec.*21. *in add. vlt. in no. de Procur.* 63.*lib.*1.
*Dec.Ægid.*56. 78.*lib.*1.
Decretum irritans. 6.*lib.*2.
Dilatio. 9.*lib.*2.
Diſtenſatio. 21.*lib.*1.
Diſtributio. 110.*lib.*1.
Dotis Confeſſio. 12.*lib.*1.
Enormis læſio. 98.*lib.*1.
Error. 24.*lib.*2.
Exceptio. 53.*lib.*2.
Excommunicatio. 79.81.9.*lib.*1.
Excuſator. 8.*lib.*1.
Excuſſio. 7.*lib.*1.
Expectatiua. 9.*lib.*1.
Extrauag.Alex.in 6. 25.& 37.*lib.*2.
Extrauag. execrabilis. 41.*lib.*1.
Extrauag.Eugenij,Diuina,de præbend. 42.*lib.*1.
Extrauag. bonus paſtor. 28.*lib.*2.
Familiares Papæ. 3.*lib.*1.
Familiares Cardinalium. 46.& 47. *lib.*2.
*Feder.de Sen.conſ.*177. 106.*lib.*1.
Feudum. 42.*lib.*2.
Fideiuſſio. 14.& 19.*lib.*2.
Fuccius. 110.*lib.*2.
Gemin.in cap. ex eo, §.elapſo, de elect. in 6. 110.*lib.*1.
Gratia ſi neutri. 80.*lib.*1.
Gratia expectatiua. 1.*lib.*2.
Impoſitio penſionis. 50.*lib.*2.
Intereſſe. 103.*lib.*2.
Irregularis. 11.& 81.*lib.*2.
Iudex. 44.*lib.*2.
Iuramentum. 13.*lib.*1.5.& 48.*lib.*2.
Ius patronatus. 13.*lib.*1.
Læſio enormis. 98.*lib.*1.
*L.*2.*C.de reſcind.vend.* 65.*lib.*1.
L.vnica,§.taceat,de rei vxor.act. 66. *lib.*1.
L.hac conſultiſſima, §.ex imperfecto,C. de teſtam. 67.*lib.*1.
L.vlt.C.de lit.& fruct.expen. 68.*lib.*1.
*L.*2.*de pignor.* 69.*lib.*1.
L. prætor ait, §. his etiam, ff.de eden. 70.*lib.*1.
L.poſtquam verò, ff. de pact. 71.*lib.*1.
*L.in delictis, §.*1. *de noxal.* 72.*lib.*1.
L.ſi hominem,ff.mandati. 73.*lib.*1.
*L.fiſtulas, §. fin.ff.de contrah.empt.*74. *lib.*1.
L. item quæritur, §. qui impleto, ff.loc. 75.*lib.*1.
L.duo ſunt Titij, de teſtam. 76.*lib.*1.
L. Miles, §. quapropter,de adult. 77. *lib.*1.
L. ſi vnquam, de reuoc. donat. 11. *lib.*2.
Lis 14. 14.*lib.*1.
Literis Epiſcopi an ſit credendum. 27. *lib.*2.
Mandatum. 36.51.52.53.76.*lib.*1.& 29.*lib.*2.
Mora. 16.*lib.*2.
Negans. 15.*lib.*1.
Nominatio. 82.*lib.*2.
Obitus. 17.*lib.*1.
Oblatio. 16.*lib.*1.
Pactum. 106.*lib.*1.
Pactum gratuitum. 106.*lib.*1.
Poſſeſſio. 13.*lib.*2.
Prædicatores. 97.*lib.*1.
Preces Imperatoris. 18.*lib.*1.
Priuatio. 101.*lib.*1.
Procurator. 23.*lib.*2.
Prorogatio temporis. 51.*lib.*2.
Prouiſio 29.31. *lib.*2.
Redemptio perſonarum. 3.*lib.*2.
Regula Clem.reuocatoria. 7.*lib.*2.

Regula de familiaribus Card. 46.& 47.*lib.*2.
Regula de trienn. 2.3.4.*lib.*2.
Regula de non tollen.iure quæſit. 54. *lib.*2.
Remiſſio. 83.*lib.*1.
Renunciatio l.ſi vnquam, C. de reuoc. donat. 11.*lib.*2.
Reſciſſio contractus. *ibid.*
Reſignatarius. 55.*lib.*2.
Reſponſi, Caſalis. 8.*lib.*1.
Reſtitutio. 96.*lib.*1.
Roch.de iure patr. 108.*lib.*1.
Roman.conſ. 107.*lib.*1.
Salarium. 20.*lib.*2.
Scriptores. 19.*lib.*1.
Sententia. 21.45.63.84.*lib.*1.
Societas. 14 26.*lib.*2.
Solutio penſionis. 45.*lib.*2.
Statutum Vrbis de donat. 100.*lib.*1.
*Statutum Vrbis cap.*151.*in nou. lib.*1.4.*lib.*2. 101.
Statutum de appellat. 105.*lib.*1.
Statutũ excludens ſorores dotatas. 104. *lib.*1.
Subrogatus. 39.*lib.*2.
Succeſſio ab inteſtato, 104.*lib.*1. 104. *lib.*1.22.*lib.*2.
Talea. 3.5.*lib* 2.
Tempus. 93.*lib.*1.
Teſtes. 8.10.*lib.*2.
Trebellianica. 94.*lib.*1.
Validitas conſenſus. 36.*lib.*2.
Venditio. 43.*lib.*2.
Vſura. 95.*l.b.*1.

ILLVSTRISSmi AC REVERmi

IO. BAPTISTÆ COCCINI

ROTÆ DECANI ET SACRÆ POENITENTIARIÆ REGENTIS.

DECISIONES.

ROMANA DEpoſiti.

Lunæ 5. Iunij 1620.

ARGVMENTVM.

Fideiuſſor qui vult vti actis contra principalem factis in cauſa ſeparata, debet illa propriis ſumptibus tranſportare.

DECISIO I.

DVBITATVM fuit, an acta eſſent integrè tranſportata, in caſu de quo agitur.

Affirmatiuam amplexi ſunt Domini, cùm iudicium per Dominos Vareſios intentatum contra fideiuſſores, ſit ſeparatum à cauſa contra Horatium principalem debitorem mota. Et ideò ſi fideiuſſores volunt vti actis factis contra principalem, debent illa propriis ſumptibus tranſportare, vt fuit dictum coram Illuſtriſſimo Blanchetto in vna Burgi ſancti Sepulchri bonorum, ſecunda Decembris, 1594.

Nec refert quòd illa acta faciant ad iſtam cauſam, quia non ideò ſequitur, eſſe de actis, ad effectum vt debeant tranſportari.

Placuit tamen Dominis, ex quo dantur fides citationum Antonij Giani, & Hieronymi de Lutiis, ſuper conſignatione bonorum de anno 1597. quòd huiuſmodi citationes omninò tranſportentur, tanquam ad cauſam præſentem pertinentes.

ROMANA IVRIS Congrui.

Lunæ 5. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Dominus Soli, vel domus, ædificare volens, non poteſt cogi ad vendendum, vigore Bullæ iuris congrui.

SVMMARIVM.

1 *Inuitus nemo cogitur vendere.*

2 *Dominus fundi ædificare volens, præfertur aliis, ædificare volentibus.*

3 *Bulla de iure congrui principaliter exprimit, vt Dominus cogatur inuitus vendere.*

4 *Diſpoſitio correctoria quando poteſt vnum, vel duos effectus contra ius operari, ſemper interpretatur, vt minùs corrigat ius commune.*

5 *Maior ſitus & adiacentia in ædificando de iure communi non habentur in conſideratione, ſecùs in terminis Bullæ de iure congrui.*

6 *Domino vendere nolenti, ſed volenti ædificare, præfigendus eſt terminus ad ædificandum.*

DECI

DECISIO II.

IOannes Iacobus Ferrarius, aſſerens, ſe velle ad ornatum Vrbis ædificare, petebat vigore Bullæ iuris congrui domum ſibi contiguam vxnalem Collegij Germanici, & cùm Collegium replicaret, quòd pariter volebat ædificare ad ornatum Vrbis ſecundùm capacitatem ſui ſoli; cauſa mihi extra Romam commiſſa, dubitaui, an dictus Iacobus poſſet cogere Collegium ad vendendam dictam domum. Et Domini cenſuerunt, Collegium non poſſe cogi. Fundamentum reſolutionis fuit, deciſio aliàs facta coram bo.mem. Oriolen. in cauſa Romana iuris Congrui 5. & 15. Iunij 1579. In iure enim ſunt duæ diuerſæ, & principales diſpoſitiones in fauorem dominorum. † Altera eſt, quòd nemo inuitus cogitur vendere, *l. dudum C. de contr. empt.* cum ſimilibus † Altera eſt, quòd in pari cauſa dominus præfertur omnibus aliis idem facere volens; *l. ſi cùm dotem. §. final. ff. ſolut. matr. l. ex facto ff. de pecul.* Caputaq. *dec.* 99.

Hæc igitur Bulla, quæ principaliter hoc tantùm exprimit, vt Dominus inuitus cogatur vendere cõtra *l. inuitam, & dict. l. dudum C. de contrahend. empt.* in hoc ſolùm corrigit ius commune, in cæteris verò quæ non exprimit, cenſetur, ſe referre ad ius commune, & ab ipſo recipit paſſiuam † interpretationem; quia quando diſpoſitio correctoria poteſt vnum, vel duos effectus contra ius operari, ſemper ſic venit interpretanda, vt vnum tantùm operetur, & minùs corrigat ius commune, *c. cum dilectus*, & ibi Butr. & alij, *de Conſuet.*

Et ideo cùm Bulla non corrigat ius commune, quando Dominus vult ædificare, Collegium non poteſt cogi ad vendendum.

Non obſtat maior ſitus, & maior adiacentia Ferrarij, & huiuſmodi &c. quia iſtæ qualitates haberent locum, ſi eſſemus in caſu conſtitutionis; ſed ex quo ſumus in terminis iuris communis, meritò non officiunt.

Nec fuit habitum in conſideratione, quòd aliàs conſtitutio redderetur eluſoria, cùm dominus ſemper opponere poſſet, ſe velle ædificare, quia terminus eſt præfigendus, quo elapſo, domus venit adiudicanda ſecundùm formam dictæ Conſtitutionis.

VALENTINA
Gabellæ

Veneris 9. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Exequutoriales debent perſonaliter intimari.

SVMMARIVM.

1 *Exequutoriales debent perſonaliter intimari, ad hoc vt ferri poſſit declaratoria.*

2 *Exequutoriales debent intimari ad domum, & ad Eccleſiam, ſi latitat ille cui debent perſonaliter intimari.*

3 *Exequutoriales intimatæ Procuratoribus, ſeu ſyndicis, ad hoc vt afficiant, debet conſtare de eorum mandato, ſeu deputatione in ſyndicos.*

DECISIO III.

CVm ciuitatis Valentinæ Conſulibus non fuerint perſonaliter intimatæ exequutoriales, viſum fuit Dominis, non conſtare de legitima intimatione; & ideo, non eſſe ferendam declaratoriã Innoc. *in cap. final. de eo qui mitt. in poſſ.*

cauſa rei ſeru. Caſſad. *deciſ.2.nu.4.de penſionibus.*

Non obſtat quòd fuerit facta diligentia de intimando ; tum quia non conſtat, Conſules habuiſſe notitiam exequutorialium , tum quia etiamſi habuiſſent,& latitaſſent,debebant intimari ad domũ & Eccleſiam, Creſc. *dec.*18.*de re iudic.* Ant. Aug.*de ſent.excom.*§.11.

Nec refert, quòd fuerint intimatæ Rationali , & aſſertis ſyndicis; quia prꝛterquàm quòd nec de mandato , ſiue facultate ad lites , nec etiam de horum deputatione in ſyndicos conſtat,prout conſtare debet, ſicuti fuit dictum coram Fabio in Romana Horti , 28. Ianuarij 1594. non ſufficit in propoſito caſu ipſorum ſcientia. Caſſad. *dicta deciſ.2.num.*4.Roman.*conſ.*482. *num.*5.

VITERBIEN. EXEQVTionis rei iudicatæ, vel fideiuſſionis.

Lunæ 26. *Iunij* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Rota non exequitur ſententias aliorum Tribunalium , niſi iuſtificentur ex actis.*

2 *Verba :* Volo deponere pecunias in bancho Alexandri antequàm lis terminetur , *non probant aliquam obligationem.*

3 *Fides ſimplex extraiudicialis,& ſine iuramento facta per Cardinalem, non probat concludenter , licèt illi multùm tribuatur.*

DECISIO IIII.

CVm Rota non exequatur ſententias aliorum Tribunalium, niſi iuſtificentur ex actis, Put. *deciſ.* 401.*lib.*1.Chaſſan. *deciſ.* 179. *in manuſcr.* cum aliis plurib⁹, viſum fuit Dominis , non conſtare de re iudicata, quæ ſit exequenda.

Obligatio enim Horatij de liberando à fideiuſſione Alexandrum,& Io.Dominicum , à qua pendet iuſtitia ſententiæ AC. quæ prætenditur in rem iudicatam tranſiuiſſe,ex alio non probatur, quàm per depoſitionem Ioannis Dominici, quæ continet,Horatium dixiſſe , ſe antequàm lis terminaretur,velle deponere pecunias in bancho Alexandri , & ex hoc non reſultat aliqua obligatio, ſeu diſpoſitio *arg.textus in l.Iulianus § ex his,de leg.*3.*l.Titia cum teſtamento, in princ de leg.*2. Bart.*in l.cùm iudex in fin. C. de ſent. & interl. omn. iudic.* Bald.*in l.verbũ volo nu.*1.*circa finem,& in l. ſi creditoris,num.*2.*C.de fideicom.* cum aliis per Decian. *conſ.*55.*num.* 14. *lib.*2. † & per fidem Illuſtriſſimi Cardinalis Camerini, cui & ſi Rota multùm tribuat , nihilominùs ex quo eſt ſimplex fides extraiudicialis , & ſine iuramento , non probat concludenter. Facit tex. *in cap. cùm à nobis,extrà , de teſtibus* Gloſſ. *in cap. ſicut, de ſent.excom.* Abb. *in cap. quod ſuper, nu.*5.*de fid.inſtr.* Socin. *in conſ.* 99.*nu.*13.*verſ.*2.*quia lib.*3. Ror. *deciſ.* 33.*de probat.in antiq.* vbi Rotam ita ſeruare habetur , & aliàs Rota in cauſa Veronen. penſionis coram Reuerendo Patre Domino meo Millino non habuit conſiderationem ſimilis fidei Ro. meum.Cardinalis Madrutij.

GIENNEN. AVGMENTI congruæ.

Mercurij 28. *Iunij* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Redditus* 100.*ducatorum eſt congruæ portio pro Parocho , ita vt nullum debeatur augumentum.*

2 Qui

2 *Qui tenuia beneficia acceptat, ſibi imputare debet.*

DECISIO V.

DE anno 1572.R.P.D. Didacus de los Cobos Epiſcopus Gienſen. fundauit Hoſpitale in oppido de Vbeda,& pro Miſſis celebrandis ægrotantibus, proque adminiſtrandis eiſdem Sacramentis tresdecim Capellanos inſtituit,eorumque maiori annuos redditus 200. ducatorum,aliis verò centum aſſignauit.

Præfatæ aſſignationi Capellani tunc acquieuerunt, hodie verò modernis prætendentibus, aſſignationem non eſſe ſufficientem, ad inſtantiam Rectoris, & Patroni Hoſpitalis, ipſis ſolis informantibus, propoſui dubium, an eſſet dandum augmentum: Et placuit Dominis,
1 negatiuè reſpondere, † nam cùm dicti Capellani habeãt annuos redditus ducatorum 100. videtur ſatis ſufficiens,& congrua portio abſque alio augmento,iuxta diſpoſitionem Conc.Trid.*ſeſſ.*25.*c.*12.& Bullam Pij VI.de portion.aſſig. Vicario perpe-
2 tuo.† Vltra quòd ſibi imputare debent, ſi tenuia beneficia acceptarunt,argumento,*tex.in l.Imperator in fine de leg.*1.Gloſſ.*in cap.*1.*in verb. neceſſitate* 21.*quæſt.*1.Et fuit dictum coram ſanctiſſimo D. N. tunc Rotæ Auditore in Toletana congruæ 13. Febr. 1576. & coram Illuſtriſſimo Mantica in Burgen. Congruæ 26. Nouembris 1593. aliàs in cauſa Aſtoricen. congruæ, ſub die 23. Martij 1588. coram eodem, & in vna Tullen.Congruæ 26.Iunij 1596. coram R.P.D.meo Pamphilio.

ANCONITANA intereſſe.

Merc. 28. *Iunij* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Intereſſe non debetur, niſi probentur requiſita per Caſtren.* in l.3.§. fin.ff.de eo quod cert.loc.

2 *Intereſſe non debetur pro pecuniis dotalibus, poſt matrimonium morte diſſolutum.*

DECISIO VI.

PRo informãte. Ex quo non pro- 1
bantur requiſita per Caſtren.*in l.* 3.§.*final. ff. de eo quod cert. loc.* cuius opinionem Rota ſequitur, Mohed. *deciſ.*3.de vſur. & fuit pluries dictũ.

Non obſtat,ſi diceretur,intereſſe 2
magis deberi, ex quo pecuniæ ſunt dotales, nam licèt conſtante matrimonio debitum fuiſſet, tamen cùm matrimonium diſſolutum fuerit per mortem vxoris,ampliùs non deberetur, quia titulus dotis extinctus eſt.Doctor. *in cap. ſalubriter, de vſur.* Bart.*in l.in inſulam,*§.*vſuras, in fin. ff. ſolut.matr. & conſ.*128.*num.*2. *lib.*1.*& conſ.*84.*lib.*2. Alex.*conſ.*74.*num.*13.*& conſ.*141. *num.*2.*in princ.lib.*5. Et fuit dictum coram Illuſtriſſimo Mantica in cauſa Spoletana vſusfructus 16. . . . . 1592.

FIRMANA IVRIS patronatus.

Lunæ 3. *Iulij* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Filia præſumitur filia mariti,& non adulteri.*

2 *Præſumptio quæ oritur ex eo quòd filia ſit habita vt filia adulteri, & ab eo educata, & dotata, & nuptui tradita, non facit ceſſare præſumptionem, quòd filia præſumitur filia mariti, & non adulteri.*

3 *Impotentia, & abſentia mariti, vnà cum aliis, ſunt efficaces præſumptiones ad tollendam præſumptionem*

iuris, quòd ſcilicèt filia præſumitur mariti.

4 *Sarnen.* in regul. de annal. q. 58. *declaratur.*

Decisio VII.

THeodorus Sacerdos vnà cum Ioanna cõiugata commercium adeo familiare habuiſſe dicebatur, vt Ligotia ex dicta Ioanna nata, non ſolũ publicè haberetur pro filia dicti Theodori, ſed etiam vti talis eſſet ab ea educata, dotata, ac nuptui tradita cuidam Fabiano, licèt in libro Baptiſmi legeretur baptizata tanquam filia mariti prędictæ Ioannæ.

Poſteà dictus Theodorus in vltimo ſuæ voluntatis elogio hæredes inſtituit dictum Fabianum, & Conceptum eius nepotem, qui ex æquis portionibus in omnibus eius bonis ſucceſſerunt, ac ſimul in iure patronatus, quod dicto Theodoro competebat. Ad hoc autem beneficium de iurepatronatus per ipſius Theodori obitum tunc vacans, dictus Fabianus præſentauit Leandrum Bonjoannem. Conceptus verò Hieronymum Scilottum cauſa ſuper iure dictarum preſentationum introducta coram Vicario Firmano, fuit lata ſententia ad fauorem Scilotti, eaque poſteà per viam appellationis in Rota mihi cõmiſſa. Dubitaui an ſententia Vicarij eſſet reuocanda, ex quo fundabatur in legitimitate prædictæ Ligotiæ, ideoque videretur factus eſſe locus Bullæ 252. Sanctæ Mem. Pij V. ſuper inhabilitate illegitimorum, quoàd ſucceſſiones.

Pro inſtante viſum fuit Dominis reſpondendum, quia cùm tempore conceptionis Ligotiæ Ioanna haberet maritum, cuius nec aliquod impedimentum probaretur, nec quòd ad eam non potuiſſet habere acceſſum, præſumitur filia mariti, & non adulteri. Quotieſcunque enim poſſibile eſt, filium eſſe natum ex matrimonio, ex eo natus præſumitur, niſi contrarium probetur, *l. miles* §. *defuncto ff. ad l. Iul. de adulter.* Cyn. & Alber. *in l. ſi vicinis nu. 3. C. de nupt.* Alex. *conſ.* 88. *num.* 8. *lib.* 2. Curt. *in conſ.* 31. *num.* 3. *lib.* 1. cum aliis relatis per Couar. *de ſponſal. par.* 2. *cap.* 8. §. 3. *num.* 8. 1

Non obſtat nominatio Adulteri, dos ab eo data, illiuſque tractatus, & fama publica filiationis; quia iſta non ſufficiunt ad effectum excludendi iſtam præſumptionem, vt per Achil. *deciſ.* 1. *qui filij ſint legit.* niſi ſimul concurrant præſumptiones, quæ ſatis efficaces ſint ad tollendam prędſumptionem iuris, prout ſunt impotẽtia, vel abſentia mariti, Burſat. *conſ.* 27. *col. penult. vol.* 1. Ruin. *conſ.* 15. *col.* 1. Achil. *dicta deciſ.* 1. Mohed. *deciſ.* 1. *&* 2. *qui fil. ſint legit.* Et fuit latè deductum in cauſa Romana alimentorum 1. Decembris 1595 coram R.P.D. Millino. 2 3

Nec facit Sarnen. *in regula de Annal. quæſt.* 58. referens aliàs coram ipſo fuiſſe reſolutum, ceſſare præſumptionem *d. §. defuncto*, quando adſunt plures præſumptiones, quòd ſit filius adulteri; quia vt per Achill. *præalle. deciſ.* in illo caſu cum aliis coniecturis concurrebat etiam ſimilitudo lineamentorum adulteri, & quòd fuerat vti eius filius baptizatus & legitimatus, quæ in præſenti caſu non concurrunt: imò, quod multùm mouit Dominos, in libro baptiſmi iſta Ligotia eſt annotata vti filia mariti, & non adulteri. 4

Vter autem horum nominatorum ſit præferendus, Domini volunt particulariter videre.

ROMA

ROMANA CONSIgnationis depoſiti.

Lunæ 3. Iulij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio in forma Cameræ non admittit aliam exceptionem, niſi falſitatis, quietationis, vel ſolutionis, vel nullitatis.*
2 *Nouatio non inducitur, niſi expreſsè hoc agatur.*
3 *Clauſula citra aliquam nouationem fideiuſſorum excludit nouationem.*
4 *Conficiens inuentarium, vltra vires hæredicarias non tenetur.*

DECISIO VIII.

CArceribus mancipatus ad inſtantiam DD. de Vareſiis Horatius Vanninus, vt ab illis liberaretur, eius bona mobilia fuerunt deſcripta, & ea fidei Antonij Iani cõmiſſa, præuia eius obligatione in forma Cameræ, & depoſiti, de reſtituendo ad omne mandatum Domini, pro quo Horatius Lutius, & alij acceſſerunt.

Vita functo Vannino Antonius Ianus præfatus pro ſua cautela iterum bona deſcribi curauit. Hæredes poſtmodùm dicti Vannini, omnibus litibus, & actionibus renunciantes, per viam cõcordiæ, omnia bona ſua DD. Vareſiis ceſſerunt, qui præuia proteſtatione de aliquid non innouando, & citra præiudicium omnium ſuorum iurium, nec animo liberandi fideiuſſores dictã concordiam acceptarunt, remittendo hæredibus prædictis expenſas funeris, victus, & aliorum ſimilium.

Tandem egerunt DD. Vareſij coram Aud. Cam. contra Ianum, vt conſignaret bona prima vice deſcripta, & obtinuerunt, relaxari mandatum cum obligatione, & depoſitione 60. ſine præiudicio iurium ambarum partiũ pro expenſis dd. hæredibus remiſſis, à quo Ianus appellauit, cauſáque mihi commiſſa in Rota quoàd bona ſecundo loco deſcripta cum clauſula *ſine præiudicio legitimæ exequutionis*, quò verò ad bona primo loco annotata, cum clauſula: *ſi quid exequendum.* Ex quo dubitaui, an mãdatum A.C. eſſet exequendum. Et DD. Vareſiis ſolis informantibus reſpõſum fuit, mandatum A.C. eſſe exequendum, ſtãte obligatione Iani in forma Cameræ, & depoſiti, de reſtituendo depoſitum ad omne mandatum Domini † Quæ obligatio non admittit 1
aliam exceptionem, niſi falſitatis, quietationis, vel ſolutionis. Caſſad. *deciſ. vnica num. 2. de mut. petit.* Galles, *ad formam oblig. Cameral. par. 4. quæſt.* 1. vel nullitatis, quæ tamen ſit talis, vt nihil ſit probandum, vel incontinenti probari poſſit Ant. de Canar. *de exequut. inſtr. quæſt.* 11. Et fuit dictum cotã Illuſtriſſimo Blanchetto in cauſa Auximana grani 20. Aprilis 1592.

Non obſtat prætenſa nouatio ex noua conuentione, ſiue concordia inita cum hæredibus Horatij principalis debitoris, † quia cùm hodie 2
nouatio non inducatur, niſi expreſsè hoc ita agatur, de ea conſtare debet. *l. final. C. de nouat. §. præterea, inſtit. quib. mod. tolla. oblig.* Mandel. *conſ. 367. num. 6. lib. 2.* Et fuit dictum coram Cantuccio in vna Romana Curiæ de Sabellis 13. Iunij 1576. Tum etiam quia, in dicta concordia, DD. Vareſij expreſsè proteſtati fuerunt, *citra aliquam nouationem fideiuſſorum* † Quæ verba excludunt 3
nouationem; laſ. *l. 6. non ſolùm, §. moroe, num. 48. ff. de oper. nou. nunciat.* Grat. *conſ. 126. num. 7. & 8. lib. 1.* Et

fuit dictum in dicta cauſa de Sabellis & in aliis.

Non obſtat, quòd dictæ proteſtationes videantur facto contrariæ, ex quo liberãtur hæredes Horatij principalis debitoris, contra quos erant cedendæ actiones Iano fideiuſſori ac depoſitario, quia DD. de Vareſiis, non agunt cõtra dictum Ianum pro rebus iam habitis ab hæredibus Horatij vigore concordiæ, ſed tantùm pro reſiduo, quod penes ipſum Ianum depoſitarium remanſit, cuius ratione nulla obligatione erant
4 adſtricti hæredes notarij, † Ex quo propter confectum inuentarium vltra vires hæreditarias non tenebantur, *l. final. §. & ſi præfatam, cum gloſ. in verb. periculo, & in §. licitia C. de iur. delib.* Pariſ. *conſ.* 33. *num.* 89. *& ſeq. lib.* 3. Roland. *de inuent. par.* 1. *in* 5. *quæſt. num.* 2. *& par.* 2. *quæſt.* 1.

TARRACONEN. Præpoſiturarum.

Lunæ 30. *Octobris* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de perquirendo in arca priuata, non conceditur, niſi præcedant aliquæ conieſturæ.*

2 *Deciſ.* 5. *de probat. in nou. declaratur.*

DECISIO IX.

PEtebat coram me Capitulum Tarraconen. mandatum de perquirendo ſcripturas in archiuio priuato Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, qui cùm contradiceret, volui conſulere Dominos, an hoc mandatum eſſet concedendum, qui dubio à me propoſito reſoluerunt, non eſſe concedendum.

Fundamentum, reſolutionis fuit,
1 † quia Capitulum non oſtendebat, ſaltem per aliquas cõiecturas, quòd in iſto archiuio exiſtant ſcripturæ ad cauſam facientes, & ideo ſuccedit dictum Speculatoris, quod in contrarium allegabatur, *in tit. de inſtr. edit. §. videndum reſtat. nu* 18. quòd ceſſantibus probationibus, iudex non debet concedere ſimile mandatum de perquirendo in arca priuata. Et ita etiam dictum Speculatoris declarat Alciat. *reſp.* 16. *nu.* 7. *tom.* 2. *l.* 7. Regulariter enim nemo tenetur pandere ſua ſecreta, *l.* 2. *C. de alim. pup. præſt. l.* 2. *C. quando, & quibus quarta pars lib.* 10. & ibi Bart. *nu.* 10. Alciat. *reſp.* 1. *nu.* 40. *tom.* 1. *lib.* 1. Et ita etiam dicebant Domini, fuiſſe in Rota ſeruatum, in cauſa Lugdunen. Computor. coram Illuſtriſſimo Mantica, & coram R.P.D. meo Mellino. Fuit enim conceſſa facultas perquirendi in certis libris nominatim deſignatis, in quibus poterant eſſe ſcripturæ ad cauſam facientes.

Non obſtat deciſio coram Oradino in cauſa Anglicana aluminum, ſub die 28. Ianuarij 1558. quia loquitur in aliis terminis. Petebantur enim in illa cauſa nonnulli libri. † 2
Et ita procedit deciſio 5. *de probat. in nou.* vt per Caputaq. *deciſ.* 179. *l.* 1. *in manuſcript.* qui dicit, quòd Rota ſeruat dictas deciſiones, dummodò adſint iura propria, vel facientia ad cauſam, & tradit Roman. *conſ.* 83. *in prin.* & Mill. *in verb. edere non tenetur.*

TERDONEN. PRÆpoſituris.

Ven. 1. *Decembris* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in profanis abſque fumo, conceditur, ſtante reluantia.*

2 *Sen-*

2 *Sententia priuationis beneficij lata contra abſentem, abſque trina citatione, per publicum edictum, in loco beneficij facta, ne expectatis ſex menſibus, nec conſideratis cauſis excuſationis, eſt nulla.*

3 *Certa notitia ſupplet defectum citationis.*

4 *Sententia non dicitur lata præcipitanter ab illo qui beneficiatum non reſidentem ſæpè monuit, & per multum temporis expectauit.*

5 *Arbitrarium eſt Epiſcopo, an velit ſeruare formam traditam in Concilio Tridentino* ſeſſ.23.cap.1.& ſeſſ. 6. cap.5. *in procedendo contra non reſidentem.*

6 *Quando adeſt timor ſubornationis, remiſſoria non conceditur.*

7 *Nominatio teſtium in Curia, facit, vt etiam ſi adſit timor ſubornationis, remiſſoria quæ eſt releuans, concedatur.*

8 *Remiſſoria propter præſumptam cælumniam non facilè denegatur.*

Decisio X.

1 DOmini cenſuerunt, dandam eſſe remiſſoriam, ex quo verſabamur in profanis, in quibus abſq; fumo conceditur. Caputaqu. *dec.* 68. *par.* 3. Fuit dictum coram Oriolen. 8. Octobris 1576. in cauſa Tiraſonen. Decimarum, & coram Illuſtriſſimo Mantica in cauſa Monaſterien. exhibitionis teſtamenti 29. Martij 1596. Et concurrebat eius releuantia. Caſſad. *deciſ.* 2. *in princ. de dilat.* Caput. *dicta deciſ.*68.& 66. *part.* 3. Et fuit dictum in præallegata cauſa Tiraſonen.

Releuantia ex eo apparebat, quia cùm fundamentum deciſionum in hac cauſa factarum coram R.P.D. meo Decano 17. Martij, & 5. Iunij huius anni, eſſet ſuper nullitate ſen-
2 tentiæ Ordinarij, † qui eam tulerat contra abſentem, abſque trina citatione per publicum edictum in loco beneficij facienda *cap.ex tua de cler. non reſid.* Et fuit reſolutum coram eodem R.P.D.meo Decano, in cauſa Salamantina del Pedroſo 5. Decembris 1567.non expectatis etiam ſex menſibus, qui alioquin requiruntur antequàm ad priuationem deueniatur, *d.c.ex tua*, nec conſideratis cauſis excuſationis pro parte Camilli allatis, an ſcilicèt eſſent admittẽdæ, nec ne. Ad tollendum fundamentum dictarum deciſionum articulabatur, Camillum habuiſſe notitiam citationis factæ ad valuas Eccleſiæ anno 1599. & ſuper ea Aduocatos conſuluiſſe, & de ipſius ordine factam fuiſſe comparitionem.
† Quæ certa notitia ſupplet defe- 3
ctum citationis perſonalis, iux. *deciſ.* 11. *de dol.& contum.in nou.* Et fuit dictum coram eodem R.P.D.meo Decano 23.Octobris 1598.in cauſa Lunen. Sarzanen. ita vt propter huiuſmodi ſcientiam potuerit Epiſcopus deuenire ad priuationem, etiam nõ expectatis tribus monitionibus, & ſex menſibus, vt in cauſa Zamoren. Capellaniæ 12. Iunij 1589. coram Illuſtriſſimo Mantica.

Quod deinde dicebatur, Epiſcopum proceſſiſſe præcipitanter, non 4
conſideratis cauſis excuſationis, tollebatur ex eo, quòd articulabatur, Epiſcopum pluries tam voce, quàm in ſcriptis monuiſſe Camillum iam inde ab anno 1594. citra, quo ceperat ipſius in non reſidendo, ac deſeruiendo defectus, vſque ad annum 1599. quo promulgata fuit ſententia, eumque ab vltimo præcepto facto 16. Septembris eiuſdem anni, expectaſſe integros quindecim dies, intra quos potuit cauſæ cognitionem adhibere; tum. etiam infirmitatẽ Camilli fuiſſe leuiorem, quàm

vt ob illam ſolam à non reſidendo excuſari potuerit.

5 Nec refert, Epiſcopum non ſeruaſſe formam Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. & ſeſſ. 6. cap. 1. de reform.* procedendo primò ad ſubſtractionem fructuum, & deinde ad priuationem; quia hoc relinquitur arbitrio Epiſcopi, vt declarauit Sacra Congregatio, & fuit dictum in dicta *deciſ.* Zamoren.

6 Non obſtat, quòd quando adeſt timor ſubornationis, remiſſoria nō concedatur, Caput. *deciſ. 50. nu. 4. & deciſ. 54. par. 3.* quia hic ceſſat, ex quo Camillus eſt dominus illius loci in temporalibus, & eo maximè cùm Domini voluerint, nominari hic

7 in Curia teſtes Remiſſoriæ, † quorum nominatio, etiam quando ſubeſſet timor ſubornationis teſtium, facit vt remiſſoria releuans concedatur. Caput. *deciſ. 7. par. 3.*

Non obſtat, quòd remiſſoria videatur eſſe calumnioſa, ex quo omnes articuli ſunt facti ad euitandas deciſiones in hac cauſa factas, quia

8 vltra iam dicta † etiam propter præſumptam calumniam non venit facilè deneganda remiſſoria. Ægid. *deciſ. 624. in fine.*

BONONIEN. REMISſionis Mercedis.

Lunæ x i. *Decembris* 1600.

SVMMARIVM.

1 *In remiſſione mercedis habenda eſt ratio anni ſterilis cum anno fertili.*

2 *Remiſſioni mercedis non eſt locus, niſi quis probet, ſe toto locationis tempore paſſum fuiſſe damnum. Eſt tamen locus compenſationi.*

DECISIO XI.

1 DOmini cenſuerunt, non conſtare de peremptione ad effectum remiſſionis mercedis. Nam cùm agatur de damno paſſo circa fructus, prout teſtes deponunt, (dicunt enim terras fuiſſe ſeminatas, ſed fructus non fuiſſe recollectos, fœnaque non fuiſſe bona; & alij, quòd aliqui fructus percipiebantur ex pratis, licèt non ſolitæ bonitatis) habenda eſt ratio anni ſterilis cum anno fertili, & è contra, iuxta tex. *in l. ſi vno in princ. & in l. ſi merces, §. iis maior ff. locat. & in l. licet. C. eodem & in cap. propter ſterilitatem, eodem tit.* Gig. *de penſ. quæſt. 62.* Rimin. Iun. *conſ. 40. nu. 12. & ſeq. lib. 1.* Et fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Blanchetto in cauſa Romana remiſſionis Mercedis, 13. Martij 1594. Et coram bo. me. Giptio in cauſa Romana affictus Caſalis. 8. Febr. 1593. & nouiſſimè coram R.P.D. meo Millino in cauſa Romana remiſſionis Affictus. 16. Iunij huius anni, & aliàs ſæpè.

2 Et ideo debebat Leonius probare, damnum ſe fuiſſe paſſum per totum tempus locationis, quia aliàs non eſt locus remiſſioni, ſed compenſationi per ſupradicta.

Non obſtat, quòd quando conductor non poteſt vti frui in totum, vel in parte re locata, fiat ei remiſſio pro rata; quia quicquid ſit de veritate iſtius opinionis, Domini dixerunt, nos non verſari in iſtis terminis, ſed in terminis damni paſſi circa fructus, & ideo habere locum ſuperiùs dicta.

BONONIEN. PECVniaria.

Lunæ 11. *Decembris* 1600.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca non inducitur niſi in caſibus à iure expreſſis.*

2 *Tacita*

2 *Tacita hypotheca non competit vxori, pro bonis extradotalibus.*

3 *Bona extradotalia efficiuntur paraphernalia, si mulier tacitè vel expressè consentit, quòd illa vir administret.*

4 *Scientia requiritur etiam ad consensum tacitum.*

Decisio XII.

1 DOmini censuerunt, Euæ non competere hypothecam. Ratio decidendi fuit,† quia hypotheca non inducitur, nisi in casibus à iure expressis, *glos. fin. in fine in l. 2. ff. de priuil. credit.* Bald. *in l. 2. C. in quibus caus. pig. vel hypoth. tac. contr.* Rip. *in l. dabimus, §. si quis cùm tutor. num. 9. ff. de priuil. cred.* Roman. *cons. 454. sub num. 28.* Surd. *decis. 271. num. 10.*

2 In iure autem non habetur, quòd pro bonis extradotalibus competat vxori tacita hypotheca, prout sunt ista de quibus agitur, ex quo obuenerunt post contractum matrimonium, per successionem. Iacob. de S. Georg. *in l. dotis fructus, nu. 1. vers. puta ff. de iur. dot.* Bertrand. *cons. 19. num. 11. in fine vol. 3. par. 2.* Guido Pap. *decis. 468. nu. 5.* Afflict. *dec. 44. nu. 1.* Pract. Papien. *in form. libelli quo vxor agit ad dote, in verb. tanquam, num. 3.* Vincent. Maxilla. *ad consuet. Bari. in tit. de iur. dot. §. marito, nu. 12.* Decian. *resp. vlt. num. 45.* vbi multos congerit, *lib. 4.*

3 Nec facit, quòd bona extradotalia efficiantur paraphernalia, quando expressè, vel tacitè mulier consensit, quòd vir illa administret. Ias. *in l. Maritus, num. 12. C. de procurat.* Guido Pap. *dec. 468. num. 4.* Afflict. *dec. 44. nu. 3.* Chassan. *ad consuet. Burgun. rub. 4. §. 24. num. 6.* & præcipuè Cuman. *cons. 105.* Cui se subscripserunt insignes Doctores Imol. Castren. Florian. & alij, pro quibus bonis paraphernalibus mulier habet tacitam hypothecam *l. vlt. C. de pact. conuen.* quam ibi Bald. *in princ.* dicit vnicam, & alibi non reperiri facit, *l. vbi adhuc, C. de iur. dot.* & tenet Azo. *in sum. C. in quib. cas. pig. vel hypoth. tac. contr. num. 6.* Bald. *cons. 478. sub nu. 1. lib. 5.* Ias. *in d. l. maritus, num. 14. C. de procur. & in §. fuerat, nu. 41. Instit. de action.* Dec. *cons. 221. num. 6.* Negus. *de pig. in 4. memb. 2. par. num. 63.* Couar. *var. resol. lib. 1. c. 7. nu. 1.*

Quia in præsenti casu, nec expressus, nec tacitus consensus probatur, cùm concludenter non doceatur de scientia Euæ, sine qua non potest inferri ad voluntatem, *l. nec ignorans. C. de donat. l. ex maleficiis, §. longè ff. de action. & oblig. l. generale C. de tabul. lib. 10.* Bald. *cons. 392. num. 3. & 4. lib. 1.* Bero. *cons. 177. nu. 29. lib. 1.* 4

ANCONITANA Montium.

Lunæ 18. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

Sequestrum regulariter remedio cautionis reuocatur.

2 *Sequestrum factum pro exequutione obligationis Cameralis, super bonis quæ potuerunt capi vigore dictæ obligationis, remedio cautionis non reuocatur.*

Decisio XIII.

1 DOmini valdè dubitarunt, an venditio per illos de Darsa facta de quinque locis Montium Marino Gundulæ ante expeditionem patentium, esset perfecta, & dominium translatum, ita vt sequestrum antedictam expeditionem super illis factum, ad instantiam illorum de Facendis assertorum cre-

ditorum, vigore obligationis Cameralis, præfatorum de Darſa, tanquam ſuper re aliena factum, eſſet reuocandum. Et hinc inde per Dominos, pluribus adductis, poſt longam diſputationem, in tanta dubietate concluſerunt, ſequeſtrum eſſe reuocandum, data cautione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo. Fun-
1 damentum reſolutionis fuit, † quia regulariter ſequeſtrū remedio cautionis reuocatur, *l. fin. C. de ord. cogn. cap. 1. de ſequeſtr. poſſ. & fruct.* Bart. *in l. 1. C. de prohib. ſequeſtr.*

Quibus nihil officit, ſequeſtrum factum pro exequutione obligationis Cameralis non eſſe reuocādum,
2 cum cautione, † quia hoc procedit, quando clarum eſt, quòd illa bona ſequeſtrata potuerunt capi pro exequutione. Et ita loquitur Galles. *ad form. oblig. Camer. quæſt. vltim. num. 39.*

CAMPLEN. BEneficiorum.

Lunæ 18. Decembris. 1600.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo, anteriori poſſeſſori conceditur.*
2 *Poſſeſſio ad effectum mandati de manutenendo probatur ex inſtrumento adeptæ poſſeſſionis, iunctis actibus poſſeſſoriis.*
3 *Poſſeſſio ad effectum mandati de manutenendo, probatur ex ſententia iudicis mandantis aliquem amoueri à poſſeſſione.*
4 *Poſſeſſio ad effectum mandati de manutenendo, probatur ex confeſſione partis emanata in commiſſione.*
5 *Poſſeſſio inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis.*
6 *Per adeptionem poſſeſſionis Eccleſiæ acquiritur, etiam poſſeſſio bonorum.*
7 *Poſſeſſio capta, alio exiſtente in poſſeſſione, præſumitur clandeſtina, & vitioſa.*
8 *Sententia lata poſt inhibitionem rotalem eſt nulla.*
9 *Inhibitio rotalis ſiue iuſta, ſiue iniuſta, de ſtylo Curiæ eſt timenda.*
10 *Per ſententiam iudicis, à qua quis appellauit, & proteſtatus fuit, ſe nolle haberi pro ſpoliato, non cenſetur priuatus ſua poſſeſſione.*

DECISIO XIIII.

DOmini cenſuerunt, dandum 1
eſſe mandatum de manutenendo Antonio Marię, quia conſtabat de eius anteriori poſſeſſione, † 2
tum ex inſtrumento publico poſſeſſionis conſignatæ Antonio Mariæ præſenti, & acceptanti, iunctis actibus poſſeſſoriis, *ad l. 1. §. ſi iuſſerim, & l. quod meo §. ſi venditorem. ff. de acq. poſſeſſ. l. prædia* & ibi Bart. *num. 1. ff. eodem.* Rot. *deciſ. 5. de cauſ. poſſ. & propr. in antiq.* Et fuit dictum in cauſa Maceraten. hæreditatis 30. Aprilis 1593. coram R.P.D. Pamphilio & in Balneo Regien. Caſtri 28. Maij 1597. coram bo. memo. Horatio. † Tum ex ſententia iudicis mandantis, illum amoueri à poſſeſſione † & confeſſione partis in ſua 3 4
commiſſione reformatiua, *ad l. cum precum C. de liber. cauſ.* Aym. *conſ. 205. num. 6.* fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Blanchetto, in cauſa Caurien. Iuriſdictionis. 27. Iunij 1582.

Quæ poſſeſſio, licèt ſit inſtrumen- 5
talis, tamen ex quo capta eſt, alio non exiſtente in poſſeſſione, de ſtylo Rotæ eſt manutenſibilis. Caſſad. *dec. 20. de præb.* Put. *deciſ. 360. num. 8. lib. 1.* Veral. *deciſ. 334. nu. 6. lib. 2.* Et fuit reſolutum coram R.P.D. meo Penia in cauſa Cæſarauguſtana Canoni

nonicatus 1. Iulij 1598. & in cauſa Romana Capellaniæ S. Mariæ Magdalenæ 24. Februarij 1576. coram Lauretano *dec. 19 num. 7. par. 1. diu.*

Nec facit, ſi diceretur, tunc fuiſſe ſolùm adeptam poſſeſſionem Eccle-
6 ſiæ, & non bonorum eiuſdem, † quia per adeptionem poſſeſſionis Eccleſiæ acquiritur etiam poſſeſſio bonorum, Anchar. *in reg. beneficium col. vlt. ante num. 12. in verſ. & Ideo ego dico, & in reg. ſine poſſeſſione, num. 10. in fine, & ſeq. de reg. iur. in 6.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 2. par. 3. quæſt. principali 11. art. 9. num. 3.* Couar. *lib. 3. var. reſol. cap. 16. num. 13.* Ferret. *conſ. 14. num. 4. & 5. vol. 1. & 236. num. 10. lib. 2.* cum aliis latè deductis in dicta Romana Capellaniæ S. Mariæ Magdalenæ.

Quibus non officit aſſerta poſſeſ-
7 ſio capta per Placidum, † quia alio exiſtente in poſſeſſione, præſumitur clandeſtina, & vitioſa, niſi ipſe probet, ſuam antiquiorem *cap. licèt cauſam, & ibi Doct. de prob.* Bart. *in l. ſi duo in princ. ſub num. 4. ff. vti poſſid.* Veral. *d. deciſ. 334. num. 2. & 6. par. 2.* Cæſar de Graſſ. *dec. 5. num. 2. de cauſ. poſſ. & propr.* Et fuit dictum coram R.P.D. meo Corduba in cauſa Albigen. Canonicatus 27. Iunij 1594. & in dicta Romana Capellaniæ S. Mariæ.

Nec refert etiam quòd dicebatur
8 capta, vigore ſententiæ Vicarij, †
9 quia illa ſententia fuit nullâ tanquã lata poſt inhibitionem Rotalem, † quæ ſiue iuſta, ſiue iniuſta, de ſtylo Curiæ eſt timenda. Put. *deciſ. 395.*
10 *lib. 2.* Achill. *deciſ. 29. de appell.* † Tum quia Antonius ab illa ſententia in qua declaratur intruſus appellauit, & proteſtatus fuit, ſe nolle haberi pro ſpoliato, ideoque non cenſetur priuatus ſua poſſeſſione, vt fuit reſolutum in cauſa Mediolanen. Parochialis 11. *Decembris* 1586. coram Illuſtriſſimo Platto, & in cauſa Ferrarien. Parochialis 1. Aprilis 1596. coram R.P.D. Corduba.

MACERATEN.
Cenſus.

Mercurij 24. Ianuarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſua culpa damnum patitur, ſibi debet imputare.*
2 *Deponens ſummam petitam, ſatisfacit petitioni, etiamſi ſit debitor in maiori ſumma, ſi poterat credere, in plus ſe non teneri.*
3 *Conditio intrinſeca non vitiat depoſitum, etiamſi illa exprimatur.*

Decisio XV.

IMpoſuerat Angelus ſuper quibuſdam ſuis bonis cenſum 500. ſcutorum, pro quo recognouerat Bartoluccius bonam fidem, & promiſerat, dictum Angelum intra triennium liberare, quod vt faceret, curauit dictus Angelus illum citari, qui citatus vice verſa curauit Angelum recitari, ad facien. conſentire hæredes Euſtachij emptoris cenſus receptioni pecuniarum, & in euentum recuſationis, videndum deponi. Obtulit quidem Angelus ſe id facturũ, ſed cùm facere poſteà neglexerit, iudex mandauit, dictas pecunias deponi. † Vnde ſibi debet im- 1
putare Angelus, ſi cenſu non extincto, patiatur damnum quod ex ſua culpa prouenit. Socin. *conſ. 70. lib. 1.*

Non obſtat, quòd Bartoluccius tenebatur extinguere dictum cenſum, quia cùm eius obligatio eſſet in inſtrumento ſeparato ab inſtrumento cenſus, non poterat cogere hæredes Euſtachij ad recipiendum dictas pecunias, nec videbatur aliter hoc caſu efficaciùs ſe poſſe liberare, quòd dando pecunias ad hunc effectum.

2 Nihil facit quòd huiuſmodi depoſitum non fuerit integrum, quia cùm non fuiſſet plus petitum, quàm ſcuta quingenta pro ſorte principali, & ſcuta 75. pro fructibus, poterat credere Bartoluccius, in plus ſe non teneri.

3 Nec refert, quòd huiuſmodi depoſitum fuerit conditionale, ſi videlicèt fieret retrouenditio cenſus; quia cùm conditio hæc illi eſſet intrinſeca, illius expreſſio non potuit illud vitiare, Bald. *in l. acceptam num. 14. C. de vſur.* Neguſ. *de pignor. in 2. part. 3. membri §. partis principalis, num. 10. verſ. in hoc tamen.* Et fuit dictum coram bo. me. Orano in cauſa Romana Mercium 11. Maij 1590.

Quantum attinèt ad Hieronymum, Silètium fideiuſſorem, Domini cenſuerunt Bartoluccium teneri illum liberare, iuxta formam promiſſionum, ex quo nec in iudicio facto inter ipſum, & Angelum, nec in depoſitione pecuniarum fuerat citatus, & ideo in non extinctione cenſus ceſſat omnis eius culpa.

PACEN. DECIMARVM del Hebreros.

Lunæ 29. Ianuarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia Parochialis fundatam habet intentionem in decimis prædiorum quæ ſunt intra parochiæ limites.*

2 *A limitibus diuidentibus territoria & iuriſdictiones non infertur ad terminos decimatorios Eccleſiarum.*

3 *Quaſi poſſeſſio percipiendi decimas, non releuat, niſi conſtet, ius decimandi ad quaſi poſſidentem ſpectare, vel eſſe intra limites ſuæ Parochiæ.*

DECISIO XVI.

35:38: 118:18: 23):

FVit per Dominos vnanimiter reſolutum contra informantem, Capitulũ ſcilicet Placen. non fundare intentionem ſuam in decimis, de quibus agitur. † Licèt enim Eccleſia Parochialis intentionem habeat fundatam in decimis, intra cuius limites ſunt prædia ex quibus illæ colliguntur, *cap. final. de Paroch. cap. cum ſint de decim.* cum vulg. nihilominùs capitulum non probat, locum dell' Hebrero eſſe intra limites Parochiæ Eccleſiæ Pacen. † Non enim infertur à limitibus diuidentibus territoria, & iuriſdictiones, ad terminos decimatorios Eccleſiarũ. Hoſtien. *in cap. ſuper eo num. 3. & 11. de Paroch. & in cap. querimoniam, nu. 2. & ibi* Butr. *num. 6. de iurepatr.* Felin. *in cap. cum cauſam, num. 12. de probat.* Et fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo D. Peruſino in cauſa Conchen. limitum, 3. Maij 1589. & poſteà coram Illuſtriſſimo Cardinale Blanchetto 5. Maij 1593. & aliàs ſæpè.

Nec obſtat quaſi poſſeſſio Capituli percipiendi decimas in iſto loco; quia præterquàm quòd non eſt ſufficienter probata, tamen etiamſi probaretur, non releuaret, niſi doceretur, quòd iſte locus eſſet intra limites Parochiæ, vel quòd iura ſpectarent aliàs ad Capitulum, *ad tex. in cap. vlt.* vbi gloſ. & Menoch. *de reſtit. ſpol. in 6.*

CESENATEN. DE Cacciaguerris.

Ven. 26. Ianuarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ad quem fuit appellatum, in cauſa appellabili poteſt inhiberi.*

2 *Vica*

2 *Vicarius ſancti Petri, vigore facultatum, procedit in cauſis appellatione remota.*

3 *Clauſula*, appellatione remota, *poſita in facultatibus alicuius iudicis, extra Rotam, ſi deinde cauſa committatur in Rota, cenſetur repetita in Commiſſione Rotali.*

4 *Reſtitutio in integrum impedit exequutionem nondum cœptam.*

Decisio XVII.

PLacuit Dominis, inhibitionem non eſſe moderandam, ex quo fuit appellatum in cauſa appellabi-
1 li, & infra legitima tempora. † Et ideo Iudex ad quem bene inhibuit, *cap. Romana, §. ſi verò, & c. non ſolum de appellat. in* 6. Rot. *deciſ.* 58. *de appell. in antiq.*

2 Non obſtat, quòd Vicarius Sancti Petri procedat vigore ſuarum facul-
3 tatum, appellatione remota, † quæ clauſula cenſeri debet repetita in commiſſione Rotali; Æmil. *conſ.* 68. *num.* 7. latè Modern. *de attent. appel. pend. limit.* 8. *num.* 7. Ægid. *deciſ.* 216. Caſſad. *deciſ.* 8. *de reſcript.* Rota. *deciſ.* 321. *par.* 1. quia cùm Comes Chriſtoforus obtinuerit reſtitutio-
4 nem in integrum, † illa impedit exequutionem, quæ nondum fuerat cœpta, & ſic inhibitio non venit moderanda, *l. vnica, vbi gloſ. in verb. debere* Cyn. & Azo *in ſum. in princ. C. in integr. reſtit. poſtul. ne quid no. fiat, & in tit. C. de vendic. libert.* Doctor. *in l.* 4. *§. condemnatum, ff. de re iudicat.* Rot. *deciſ.* 51. *de appell. in nou.* Put. *deciſ.* 456. *lib.* 2. benè Capuc. *deciſ.* 53. *num.* 1. & Franc. March. *deciſ.* 53. *num.* 7. *lib.* 2. Mynſing. obſeruat. 48. *cent.* 1. Chiſanen. *deciſ.* 164. Et fuit dictum coram R.P.D. meo Decano in cauſa Ortonen. penſionis 5. Iulij 1599.

Nihil officit, quòd R.P.D. meus Litta tuletit duas ſententias, & ab vnica tantũ fuerit appellatum; quia hodie pars vult tantum proſequi cauſam ſuper bonis ſtabilibus, non autem ſuper attentatis. Vltrà quòd viſum fuit Dominis, magis appellationem adaptari ſententiæ latæ ſuper negocio principali, quàm ſuper attentatis.

IN CAVSA SABInen. Archipreſbiteratus.

27. *Decembris* 1600.

SVMMARIVM.

1 Cap. de multa de præben, *non habet locum in Vicariis temporalibus, nec ex eis cauſatur incompatibilitas, & num.* 3.

2 *Diſpoſitio* cap. de multa, *non procedit in illis officiis & dignitatibus, quæ non ſunt perpetua, nec in titulum perpetui beneficij conferuntur.*

4 *Vicarius temporalis, ſiue ad nutum amouibilis, nomine alieno exercet curam Parochiæ.*

5 *Deputatio Vicarij facta cum clauſula*, ad nutum tamen & beneplacitum amouibilem, *eſt temporalis.*

6 *Beneficia regularia aptitudine ſunt perpetua, & de eis, vt de perpetuis iudicatur.*

7 *Beneficia regularia ad nutum Superiorum amouibilia, cauſant incompatibilitatem.*

8 *Beneficia regularia conferuntur in titulum.*

9 *Obtinentes beneficia regularia potiùs ratione obedientiæ, & ex vi profeſſionis, quàm ex natura beneficij, poſſunt amoueri ad nutum Abbatis.*

10 *Beneficia ſecularia manualia non dantur in titulum.*

11 *Obtinentes beneficia regularia, non*

poſſunt amoueri ſine cauſa.

12 *Obtinentes beneficia regularia, ſi amoueantur ab illis ſine cauſa, poſſunt appellare.*

13 *Vicarius ad nutum amouibilis in Eccleſia ſæculari, qui nullum habet titulum, & nihil agit nomine proprio, poteſt amoueri etiam abſq; cauſa.*

DECISIO SEV VOTVM Seruorum. XVIII.

PRætendit Angelus Iacobellus impedire reſignationem Archipresbiteratus Collis Veteris ad fauorem Iacobi Corſi, ſub prætextu vacationis ex eo quòd ei immineat cura animarum, & reſignans fuerat anteà deputatus à Capitulo ſancti Petri Vicarius Amouibilis in alia Eccleſia Curata ſancti Martini perpetuò vnita Capitulo, iuxta *cap. de multa, de præbend.*

1 Sed credo, hanc prætenſionem non ſubſiſtere. In iſtis enim Vicariis temporalibus, quæ conſtituuntur in beneficiis vnitis iuxta *deciſ.* Rotæ *2. ſub num. 2. de exceſſ. Prælat. in nou.* Biſign. *deciſ. 21. nu. 3. de præbend. cum alleg.* per Rebuff. *in tit. de perpet. Vicar. nu. 6.* & latè per Alfonſ. Ored. *de incomp. benef. par. 1. cap. 15. ſub num. 8. & ſeqq.* non habet locum diſpoſitio *d. cap. de multa*, nec ex eis cauſatur incompatibilitas, gloſ. *in clem. in Vicar. perpetuis de offic. Vicar. & in extrauag. execrabilis, in verb. temporalis, de præbend.* Capra. *reg. 90. num. 67. in 12. fallen.* Rebuff. *de diſpenſ. rat. æt. in verb. vel earum perpetuæ Vicariæ* Ored. *d. cap. num. 16.*

2 Diſpoſitio enim *d. cap. de multa* non procedit in illis officiis, & dignitatibus, quæ non ſunt perpetua, nec in titulum perpetui beneficij conferuntur, vt tradunt ibi DD. communiter, Innoc. *ſub num. 6. ad finem ibi, nunquam etiam reputamus.* Ancar. *num. 18.* Imol. *ſub num. 34. verſ. ſimiliter etiamſi*, Abb. *num. 23. verſ. ſed contrarium*, Gambar. *lib. 5. de offic. legat. in tit. an leg. poſſ. plur. benef. conferre num. 23.* Capra, qui teſtatur de communi *dicta regula 90. num. 67.* Alphonſ. Ored. *d. cap. 15. num. 52.* Put. *deciſ. 117. lib. 2.* Et fuit reſolutum in cauſa Seguntina Theſaurariæ, 29. Aprilis 1596. coram bo. me. Orano.

Et conſequenter non poteſt habere locum in iſtis Vicariis amouibilibus ad nutum conſtituentis, quæ ſunt temporales, & non dantur in titulum perpetui beneficij, nec poſſunt impetrari, cùm non ſint tituli beneficiales. Anton. de Butr. *conſ. 51. ſub num. 6.* Vitalin. *dicta clem. 1. num. 56. de offic. Vicar.* Rebuff. *in titulo de nominat. quæſt. 15. num. 62.* Mandoſ. *de annal. quæſt. 15. num. 1.* Et tenuit Rota in cauſa Salamantina Vicariæ ſub die 15. Martij 1596. coram Illuſtriſſimo Blanchetto. 3

Nec refert, quòd Eccleſia ſancti Martini ſit Curata, quia Cura eſt Capituli ſancti Petri, cui fuit vnita, non autem Vicarij temporalis, & ad nutum amouibilis, qui non dicitur Curatus, † ſed nomine alieno illam exercet ad libitum ſuum, vel illius qui ſpecialiter illũ deputauit, gloſ. *in d. extrauag. execrabilis, in verb. tẽporalis.* Rota. *d. deciſ. 2. de exceſ. prælat.* quæ loquitur in beneficio vnito menſæ Capitulari, Biſign. *d. deciſ. 21. ſub nu. 2.* Cardinal. *in d. clem. 1. ſub nu. 15. de offic. Vicar.* Oldrad. *conſ. 38. nu. 1. 9. & 12.* Rebuff. *de diſpenſ. de non reſid. num. 15.* 4

Quòd autem deputatio facta per Capitulum ſancti Petri de hoc Archipresbitero ſit temporalis, & non perpetua, conſtat ex verbis ipſius deputationis, ibi, *ad nutum tamen, & beneplacitum amouibilem*, per quæ 5

Vica

Vicarius reputatur temporalis, & eo vti de tẽporali iudicatur, glos. *in clem. dudum §. ac deinde in verb. impediant, de sepult.* Et patet ex suprà allegatis videlicèt *decis.2. de excess. præl.*ibi, *Vicarius temporalis ad nutum amouibilis.*Bisignet. *d.dec.21.* ibi, *quia si talis Vicarius est remouibilis,* Butri. *d. cons. 51. sub num.6.* Et patet in omnibus Vicariis temporalibus, & ibi, *vt non intitulati sunt.* Gemin. *d. cons. 86. num.3.* ibi *quia ipse exercet curam* Vital. *in d. clem. vnica, nu.56.* ibi, *breuiter, si esset instituendus.* Rebuff. *in d. tit. de dispens. denon resid. num.15.* ibi, *quia pro voluntate instituendus,* Alphons.Ored. *d.cap.15.sub num.8.* ibi, *Vicaria temporalis dicitur.* Qui omnes concludunt, Vicariam ad nutum, & voluntatẽ constituentis amouibilem, dici temporalem, etiam ad istum effectum,vt non cõprehendatur sub dispositione *d.cap. de multa.*

6 Non obstant quæ dicuntur de beneficiis regularibus,quæ licèt sint ad nutum Superiorum amouibilia, tamen causant incompatibilitatem, iuxta *cap. cum singula,de præbend. in 6.* Gambar. *de offic. legat. loco infrà citando* Hored. *de incomp. benef. par.*

7 *1. cap. 22. num. 14.* † quia beneficia regularia aptitudine sunt perpetua, nisi si ea obtinentes amoueantur.Et de iis iudicatur vt de perpetuis,

8 prout sunt de sui natura, † cùm conferantur in titulum, & possint

9 impetrari, † licèt obtinentes potiùs ratione obedientiæ & ex vi professionis, quam ex natura beneficij, possint remoueri ad nutum Abbatis, qui potest etiam non remouere:

01 † quidquid dicendum sit de manualibus sæcularibus,quæ non dantur in titulum, iuxta distinctionem Gambar. *de offic. leg. lib.4.tit.de potest. legat. in reseru. benef. num.14. cum seqq.*† præsertim cùm regulares non possint amoueri sine causa, *clem.1.* & ibi Doctor. *de supplen. neglig.Prælat.* Siluan. *de benefic. par.3. quæst.21. sub num. 5.* Rebuff. *de pacific. possess. num. 331.* ibi, † *quòd datur recursus à remotione sine causa.* Et fuit resolutum in dicta causa Seguntina Thesaurariæ coram bo.memo.Orano. 11 12

Ista autem cessant in Vicario ad nutum amouibili, in Ecclesia sæculari, qui nullum habet titulum, & nihil agit nomine proprio, & potest amoueri ad libitum constituentis, etiam absque causa, vt patet ex superiùs allegatis. 13

Procedunt autem hæc faciliùs in hoc casu, quia non obstante deputatione Archipresbiteri, resedit in suo Archipresbiteratu, & ampliùs declarauit in actis Vicarij Sabinensis,se velle in eo residere,pro vt etiã adhuc hodie residet, & sic cessant quæ dicuntur de eius animo non ampliùs redeundi ad suum Archipresbiteratum.

Relaxanda igitur ex præfatis videtur supplicatio resignationis dicti Archipresbiteratus, ad fauorem Iacobi Corsi,& reiicienda est alia supplicatio ab Angelo porrecta de eodem Archipresbiteratu, vti de vacãte certo modo ob assequutionem Vicariæ temporalis, & ad nutum amouibilis,ex beneficio vnito mensæ Capitulari Sancti Petri, cùm ista vacatio non adsit.

VITERBIEN.
Fideiussionis.

Lunæ 29. Ianuarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Cardinalis deponens in facto proprio facit plusquàm semiplenam probationem.*

2 *Teſtis vnicus in facto proprio, accedentibus adminiculis, probat concludenter.*

3 *Statur depoſitioni fideiuſſoris, in cauſa debitoris principalis.*

DECISIO XIX.

REſolutum fuit ſine difficultate, hodie conſtare de promotione Horatij per depoſitionem Illuſtriſſimi Cardinalis Camerini, † (qui 1
nedum attenta dignitate, & qualitate perſonæ) cùm ſit teſtis in facto propſio, facit pluſquàm ſemiplenã probationem. Aym, *conſ.* 178. *num.* 7. quem Rota fuit ſequuta, coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto, in cauſa Romana deuolutionis Vineæ 1. Iulij 1573. faciunt notata per Socin. Iun. *conſ.* 31. *num.* 32. *lib.* 2. Pariſ. *conſ.* 104. *num.* 80. *in princ.* Et fuit dictum coram R.P.D. meo Seraphino 4. Iunij 1576. in cauſa Vrbeuetana bonorum, quæ eſt inter impreſſas diuerſorum 521. part. 1.
2 † Ideo accedentibus adminiculis, videlicèt depoſitione D.Io. Dominici, probatur concludenter, iuxta notata per Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 3. *nu.* 6. *de probat.*

Non obſtat quòd D.Ioannes Dominicus tractat de ſuo intereſſe, ex quo fideiuſſit pro Horatio, quia nulla etiam habita ratione ad eius perſonam, (quæ notiſſima eſt omnibus, & præſertim noſtro Tribunali, in quo ſemper laudabiliter ſe geſſit) atque etiam circumſcripta illa quæ
3 vertitur inter DD. controuerſia, † an ſtetur depoſitioni fideiuſſoris in cauſa debitoris principalis, in qua communem opinionem affirmatiuã dicit Curt. Iun. *conſ.* 281. *num.* 5. & 6. quando principalis eſt ſoluendo, vel fideiuſſor habet bonum releuatorem; negari tamen non poteſt, quin hæc depoſitio inſeruiat pro adminiculo.

TERDONEN.
Præpoſituræ.

Ven. 3. *Febr.* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa dicitur profana, quæ non eſt ſuper titulo beneficij.*

2 *Lis ſuper priuatione beneficij tunc facit cauſam beneficialem, quando petitur, aliquem priuari, vt ſibi beneficium conferatur.*

3 *In profanis remiſſoria in qualibet inſtantia abſque fumo conceditur.*

4 *In dubio, an articuli ſint releuantes, remiſſoria in profanis conceditur.*

5 *Propter timorem ſubornationis remiſſoria denegatur.*

6 *Quando adeſt timor ſubornationis, teſtes examinandi nominantur in Curia.*

DECISIO XX.

DOmini fuerunt concordes ſu- 1
per eo, quòd cauſa eſſet profana, cùm non agatur ſuper titulo beneficij, ſed ſolùm de validitate ſententiæ, per quam Camillus ab Ordinario fuit priuatus Præpoſitura Alberiæ; & quam etiam idem Camillus appellatione interpoſita obtinuit à Rota reuocari, cum impoſitione ſilentii fiſco, & Alberto, qui tanquam prouiſus de dicta Præpoſitura ab eodem Ordinario, venit ad cauſam ratione ſui intereſſe, Achil. *deciſ.* 2. *de penſ.* Put. 496. *num.* 2. *lib.* 2. Verall. *deciſ.* 99. *par.* 1. Et fuit dictum in cauſa Caſalen. Præpoſituræ, 9. Iunij 1597. coram bo. me. Gyptio. † Tunc enim demùm lis ſu- 2
per priuatione facit cauſam beneficialem, quando petitur, aliquem priuari, vt ſibi beneficium conferatur, vel adiudicetur, *cap.* 2. & ibi gloſ. *in verb. finita, vt lite pendente in* 6. *clem.*

6. clem. 1. in verb. cùm poſſeſſorem de ſequeſtr. poſſeſſ. Et facit Sarn. *in regula de ſubrogat. quæſt. 7. in princ. & in regula de annal. quæſt. 42. in princip.* Put. *d. deciſ. 496. num. 1. & 3.*

3 Quibus ſtantibus, remiſſoria ſolet concedi in qualibet inſtantia, & abſque fumo; Caput. *deciſ. 68. par. 3.* Et fuit dictũ coram me in alia deciſione in hac cauſa, 1. Decembris proximè præteriti.

Difficultas fuit reſtricta ad releuantiam articulorum. Et Domini in hoc fuerunt varij, tandem pro maiori parte concluſerunt, eſſe releuantes. † Et ideo remiſſoriam eſſe cõcedendam, Caſſad. *deciſ. 2. de dilat. cum ſimilibus.* Eóque libentiùs in hãc ſententiam venerunt, quia in dubio Rota ſemper ſolet concedere remiſſoriam.

4

5 Timor ſubornationis qui allegabatur, propter quem remiſſoria denegari ſolet, iuxta deciſionem Caputaque 50. *num. 4. par. 3.* mouebat aliquos ex Dominis, qui erant pro deciſione, ſed ex quo Camillus non docebat, ſuos ſubditos ſibi eſſe contrarios, cùm ex illo intenderet probare dictum timorem ſubornationis, facilè condeſcenderunt in hanc ſententiam pro remiſſoria, † Et ad omnem bonum finem voluerunt nominari in curia teſtes per D. Albertum examinandos.

6

AVGVSTANA Canonicatus.

Merc. 7. Februarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo, etiam reſpectu diſtributionum quotidianarum, datur beneficiato qui eſt in quaſi poſſeſſione, etiamſi non reſederit, facto tamen Capituli.*

2 *Beneficiatus qui poterat inſeruire & ſolitus erat ſeruire, quando erat præſens, ſi facto Capituli non inſeruiat, lucratur diſtributiones quotidianas.*

3 *Beneficiatus qui facto Capituli non poteſt inſeruire Eccleſiæ, proteſtari debet, per ſe non ſtare, &c. ad hoc vt conſequatur diſtributiones quotidianas in abſentia.*

4 *Beneficiatus non inſeruiens, facto Capituli, debet habere diſtributiones quotidianas perceptas à Capitulo, etiamſi nullam fecerit proteſtationem.*

Decisio XXI.

1 DOmini reſoluerunt, D. Georgio dandum eſſe mandatum de manutenendo, etiam reſpectu diſtributionum quotidianarum à die carcerationis, quia eius quaſi poſſeſſio probatur concludenter ex depoſitione tertij teſtis, & aliorum, qui deponunt de turbatione Capituli in perceptione. Et adminiculantur alij teſtes, qui deponunt, de reſidentia Georgij, qua ſtante multùm veriſimile eſt, quòd perceperit diſtributiones quæ dantur propter reſidentiã. Et ideo cùm fuerit expulſus facto Capituli, ei debentur diſtributiones quotidianæ. Prob. *ad Monac. in cap. 1. num. 22. de cler. non reſid. & in cap. 1. num. 22. in fine, de conſtit.* Calder. *conſ. 17. de præbend.* Put. *deciſ. 383. & 239. lib. 1.*

2 Non obſtat quòd ad iſtum effectum neceſſarium ſit probare, quòd Gregorius eſſet ſolitus ſeruire Eccleſiæ, Couar. *var. reſolut. lib. 3. cap. 13. num. 8. verſ. 6.* & Felin. *in cap. Apoſtolus, num. 12. de except.* Quia teſtes probant, quòd quando erat præſens, ſolebat inſeruire, & ideo iſta expulſio non debet ſuffragari Capitulo contra Georgium, qui ceſſante expulſio

pulſione poterat inſeruiendo lucrari diſtributiones. Et multùm veri ſimile eſt, quòd inſeruiuiſſet, niſi fuiſſet carceratus,& expulſus, quia quando erat præſens ſolebat inſeruire. Mouit etiam Dominos, quòd teſtes probant, Georgium fuiſſe ſolitum reſidere per certum temporis ſpatium, non excludendo reliquum tempus,& non probatur, quòd Capitulum præſtet maius ſeruitium, imò potiùs probatur contrarium.Et ideo cùm lis vertatur ſolùm inter Capitulum & Georgium,ex hoc facto Capitulum non debet reportare lucrum, requirendo à Georgio ſeruitium, quod ab eo non præſtatur, *tot.tit.quod quiſque iuris.*

3 Non obſtat, quòd videbatur neceſſaria proteſtatio ad effectum cõſequendi diſtributiones. Mohed. *deciſ.6. de præbend.*& fuit plenius dictum in vna Salamantina fructuum 26. Iunij 1587. coram bo. me. Bubalo,quæ hic non interuenit,† quia
4 non eſt neceſſaria pro diſtributionibus perceptis à Capitulo, Put.*d.deciſ.*283. *lib.*1. Et fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Lanceloto in vna Iacenſi portionis 16. Ianuarij 1577. (quæ eſt 618. *par.*1 .*diuerſ.*) & coram R.P D. meo Mellino, in cauſa Maioricen. Canonicatus 2.Maij 1594. & in cauſa Firmiana diſtributionum 26.Ianuarij 1598.

ROMANA DEPOSITI de Altouitis.

Merc. 7. Februarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Soluens contra formam mandati de ſoluendo malè ſoluit.*
2 *Mandatum de ſoluendo eſt obſeruandum in forma ſpecifica.*
3 *Ratificatio mandati retrotrahitur.*
4 *Quod tamen non procedit, re non integra.*
5 *Tertius, ſtante legitima cauſa, poteſt pro ſuo intereſſe, habenti mandatum de ſoluendo, proteſtari ne ſoluat.*

DECISIO XXII.

DVbitaui, an eſſet recedendum à deciſis coram R.P.D. meo Decano pro ſumma contenta in 2. mandato. Et Domini abſque difficultate negatiuè reſpõderunt;mandatum enim D. Alexandri non erat liberum, ſed ſequuta ratificatione Antonij, † & ideo Altouiti ſoluen- 1
do contra illius formam malè ſolnerunt, † cùm eſſet diligenter ob- 2
ſeruanda,& in forma ſpecifica, *l.diligenter,ff.mandati,l.qui hærede,§.final. ff.de condit.& demonſtr.*

Non obſtat, quòd poſteà ſequuta 3
fuerit ratificatio Antonij quæ retrotrahitur, *l.final.*vbi Bald.*in princ. C.ad Macedonia, l.ſi fundus* §.1.*ff.de pignor. l.donationes, C. de donat. inter vir. & vxor.* † quia hoc non proce- 4
dit, re non integra *l.bonorum,ff. rem ratam haberi,cap.ſi pro te de reſcript. in* 6. Specul. *in tit. de obligat.& ſolut.* §.1. *num.*3. *ver. item pone*, 1. prout erat in præſenti caſu, propter ſuſpicionem vergentiæ ad inopiam Antonij,& Claudij, quam probauit effectus decoctionis ſubſequutus. Et illam ſufficere in hoc caſu Domini cenſuerunt.Et ideo poterat Alexander proteſtari † pariter, & Malui- 5
cinus, licèt eſſet tertius, cùm haberet intereſſe, & adeſſet cauſa, *l.cùm quis ſibi ff.de ſolut.* latè Felin. *in cap. cùm M.Ferrarien.de conſtit.nu.*4. Vnde ſi Altouiti expectaſſent adimplementum, proteſtationes erant in tempore, & non fuiſſet facta ſolutio Claudio.

Merius obſtat, quòd ratificatio non

non erat cenſenda neceſſaria: tum quia pecuniæ iam effectæ erant Claudij, tum etiam quia Claudius habebat mandatum Antonij. Nam ante ratificationem, pecuniæ non erant effectæ ſimpliciter Claudij; ſiquidem voluerat Alexander, ſequuta demum Antonij ratificatione illas illi credere, mandatum verò erat dubium, dubitabaturque, an ſocietas eſſet finita, nec conſtabat, cenſum, de quo agitur, fuiſſe factum nomine ſocietatis, ideoque ratificatio videbatur neceſſaria, vt fuit reſolutum coram R. P. D. meo Mellino 15. Decembris proximè præteriti, in cauſa Bononien. bonorum de Sauonantiis.

Nihil faciunt alia ex aduerſo deducta, quia non tangunt præſentem diſputationem.

An autem D. Maluicinus ex hoc fuerit liberatus, Domini reſeruarunt particulariter dubitandum.

BONONIEN. REMISSIONIS Mercedis.

Lunæ 19. Februarij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria conceditur, quando articuli ſunt releuantes.*

2 *Remiſſoria ſecundò conceditur, quando noui articuli ſunt magis ſpecificati, quàm primi ſuper quibus fuit examinatum in partibus.*

DECISIO XXIII.

1 ROta cenſuit, remiſſoriam eſſe concedendam ex capite releuantis, iuxta *deciſ.* Caſſad. 3. *de dilat.* Nec ex eo debet denegari, ex quo idem videatur articulatum in parti-
2 bus, † quia cùm articuli antiqui idem tacitè non comprehendant, quoàd neceſſitatem facti, & probationis, ſed ſolùm quoàd neceſſitatem facti; non probationis, aut erat dubium, an idem articuli noui & veteres continerent, ideo cùm articuli noui ſint magis ſpecificati, remiſſoria eſt concedenda, vt per Abbatem, qui ita diſtinguit *in cap. fraternitatis, num 8. per totum, de teſtibus.* Et fuit reſolutum in cauſa Ariminenſi Caſtrorum 7. præſentis menſis coram R. P. D. meo Decano.

ROMANA LEGATI della Porta.

Ven. 30. Martij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Legatum mobilium relictum per verba præſentis temporis, adiecto nomine poſſeſſiuo, ipſius Teſtatoris, intelligitur de mobilibus extantibus tempore obitus Teſtatoris, non autem tempore conditi Teſtamenti, propter coniecturas quæ ponuntur, num. 2. 3. 4. & 6.*

3 *Dictio, ſemper, denotat perpetuitatem.*

5 *Teſtamentum in quo legatum relinquitur, debet ita interpretari, vt legatum afferat vtilitatem.*

6 *Facultas capiendi legatum propria authoritate, reſficit tempus mortis.*

7 *Solius notarij dicto ſtatur in iis quæ ſpectant ad eius officium.*

8 *Notarius ſolus deponens vti Teſtis, non facit fidem.*

DECISIO XXIV.

Vide Dec. 32

DOmini, non obſtante quòd le- 1
gatum eſſet relictum per verba præſentis temporis, adiecto nomine poſſeſſiuo ipſius Teſtatoris, cenſuerunt, ex coniecturis deberi D. Eliſabethæ mobilia, quæ extabant

tempore obitus Teſtatoris, non autem tempore conditi teſtamenti, contra regulam tex. *in l. ſi ita, & in l. fin. in fine ff. de aur. & arg. legat.* à qua in his terminis (cùm potiùs mens teſtatoris, quàm verba ſint inſpicienda, *l. in conditionibus primum locum, in princ. ff. de condit. & demonſtr. l. cùm virum C. de fideicom. cap. cùm Marthæ, de celebrat. miſſar.)* Rota ſolet recedere, prout fuit reſolutum coram ſanctiſſimo Domino noſtro, in cauſa Spoletana legati 20. Febr. 1585. & coram bo. me. Bubalo, in cauſa Romana legati 10. Decembris eiuſdem anni, & coram R. P. D. meo Penia, in cauſa Romana legati Metalliorum 28. Aprilis 1589. iuxta tradita per Crauet. *in l. 1. num. 29. verſ. 3. limit. de leg.* 1. Calder. *conſ. 1. num. 3. verſ. nec obſtat. de conſtit.* Socin. iun. *conſ. 98. num. 26. lib. 1.* Roland. qui alios allegat. *conſ. 39. num. 20. lib. 4.* Gabriel. *conſ. 120. nu. 8. in fine, vol. 1.* & nouiſſimè tradit etiam Illuſtriſſimus Mantica, *de coniect. vltim. vol. lib. 3. tit. 11. num. 23.*

Coniecturæ autem, quæ in præſenti caſu concurrebant, ita viſæ fuerunt Dominis vrgentes, vt vnanimiter in hanc venerint ſententiam.

2 Animaduertebant enim, quòd huiuſmodi legatum fuerat conceptum per verba geminata prægnantia, & ampla, videlicèt omnium, ſingulorum, & cuiuſcumque generis, quæ eſt optima coniectura Crot. *conſ. 69. num. 3. circa finem verſ.* Confirmatur, hoc ex verbis Cephal. *conſ. 773. num. 25. lib. 5.* Et firmauit Rota in deciſionibus allegatis.

3 Vlteriùs declarabatur voluntas teſtatoris, cùm in huiuſmodi legato exciperentur marmora, & reliqua facientia ad ſculpturam, cum dictione *(ſemper)* quæ cùm denotet perpetuitatem, *gloſſ. in verb. (ſemper) in proëm. inſtit. & in l. 1. in verb. ſemper ff. ſolut. matrim.* facit durare iſtam exceptionem vſque ad mortem. Vnde debebat pariter legatum intelligi de mobilibus extantibus tempore mortis, cùm ex qualitate exceptionis declaretur, de quo genere regula loquatur. *vul. l. nam quod liquidè ff. de pen. legat.* Beccius *in l. 1. nu. 20. ff. de reg. iur.*

Fuit etiam ponderatum, teſtatorem tempore conditi teſtamenti fuiſſe ſatis iuuenem. Vnde, ſi intellexiſſet, legare mobilia, quæ extabant tantùm tempore conditi teſtamenti, de facili legatum fuiſſet inutile, cùm potuiſſet per plures annos viuere. 4

† Debet autem ille intellectus ſumi, per quem legatum vtilitatem afferat, *ad tex. in l. quoties, ff. de reb. dub. & in l. ſi igitur, in fin. ff. de leg. 1.* Socin. iun. poſt alios quos refert, *conſ. 98. num. 16. & ſequen. lib. 1.* Et fuit dictum in allegata deciſione coram Bubalo: 5

Faciebat etiam aliquid (omiſſis aliis coniecturis per Dominos approbatis) quòd teſtator conceſſit D. Eliſabethę facultatem capiẽdi legatum propria authoritate. Quæ verba cùm reſpiciãt tempus mortis, ſecundùm illud videntur intelligenda, Alex. *conſ. 59. nu. 11. vol. 1.* Bellon. *conſ. 5 nu. 11. & ſequen.* facit Gabriel. *conſ. 53. num. 13. vol. 2.* Præter quàm quòd difficile fuiſſet ad practicam reduci, quòd poſſet capere mobilia propria auctoritate, ſi teſtator intellexiſſet, de mobilibus extantibus tempore conditi teſtamenti. 6

Ex quibus videntur ſublata ea quæ ex aduersò adducebantur.

Non obſtat poſtremò quòd notarius, qui de teſtamento fuit rogatus, deponat, ſe interrogaſſe teſtatorem,

tem, de quibus mobilibus intelligeret, ipſumque Notario ſciſcitanti reſpondiſſe, de extantibus tunc, hoc
7 eſt, tempore conditi teſtamenti, † dictoque ſolius notarij ſtetur, Iaſ. *in l. nec is num. 7. ff. de acquir. hæred.* quia tex. *in l. ſi quis decurio, C. ad l. Cornel. de falſ.* quem ibi Iaſon citat, vbi Bald. loquitur, quando notarius deponit de his quæ ſpectant ad eius officium, vt ibi videre eſt, ex traditis per Salicet, *num.* 4. Et fuit luculenter deductum coram R.P.D. meo Seraphino in cauſa Romana de Picchis 1. Iunij 1583. & non
8 quando deponit vti teſtis, † quia tunc ipſe ſolus non facit fidem Ægid. *deciſ.* 51. *in fine*, Aym. *conſ.* 171. *num.* 5. Bald. *in l. errore, num.* 2. *C. de teſtam.* Et hanc opinionem Rota ſequitur. Teſti enim vnico etiam de facto proprio deponenti, fides adhiberi non ſolet. Achil. *deciſ.* 3. *num.* 2. *& ſeqq. de teſtibus.* Vltra quòd idem Iaſ. *ſub. num.* 11. *& ſeqq.* tenet contrarium.

CREMONEN. CAPELlaniæ.

Lunæ 2. *Aprilis.* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Iuſpatronatus quod præſumitur ex vſurpatione, debet probari per immemorialem cum præſentationibus continuatis ſpatio* 50. *annorum effectum ſortitis.*

2 *Immemorialis, in probando iuſpatronatus, requiritur pro forma, nec poteſt per æquipollens adimpleri.*

3 *Ius patronatus quod prætenditur à Parochianis præſumitur ex vſurpatione, & num.* 4.

4 *Iuſpatronatus poteſt probari per alium modum, quàm per immemorialem, quando non adeſt præſumptio vſurpationis.*

5 *Conc. Trid. nihil innouauit in illis iuribus patronatuum, in quibus non adeſt præſumptio vſurpationis.*

DECISIO XXV.

VT morem gererem parti, volui priùs dubitare, antequàm iura in forma probâti producerentur, an releuarent. Et Domini abſque difficultate contra informantem reſoluerunt, videlicèt non releuare. Cùm enim verſemur in terminis Concilij, *cap.* 9. *de reformat. ſeſſ.* 25. † quod 1
vult, vt quotieſcumque ius patronatus præſumitur ex vſurpatione, cùm de inſtrumento fundationis nõ docetur, debeat per immemorialem probari, cum præſentationibus continuatis ſpatio 50. annorum, & effectum ſortitis, quæ authenticis ſcripturis probentur. Hîc autem, quicquid ſit de continuatis præſentationibus, (quia de illis nil Domini dixerunt, cùm ſummarium datum non fuerit) probatio immemorialis non adeſt, † quæ cùm requiratur 2
pro forma non poteſt adimpleri per æquipollens; vt pluriès reſoluit Sacra Congregatio Concilij. Et tenuit Rota coram Sanctiſſimo D. N. in cauſa Sabinen. Beneficij de anno 1582. & coram R.P.D. meo Pamphilio, in cauſa nullius Archipresbiteratus 2. Maij 1588.

Nec dubitari poteſt, quin hic præ- 3
ſumatur ex vſurpatione, cùm ius patronatus prætendatur à Parochianis. Put. *deciſ.* 57. *lib.* 1. Achil. *deciſ.* 4. *de iurepatr.* Ant. Auguſt. *eodem titulo.* Than. 59. Et ita reſoluit Sacra Congregatio Illuſtriſſimor. Interpre. 14. Septembris 1593.

Nec refert, quòd iſti ſint pauci 4
vicini, ſeu Parochiani, à quibus prætenditur iuspatronatus; quia Rota idem fecit de illis iudicium, quod

& alias de parua Vniuersitate fortè Cechæ coram R. P. D. meo Pamphilio in dicta causa nullius Archipresbiteratus.

5 Non obstat, quòd Concilium nõ tollit modum probandi iuspatronatus de iure, per illa verba *(aliasue secundùm iuris dispositionem est)* vt in causa Tirasonen. iuris præsentandi, coram R. P. D. meo Penia 5. Maij
6 1593. † quia loquitur in aliis casibus, in quibus non intrat præsumptio vsurpationis, & in quibus Sacrum Concilium nihil innouauit, vt fuit dictum coram Illustrissimo D. Cardinale Lanceloto 13. Iunij 1572. in causa Tu den. iurisp. quæ est inter impressas 331. par. 2.

MONTIS REGALIS iurisdictionis.

Ven. 6. Aprilis 1601.

SVMMARIVM.

1 *Existenti in quasi possessione exercendi iurisdictionem criminalem in monachos datur mandatum de manutenendo.*

2 *Carceratio est actus iurisdictionis.*

3 *Possessio prælati antecessoris iuuat successorem.*

4 *Quasi possessio iurisdictionis non acquiritur sine scientia, & patientia interessè habentis.*

DECISIO XXVI.

Vide Decc. 88: 152: 1 DVbitatum fuit, an esset dãdum mandatum de manutenendo Reuerendissimo D. Archiepiscopo in quasi possessione exercendi iurisdictionẽ criminalem in Monachos Monasterij Montis regalis, pro delictis commissis extra Ecclesiam. Pro delictis enim commissis in Ecclesia, Monachi acquiescebant, nec iurisdictionem Domini Archiepiscopi reuocabant in controuersiam, prout vice versa idẽ Reuerendissimus Archiepiscopus nihil prætendebat in his quæ pertinent ad regularia instituta.

Causa, vtraque parte informante, proposita, Domini resoluerunt, dandum esse mandatum de manutenendo Reuerendissimo D. Archiepiscopo, cùm de eius quasi possessione satis constaret, *§. retinendæ, instit. de interd.* ex carceratione facta de anno 1566. de quodam Monacho, † 2 quæ quidem carceratio est actus iurisdictionis, Doctores *in l. Imperium, ff. de iurisd. omn. iudic.*

Nec obstare videbantur quæ opponebantur, quia quod dicebatur, huiusmodi carcerationem fuisse factam à Visitatore Regio, videbatur nimis friuolum, cùm ex confessione ipsiusmet inquisiti constaret, eum fuisse detentum ad instantiam Vicarij Reuerendissimi Archiepiscopi. Prout & id quod fuisset facta ab Archiepiscopo antecessore, & sic non posset iuuare successorem; cùm notissimum sit, † quòd possessio 3 Prælati antecessoris iuuet successorem; ad ea quæ tradunt Felin. *in cap. constitutus, num. 19. de rescript.* Innoc. & alij *in cap. cùm super,* vbi Abb. *num. 181. de caus. possess. & propriet.* Rota *decis. 1. de restit. spoliat. in nou.* Guido Pap. *decis. 629.*

Secundò, Euidentius hæc quasi possessio ostendebatur, ex carceratione trium monachorum facta de anno 1598. Et ex ipsorum excarceratione ad supplicationem Visitatoris, ex gratia facta, qui priùs ad instantiam Reuerendissimi Archiepiscopi fuerant carcerati à Priore in carceribus Monasterij, *ad tex. in cap. vt famæ, de sent. excom.* Et postmodum translati ad Carceres Archiepiscopi. Ex quo tollitur, quòd dici-

tur,

tur, hanc carcerationē fuiſſe factam per violentiam Archiepiſcopi, & alia huiuſmodi quæ opponuntur.

4 Non obſtabat, quòd poſteà Viſitator fecerat proceſſum contra iſtos Monachos, quia hoc factum fuerat clandeſtinè, inſcio Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, & extra ciuitatem Montis Regalis. Et ſic illi non poteſt nocere, cùm eius patientia, ac ſcientia requireretur, *lib. 2. C. de ſeruit. & aqua* DD. *in cap. cum Eccleſia Sutrina*, vbi Abb. *num. 25.* Rip. *num. 64. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Put. *deciſ. 360. num. 10. lib. 1.*

Non ſubſiſtit in facto, quòd iſte actus dederat cauſam liti, quia poſt annum lis fuit mota.

An autem huiuſmodi mandatum ſit dandum Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo cumulatiuè vel priuatiuè, Domini volunt, quòd particulariter dubitetur. *Decis. 316.*

FLORENTINA
Pecuniaria.

Ven. 6. Aprilis 1601.

SVMMARIVM.

1 *Re euicta tenetur venditor, eiuſque ſucceſſores ad damna & intereſſe, & num. 4.*

2 *Denunciatio facienda venditori ſuper moleſtiis illatis in re vendita, fieri fortaſsè poteſt per publica bandimenta, quando ille, cui facienda eſt, non reperitur, aut eſt bannitus.*

3 *Denunciatio quæ fit vendenti, non eſt neceſſaria quando conſtat de iuſtitia euincentis.*

4 *Fideiuſſor de euictione, quem principalis promiſit releuare indemnem, debet releuari indemnis re euicta, etiam ſi illi non fuerint ceſſæ actiones à creditore.*

DECISIO XXVII.

CVm D. Antonius Franciſcus in diſputatione præſentis dubij pluries requiſitus iura ſua deducere neglexerit, vt alteri parti conſulerem, propoſui dubium: An Dominus Antonius Franciſcus teneretur de euictione in caſu &c. Quod Domini pro informante reſoluerunt. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quòd D. Alexander Soderinus pater D. Antonij Franciſci vendiderat Raphaëli de Medicis quædam bona cum promiſſione Domini Ioannis Victorij patris Domini Petri Thomæ, quem releuare indemnem promiſit idem Alexāder. Quibus bonis poſteà euictis, egit D. Raphaël tam contra dictum D. Antonium Franciſcum mortuo iam patre, quàm contra D. Ioannem Victorium tunc viuentem, qui promiſerunt deponere pretium dictorum bonorum, ſed cùm id non adimpleretur, D. Raphaël obtinuit, omnes fructus bonorum dicti D. Ioannis Victorij ſequeſtrari, & tandem ſententiam cōfirmatoriam dicti ſequeſtri, qua ratione coactus D. Ioannes Victorius ſoluit D. Raphaëli prædictum pretium.

Tandem ſuper his orta controuerſia inter dictum D. Ioannem Victorium, & Antonium Franciſcum, venerunt vigore laudi ad Concordiam, quòd nimirum D. Antonius Franciſcus daret pro dicto pretio ſoluto quædam bona D. Ioanni Victorio, cum conditione, quòd in euentu euictionis, poſſet D. Io. Victorius redire ad primæua ſua iura, quod quidem fuit adimpletum, ſed poſtmodùm hæc bona euicta fuerunt D. Ioanni Victorio, præuia intimatione facta D. Antonio Frāciſco de moleſtiis ſibi illatis.

1 Quibus ſic ſtantibus, Domini in ſententiam venerunt, quòd D. Antonius Franciſcus teneatur de euictione, & ad damnum, & intereſſe, *L.euicta re. l. venditor ff. de euict.* cum aliis per Couar. *var. reſol. cap.* 17. *in princ. lib.* 3. maximè quia interuenerat denunciatio, iuxta *l.* 1. *C. de peric. & comod. rei vend. l. emptor. C. de euict. c. vltim. de empt. & vendit.* Latè Couar. *vbi ſupra, num.* 2. *verſ. deducitur tandem.*

2 Nec obſtat, quòd denunciatio fuerit facta per publica bannimenta, quia cùm D. Antonius Franciſcus eſſet bannitus, & non reperibilis, poterat fortaſſe illi fieri hoc modo, vt de citatione dicit Bart. *in l.* 4. §. *prætor ait*, vbi Alex. *num.* 23. *ff. de damn. infect.* Caput. *deciſ.* 117. *in fine part.* 1.

3 Sed tollitur omnis ſcrupulus, cùm conſtet de iuſtitia euincentis, quo caſu non videtur neceſſaria denunciatio. Fulgoſ. Alber. Bald. & Angel. *in l. ſi cùm quæſtio, C. de euict.* cum aliis allegatis per Couar, *loco præcitato, num.* 6. *verſ. ſextò quamuis.*

4 Quare cùm D. Antonius Franciſcus hæreditario nomine teneatur de euictione, & reſeruaſſet ſibi d. Io. Victorius facultatem redeũdi ad primęua iura, conſtetque de fideiuſſione, & ſolutione fideiuſſorio nomine, tenetur pariter D. Antonius Franciſcus hæreditario nomine releuare indemnem D. Ioannem Victorium, *l. qui debitorem, l. fideiuſſor. ff. de fideiuſſ. l. vnica vt act. ab hæred. & in hæred.*

5 Nec obſtaret, ſi diceretur, quòd actiones non fuerunt ceſſæ à creditore D. Ioãni Victorio, quia nihilominùs indemnis debet releuari, Abbas, *in cap. peruenit, num.* 20. *de fideiuſſ.*

ESINA SALVIANI interdicti.

Lunæ 9. Aprilis 1601.

SVMMARIVM.

1 *Sententia videtur nulla, quando in actis non conſtat de mandato, ſtante proteſtatione, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato.*

2 *A proteſtatione neminem audiri niſi docto de legitimo mandato, cenſetur receſſum, niſi in aliis actibus repetatur.*

Decisio XXVIII.

DOmini dixerunt, ſententiam non eſſe nullam, nam quantum ad primum caput nullitatis ex defectu mandati, † quamuis ſententia 1
inde videretur nulla, quia in actis non conſtabat de aliquo mandato, fueratque proteſtatum; neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato. Rot. *deciſ.* 1. *de procur. in antiq.* Guidobon. 208. Aym. *conſ.* 108.

Quia tamen proteſtatio non fue- 2
rat repetita in aliis actibus, cenſebatur ab ea eſſe receſſum. Mohed. *deciſ.* 2. *de iudic.* Et in his terminis fuit reſolutum in vna Romana nulliratis ſubhaſtationis, 15. Nouembris 1577. coram Brauo, quæ eſt inter impreſſ. diuerſ. 599. & in cauſa Toletana Primitiarum 27. Februarij 1581. quæ eſt inter impreſſ. 688. par. 1. coram R. P. D. meo Decano, & in vna Siracuſana quartæ 20. Iunij 1586. coram Illuſtriſſimo. Platto & in cauſa Romana pecuniaria 15. Febr. 1599. coram bo. me. Orano, ideoque cum reuera de eo tempore mandatum adeſſet, potuit illud quandocumque produci, etiam in cauſa appellationis, prout fuit productum. Rot. *deciſ.* 19. *de procur. in antiq.*

antiq. quam ſeruari teſtatur. Put. *deciſ.* 383. *num.* 8. *lib.*2. Aym. *d.conſ.* 108. *num.*1.

Quantum attinet ad ſecundum caput nullitatis reſultans ex prædicto mandato, in quo procurator ante litem conteſtatam conſtitutus tantùm à Pyrrho, non etiam à Thadæo fratre deprehenditur, quia res apud me non carebat difficultate,& articulus videbatur ſatis exemplaris,operæ pretium duxi,iterum partes ſuper hoc audire.

ROMANA PECVniaria.

Ven. 4. *Maij* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Dotis legatum factum à patruo filiabus, contemplatione tamen ipſarum patris, in caſu reſtitutionis reſtituendum eſt de bonis ipſius Patris, non autem de bonis extradotalibus fœminarum.*

2 *Legatum dotis relictum filiabus intuitu patris, pleno iure ipſi patri acquiritur.*

3 *Pater cenſetur de ſuis bonis dotaſſe filiam, quæ omnibus iuribus ſuis in forma renunciauit.*

4 *Pater in dubio cenſetur de propriis bonis dotaſſe filiam,ita vt ſi poſteà declaraſſet, ſe de aliis bonis dotaſſe, non ſufficeret,num.*5.

6 *Libri bancherij probant ſolutionem, & modum ſolutionis.*

7 *In concurſu coniecturarum potiores ſunt attendendæ.*

8 *Hæres non poteſt contra factum ſui authoris venire.*

Decisio XXIX.

1 DOmini cenſuerunt, ſcuta quatuor millia occaſione dotis legata ab Epiſcopo patruo Hortēſiæ, & Vetruriæ, contemplatione tamen Fabij ipſarum Pattis, quamprimùm ad ætatē 18. annorum peruenirent, cum conditione quòd poſt ipſarum obitum ſine filiis, reuerterentur ad hæredes ipſius Epiſcopi in caſum dictæ reſtitutionis, eſſe reſtituenda de bonis hæreditariis Fabij, & non dotalibus ipſarum. † Nam cùm legatum illud fuerit relictum filiabus, intuitu ac contemplatione Patris, vtique acquiſitum fuit pleno iure patri, §. *igitur, & ibi gloſ. in verb. ex re, inſtit. per quas perſonas, nob. acquir. l. cùm oportet, in princ. & ibi gloſ. in verb. eius ſubſtantia C. de bonis quæ lib.* ſic vt de eo liberè diſponere potuerit, dotemque, quæ ſimpliciter filiabus quęreretur, aſſignare, *l.in re mandata, C. mandat.* Cardin. *conſ.* 1x1. *num.* 2. † Prout & voluiſſe ſatis videbatur, ex quo ipſæ filiæ renunciarunt omnibus iuribus ſuis in forma, Card. *conſ.*111. *num.*1. Capic. *deciſ.* 176. *num.*6.† Et in dubio pater ita cenſetur dotare de bonis propriis, *l. final. C. de dot. promiſ.* † vt nec ſubſequens declaratio, quòd ſcilicèt de aliis bonis dotaret, ſufficeret, Angel. *conſ.*209.*nu.* 1. *&* 2. Rip. *in l.*1. *num.*88. *ff. ſolut. matr.* Io.Lup. *in cap. per veſtras cum not.*3. §. 14. *num.*5. *verſ. ſed ſi expreſsè, & num.*6. *verſ. ſed ſi hoc expreſſo, de donat. inter vir.& vxor.* Put. *deciſ.* 182.*lib.*1.

2 3 4 5 6

Vltra quoàd Hortenſiam, res carebat omni difficultate,quia tempore contracti matrimonij, nondum erat ætatis 18.annorum.

Ex quibus vanū reddebatur motiuum quod ex aduerſo fiebat, in eo quòd ſumma dictorum ſcutorum quatuor millium fuerit ſoluta viro Vitruriæ,† cùm fuerit ſoluta ſimpliciter, & abſque vlla declaratione, vt patet ex partitis banchi, *ad l. ſi*

cum

cum dotem in princ.ff.ſolut.matr. Non enim videbatur Dominis veriſimile, quòd cùm fuiſſet aſſignata quantitas dotis, attenta qualitate virorum, voluiſſent, illam pro hac parte ita oneratam accipere.

Nec etiam mouit Dominos, quòd Fabius cenſendus ſit, noluiſſe has dotes dare, vt ſibi, & ſuis hæredibus conditionem faceret meliorem, † 7 quia potiores iis viſæ ſunt ſuperiores coniecturæ. Et ideo magis attendendæ, Caſſad. *deciſ.1. num.9. de teſtam.*

Et ex his ſublatum erat quod dicebatur ex *l. cùm à matre C. de rei vendic.* dictas filias vti hęredes Patris non poſſe contra eius factum venire.

BRIXIEN. Capellæ.

Veneris 11. *Maij* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio inſtrumentalis alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis.*
2 *Per adeptionem poſſeſſionis Capellæ acquiritur etiam poſſeſſio bonorum.*
3 *Poſſeſſio vnius rei non extenditur ad aliam rem.*
4 *Vnio vnius Capellæ ad aliam, non probatur ſufficienter per atteſtationem Epiſcopi.*

Decisio XXX.

DOmini concluſerunt, dandum eſſe mandatum de manutenendo in poſſeſſione Capellæ S. Mariæ Benedicto Sandrino, cùm de eius 1 poſſeſſione cõſtet, † quæ licèt ſit inſtrumentalis, tamen alio non exiſtẽte in poſſeſſione, eſt manutenibilis, Caſſad. *deciſ.20. de præb.* Put.360. *num.8. lib.1.* Veral. 334. *num.6. lib.2.* Faſtol. *dub.41.* Et fuit pluries dictum.

Et venit manutenendus in omnibus bonis dictæ Capellæ, † quia 2 per adeptionem poſſeſſionis Capellæ, acquiritur etiam poſſeſſio bonorum, Anchar. *in regula beneficium, col. vlt. ante num.12. verſ. & ideo, ego dico, de reg. iur. in 6.* Couar. *lib.3. var. reſolut. cap.16. num.* 13. cum aliis latè deductis coram me in cauſa Camplen. beneficij 18. Decembris anni præteriti.

Non obſtat poſſeſſio Bonifacij 3 Bonfadini, quia non eſt de dicta Capella, ſed de Capella Sancti Ioannis. Et ideo poſſeſſio vnius rei non poteſt extendi ad aliam, Roman. *conſ.* 278. *in fine* Put. *deciſ.*310. *nu.2. lib.2.* † Et vnio quæ prætenditur fuiſſe 4 facta de Capella Sanctæ Mariæ ad Capellam Sancti Ioannis non probatur, niſi per atteſtationem Epiſcopi, quæ non ſufficit in præſenti caſu, ad Geminian. *conſ.57. num.5.* Achil. *deciſ.9. de probat.*

TOLETANA PENſionis.

Ven. 11. *Maij* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo exigendi penſionem, datur exiſtenti in quaſi poſſeſſione.*
2 *Penſionis reſeruatio plenè probatur ex ſumpto literarum, habito ex regiſtro.*
3 *Quaſi poſſeſſio exigendi penſionem, probatur ex pluribus quietantiis, & vnico teſte, & num.7.*
4 *In iudicio manutẽtionis leuiores probationes ſufficiunt.*
5 *Quaſi poſſeſſio exigendi penſionem probata contra anteceſſorem, afficit ſucceſſorem in beneficio.*

6 *Reſignans beneficium,& ſoluens penſiones præſumitur beneficium poſſediſſe.*

8 *Illegitimus clericus eſt capax penſionis.*

9 *Teſtes nulliter examinati faciunt adminiculum.*

10 *Penſionarius poteſt penſionem reſeruatam in fructibus, percipere in pecunia, & è contra, num.* 11.

Decisio XXXI.

1 DOmini dixerunt, dandum eſſe mandatum de manutenendo Roderico in quaſi poſſeſſione
2 exigendi penſionem, † cùm de eius reſeruatione conſtaret ex ſumpto literarum habito ex regiſtro, quod plenè probat. Rot. *deciſ.* 1. *num.* 1. *de fid. inſtrum.& 28.num.* 1. *de probat. in antiq.* Ægid. *deciſ.*252. Creſcent. 2. *de fid. inſtrum.* Franc. March. *deciſ.* 575. *num.*1.*par.*2. † Et de eius quaſi
3 poſſeſſione, *ad tex. in* §. *retinendæ, inſtit.de interd.* ex pluribus quietantiis ei factis à Petro de Acuedo Anteceſſore Ioannis de Cordoua, ad Com putum penſionis, & ex depoſitione Gabrielis,qui exegit penſionem, & recognouit propriam ma-
4 num,† cùm alias in hoc iudicio leuiores probationes ſufficiant, Put. *deciſ.*6.*lib.* 2. Paleot. *deciſ.*14. Capic. *deciſ.*3. & 8. Et fuit pluries dictum.

5 Non obſtat, quòd huiuſmodi quaſi poſſeſſio non probatur contra Ioannem, ſed contra Petrum, quia hæc quaſi poſſeſſio afficit etiam Ioannem ſucceſſorem in beneficio, Put.*deciſ.*151. *lib.*3. Guido Pap. *deciſ.* 629. Et fuit dictum coram R.P.D. meo Pamphilio in cauſa Mediolanen. Penſionis 11. Decembris præteriti & alias ſæpè.

6 Nec refert,quòd dicitur,non probari Petrum poſſediſſe dictum beneficium; quia viſum fuit Dominis contrarium,ad preſentem effectum, tum ex reſignatione, tum ex dicto primi teſtis ſuper 3. Nec videbatur veriſimile, quòd voluiſſet ſoluere penſiones, ſi beneficium non poſſediſſet, *ad tex.in l.cùm de indebito, ff.de probat.*

Quòd dicebatur,huiuſmodi quie- 7
tantias non fuiſſe recognitas, non officiebat, cùm pars habuerit illas pro legitimè compulſatis, & concurrebat depoſitio Gabrielis, qui exegit penſionem & recognouit propriam manum.

Nihil faciebat, quòd Rodericus 8
ſit illegitimus, quia cùm oſtendat Clericatum, non eſt incapax penſionis, ſecundùm opinionem quam Rota ſeruat.Ex eo enim illegitimus eſt incapax penſionis,quia non poteſt eſſe Clericus. Sarn. *in regula de annal. quæſt.* 21. *in fine.* Et fuit dictum coram bo.me.Oriolen.in cauſa Legionen.& Zamoren.Penſionis 10. Octobris 1577. relata inter impreſſas 425. part. 1. Paleot. *de noth. & ſpur. quæſt.* 85. Gambar. *de auct. leg. lib.*6. *num.* 284. quicquid dicat Gig. *de penſ. quæſt.* 16. & Rebuffus in ſua praxi, *tit.de diſpenſ.ſuper defect. nat.num.*48.

De eo autem quòd teſtes fuerint 9
nulliter examinati, non fuit habita ratio,cùm Rota vtatur dictis eorum pro adminiculo.Batt. *in l.*2.*num.*25. *verſ. quod probo, de appellat. recip.* Verall. *deciſ.*206. *num.*6. *par.*2.

Tandem non releuabat, quòd 10
penſio eſſet reſeruata in medietate fructuum, & nihilominùs Rodericus perceperit pecunias, tum quia potuit Rodericus iuri ſuo renuntiare,*l.ſi quis in conſcribendo,C.de pactis.* Tum quia illud idem non fuit habitum in conſideratione, in dicta cauſa Mediolanen. de penſione reſeruata in pecunia, quæ ſoluta fuit in fructibus.

Alia quæ opponebantur viſa fuerunt Dominis reſpicere iudicium petitorium, de quibus ſuo loco agetur, & interim Rodericus ſua poſſeſſione non venit priuandus. Mohed. *deciſ. 9. de cauſ. poſſ. & propriet.*

ROMANA EMphyteuſis.

Ven. 18. Maij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio perſonarum probatur per aſſertiones plurium inſtrumentorum, & per teſtes.*

2 *Identitas bonorum probatur ex duobus confinibus.*

3 *In emphyteoſi recepta pro ſe & filiis maſculis, & fœminis, fœmina non ſuccedunt, extantibus maſculis, ſed ſolum in eorum defectum, quando adeſt ſtatutum excluſiuum fœminarum.*

4 *Opinio de qua num. antecedenti, eſt fundata in præſumptione, quòd contrahentes cenſeantur ſe conformaſſe cum diſpoſitione ſtatuti.*

5 *A præſumptione de qua, num. 4. propter alias præſumptiones receditur, & num. 7.*

6 *Statutum excluſiuum fœminarum extantibus maſculis habet reſpectum ad conſeruandam agnationem.*

8 *Ex eo quòd in inſtitutione non fuerit habita ratio conſeruandæ agnationis, oritur coniectura, quòd neque fuerit habita in ſubſtitutione.*

9 *Apellatione deſcendentium, ex proprietate verborum veniunt etiam fœminæ.*

10 *Bona emphyteotica non hæreditaria, ſub generali diſpoſitione non comprehenduntur.*

11 *Emphyteoſis in qua non eſt facta mentio hæredum, non eſt hæreditaria.*

12 *Verbum* ſucceſſoribus, *poſitum ſine copula, & poſt verbum deſcendentibus, recipit declarationem à verbo, deſcendentibus, & intelligitur de ſucceſſoribus ſanguinis.*

13 *Primus acquirens emphyteoſim dicitur qui ab initio fuit primus inueſtitus.*

14 *Primus acquirens emphyteoſim an poſſit præiudicare ſucceſſoribus.*

15 *Secundus acquirens emphyteoſim non poteſt præiudicare ſucceſſoribus.*

16 *Beneplacitum Apoſtolicum ſpatio longi temporis præſumitur.*

DECISIO XXXII.

DVbitaui, an Sulpitiæ, & litis conſortibus competeret actio ad recuperationem domorum de quibus agitur, & Domini reſoluerunt, competere, quia de legitimatione perſonarum ſatis videbatur conſtare. †Nam quoàd Sulpitiam & 1
Liuiã, concurrũt promiſſiones dotis de anno 1548. & 1559. cũ aſſertione quòd erant filiæ legitimæ Eluiræ. Item aſſertio ipſius Eluiræ in teſtamento, de anno 1568. Depoſitiones teſtium, qui bene probant communem reputationem filiationis legitimæ, & tandem ſententiæ, & trãſactiones. Conſtat pariter de ſufficienti legitimatione Hortenſiæ filię Liuiæ, ex depoſitione duorum teſtium Secundi iuxta 19. & quarti iuxta 12. & ſuper 4. & 6. ad latè deducta in his terminis legitimationis perſonarum, in cauſa Mediolanen. emphyteuſis 23. Ianuarij 1599. coram bo. me. Orano. Et licèt quantum ad legitimationem perſonæ Lucretiæ nihil doceatur, ſatis tamen eſt, quòd ſit legitimata perſona ſupradictarum.

Ex

2 Et videbatur etiam de identitate domorum ſatis conſtare, cùm dentur pro confinibus viæ publicæ, quę ex oculari inſpectione hodie cernuntur ad Bart. *in tract. de teſtibus, num.* 28. *&* 29. *& ſeqq.* Aym. *conſ.* 112. *num.* 3. *&* 198. *num.* 2. Et fuit dicto coram Illuſtriſſimo Blanchetto in cauſa Romana domus, vltima Aprilis 1574.

3 Et quamuis in Emphyteuſi recepta pro ſe, & filiis maſculis, & fœminis, fœminæ non ſuccedant extantibus maſculis, ſed ſolùm in eorum defectum, quando adeſt ſtatutum excluſiuum fœminarum. Bart. *in l. vt iurisiurandi, §. ſi liberi, num.* 5. *ff. de oper. libert.* Curt. iun. *conſ.* 31. *nu.* 3. Decian. *conſ.* 30. *num.* 40. *& ſeq. vol.* 3. Latè Clar. *in §. emphyteuſis, quæſt.* 32. *verſ. ſed pone.* Et fuit dictum coram R.P.D. meo Penia in cauſa Romana Domus Sancti Ludouici 27. Nouembris proximè præteriti, † Tà-
4 men cùm iſta opinio ſit fundata in hac præſumptione, quòd contrahentes cenſeantur ſe conformaſſe cum diſpoſitione ſtatuti, *l. Gallus, §.* 1. & ibi DD. *ff. de lib. & poſthum.* & not. *in l. hæredes mei, §. cùm ita, ff. ad Trebell.* Brun. *in tract. de ſtat. excluſ. fœm. art.* 8. *quæſt.* 22. *num.* 105. *& ſeq.* Ancar. *conſ.* 125. *Viſis, ſub num.* 5. *verſ.* 2. *moueor,* Decian. *conſ.* 46. *num.* 65. *vol.* 2. *& conſ.* 30. *num.* 40. *& conſ.* 60. *nu.* 26. *vol.* 3. Corn. *conſ.* 91. *in princ.*
5 *& num.* 1. *vol.* 1. † Non habet locum quando concurrunt aliæ præſumptiones in contrarium. Socin iun. *conſ.* 71. *num.* 42. *lib.* 1. Illuſtriſſimus Mătica *de coniect. vlt. volunt. lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 14. Et ab iſta præſumptione facilè receditur, vt per Corn. *d. conſ.* 91. *num.* 1. *vol.* 1. *&* 202. *num.* 9. *vol.* 3. Aym. *conſ.* 250. *num.* 2. Decian. *d. conſ.* 60. *num.* 28. *& ſeq. vol.* 3. Et fuit dictum in cauſa Montis Faliſci hæreditatis 24. Febru. 1584. Videbatur autem Dominis. hîc concurrere vrgens coniectura in cõtrarium, quòd contrahentes noluerint ſe conformare cum diſpoſitione ſtatuti; quia Gundiſaluus habebat tres filios maſculos, & tamen eos excluſit propter filiam fœminam, ſtipulando ſolùm emphyteuſim pro Eluira, & eius deſcendentibus, & non vocando eos, niſi in defectum lineæ Eluiræ. Et ita excluſio filiorum maſculorum propter filiam fœminam, eſt de directo contraria diſpoſitioni ſtatuti, & oſtendit, quòd Gundiſaluus noluit præferre maſculos fœminis, iuxta formam ſtatuti; † nec 6
habuit reſpectum ad conſeruationem agnationis, in qua diſpoſitio prædicti ſtatus eſt fundata, *argu. l.* 1. *§. ſed & ſi ſeruus, verſ. publicè enim intereſt.* Bald. *in l. maximum vitium, num.* 4. *verſ. præterea, C. de liber. præter,* Cyn. *in l. publico, num.* 3. *verſ. modo ponamus, & verſ. præterea C. ad leg. Iul. de adult.* Socin. ſen. *in d. l. Gallus, §. nunc. de lege, num.* 4. *verſ. & addo prædictis, & conſ.* 1. *num.* 1. *vol.* 1. Caſtrenſ. *conſ.* 83. *num.* 2. *in fine vol.* 2. 7
† Ideoque ceſſat iſta præſumptio, quòd contrahentes voluerint ſe cõformare cum dicta diſpoſitione. Socin. ſen. *in d. §. nunc de lege, num.* 8. *verſ. ex quibus.* Aym. *d. conſ.* 250. *nu.* 2. Decian. *d. conſ.* 60. *nu.* 31. *vol.* 3. Illuſtriſſimus Manti. *in d. tract. lib.* 8. *tit.* 11. *nu.* 8. *verſ. ſimiliter.* † Et cùm in primo 8
gradu non fuerit habita ratio conſeruationis agnationis, neque reſpectus ad ſtatutum, ex hoc oritur efficax coniectura, quòd neque in vocatione deſcendentium Eluiræ fuiſſet habitus reſpectus ad ſtatutum. Et hoc maximè dicendum eſt, quia ex nulla parte contractus percipitur, fuiſſe habitam rationem conſeruationis agnationis quoàd deſcen-

dentes Eluiræ, ita vt fuerunt prælati eius descendētes masculi fœmi-
9 nis, † quia vocantur descendentes, quorum appellatione, ex proprietate sermonis, veniunt etiam fœminæ Bart. & alij *in d.l. Gallus, §. etsi à parente, ff. de liber. & posthum.* Paris. *cons.* 72. *num.* 7. *lib.* 4. Et postea vocantur ad successionem in defectum lineæ Eluiræ filij & filiæ Franciscæ sororis Gundisalui; ad tradita per Socin. *d. §. nunc de lege, num.* 8. *vers. ex quibus,* Illustrissimus Mantic. *d. tit.* 11. *num.* 8. Decian. *d. cons.* 60. *num.* 31.

Non obstat, quod Sulpitia, & Liuia non sint hæredes Gundisalui, †
10 quia sub generali dispositione non comprehenduntur bona emphyteotica non hæreditaria. Bart. *in l. si patroni,* & ibi communiter omnes, *sub num.* 3. *ff. ad Trebell.* Alex. *cons.* 91. *num.* 10. *lib.* 1. Illustrissimus Mantic. *in d. tract. lib.* 7. *tit.* 9. *num.* 5. Et fuit dictum coram R. P. D. meo Decano, in causa Bononien. de Bologninis 12. Ianuarij 1571. & coram R. P. D. meo Pamphilio in causa Romana domus & Emphyteusis 6. Martij 1595.
11 † Nec videbatur Dominis, posse dubitari, quòd ista Emphyteusis nō sit hæreditaria, cùm in concessione non sit facta mentio hæredum, & vocentur descendentes, vt per Clar. *in §. emphyteusis, quæst.* 16. *vers. emphy-*
12 *teusis non hæreditaria.* † Et quantumuis sit appositum illud verbum *(successoribus)* tamen cùm sit immediatè appositum ante verbum *(descendentibus)* sine copula, recipit declarationem ab illo verbo *(descendentibus)* & intelligitur de successoribus sanguinis. Et cessat omnis difficultas, quia in aliis partibus est appositum solùm verbum, *(descendentes)* sine illo aduincto, *(successores.)*

Non obstat, quòd Eluira instituit filios masculos in bonis emphyteuticis, † quia licèt emphyteusis fue- 13
rit recepta, & stipulata à Gundisaluo etiam pro Eluira, tamen illa non fuit prima acquirens, sed Gundisalus, qui solùm ab initio de anno 1583. fuerat inuestitus, & fecerat melioramenta, & in isto contractu se obligabat, expendere alios ducatos mille, & obtinere beneplacitum suis sumptibus, vt per Bald. *in auth. si quas ruinas, sub num.* 8. *vers.* 2. *ratio est C. de sacros. Eccles.* D. Sylueſter Aldobrand. *cons.* 6. *num.* 8. † Vnde 14
quicquid sit de veritate illius opinionis, an primus acquirens possit præiudicare successoribus, de qua per Clar. *in d. §. emphyteusis, quæst.* 16. *vers. his præmissis.* † Eluira nō pote- 15
rat præiudicare successoribus. Bald. *in l.* 1. *num.* 32. *C. per quas person.* Ias. *in l.* 2. *num.* 207. *in fine, vers.* 3. *limita C. de iure emphyt.* Grat. *cons.* 132. *num.* 4. *vol.* 1. Ruin. *cons.* 154. *num.* 3. *vers. nam quamuis, vol.* 3. Alex. *cons.* 106. *visis themate, num.* 8. *vers. sed ista disputatio, & cons.* 107. *num.* 3. *vers. nam ipsemet author. vol.* 4.

Quòd pro parte Conuentus Sancti Augustini opponebatur, in concessione non interueniſſe consensum Apostolicum, non obstabat, † quia secunda concessio seu prorogatio fuit facta de anno 1546. quo casu spatio tanti temporis elapso præsumitur. Corn. *cons.* 248. *num.* 31. *& seqq. lib.* 1. Put. *decis.* 184. *&* 208. *lib.* 2. Et fuit dictum coram bo. me. Oriolen. in causa Camerinen. Fideicommissi 7. Nouembris 1569. Nec lis agitata inter Gundisaluū, & fratres aliquid operatur, cùm non fuerit super dicto consensu, *ad l. Papinianus exuli. ff. de minor.*

CAME

CAMERINEN.
Dotis.

Lunæ 28. Maij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio cameralis nõ admittit exceptiones extrinſecas à contractu.*
2 *Legata ex bonis fideicommiſſo ſubiectis in primis ſunt detrahenda.*
3 *Exceptio non adimplemẽti in totum, vel in partem, impedit exequutionem obligationis cameralis, & numer. 4.*
5 *Ceſſio quæ venit ad caſum, à quo incipere non potuit, eſt inutilis.*

DECISIO XXXIII.

DOmini; Auguſtino ſolo informante, contra ipſum ſteterunt in deciſis, coram R.P.D. meo Pamphilio, 18. Februarij 1596. videlicèt non poſſe ſuſtineri mandatum per ipſum obtentum, contra Pantaleonem, nec aliud contra Durantem fideiuſſorem, qui, Pantaleone vigore illius mandati carcerato, vt inde liberaretur, promiſerat, quòd ſtaret iuri, & iudicatum ſolueret. Licèt enim Pantaleon, & Vincentius eius filius promiſiſſent in forma Cameræ, ſoluere dotem Auguſtino,
1 † quæ non admittit exceptiones extrinſecas à contractu, Caſſad. *deciſ. vnica de mut. petit.* Nihilominùs idem Auguſtinus promiſit, quòd Venantia filia Pantaleonis, & ſoror Vincentij cederet legato materno, quòd vtique tempore relaxati mandati contra Pantaleonem de anno 1592. fieri non poterat, cùm iam defuncto Vincentio Venantia vigore fideicommiſſi materni habuiſſet, vſque, de anno 1588. omnia bona, ex quibus legatum erat ſoluendum.
2 † Legata enim ex bonis fideicommiſſi in primis ſunt detrahenda, Roman. *conſ. 276. num. 6.* Et dubitandum quidem non eſt, quin hæc exceptio impediat exequutionem obligationis Cameralis, ad tradita per Galeſ. *ad formulam obligat. Camer. ad partem quartã ſecundæ partis, quæſt. 1. num. 10. & 12.* Et tenuit Rota in cauſa Romana pecuniaria de Zabreriis, 4. Maij 1580. coram Cantuccio.

Conſiderabat vnus ex Dominis, quòd renunciatio Venantiæ debebat præcedere, & hoc ſic inferebat:

Nam cùm eſſet data dilatio ad ſoluendum dotem per plures annos, nihilominùs promiſerat Auguſtinus, nomine futuræ ſponſæ, quòd ipſa cederet dicto legato, fueratque conuentum in apocha, quòd tempore ſponſalitij hæc omnia in publicum inſtrumentum redigerentur, cum obligationibus & renunciis. Vnde ſi durante dilatione ad ſoluendum, debebat fieri inſtrumẽtum renunciationis, ſatis apparet, quòd iſta renunciatio debebat præcedere dotis ſolutionem. † Et hæc 3
quidem exceptio non adimplementi impedit exequutionem obligationis Cameralis, Veral. *deciſ. 127. par. 3.* Put. *deciſ. 757. lib. 3.* Gales. *loco præcitato, num. 7.* † Et prædicta 4
obtinerent, etiamſi pro parte fuiſſet adimpletum, Dec. *in lucùm proponas, 2. num. 5. verſ. 4. ampliatur C. de pactis.* Roland. *conſ. 53. num. 29. lib. 1.* Put. *deciſ. 340. nu. 2. lib. 1.* Veral. *deciſ. 316. num. 2. par. 3.*

Non obſtat ceſſio facta in actis per Auguſtinum, de anno 1595. tam nomine proprio, quàm vxoris pro qua de rato promiſit, quia etiamſi fuiſſet facta iuxta ſuam obligationem, nihilominùs cùm iam Venantia ante dicta ceſſionem habuiſſet

omnia bona materna, ceſſio erat
5 inutilis,† & venerat ad caſum à quo incipere non poterat, & ideo nihil operabatur; quod erat de directo contrarium intentioni contrahentium Soc. Sen. *conſ.vlt.num.3.lib.3.*

ROMANA LEGATI della Porta.

Ven. 1. Iulij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum in litem datur parti petenti mobilia, de quibus conſtat per inuentarium, ad ſciendum illorum valorem, niſi altera pars exhibeat, aut doceat de amiſſione inuentarij, & num.3.*

2 *Pro inuentario præſumitur.*

3 *Iuramentum in litem ad probandum valorem bonorum, datur contra illum qui non permiſit bona deſcribi, dummodò de bonis conſtet per teſtes.*

DECISIO XXXIV.

Vide Dec. 1 Seruien. 24

DOmini cenſuerunt, quantùm ad bona contenta in inuentario, dandum eſſe Eliſabethæ iuramentum in litem, præuia taxatione iudicis, quia concurrunt omnia requiſita, videlicèt, quòd ipſa ſit coniuncta perſona, & veriſimiliter informata, cùm permanſerit in domo Equitis eius viri, vſque ad illius obitum, déque eorum quantitate cõſtat ex ipſomet inuentario, quod fuit factum in præſentia Ioannis
2 Pauli, & Thomæ, & pro eo præſumitur. *l.final.§.1. C.de iur.deliber.cum ſimil.* Ideoque niſi mobilia in eo cõtenta exhibeãtur ad effectum ſcien-
3 di eorum valorem, vel probetur caſus amiſſionis, abſque culpa ipſius Ioannis Pauli, & Thomæ, hæredum, non poteſt denegari D. Eliſabethæ dictum iuramentum. Caſtranſ. *conſ.* 212. *num.3. lib.4.* Seraph. *de priuil. iuram. priuil.31. num.104. verſ. ſextus caſus.* Et fuit dictum in cauſa Romana de Vitellis, coram bo. me. Bubalo, 1. Iulij 1587. eóque màgis cùm concurrat æſtimatio ad inſtantiam Ioannis Pauli, & Thomæ de qua deponit 25. teſtis ſuper 5.

Quantum ad alia bona non con- 4
tenta in dicto inuentario, de quibus deponunt teſtes primus 2. & alij res eſt difficilis probationis. Sed quia hoc prouenit ex culpa ipſius Ioannis Pauli, & Thomæ, qui non permiſerunt, huiuſmodi bona deſcribi, prout deponunt 2. & 4. teſtes ſuper 4. dixerunt pariter Domini, dandum eſſe iuramentum in litem D. Eliſabethæ, habito reſpectu, an aliqua fortè ex bonis, de quibus deponunt teſtes, fuiſſent deſcripta in inuentario.

PACEN. DECIMARVM.

Lunæ 4. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *A limitibus territorij ad limites decimatorios, in dubio non infertur, niſi contrarium probetur per teſtes, num.2.*

3 *Teſtes debent reddere cauſam ſcientiæ.*

4 *In finibus probandis leuiores & imperfectæ ſufficiunt probationes, cùm ſit materia difficilis probationis.*

DECISIO XXXV.

VOlui particulariter dubitare, an probaretur, locum dell' Hebreros eſſe intra limites Eccleſiæ Pacen. Et Domini affirmatiuã fuerunt amplexi. † Licèt enim regula- 1
riter non inferatur à limitibus territorij ad decimatorios, *c.* 1. vbi gloſ.

in

in verb. locis, de relig. dom. Et fuit dictum coram me in hac cauſa, 29. Ianuarij præteriti. Hoc tamen pro-
2 cedit in dubio, † ſed ſecus eſt in præſenti caſu, vbi teſtes *in ſum. nu.* 2. probant, territorium Pacen. eſſe decimatoriũ Epiſcopi, & Capituli & alij in ſum. *num.* 3. probant, locum dell' Hebreros, eſſe intra territorium Pacen. Ex quibus ſatis arguitur, ad diſtinctionem territorij temporalis ad ſpirituale. Butr. *in d. cap. 1. num. 15. de relig. domib.* Felin. *in c. quia indicante, ſub num. 6. verſ. cum iſtis concordat, de præſcript.* Franc. March. *deciſ. 352. num. 2. lib. 2.* Et fuit reſolutum coram R.P.D. meo Pamphilio in cauſa Bracharen. decimarum 19. Ianuarij huius anni.

Non obſtat, ſi diceretur, quòd teſtes deponentes, locum dell' Hebreros eſſe intra limites ciuitatis, nullam ſcientiæ cauſam reddunt, prout deberent, Bald. *conſ. 286. num. 3. lib. 2.* Nam vnus ex ipſis bonam reddit rationem, nempe pluries vidiſſe ſe limitationes. Secundus dat rationem, quia arcendatur, vt de territorio Pacen. cùm aliàs in confinibus probandis, quia hæc materia eſt difficilis probationis, Guido Pap. *deciſ. 193.* leuiores, & imperfectæ probationes ſufficiant, *cap. cùm cauſam*, vbi DD. *de probat.* Becc. *conſ. 42. num. 10.* Franc. Marc. *quæſt. 111. par. 2.* Afflict. *deciſ. 23.* Et fuit dictum in dicta cauſa Bracharen. coram R.P.D. meo Pamphilio.

FLORENTINA PECUNIARIA.

Ven. 8. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Fideiuſſor qui debet releuari indemnis, ſi ſoluit & accepit in ſolutum tot bona pro pecunia ſoluta, cum pacto, quòd re euicta redire poſſet ad primaria iura, re euicta etiam in parte, debet indemnis releuari, nu. 3.*

2 *Liber depoſitarij concurrentibus adminiculis probat.*

4 *Hæres tenetur ad id quod eius author tenebatur.*

5 *Denunciatio litis quæ fit vendenti, non eſt neceſſaria, quando conſtat, nullum ius vendenti competere.*

6 *Actiones ſuper bonis competentes poſt confiſcationem bonorum, transferuntur in fiſcum.*

7 *Iura extracta ab ipſis actuariis, ſunt in forma probante.*

8 *Item iura extracta à ſucceſſoribus in officio, ſunt in forma probante.*

9 *Item iura ex tracta ab Archiniſtis.*

10 *Iura ex tracta in vno territorio, non probant in alio territorio, & inter perſonas non ſubditas.*

11 *Probant tamen inter ſubditos ratione cõtractus, aut ex alia cauſa, etiam extra territorium.*

DECISIO XXXVI.

VEndiderat Alexander Soderinus Raphaëli de Medicis quædam bona, pretio flor. 3500. cum promiſſione de euictione Io. Victorij Fratris, quem in inſtrumento guarantigiato idem Alexander indemnem releuare promiſerat. Sequuta euictione maioris partis dictorum bonorum, Raphaël venditionem pro reſoluta habuit, promiſitque Antonius Franciſcus filius Alexandri, ipſo iam mortuo, deponere dictos Florenos 3300. & pro eo Io. Victorius fideiuſſit; qui, non adimplente Antonio Franciſco, coactus fuit ſoluere dictã ſummam; pro qua, vigore laudi recepit in ſolutum ab Antonio Franciſco quoddam prædium domus Albæ, pacto appoſito, quòd in euentum euictionis

nis posset redire Ioannes Victorius ad primæua iura. Euicto hoc prædio, dubitaui, an Antonius Franciscus teneretur releuare indemnem Petrum Thomam Filiũ Ioan. Victorij iam defuncti. Et Domini sub die 6. Aprilis præteriti censuerunt, teneri. Sed quia resolutio in contumaciam Antonij Franciſci fuit capta, iterum vtraque parte informante, proposui dubium, & Domini steterunt, *in decisis.*

1 Prædium enim domus Albæ fuit euictum, & ideo redeundo Petrus Thomas ad primæua iura, tenetur Antonius Franciscus ipsum releuare indemnem, iuxta obligationem sui patris, cùm soluerit Ioannes Victorius eius pater integrum pretium dicti prædij videlicèt Flor. 3300. vt constat ex partitis Mercatoris depo-
2 sitarij electi. † Quæ concurrentibus adminiculis venditionis, fideiussionis, sequestri bonorum Io. Victorij, probat. Bart. *in l. admonendi, num. 27. ff. de iureiur.* vbi Ias. *num. 127.* Guido Pap. *decis. 441.* Afflict. *decis. 402.* Surd. *decis. 199. num. 11.* Et fuit pluries resolutum.

3 Non obstabat, quòd non omnia bona, sed maior tantùm pars fuerit euicta, & ideo, cùm Ioannes Victorius non potuerit teneri de euictione, nisi pro parte euicta, quæ quanta sit, nondum satis constat: priùs veniebat liquidanda, cùm in plus non teneatur Antonius Franciscus ipsum releuare indemnem. Nã cùm Raphaël venditionem pro resoluta habuerit, & Antonius Franciscus promiserit deponere Florenos 3300. quos coactus fuit soluere Ioannes Victorius, quẽ indemnem iam promiserat releuare Alexander, vtique tenetur Antonius Frãciscus id præstare, ad quod eius Pater tenebatur,
4 † cùm sit illius hæres, *l. vnicã C. vt action. ab hæred. & in hæred.*

Ad id quod dicebatur, non fuis- 5
se Antonio Francisco litem intimatam super euictione prædij domus Albæ, placuerunt Dominis responsiones in alia decisione datæ, videlicèt, quòd etiamsi litis intimatio fuisset necessaria, & sufficienter non fuisset facta, nihilominùs non interat, cùm nullum ius Antonio Frãciſco competere posset, vt fuit resolutum coram Illustrissimo Blanchetto in causa Romana emphyteusis, 25. Febr. 1579. vbi allegatur, decisio coram Orano in causa Neapolitana euictionis. Et pariter fuit resolutum coram R. P. D. meo Litta, in causa Bononien. euictionis. 27. Octobris 1597.

Nec referebat, quòd euictio fue- 6
rit sequuta post confiscationem bonorum Antonij Franciſci, & ideo fuerit omnis actio translata in fiscũ, *l. 2.* vbi gl. *in verb. tutelæ, C. ad lex. Iul. de vi public.* & tradit latè Peregr. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 53. cum aliis sequen.* Nam Antonius Franciscus habet alia bona extra statum Serenissimi. Magn. Ducis.

Quod dicebatur, iura non esse in 7
forma probanti, non verificabatur in facto, si quidem alia sunt extracta ab ipsismet actuariis. Bart. *in auth. si quis in aliquo, vers. 2. oppono, sub num. 2.* vbi Dec. *num. 15. & seqq. C. de eden.* idem Bart. *in l. in fraudem, §. neque instrumenta, num. 2. vers. idem puto, ff. de iure fisc.* Felin. *in cap. fin. nu. 5. de fid. instrum.* Roman. *cons. 105. num. 3. sub fine,* Card. *cons. 72. num. 7. in princ.* Rota. *decis. 1. de fid. instrum. in nouis,* Ægid. *decis. 58.* Verall. *decis. 170. par. 1.* Et fuit dictum in vna Bracharen. iurispatronatus de Padronello, 26. Martij proximè præteriti coram R. P. D. meo Sacrato.

Alia verò à successoribus in 8
officia,

officia, *ad cap. cùm P. Tabellio, de fid. inſtrum.* Bart. *in l. 1. §. ſi quis in duobus, ff. de bon. poſſeſſ. ſecund. tabul.* Dec. *in d. auth. ſi quis in aliquo, num. 26.* Verall.
9 *deciſ. 351. par. 2.* † Et alia ab Archiuiſtis. Dec. poſt Alex. & alios *in d. auth. ſi quis in aliquo, num. 23. C. de edendo* Felin. *in cap. ad audientiam num. 11. & ſeq. de præſcript.* Card. *conſ. 72. num. 6. & 7.* circa finem, *verſ.*
10 *ego verò tenui.* † Quæ quamuis non probent extra territorium, & inter perſonas non ſubditas, Verall. *deciſ.*
11 *42. lib. 1.* † at certè illud ſatis conſtat, quòd inter ſubditos ratione contractus, aut ex alia cauſa, etiam extra territorium probant, *arg. l. ſi non ſpeciali, & l. fin. cum ibi notatis C. de teſtam.* Bald. *in l. exemplo, num. 5. C. de prob.* Felin. *in d. c. ad audientiam, num. 12. verſ. qui tamen non negant.* Cardinal. *d. conſ. 72. num. 8.* Verall. *deciſ. 42. lib. 1.*

SPOLETANA BONORUM.

Merc. 13. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Hæres non poteſt venire contra factum ſui authoris.*
2 *Ratificare quis non cenſetur actum nullum, niſi notitiam habuerit de nullitate, quando agitur de obligando, & nu. 3. & 4.*
5 *Ratificare dicitur, etiam de facto ratificans.*

DECISIO XXXVII.

DOmini cenſuerunt, filios Angeli non poſſe agere contra
1 Pirottum & Ruſcham; † cùm illis non liceat vti hæredibus patris, venire contra ipſius factum, *l. cùm à matre*, vbi DD. *C. de rei vendic.* qui maior factus, in calculo habito cum Iulio eius tutore, acceptauit partitam Ruſchæ, *l. 1.* vbi Bald. *C. ſi ma. fact. rat. hab.* Afflict. *deciſ. 285. num. 12.* Barbat. *conſ. 71. col. 2. verſ. 3. iſta pars ante num. 1. vol. 3.* Cephal. *conſ. 51. num. 12. & 45. vol. 1.*

Non obſtat, quòd venditio cen- 2
ſus facta Ruſchæ continebat plures nullitates, & ideo ratificata non poſſet cenſeri, niſi doceatur, Angelum habuiſſe notitiam dictarum nullitatum, Corn. *conſ. 207. num. 8. lib. 3.* Socin. Iun. *conſ. 59. num. 5. lib. 1.*

Nam aduertendum eſt, quòd hîc 3
non agitur de obligando Angelo; Hoc enim caſu fuiſſet neceſſe, quòd de dictis nullitatibus, & contentis in inſtrumento notitiam habuiſſet. Natt. *conſ. 636. num. 194.*

Sed dicitur, quòd cùm Iulius tutor Angeli cum ipſo eſſet obligatus, & exequutio fuiſſet facta ad inſtantiam Ruſchæ, ſuper bonis Iulij, non poterat Angelus pro prætenſo ſuo anteriori credito, agere contra bona deliberata ad fauorem Ruſchæ, cùm cauſam ex qua creditū Ruſchæ reſultabat, acceptaſſet, & id quod intus habebat, videbatur petere.

Ex quibus videbatur ſatisfactum 4
his quæ luculenter pro parte filiorum Angeli deducebantur, quia ſcilicèt procederent, ſi ageretur de obligando Angelo.

Nihil facit, quòd Ruſcha obti- 5
nuerit mandatum pro ſorte principali cenſus contra hæredes Iulij, ob id quòd Angelus non ratificauerat, quia ad effectum de quo hodie agitur, ſatis eſt, quòd ratificatio Angeli de facto interuenerit.

PACEN. DECIMARVM dell' Hebreros.

Merc. 13. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet assistentiam iuris in perceptione decimarum, quando Ecclesia Cathedralis est parochialis.*

2 *Decimæ Ecclesiæ Cathedralis, Parochialis, vel ad Capitulum, vel ad Episcopum pertinent.*

DECISIO XXXVIII.

Post resolutionem factam coram me die 4. præsentis, in qua fuit concluſum, locum dell' Hebreros esse infra limites Cathedralis Pacen. sumpta occasione quòd decimæ huius loci pro medietate percipiuntur à Reuerendissimo D. Episcopo, pro alia verò medietate à Duce Feriæ. Et quòd Capitulum est in possessione exigendi medietatem omnium decimarum territorij Pacen. aliam verò D. Episcopus, vt deponunt testes de publica voce, & fama, octauus super 9. & nonus super 4. & decimus super eodem, in sum. num. 2. Dubitaui an decimæ quæ percipiuntur ~~à Duce in dicto~~ loco dell' Hebreros, debeantur Capitulo: non potui super hoc dubio habere omnimodam resolutionem,
1 sed Domini inclinabant deberi, † quia cùm præsupponatur, Ecclesiam Cathedralem Pacen. esse Parochialem, (de quo tamen particulariter agendum erit) ius assistit Episcopo, *c. dudum, de decimis*, Rebuff. *de decim. quæst. 7. vers. 7.* Et ideò cùm Dux aliquod priuilegium, vel rationabilem causam minimè ostendat, vt requiritur *cap. cùm contingat.* vbi glos. *de*
2 *decim.* † vel spectant huiusmodi decimæ ad Episcopum in totum, vel ad Capitulum pro parte. Et sic sufficit, quòd de cõsensu Episcopi percipiantur à Capitulo. Et ad hoc proposito placuit Dominis decisio coram bo. me. de Rubeis, in causa Oscen. decimarum. 21. Martij 1564.

Sed quia Capitulum non ostendit concludenter, Episcopum sibi assistere, quæ fuit potissima ratio decisionis Oscen. nec fuit aliquid dictum pro parte Parochialis de Villalua Pacen. dioces. quæ est in causa, neque pro parte beneficiatorum Capellæ per Federicum Suarez fundatæ, qui pariter sunt in causa, ideo totalis resolutio præsentis dubij ad Kal. fuit remissa, eóque libentiùs, quòd procurator Ducis comparuerit in Curia, & affirmat causam Domini sui, quæ per contradictas fuit agitata, se velle tueri.

ZAMOREN. DECIMARUM.

Merc. 27. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Decretum de sequestrando, non probat, sequestrum fuisse appositum.*

2 *Conditio si sequestrum fuit appositum, intelligitur cum effectu.*

DECISIO XXXIX.

Conceſserat Illustrissimus D. meus Cardinalis Arragonius tunc Rotæ Auditor Commendatori della Boueda mandatum de manutenendo in perceptione omnium decimarum Montis del Pego, cum conditione, quòd quatenùs aliàs super decimis Sancti Michaëlis della Riuiera, sequestrum appositum fuisset, illud remanere deberet. Vnde, quia prætendebat Abbas S. Mariæ Consolationis, appositum iam ante fuisse à iudice de partibus dictum sequestrum; petebat coram me inhibitionē contra dictum Commendatorem, ne prædictas decimas

San

Sancti Michaëlis exigere auderet.

Consultis desuper Dominis, placuit, inhibitionem non esse concedendã. Licèt enim fuisset concessum sequestrum, non tamen probatur, quòd habuerit effectum: † Per solum enim decretum dici non potest, sequestrum fuisse appositum, *argu. l. proprie, & l. licet ff. deposit.* & etiam quæ notat Cardinal. *in clem. 1. num. 22. de sequestr. possess. & fruct.* † Illa autem conditio in mandato Illustrissimi D. mei Cardinalis, debet intelligi quatenus cum effectu adesset sequestrum, *ad tex. in l. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque iuris, & in c. relatum de cler. non resid.* Becc. *cons. 385. col. pen. vers. his tamen non obstan.* Et ita fuit resolutum.

OSCEN. PENSIONIS.

Merc. 27. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Pensio in cuius reseruatione concurrit voluntas, & potestas Papæ, est valide reseruata.*

2 *In reseruatione pensionis non est necessarium, facere mentionem de lite quæ est super titulo beneficij, vel quando non agitur de præiudicio collitigantis.*

3 *Lite inter duos pendente, tertius impedire non debet, quominùs iure suo vtatur.*

4 *In beneficialibus symonia committitur ex constitutione Ecclesiæ.*

5 *Authoritas & beneplacitum Papæ in beneficialibus omne symoniæ vitium excludit.*

6 *Pensionarius existens in quasi possessione exigendi pensionem, non tenetur iustificare narrata, quando titularis consensit reseruationi pensionis, in iudicio possessorio & nu. 7.*

8 *Pensionarius existens in quasi possessione exigendi pensionem, tenetur narrata iustificare in iudicio petitorio, contra illum qui consensit pensioni.*

DECISIO XL.

DOmini concluserunt, pensionem esse validam, dummodò iustificetur; in eius enim reseruatione concurrit voluntas, & potestas Papæ, *ad tex. in l. si quæramus, ff. de testam. l. conficiuntur, §. 1. ff. de iure codicil. cum vulgar.* 1

Nec refert, quòd in reseruatione non fuerit facta mentio de lite, quia non erat necessaria, cùm lis esset super titulo beneficij, nec ageretur de præiudicio collitigantis; nouum enim onus non imponebatur super beneficio, cùm antiqua pensio, solutis per titularem quibusdam annatis anticipatis, fuisset cassata, & conuentum, quòd noua solueretur Didaco. Ægid. *decis. 748. num. 3. vers. aut loquimur* Mill. *in repert. in verb. gratia impetrata, lite penden.* Gabriel. *de iudic. concluf. 4. num. 34.* † Et, vt benè dicit Oldrad. *cons. 299. num. 1. in fine*, lite inter duos pendente, tertius impedire non debet, quominùs iure suo vtatur. 2 3

Nec etiam officit, quòd pacta in cassatione posita videantur symoniaca; † quia cùm versemur in beneficialibus, in quibus symonia committitur ex constitutione Ecclesiæ, Dec. *cons. 141. num. 2.* † Et omnia de beneplacito sanctissimi fuerint gesta, eius authoritas tale vitium excludit, secundùm distinctionẽ gloss. *in cap. cum pedem, in verb. illicite, de pact.* & ibi Imol. *num. 8.* Butr. *num. 16.* Felin. *in c. ad audientiam, 2. nu. 3. vers. quod autem dicta conuentio, de rescript.* Decius, *d. cons. 141. nu. 2. & cons. 436. nu. 17. & 18.* latè Sot. de Iust. & iur. *lib. 9. quæst. 51. art. 2.* 4 5

6 Quantum attinet ad iuſtificationem, ad quam ſe non teneri prætendebat Didacus, ſub prætextu quòd Hieronymus conſenſiſſet reſeruationi penſionis. Guidob. *deciſ.* 12. Et fuit reſolutum coram bo.me. Gyptio in cauſa Salamantina penſionis, 26. Martij 1593. Hoc non verificabatur in facto, cùm ſolùm Hieronymus ſe obligaſſet in forma Cameræ, de ſoluenda penſione, quod viſum fuit Dominis, non æquipollere conſenſui præſtito ſuper reſeruatione.

7 Nec applicatur, quòd exiſtens in quaſi poſſeſſione exigendi penſionem, non tenetur iuſtificare narrata. Mohed. *deciſ 9. de cauſ. poſſ. & propr.* cum ſimilibus; quia hoc procedit in
8 poſſeſſorio, † hîc autem verſamur in petitorio, & ſic in iudicio longè diuerſo, in quo exiſtens in quaſi poſſeſſione, in caſu de quo agitur, tenetur iuſtificare narrata, vt fuit reſolutum in præallegata cauſa Salamantina.

PERVSINA SIVE Tudertina bonorum.

Merc. 4. *Iulij* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Per donationem dominium etiam abſque traditione transfertur in Eccleſiam.*

2 *Inſtrumentum emptionis, concurrentibus adminiculis, probat dominium, num.* 4.

3 *Inſtrumentum emptionis regulariter non probat dominium.*

5 *Identitas probatur per teſtes, etiamſi cõfinia in duobus inſtrumentis enunciata non concordent, quando concordat quantitas terræ, nomen venditoris, & notarij.*

DECISIO XLI.

VIſum fuit Dominis, conſtare de 1
dominio Eccleſiæ, quoàd prædium emptum per Iacobam donatricem, de anno 1493. ex ipſiuſmet Iacobæ donatione, per quam fuit dominium etiam abſque traditione in Eccleſiam tranſlatum, *l. fin. verſ. in his autem*, vbi gloſ. *in verb. in rem C. de Sacroſ. Eccleſ.* & ibi Bart. *in princ. & num.* 17. & alij. † De dominio au- 2
tem ipſiuſmet Iacobæ conſtat ex inſtrumento emptionis, quod licèt re- 3
gulariter non probet dominium, Alex. *conſ.* 10. *lib.* 4. † ſecùs tamen 4
dicendum eſt in præſenti caſu, in quo concurrunt adminicula, videlicet, quia tam Franciſcus venditor, quàm Iacoba, vt ex depoſitionibus teſtium patet, poſſederunt, fructus percipiendo, pretiumque fuit numeratum, *l. proprietatis*, vbi gloſſ. *in verb. emptionis, C. de probat.* Benè facit deciſio Veralli 281. *par.* 1. *in impreſſ.*

Nec obſtat, ſi diceretur, quòd cõfines inſtrumenti emptionis non concordant cum confinibus inſtrumenti donationis, † quia nihilomi- 5
nùs concordat quantitas terræ emptæ, nomen venditoris, & notarij rogati, & ceſſat omnis difficultas ex teſtibus examinatis, qui probant, hanc petiam terræ priùs à Franciſco venditore fuiſſe poſſeſſam, & poſteà à Iacoba, & demùm per fratres. Ex quibus de illius identitate non eſt ambigendi locus.

Quantum ad aliud prædium, placuit Dominis, quòd fratres meliùs ſuam intentionem coadiuuarent.

TERDONEN. Præpoſituræ.

Ven. 26. *Octobris* 1601.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Si quis dicit, aliquem nunquam fuisse legitimè assequutum beneficium, & petit illud sibi conferri, causa dicitur beneficialis.*

2 *Si quis dicat, quem obtinuisse beneficium, sed illo posteà priuatum, aut priuandum, causa dicitur profana, & num.* 8.

3 *Si quis petit aliquem priuari beneficio, & sibi conferri, vel adiudicari, causa dicitur beneficialis.*

4 *Iudicium ab actore est metiendum.*

6 *Apellatio non diuersificat causam, sed instantiam.*

7 *Ad effectum qualitatis iudicis, attenditur quod principaliter agitur.*

8 *Ex eo quòd regens Cancellariæ causam aliquam inter beneficiales distribuat, causa non dicitur beneficialis.*

DECISIO XLII.

AD instantiam fisci Terdonen. Camillus ob non residentiam fuit priuatus beneficio de quo agitur, quod postea ordinarius contulit Alberto. Appellauit Camillus à sententia lata ad fauorem fisci, & obtinuit causam committi in Rota R.P.D. meo Decano, qui tulit sententiam ad fauorem Camilli, à qua appellatione interposita, & introducta causa coram me, dubitaui, ex quo Albertus adhærebat huic causæ, an esset beneficialis, vel profana. Et Domini pro resolutione distinguebant tres casus, quorum duo distinguit glos. Magistralis, *in clem. dispendiosam, in verb. beneficiis*, ibi, *si verò agatur, de iudic.*

1 Quòd videlicèt aut dicitur, aliquem nunquam fuisse legitimè assequutum beneficium, & petitur sibi conferri, & hoc casu agitur de titulo, & consequenter causa est beneficialis, & in his terminis loquitur decisio in causa Casalen. seu nullius Præposituræ coram bo.me. Gyptio 9. Iunij 1597.

2 Aut dicitur, quem obtinuisse beneficium, sed illo posteà priuatum, aut priuandum. Et hæc causa dicitur prophana. Et dictam distinctionem glossæ sequuntur ibidem Cardin. *num.* 16. Imol. *num.* 3. *vers. vltimò quæritur* Anchar. *in 6. notab.* Vitalin. *num.* 27. *& seqq. & num.* 49. & tradit Bald. *in auth. litigiosa, C. de litig.* Put. *decis.* 496. *num.* 2. *lib.* 2. *& decis.* 67. *incip. in vna* Hispalen. Tholom. *de pension. decis.* 2. *incip. Ro. Parochialis*, Achil. *decis.* 5. *num.* 6. *& seqq.* eodem titulo.

3 Aut tertiò petitur, aliquem priuari, & sibi beneficium conferri, vel adiudicari. Et causa dicitur beneficialis, *cap.* 2. & ibi glos. *in verb. finita, vt lite pend. in* 6. *Clem.* 1. *in verb. cùm possessorem, de sequestr. poss. & fruct.* Sarn. *in regula de subrogand. quæst.* 7. *in princ. & in reg. de Annali quæst.* 42. *in princ.* Put. *decis.* 496. *num.* 2. *& 3. lib.* 2. *& decis.* 66. *incip. in vna Hispalen.* Et fuit dictum coram me in hac causa 2. Februarij prædicti.

Quibus sic positis Domini dixerunt, nos versari in 2. casu, & sic in prohanis † Iudicium enim ab acto- 4
re est metiendum, *l.* 1. *in princ. ff. si pars hæred. pet.* Ægid. *decis.* 616. Cassad. *decis.* 13. *super regul.* Fiscius autem qui est actor, egit ad priuationem Camilli, ob non residentiam, & obtinuit, ob id, sententiam priuationis promulgari. Quapropter 5
nec causa dicitur beneficialis, nec beneficium efficitur litigiosum. Et vltra relatos hoc dicit glos. *in cap.* 2. *in verb. finita*, ibi, *pone enim, vt lit. pend. in* 6. Ferret. *cons.* 12. *num.* 17. *& seqq. lib.* 1. Sarnen. *in reg. de subrog. quæst.* 7. *per totam.* Put. *decis.* 66. *lib.* 2.

Et fuit dictum coram bo.me.Orano in causa Placentina Capellanis 26. Nouembris 1593.

Non obstat,quòd beneficium post priuationem Camill. fuit collatum Alberto, & causa appellationis cõmissa in Rota. Nam initium litis est spectandum, in quo Albertus non erat in causa, & hodie tantùm ad-
6 hæret fisco pro suo interesse. † Et appellatio non diuersificat causam, sed instantiam: nam causa eadem censetur in 2. instantia, prout erat in prima, *glos. in l. ita demum, in verb. agitur*, vbi Salicet. *in fin. & in l. inuitus, num.* 15. *C. de procurator.*

Neque obstat illa enunciatiua *(de, & super prouisione)* de qua in sententia R.P.D. mei Decani, quia hodie non mutat naturam causæ; cùm de ea principaliter dubitatur. Et ita responderi potest ad aliam enunciatiuam Commissionis *(de, & super*
7 *Parochiali)* † quia ad effectum qualitatis iudicij attenditur quod principaliter agitur. Anchar. *in clem. dispendiosam, in 6. notab. vers. item quandoque*, & post eum, Imol. *num.* 3. *vers. potestis dicere, de iudic.*

8 Quod Reuerendissimus D. Regens hãc causam inter beneficiales distribuerit, non mouit Dominos; licèt enim Rota tantũ huic viro tribuat, quantum cuique doctissimo tribuere conuenit, tamen huiusmodi distributiones facit sine causæ cognitione, & ex eo solùm quòd in eis de beneficiis mentio habetur.

CÆSENATEN. LVCRI Dotis.

Lunæ 5. Nouembris 1601.

SVMMARIVM.

1 *Imputare sibi debet maritus, si accepit in dotem bona, ex quibus lucrum dotale non potest consequi.*

2 *Lucrum dotale ex re emphyteotica detrahi non potest.*

3 *Fallit hæc conclusio, si maritus expressè sibi cauit de lucro, & noluit acceptare dotem in bonis emphyteoticis, nisi cum hac qualitate, quòd & debeatur lucrum dotale, & nu* 4.

5 *Renunciatio non inducitur, nisi ex verbis claris & apertis.*

Decisio XLIII.

QVamuis Franciscus Maria re- 1
ceperit fundum emphyteoticum in dotem, & ideo videretur dicendum, sibi imputari debere, si scienter voluit recipere rem subiectam restitutioni, † ex qua, eue- 2
niente casu restitutionis, lucrum consequi non posset, Alex. *cons.* 176. *num.* 9. *lib.* 7. Paul. *cons.* 59. *nu.* 3. *lib.* 1. Phanut. *de lucr. dot. gloss.* 10. *num.* 58. circa finem. † Tamẽ Domini in casu 3
de quo agitur contrarium censuerunt, aliquibus tamen contradicentibus, quia Franciscus expressè sibi videtur cauisse de hoc lucro in capitulis dotalibus, *cap.* 10. ibi, *che al signor sposo s'intenda Saluo il lucro dotale secondo la forma dello statuto.* Et ideo consequenter iuxta illud debet extendi assecuratio lucri dotalis in instrumento, cùm capitula dotalia ad instrumentum conficiendum habeant relationem.

Non obstat,quòd lucrum sit pars 4
dotis, quia ideo fuit facta ista reseruatio, & cùm omnia capitula sint correspectiua, videtur maritus noluisse acceptare dotem in bonis emphyteoticis, nisi cum hac qualitate, quòd ei debeatur lucrum, præsertim cùm versemur in materia renũciationis, † quæ non inducitur nisi 5
ex verbis claris, & apertis. Card. *cons.* 120. *nu.* 3. *vers. item talis*, Dec. *cons.* 495. *nu.* 19. & 20. cum aliis per Alber. *cons.* 776. *in fine.*

RO

ROMANA PECVniaria.

Lunæ 12. Nouembris 1601.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum facit probationem probatam.*
2 *Apocha erronea, vel facta ad decipiendum, nihil operatur, & nu. 4. & 7.*
3 *In contractibus bonæ fidei bona fides debet exuberare.*
5 *Fraus non debet alicui patrocinari.*
6 *Ius succurrit deceptis, & non decipientibus.*

DECISIO XLIV.

FVit concluſum, non conſtare de credito Lucij. Ex inſtrumento enim celebrato die 27. Ianuarij apparet, ipſi fuiſſe ſatisfactum de integro pretio officij, in tot ſcripturis
1 & expeditionibus. † Quod inſtrumentum bene probat, & facit probationem probatam; maximè cùm modus ſatisfactionis expreſſus fuerit. Grat. *conſ.28.num.2.lib.1.* poſt Bart. Iaſ. & omnes *in l. 1. in princ.ff. de oper.nou.nunc.*

2 Nec aliquid operatur apocha poſteà facta, in qua Auguſtinus fatetetur, ſe debitorem Lucij in ſcutis quingentis: nam vel eſt erronea, vel ſaltem facta ad decipiendam vxorem Auguſtini, quæ volebat, officium in capite Auguſtini eſſe liberum, & cuius contemplatione præfata quietantia fuerat facta, quæ non poterat reuocari, vel irritari, propter præiudicium quod inde vxori aliàs non contracturæ, gene-
3 raretur. † Et propter bonam fidem quæ in huiuſmodi contractibus exuberare debet. ad tex. *in l. in bonæ fidei.ff. de pecul. & in l. ſi præſes,* vbi Bald. *C. de donat.* Tellius Fernandez, *ſuper conſtit. Taur. in l.17. nu.73.verſ. quod eſt adeo verũ.* Guid.Pap. *deciſ.145. num.2.verſ.ſed iis non obſtan.* Vincent. de Franch. *deciſ.* 205. *per totam* Natt. *conſ.609. nu.41. verſ.non videtur etiam* Annæus Robertus, *rerum iudic.lib.1. cap.2.* Abb. *conſ.73.nu.3.verſ.nec obſtat, ſi dicatur, lib.2.*

Minùs facit, quòd inſtrumentum 4
ſit correſpectiuum ad apocham, hoc enim non eſt clarum; ſtante enim quietantia generali per inſtrumentum, fuerat in facultate, facere, vel non facere apocham, vel ſi inſtrumentum fuit correſpectiuum ad apocham, † ex hoc detegitur fraus 5
in præiudicium mulieris, quæ Liuio non debet patrocinari, *cap.officij cap.requiſiuiſti, ex.de teſtibus,* cum vulgar. † quia ius ſuccurrit deceptis, 6
non decipientibus, *lib.2. C.ſi min.ſe maior.dixerit, l.ſi ſine C. ad Velleian.*

Et in omnem euentum adeſt vl- 7
timum inſtrumentum, in quo Liuius promiſit totum officium, ad Auguſtinum ſpectare, quod denotat, vel apocham erroneam, vel mulierem deceptam. Et ideo habent locum prædicta.

PAMPILONEN. Parochialis.

Lunæ 12. Nouembris 1601.

SVMMARIVM.

1 *Sententia, in qua non interuenit citatio, eſt nulla.*
2 *Citatus in prima inſtantia, debet etiam in cauſa appellationis citari ad ſententiam, alias eſt nulla.*
3 *In eadem inſtantia coram diuerſis iudicibus, parte non opponente, procedi poteſt.*
4 *Sententia lata contra procuratorem citatum, non eſt nulla.*

5 *Sen-*

5 *Sententia lata in iudicio coram pluribus intentato, valere poteſt quoàd vnum, & non quoàd alios, in materia diuidua.*

DECISIO XLV.

DOmini cenſuerunt, tam primam, quàm ſecundam ſententias Rotales, fuiſſe nullas quoàd Promotorem fiſcalem, Vicarium, &
1 beneficium. Nam quoàd duos primos, nulla interuenerat citatio, *l.* 1. *§. item cùm ex edicto, ff. quæ ſent. ſine appel.* Dec. *conſ.* 603. *num.* 11. *cum ſimil.*

2 Quantum verò ad beneficiatos, licèt fuerint citati, & poſteà actum contra illos per cõtradictas, nihilominùs cũ àſententia in partibus lata Abbas appellaſſet, & cauſam introduxiſſet, tam via ordinaria coram Metropolitano, quàm ex commiſſione, in Rota, cuius vigore emanauit citatio, idem Abbas fuit proſequutus ſolùm cauſam coram Metropolitano, à quo, reportata contra ſe ſententia, appellauit, cauſamque appellationis commiſſam in Rota introduxit, in qua ad fauorem ipſius Abbatis emanauit prima ſententia reuocatoria, tã primæ, quàm ſecundæ ſententiæ Metropolitani. Ex quibus ſequitur, beneficiatos de nouo citari debuiſſe. Achil. *deciſ.* 13. *de dol. & contum.* & facit deciſio eius titul. & numeri, in nouiſ.

3 Non obſtat, quòd in eadem inſtantia coram diuerſis iudicibus, parte non opponente procedi poſſet. Rip. *in cap. cùm M. Ferrarien. nu.* 199. cùm aliis per eum relatis, *de conſtit.* Nam proceſſus primæ ſententiæ Rotalis non fuit agitatus in ſecunda inſtãtia ſimul cum Metropolitano, ſed in tertia, cognoſcendo de iuſtitia ſententiæ Metropolitani. Et ſic vigore dictæ ſecundæ commiſſionis.

Quo verò ad Parochianos; Do- 4
mini dixerunt, ſententias non eſſe nullas, ex quo fuerunt latæ contra eorum procuratorem citatum. Neque obſtat, quòd cùm ſint nullæ reſpectu litigantium, ſint etiam nullæ reſpectu Parochianorum, ob indiuiduitatem. † Nam cùm iudicium eſſet 5
cum pluribus intentatum, ſententia quoàd vnum valere poteſt, licèt quoàd alios ſecùs, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* cùm non verſemur in materia indiuidua, necnon in iudicio diuiſorio; tot enim cenſentur capita, quot ſunt perſonæ, vt benè declarat Gabriel. *conſ.* 56. *num.* 1. *& ſeqq.* & præſertim, *num.* 14. vſque ad 20. *vol.* 1. Parochiani enim non litigant ſuper iure Parochiæ, ſed ſuper iure eligendi Prædicatorem, quod eſt diuerſum, & nullam habens dependentiam à lite ſuper Parochia.

MONTIS REGALIS
Iuriſdictionis.

Lunæ 19. *Nouembris* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Exiſtenti in quaſi poſſeſſione de tempore litis motæ, procedendi in proceſſionibus, & actibus publicis, & in celebratione diuinorum, & cuſtodiendi Sacriſtiam, datur mandatum de manutenendo.*

DECISIO XLVI.

VIſum fuit Dominis, dandum 1
eſſe mandatum de manutenendo. Monachis Monaſterij Montis Regalis, in quaſi poſſeſſione præcedendi Clericos ſæculares in Eccleſia in proceſſionibus, & actibus publicis: nec non, dandum idem mandatum, quoàd celebrationem diuinorum, ſecundùm regulã B. Patris Benedicti, & quoàd cuſtodiam Sacriſtiæ

ſtiæ antiquæ, dummodò Monachus Sacriſta iuxta tenorem Bullæ Fœl. record. Pauli tertij per Reuerendiſſimum Archiepiſcopum deputetur, ad nutum amouibilis, nec per hoc impediatur idem Reuerendiſſimus Archiepiſcopus, quominùs poſſit, cui maluerit clerico ſeculari tradere cuſtodiam nouæ Sacriſtiæ, vnà cum ſacris veſtibus per eum confectis,& cõficiendis. De quaſi enim poſſeſſione Monachorum de tempore motæ litis in ſupradictis, ſatis conſtabat ex teſtibus examinatis. Et ideo illis dandum dictum mandatum, §. *hodie inſtit. de interd.* cum vulgar. nec Reuerendiſſimus Archiepiſcopus hoc in diſcrimen iudicij reuocabat.

Quoàd cuſtodiam reliquiarum & ſcripturarum, placuit Dominis hoc temperamentum etiam rationabilibus ex cauſis, quòd tam Reuerendiſſimus Archiepiſcopus, quàm Monachi haberent vnam clauem: ita vt ſimul conueniant, occurrente occaſione, ad viſitandum Sacras reliquias, & aperiendum Archiuium.

Quantum verò attinet ad mutationem loci in Choro, voluerunt Domini partes ſuper hoc audire, nam cùm Reuerendiſſimus Archiepiſcopus, relicto Choro antiquo Monachis, alium fieri curauerit pro Clericis, hodie prætendunt Monachi, quòd iterum Clerici ſæculares redire debeant ad ſedendum in loco antiquo.

TOLETANA PAROchialis de Chincon.

Merc. 28. *Nouembris* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Clauſulæ prolatæ per ablatiuum abſolutum, important conditionem.*

2 *Conditione non purificata, iuriſdictio remanet ſuſpenſa.*

3 *Tertius de cuius intereſſe conſtat ex reſignatione beneficij in ſui fauorem facta, debet audiri, non obſtantibus clauſulis*, parito iudicato, *& clauſula*, refectis expenſis *de quibus in princ. viro deciſionis.*

4 *Clauſulæ poſitæ in commiſſione obtenta à Petro, non cenſentur repetitæ in commiſſione nouæ cauſæ, vel antiquæ obtenta à Ioanne reſignatario iuncto, num.* 6. *&* 14.

5 *Clauſulæ poſitæ in prima commiſſione cenſentur in aliis repetitæ, reſpectu cauſarum antiquarum.*

7 *Clauſulæ*, refectis expenſis, *&* parito iudicato, *ſolent apponi dumtaxat in commiſſionibus appellationum, & nullitatum, in quibus adeſt res iudicata.*

8 *Clauſula* in ſtatu & terminis, *refertur ſolùm ad cauſas antiquas.*

9 *Clauſula* in ſtatu. & terminis, *ponitur in commiſſione, in qua quis venit ad cauſam, in qua priùs non erat.*

10 *Vigore clauſulæ*, quam, & quas, *iudex appellationis poteſt canonizare etiam nouum ius.*

11 *Propter clauſulam :* omneſque alios, *poteſt agi in cauſa appellationis contrà intereſſe habentem, qui non fuit in cauſa in prima inſtantia.*

12 *Appellatio interpoſita coram notario, ſi iudicis copia haberi poterat, eſt nulla.*

13 *Vigore clauſulæ :* quam, & quas, *iudex poteſt procedere non docto de appellatione, vel appellatione exiſtente nulla.*

15 *Clauſulæ* : parito iudicato, & refectis expenſis, *intelliguntur poſitæ in commiſſione, quatenus pars vti velit.*

16 *Reſcripto danti formam, continenti fauorem partium, tacitè vel expreſsè poteſt renunciari.*

17 *Quod licet Franciſco, licet Ioanni in locum Franciſci ſubrogato.*

18 *Ad effectum vt tertius ſubrogatus audiatur pro ſuo intereſſe, poteſt admitti ſupplicatio, etiamſi non exhibeantur literæ ſubrogationis.*

19 *Tertius veniens ad cauſam pro ſuo intereſſe, ad effectum vt poſſit audiri, ſufficit, quòd doceat ſummariè & apparenter de ſuo intereſſe.*

20 *In beneficialibus admittitur multiplicatio titulorum.*

Decisio XLVII.

PEtrus Sanchez obtinuerat, cauſam appellationis, & reſtitutionis in integrum à ſententia lata ad fauorem Franciſci Alfonſi, committi in Rota bo. me. Illuſtriſſimo D. Cardinali Lancellotto cum clauſula *parito indicato*, qua inſtantia deſerta, iterum commiſſa fuit cauſa reſtitutionis in integrum, iudici cõfidentiarum, cum voto Rotę, & cum clauſula *refectis expenſis*. Vnde Ioannes Gomez, ad cuius fauorem Petrus ius ſuum reſignauerat, & qui de anno præterito ſubrogari ſe obtinuerat in iuribus Alfonſi iam tum anteà defuncti, petebat audiri: Franciſcus verò Apparitius, qui poſt latam contra Ioannem à Vicario Cõplutens. ſuarum literarum exequutore, ad inſtantiam fiſci Toletani ſententiam, fuerat per obitum D. Alfonſi ante dictam ſubrogationem Ioannis ab ordinario prouiſus, &
1 opponebat de dictis clauſulis† quia cùm prolatæ eſſent per ablatiuum abſolutum, importabant conditionem, *l. à teſtatore, ff. de condit. & dem.*
2 † qua non purificata, iuriſdictio remanebat ſuſpenſa, Put. *deciſ.* 285. *lib.* 2. Caputaqu. *deciſ.* 150. *lib.* 1. Et ſic Ioanni præcluſa videbatur audientia.

His tamen non obſtantibus, viſum fuit Dominis, Ioannem eſſe audiendum, quia de eius intereſſe ſatis conſtabat, *ad cap. veniens* 2. *de teſtibus, cap.* 2. *§. ſanè*, & ibi Gemin. *num.* 4. *vt lit. pend. in* 6. Biſignet. *deciſ.* 1. *de reſcript.* tam ex reſignatione Petri in eius fauorem, quàm ex ſubrogatione in iuribus Franciſci Alfonſi, *ad tex. in l. ſi eam, §. qui iniuriarum, ff. ſi quis caut.* Gemin. *in d. c.* 2. *nu.* 2. Ferrett. *conſ.* 47. *num.* 24. *& per totum.* 3

Nec obſtant dictę clauſulæ; quia cùm Ioannes obtinuiſſet, committi cauſam appellationis, & nullitatum à ſententia Vicarij Cõplutenſis exequutoris, clauſulæ non cenſebantur appoſitæ in dicta commiſſione appellationis. † Et quamuis clauſulæ poſitæ in prima commiſſione cenſeantur in aliis repetitæ, Æmil. *conſ.* 68. *num.* 7. latè Modern. *de attent. appel. pend. limit.* 8. *num.* 7. Et fuit dictum coram me in cauſa Ceſenaten. de Cacciaguerris, 26. Ianuarij huius anni. 4 5

Tamen hoc debet intelligi, ſolùm reſpectu cauſarum antiquarum. Nec enim huic cauſæ nouæ iſtæ clauſulæ conueniunt, † cùm ſoleant apponi dumtaxat in commiſſionibus appellationum, & nullitatum, in quibus adeſt res iudicata, † ſicuti etiam clauſula *in ſtatu, & terminis*, refertur ſolùm ad cauſas antiquas, in quibus non erat Ioannes, & appellauerat. † dicta enim clauſula ponitur in commiſſione, qua quis venit ad cauſam, in qua priùs non erat, vt per Mandoſ. *in formul. commiſ. q. admiſſionis pro intereſſe.* 6 7 8 9

Nihil facit, quòd coram primo iudice non fuerit actum de ſubrogatione; † quia cùm cauſa fuerit 10

coram

commissa cum clausula (*quam & quas*) iudex appellationis potest canonizare etiam nouũ ius, vt in terminis est decisio Putei 7. *de appell.* Ægid. *decis.* 661.

Prout etiam non obstat, Apparitium non fuisse in causa coram Cóplutensi, sed solùm fiscum, † quia 11
cùm in commissione adsit clausula *omnesij, alios, &c.* potuit illius vigore contra ipsum tanquam interessatum etiam agi. Bisignet. *decis.* 2. *circa finem, de rescript.* Achil. *decis. vlt. eod. titulo* Vestr. *in praxi lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 2. Mandos. *in dicta formula commis.* 9. *admissionis pro interesse, in princ.*

Minùs faciebat, quòd dicebatur, 12
appellationem fuisse nullam, tanquam interpositam coram notario, & non coram iudice, cuius copiam habere poterat, ad tradita per Felin. *in cap. ex transmissa, num.* 5. *vers. quinimò, de præscript.* Cassad. *decis.* 8. *sub* 13
num. 3. *de appell.* † Nam vigore dictæ clausulæ, *quam & quas*, iudex potest procedere non docto de appellatione existente nulla, vt per Sarnen. *in regula de infirm. resig. quæst.* 34. *vers. & hoc vlteriùs*, Achil. *decis.* 14. *de rescript.* Mandos. *in formul. communis, vers. vnà cum toto negocio principali*, ibi, *Secundo quæro, fol. mihi* 101.

Sed & respectu causarum anti- 14
quarum non obstabant Ioanni supradictæ clausulæ, quia fuerant appositæ in fauorem Francisci Alfonsi, in cuius locum etiam quoàd litẽ 15
fuit subrogatus Ioannes. † Ideoque cùm semper intelligantur appositæ quatenus pars eis vti velit, vt in simili fuit resolutum in causa Pampilonen. matrimonij 16. Ianuarij 1585. & in vna Elnen. ministeriorum 28. Aprilis 1586. coram bo. me. Orano, & in terminis est decisio Achillis 16
12. *de rescript.* † Et expressè quòd rescripto danti formã fauorem partium continentẽ, tacitè vel expressè possit renuntiari, dicit Abb. *in cap. causam, ante num* 20. *vers. id nota, de re iud.* post Hostien. ibidem, quem allegat Albertus Brunus, *de for. art.* 6. *quis possit dare & tollere formam, col.* 14. *in princ. vers. ex quo infertur. fol. mihi* 18. *col.* 4. *foly.* † Sicuti Francisc. si vi- 17
ueret, posset audiri, si vellet iis non vti, vel renunciare, *ad l. si quis in conscribendo, C. de pactis*, Ioan. And. *in cap. statutum num.* 1. *vers. quid si Prælatus*, ibi, *dicit autem, de præbend. in* 6. ita etiam licere debet Ioanni subrogato, *arg. d. l. si cùm*, §. *qui iniuriarum, ff. si quis caus. l. qui in ius, ff. de reg. iur.*

Nec refert, quòd non fuerint ex- 18
hibitæ literæ subrogationis, quia cũ hodie non agatur de illius canonizatione, iudicarunt Domini, posse admitti supplicationem, arg. eorum quæ traduntur per Verall. *decis.* 335. & 301 *par.* 3. Maximè verò ad effe- 19
ctum, vt Ioannes possit audiri, quo casu sufficit, vt apparenter, & summariè doceat de interesse. Innoc. *in d. cap. veniens*, 2. *in verb. in continenti, de testib.* vbi Card. & *cons.* 7. Felin. *in cap. cùm super, num.* 16. *de sent. & re iudic.* Bisignet. *d. decis.* 1. Mandos. *in d. formul. commis.* 9. *admissionis pro interesse, in verb. ad causam.*

Postremò, quod dicebatur, ius 20
Francisci Alfonsi esse incompatibile cum iure quod Ioannes habebat ex resignatione Petri, non fuit habitum in consideratione, cùm in beneficialibus admittatur multiplicatio titulorum, Veral. *decis.* 339. *par.* 1. & est tex. *in c. post electionem*, vbi Abb. *num.* 4. *de concess. præbend.* Lap. *alleg.* 132. *num.* 2.

ROMANA LEGATI
della Porta.
Lunæ 3. *Nouembris* 1601.

EPITOME.

Legatum mobilium relictũ
2 coniunctæ perſonæ, videlicèt vxori, intelligitur de mobilibus extantibus tempore obitus.

SVMMARIVM.

1 *Legatum mobilium factum per verba præſentis temporis, intelligitur de mobilibus extantibus tempore teſtamenti.*
2 *Teſtis deponens de facto proprio, plusquàm ſemiplenè probat.*
3 *Pater præſumitur magis conſulere filiis, quàm aliis.*
4 *Qui dicere potuit id quod non dixit, cenſetur id reliquiſſe in diſpoſitione iuris communis.*
5 *Argumentum à veriſimili eſt optimum in diſpoſitionibus teſtamentariis.*
6 *Vna pars teſtamenti aliam declarat.*
7 *Verba ſubiunctiui modi, ſiue ſint præſentis temporis, ſiue præteriti imperfecti, ſemper comprehendunt tempus futurum.*
8 *Verba teſtamenti ſonantia in futurum, non obſtante pronomine poſſeſſiuo, comprehendunt acquiſita poſt teſtamentum.*
9 *Receditur à regula*, l. ſi ita, ff. de aur. & argen. legat. & num. 16. *propter coniecturas, de quibus, num.* 12. 13. *&* 15.
10 *Mens potiùs quàm verba ſunt attendenda.*
11 *Legatum mobilium factum coniunctæ perſonæ, videlicèt vxori, intelligitur de mobilibus extãtibus tempore mortis.*
14 *Propter generalitatem, & pugnantiam verborum, legatum mobilium comprehendit etiam futura.*
17 *Depoſitio notarij qui fuit rogatus de teſtamento, redditur ſuſpecta, ſi examinatus deponit etiam illa quæ non ſcripſit in teſtamento, quæ tamen tenebatur exprimere.*
18 *Teſtes in dubio præſumuntur conteſtes, non autem ſingulares.*
19 *Teſtes ſingulares non probant, faciunt tamen magnum adminiculũ, num.* 8.
21 *Teſtis propter leuem inimicitiam non debet à teſtimonio repelli.*
22 *Potiores coniecturæ in concurſu ſunt attendendæ.*
23 *Quod eſt ſolitum apponi in inſtitutione, non poteſt dubiam teſtatoris voluntatem declarare.*
24 *An hæres inſtitutus in omnibus bonis, præſentibus, & futuris, cenſeatur inſtitutus in legatis, etiamſi teſtator dixerit,* exceptis legatis.
25 *Legatarius tenetur capere legatum de manu hæredis.*
26 *Legatarius non tenetur capere de manu hæredis, quando datur illi facultas capiendi legatum propria authoritate.*
27 *Inſtitutio facta per verba,* in omnibus autem aliis bonis, *non comprehendit legata.*
28 *Ex diſpoſitione facta in vno legato, non infertur ad alia legata diuerſam determinationem habentia.*

DECISIO XLVIII.

DVbitaui, an legatum mobilium relictum per Equitem della Porta Eliſabethæ vxori, eſſet intelligendum de extantibus tempore teſtamenti, vel tempore obitus. Et pro parte fratrum della Porta, quos dictus Eques in euentum quòd decederet ſine liberis, prout deceſſit, hæredes inſtituerat, prætendebatur, eſſe intelligendum de extantibus tempore teſtamenti, † quia teſtator vſus fuerat verbis præſen

præsentis temporis, relinquēdo omnia & singula sua bona mobilia; Quo casu attenditur tempus testamenti, iuxta textum expressum, *in l. si ita, ff. de aur. & arg. legat. l. si ita scripsisset, de leg. 2. l. Iulianus, §. final. de leg. 3. l. Aurelius, §. 1. de libera. legat.* & in terminis consuluit Corne. *cons. 14. num. 5. lib. 1.* Capra, *cons. 45. nu. 5.* cum aliis per Menoch. *præsumpt. 127. nu. 6. & seqq. lib. 4.*

Secundò dicebatur, quòd si res esset dubia, redditur clara, & patens, ex depositione notarij, qui de testamento fuit rogatus; dicit enim, se interrogasse testatorem, quænam bona vellet vxori legare, ipsumque respondisse, quæ tempore testamenti extabant, † qui testis, cùm de facto proprio deponat, plusquàm semiplenè probat. Aym. *cons. 178. num. 7.* quem Rota fuit sequuta coram Illustrissimo Blancherto, in causa Romana deuolutionis vineæ, 1. Iulij 1573. & coram me in causa Viterbien. fideiussionis, 29. Ianuarij præteriti & aliàs sæpiùs. 2

Tertiò, adducebatur, quòd testator instituerat filios nascituros, vnde non est verisimile, eum voluisse, quòd tempore obitus filij, omninò sine mobilibus remaneret; † Præsumitur enim, patrem magis consulere voluisse filiis, quàm aliis, *l. cùm acutissimi, C. de fideicom. arg. l. Sempronius Proculo, ff. de leg. 2.* 3

Quartò his addebatur, quòd quādo testator voluit comprehendere futura, id expressit, vt in institutione hæredis, ibi, *in bonis præsentibus & futuris.* † Vnde, si mobilia etiam futura vxóri voluisset legare, facile sibi fuisset, id dicere, *l. vnica §. vbi autem legatarij, verſ. sin autem ad deficientis, C. de caduc. tollend. c. inter corporalia, de translat. Præl.* Et ideo, cùm dictum non fuerit, censetur relictum in dispositione iuris communis, *l. extraneus, ff. de cond. caus. dat. caus. non sequut. l. commodissimè, ff. de lib. & posthum.* ideoque intrat. dispositio *d. l. si ita,* cum alleg. 4

Quintò magna vi fiebat in eo, quòd testator postquàm legauit dicta mobilia vxori, in aliis bonis præsentibus & futuris, mobilibus & stabilibus instituit fratres; ex quo clarè colligitur, quòd non legauit vxori mobilia futura, si enim hoc suæ intentionis fuisset, non est verisimile, quòd instituisset fratres in mobilibus futuris. † Quod argumē- 5
tum est optimum in dispositionibus testamentariis, *l. Titia cùm testamento, §. qui inuita, verſ. non est verisimile, ff. de leg. 2.*

Sextò adminiculatur prædictis, quia testator legauit vxori melioramenta facta in vinea. Ergo non futura, quia Verbum, *facta,* denotat tempus præteritum. Ex quo facile colligere est, qualis fuerit intentio testatoris, etiam in legato mobilium, † cùm vna pars testamenti 6
aliam declaret, *l. qui filias, in princ. de leg. 1.* Dec. *cons. 593. num. 2.*

Vlteriùs prætendebatur, voluntatem testatoris inde magis declarari, quia post testamentum testator adnotauit omnia mobilia per eum empta in quodam suo libello, quod euidenter indicat, eum adnotasse dicta bona, vt distinguerentur à relictis vxori.

His tamen non obstantibus, causa bis proposita, ac maturè discussa, DD. steterunt in decisis coram me 20. Martij, videlicèt censeri Elisabethæ legata bona extantia tempore obitus testatoris, & non solùm tempore conditi testamenti: Verba enim ipsius legati non repugnant, † sunt enim cōcepta per verba sub- 7
iunctiui modi, ibi, *di qualunque sorte*

ſi ſiano, & ſi trouino, quæ ſiue ſint præſentis temporis, ſiue præteriti imperfecti; ſemper comprehendunt tempus futurum, *l. ſi ita quis, §. Seia. ff. de verb. oblig.* Bart. *in l. 1. num. 11. verſ. in contrarium, ff. de iure codicil.* Lud. *conſ. 362. num. 27. lib. 3.* Peregr.
8 *de fideicom. art. 46. num. 29.* † Et vbi verba ſonant in futurum, non obſtante pronomine poſſeſſiuo, quòd comprehendantur acquiſita poſt teſtamentum tradit Socin. iun. *conſ. 98. num. 27. lib. 1.*

9 Eóque magis placuit Dominis hæc opinio, † quia tales in hoc caſu adſunt coniecturæ, vt etiam ſit recedendum à regula tex. *in d. l. ſi ita ff. de auro & arg. legat. cum alleg.* prout aliàs ex eiſdem fuit receſſum, coram Sanctiſſimo in cauſa Spoletana legati, 20. Februarij 1587. & in ſimili cauſa Romana coram Bubalo 10. Decembris eiuſdem anni, & in alia Romana Metallium, 28. Aprilis 1589. coram R.P.D. Penia, iuxta doctrinam Crauettæ, *in l. 1. num. 29. verſ. 3. limitatur, de leg. 1.* Calder. *conſ. 1. num. 3. verſ. nec obſtat, de conſtit.* Socin. iun. *conſ. 98. num. 26. lib. 1.* Roland, qui alios cumulat, *conſ. 39. nu. 20. lib. 4.* Gabriel. *conſ. 120. nu. 8. in fine, vol. 1.* Illuſtriſſimus Mantica, *de coniect. vltim. vol. lib. 3. tit. 11. nu. 23.*
10 Et meritò quidem, cùm mens potiùs quàm verba ſint attendenda, *l. in conditionibus, ff. de condit. & demon.* cum vulg. Et eſt de mente textus *in d. l. ſi ita*, ibi, *ſi aliud comprehenſum non eſſet.*

11 Primò enim conſiderabant, huiuſmodi legatum fuiſſe factum perſonæ cõiunctæ, videlicèt vxori, quo caſu attenditur tempus mortis, & non teſtamenti, Bart. *in d. l. ſi ita legatum, verſ. hæc vera, ff. de aur. & arg. legat. & in l. ſi cognatis, col. 1.* Socin. *in l. 1 in 5. notab. ff. de reb. dub.* Bero. *conſ. 44. num. 22. lib. 7.* qui loquitur in his terminis, videlicet in legato facto vxori, Mich. Graſſus, qui de cõmuni, *in §. legatum, quæſt. 29. num. 2.* quiquid dixerit Cagnol. *in l. final. num. 229. & ſeqq. C. de pactis*, quem ſequitur Apoſtilla *ad ſingulare Roman. 103.*

Et hæc coniectura corroboratur 12
ex dilectione & beneuolentia, qua eques vxorem ſuam proſequebatur, de qua deponunt duo teſtes, cõtra quos licèt aliqua apponantur, de quibus infrà, ſatis tamen eſt in puncto iſto, quòd dicta eorum, veritate nitantur, cùm Eques in teſtamento ſemper vxorem dilectiſſimam appellet. Ex quo etiam ceſſant depoſitiones aliorum teſtium, qui deponunt de odio Equitis contra vxorem. Et hæc dilectio inſeruit etiam pro coniectura, quòd teſtator legauerit, & futura, Bart. *in d. l. ſi cognatis, ff. de reb. dub.* Gabriel. *conſ. 120. nu. 10. lib. 1.* Et hanc coniecturam Rota fuit ſequuta in deciſionibus allegatis coram Sanctiſſimo, & coram Bubalo.

His accedit, quòd legatum fuit 13
relictum per verba geminata prægnantia, & ampla, videlicèt omnium, ſingulorum, cuiuſcumque generis. Et quamuis hæc coniectura inter DD. ſit controuerſa, vt per Curt. iun. *conſ. 277.* tamen in deciſionibus allegatis Rota fuit ſequuta, conſ. Croti 14. *nn. 34. & ſeqq.* † vbi 14
propter generalitatẽ, & prægnantiã verborum, legatum comprehendit etiam futura, Dec. *conſ. 69. nu. 3. circa finem, verſ. confirmatur hoc ex verbis.* Cephal. *conſ. 763. num. 25. lib. 5.*

Corroborantur prædicta (omiſſis 15
aliis coniecturis in alia deciſione, quæ Dominis non diſplicuerunt, ex facultate conceſſa Eliſabethæ capiendi legatum propria auctoritate,

diſſi

difficile enim fuiſſet hoc ad practicam reduci, ſi teſtator, mobilium extantium ſolùm tempore teſtamenti; rationem habuiſſet.

16 Non obſtant in contrarium adducta, & præcipuè tex. *in d.l.ſi ita, ff. de aur. & arg. legat.* quia, vt dictum eſt, verba teſtamenti non repugnãt, & adſunt tales coniecturæ, vt ab eius diſpoſitione ſit recedendum.

17 Depoſitio notarij videbatur ſuſpecta, nec placuit Dominis: nam ſi teſtator dixiſſet, quòd legabat vxori mobilia extantia ſolùm tempore teſtamenti, multùm veriſimile eſt, quòd notarius expreſſiſſet.

Vltra quòd hæc depoſitio redditur multum turbida, ex depoſitionibus duorum teſtium, qui deponũt, ſe à teſtatore audiuiſſe, quòd legauerat vxori mobilia extantia tem-

18 pore obitus, † qui licèt dicantur ſingulares, tamen tales in dubio non præſumuntur, ſed conteſtes. Innoc. *in cap. qualiter, & quando, 2. de accuſ.* Alex. *conſ.* 185 *num.* 2. *lib.* 7. Et tenuit Rota coram bo.me. Cardinale Lancellotto, in cauſa Biſignanen. pen-

19 ſionis 27. Maij 1574. † Et in omnem euentum, quatenus eſſent ſingulares, licèt non probarent, Cæſ. de

20 Graſſ. *dec.* 97 *num.* 5. *de probat.* † nihilominùs negari non poteſt, quin facerent magnum adminiculum. Caſtrenſ. *conſ.* 281 *nu.* 10. *lib.* 1. Aym. *de antiq. temp. par.* 4. §. *ſed enim nu.* 26. Gabr. *de teſtib. concluſ.* 2. *num.* 76. Et tenuit Rota in dicta cauſa Biſignanen. & coram Cantuccio in cauſa Vrbeuetana legati 13. Octobris 1581.

Et licèt contra ipſos opponatur

21 inimicitia, & conſanguinitas, † tamen cùm alterius inimicitia non fuerit capitalis, ſed leuis, non debet iſte teſtis repelli, vt de communi teſtatur Alber. *in auth. ſi teſtis, C. de teſtib.* Clar. *in prax. in §. fin. quæſt.* 24. *verſ. item quæro,* & alterius conſanguinitas non probatur in tali gradu, vt ſit à teſtimonio repellendus.

Tertium quod dicebatur de inſtitutione filij, & ideo non videri veriſimile, quòd teſtator voluiſſet filium omninò remanere ſine mobilibus, non mouit Dominos: † nam 22 hæc eſt vnica coniectura, qua potiores viſæ ſunt in contrarium ponderatæ, ac proinde ab eis non eſſe recedendum. Caſſad. *deciſ.* 1. *num.* 9. *de teſtam.*

Quartum non applicatur. Regu- 23 lare enim eſt quòd in inſtitutione hæredis fiat mentio bonorum futurorum. Vnde cùm hoc ſolitum ſit in inſtitutione, non poteſt inde declarari in aliis dubia teſtatoris voluntas.

Quintum de inſtitutione facta in 24 bonis præſentibus & futuris non obſtabat; nam omiſſa illa quæſtione, an hæres dici poſſit in hoc caſu inſtitutus, etiam in legatis, quia negotium eſt valdè turbidum, quamuis enim hæres dicatur inſtitutus in legatis, etiam quòd teſtator dixerit, exceptis legatis, prout in præſenti caſu, *l. ſi quis ita hæres inſtitutus fuerit, ex certo,* 74. vbi Bald. Cuman. *in pro notab.* Angel. *num.* 3. Imol. *num.* 1. *verſ. extra gloſſam. ff. de hæred. inſtit.* Alex. *in l. nam quod §. non omnis, ſub num.* 15. *ff. ad Trebell.* Ruinus, *in l. qui quadringenta, nu.* 2. *ff. eodem. & conſ.* 32. *ſub num.* 8. *lib.* 2. Et fuit reſolutum coram R. P. D. meo Seraphino in cauſa Romana legatorum, 10. Febr. 1585.

Tamen hoc procedit, ex eo, quia 25 legatarius tenetur capere de manu hæredis, & ſi eſt locus detractioni falcidiæ, hæres illam detrahit, † 26 quod videtur ceſſare in hoc caſu, in quo fuit data facultas capiẽdi legatum

27 tum propria authoritate. † Et eo magis quia inſtitutio eſt facta per hæc verba, *in omnibus autem aliis ſuis bonis*, quo caſu non includuntur legata. Dec. *in conſ.653. ſub num.4. & 7.* Cephal. *conſ.271.num.7. lib.2.* Et latiùs poſt alios, quos refert, vbi etiã teſtatur de communi, *conſ.625. num. 23.lib.5.*

Tamen quia ex legato mobilium marmorea excipiebantur, quoàd illa inſtitutio in futuris poterat optimè verificari, ac proinde huiuſmodi obiectum ceſſabat.

28 Sextum oppoſitum non concludit quoàd alia legata diuerſam determinationem habentia, *ad l. doli clauſula, ff. de verb. oblig. cum vulgar.*

Vltimum tollitur ex eo, quia in illo libello Eques annotabat omnes expenſas quotidianas ſuæ domus, & ideo in hoc fundamentum aliquod fieri non poteſt, ad *tex. in l. in ambiguo, ff. de reb. dub.*

ROMANA DEPOSITI de Altouitis.

Lunæ 10. Decembris 1601.

EPITOME.

Si pecuniæ deponantur ad hoc vt ſoluantur tertio, cum certa conditione, ante adimpletam conditionem non abdicatur ius à deponente, ita vt ſi depoſitarius malè ſoluat, poſſit contra ipſum agere deponens.

SVMMARIVM.

1 *Numeratio probatur ex aſſertione notarij, quòd quis recepit in ſui & teſtium præſentia, &c.*

2 *Numeratio pecuniarum transfert dominium in recipientem.*

3 *Hypotheca cadit in pecuniis, dum extant.*

4 *Dominium pecuniarum abdicatur, ſi detur ordo, quòd pecuniæ ſoluantur ſub certa conditione, ſed contrarium verius, num.12.*

5 *Dominium non acquiritur ſine traditione.*

6 *Momentanea ſolutio non transfert dominium, niſi commodum obueniat ſoluenti.*

7 *Item non transfert dominium, ſi reſtitutio pecuniarum ſit conuentionalis, ſecùs autem ſi ſit liberalis, etiam quòd commodum non obueniat ſoluenti.*

8 *Reſtitutio in dubio non præſumitur facta ex conuentione.*

9 *Ex ſerie facti colligitur, an reſtitutio facta fuerit ex voluntate, vel conuentione.*

10 *Reſtitutio dotis momentanea transfert dominium, propter vtilitatem, ad declarationem tex.* in l. ſeruus dotalis, ff. ſolut. matrim.

11 *Reſtitutio momentanea pecuniarum donatarum, ad hoc vt mutuentur, ex æquitate & propter commodum donatarij non impedit tranſlationem dominij.*

12 *Dominium rei emptæ transfertur in emptorem, ſi dans ſequitur bonam fidem illius.*

13 *Depoſitum, licèt non poſſit reuocari, non propterea ante ſolutionem abdicatur dominium à deponente.*

14 *Depoſitarius non poteſt opponere de iure aliorum, ſed tenetur ſoluere.*

DECISIO XLIX.

VEndiderat D. Alexander de Aptis, ſuper ſuis bonis annuũ cenſum, pretio ſcutorum trium milliũ, cuius recognouerat bonam fidem Claudius Venturinus, & in inſtru

inſtrumento recognitionis aſſerebat notarius, Claudium in ſui & teſtium præſentia, recepiſſe dictas pecunias,& ad ſe traxiſſe.Quapropter dubitaui, an per huiuſmodi actum, eſſet tranſlatum dominium dictarum pecuniarum in Claudium, ita vt eſſent hypothecatæ creditoribus D.Claudij in caſu, & ad effectum de quo agitur; hoc eſt, vt Altouitus, in cuius bancho poſteà dictæ pecuniæ per D.Alexandrum fuerant depoſitatæ,poſſet hodie tanquam creditor Claudij ſibi medietatem illarum retinere, quam malè ſoluit Claudio, antequam ratificatio Antonij interueniret, ſecundùm formam mandati D. Alexandri, iuxta reſolutiones in hac cauſa factas.

Et pro Altouito dicebatur, quòd de numeratione facta Claudio non erat ambigendi locus, ſtante dicta atteſtatione notarij, Bart. *in l. ſi ex cautione,num.*14. *&* 8.*C. de non num. pec.& in l.ſingularia,num.*22.*ff.ſi cert. pet.*Alex. *conſ.*35. *& conſ.*170. *num.*6. *lib.*2. Iaſ. *num.*48. Dec. *num.*33.*ff. ſi cert. pet.* Angel. *in l. prædia, num.*1.& Imol. *num.*2.*ff.de acquir. poſſeſſ.*& tenuit Rota in cauſa Bonon. cenſus, 24. Aprililis ann. præteriti, coram R.P.D.meo Pamphilio.

2 Et iſta numeratio tranſtulit dominium in Claudium,licèt momento temporis pecuniæ apud eum fuiſſent,*l.qui id.*§.*ea lege, ff. de donat. l. ſi ſibi pecuniam,& ibi not.*Bald. *in princ.* Iaſ. *nu.*10. Dec.*num.*7.*ff.ſi cert. pet.l. ſeruus dotalis*, vbi Bald. *num.* 2.*ff. ſolut. matr.* Et tenuit Rota in dicta cauſa Bononien. Vnde cùm eſſet tranſlatum dominium in Claudium, cuius creditoribus omnia bona ſua
3 erant hypothecata, † cenſeri debebant per conſequens huiuſmodi pecuniæ hypothecatæ,*ad tex. in l.final. C. quæ res pign. oblig. poſſ.* Nomine enim bonorum veniunt etiam pecuniæ, *l.cum taberna,*§.*final.*vbi Bart. *ff. de pignor.* Alex. *in l. ſi conſtante, num.*25. *verſ. confirmo.ff.ſolut.matr.*

Nec officere videbatur, quòd in pecunia non cadat hypotheca, quia hoc procedit fauore commercij, quando ſunt conſumptæ bona fide. Et ita loquitur Afflict. *deciſ.*190. *nu.* 5. Pariſ. *conſ.*69. *num.*2. *lib.*4. Secùs autem dicendum eſt in caſu iſto, in quo Claudius non conſumpſerat pecunias, ſed fuerant tranſlatæ ex bancho Vbertini in banchum Altouiti,& ibi depoſitatæ, ad tradita per eundem Afflict. & Pariſ. locis præcitatis, in princ.

Et poſtremò adducebatur, quòd 4
D. Alexander abdicauit à ſe dominium dictarum pecuniarum, dando Altouito ordinè, vt ſolueret Claudio, ſequuta ratificatione Antonij: nam iſta conditio non eſt reſeruatio dominij, vt in ſimili tradit Cepolla,*cautel.*124. *incip.vulgaris eſt regula iuris, num.*2.

His tamen non obſtan. contrarium viſum fuit Dominis, videlicèt, dominium non fuiſſe tranſlatũ in Claudium, & proinde pecunias non fuiſſe hypothecatas ſuis creditoribus. Nam cenſus fuit impoſitus die 8. Ianuarij 1585. & mediante bancho Vbertini eadem die dictæ pecuniæ fuerunt ſolutæ domino Alexandro, & poſitæ ad eius creditum, ad quod ſemper remanſerunt, donec die octaua Februarij ſubſequentis fuerant de ordine D. Alexandri tranſlatæ ad banchum Altouiti, & pariter poſitæ ad creditum eiuſdem D. Alexandri qui dedit ordinem, quòd ſoluerentur Claudio, ſequuta ratificatione Antonij.Vnde licèt Claudius die 28.Ianuarij recognouerit bonam fidem; cum atteſtatione notarij, quòd receperit di-

ctas pecunias coram ſe & teſtibus, dicendum eſt, ex tota ſerie facti, atteſtationem notarij fuiſſe factam, vel quia Claudius recognoſcebat bonam fidem, vel ſolùm pro illo actu pecunias fuiſſe trãditas, vt etiam cenſuit Rota in hac cauſa, coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinale Arragonio, 27. Martij 1596. Et ideo dominium non fuit tranſlatum
5 in Claudium, † quod non acquiritur ſine traditione, *l. traditionibus, C.*
6 *de pactis.* Qui enim ſic ſoluit, vt recepturus ſit, antequàm aliquod cõmodum ex ſolutione obueniat parti, non dicitur ſoluere, & non transfert dominium, *l. qui ſic ſoluit*, vbi Bart. Caſtren. & Imol. *in l. ſi quis duos in fine*, Bald. *in l. ſeruus dotalis, num. 2. ff. de ſoluit.* idem Bald. *in d. l. ſi ſibi*, vbi Alex. *nu. 5.* Iaſ. *num. 10.* Dec. *in fine, ff. ſi cert. pet.* Idem Iaſ. *in l. frater à fratre, nu. 7.* Cagnol. *nu. 87. ff. de condict. indebit.* Gerard. de Petraſancta, *ſingul. 26. num. 1.* Treuizan. *conſ. 50. num. 47.* Modern. *de moment. poſſeſſ. cap. 33. num. 4.* licèt cõtrarium ſit, quando ex ſolutione aliquod commodum obuenit parti, vt dicũt DD. allegati.

Et quòd nullum commodum ex ſolutione obueniret Claudio, eſt clariſſimum: Et, ſi aliquod obuenerit, putà quòd poſſit repetere pecunias, hoc non proueniebat ex ſolutione pecuniarium ſibi facta, ſed ex recognitione bonæ fidei, & declaratione, quòd illæ pecuniæ fuerant receptæ nomine ipſius.

7 Non refert, quòd (licèt non obuenerit commodum ex momentanea traditione, nihilominùs transfertur dominium, ſi reſtitutio eſt liberalis, ſecùs autem ſi ex pacto) prædicta habeant locum, quãdo ex pacto quis tenetur ſtatim reddere; ſecus autem, quando ex mera liberalitate, quia hæc reſtitutio liberalis ſtatim facta non impedit dominij tranſlationem. *gloſſ. fin. in l. ſi quis duos*, & Bart. *in d. l. qui ſic ſoluit, in fine*, vbi cum Angel. & Caſtrenſ. *ff. de ſolut.* idem Bart. *in d. l. ſingularia, num. 24.* Bologn. *num. 113. ff. ſi cert. pet.* Bald. *in d. l. ſi tibi pecuniam, num. 2. verſ. oppono*, & ibi Fulgoſ. *in fine ff. eodem.* Iaſon. *in d. l. frater à fratre, num. 6. ff. de cond. indeb.* Modern. *de moment poſſeſſ. cap. 31. num. 5.* † Et hæc 8
conuentio, quòd ſtatim reddatur quod ſolutum fuit (quicquid dixerit Angel. *in l. ſi quis duos, num. 1. ff. de ſolut.* & Iaſ. *in l. quidam exiſtimauerũt, num. 10. ff. ſi cert. pet.*) in dubio non præſumitur. Bart. *in d. l. ſi quis duos, num. 1. ff. de ſolut.* Caſtren. *in fin.* Imol. *in verb. in ea, in fine*, Angel. ſibi cõtrarius, *in l. ſi tibi pecuniam, ff. ſi cert. pet.* & latè tradit Bologn. *in d. l. ſingularia, num. 113.* Modern. *de moment. poſſ. cap. 33. num. 5.* Et fuit dictum in dicta Bononien.

Nam ex facto præſumendum eſt, 9
ita fuiſſe inter partes conuentum. Non enim veriſimile eſt, quòd pecuniæ ſemper remanſiſſent ad creditum D. Alexandri, ſi ſoluiſſet Claudio ſimpliciter, abſque dicto pacto. Et hoc corroboratur tam ex depoſito facto in bancho Altouiti, nomine D. Alexandri, quàm per ordinem ab ipſomet datum Altouito, de ſoluendo Claudio ſequuta ratificatione Antonij.

Ex quibus ceſſat quod dicebatur, momentaneam poſſeſſionem transferre dominium, quia hoc procederet, ſi ex illa traditione obueniſſet commodum pacti, ſecùs autem, ſi nullum obuenerit, iuxta doctrinam Bart. & aliorum, de qua ſuprà.

Nec tex. *in l. ſeruus dotalis, ff. ſolut.* 10
matr. officit in hoc caſu; quia ibi reſtitutio dotis momentanea transfert

fert dominium, ratione commoditatis inde emergentis, vt declarat Bald. *ibidem in princip.*

11 Nec etiam tex. *in l. qui id. §. ea lege, ff. de donat. & in d. l. si tibi pecuniam, ff. si cert. pet.* qui loquitur in casu, quo fuit facta donatio, vt pecuniæ mutuarentur eidem donanti. Nam omisso quòd iura illa loquuntur de æquitate, vt not. gloss. *in d. §. ea lege*, in verb. *translatio*, & *in d. l. si sibi pecuniam*, *in verb. benignius*, in casu dictorum iurium ex traditione momentanea fuit acquisitum commodum donatario, qui licèt eadem pecunias teneretur mutuare, nihilominùs, ex quo illas pecunias postquàm mutuauerat, poterat repetere, sibi cõmodum fuerat quæsitum ex traditione, videlicèt ex causa donationis. Et ita intelligit hos textus Bart. *in d. l. qui sic soluit, vers. aut ille primò dans.*

12 Vltimo loco non obstabat Cepolla, *d. caut.* 124. Nam in casu illius cautelæ venditor fuerat sequutus bonam fidem emptoris. Et ideò fuerat translatum dominium, *l. quidam, ff. de in rem verso, l. procuratoris*, §. *sed si dedi mercem, ff. de tribut. act.* §. *vendita, instit. de rer. diuis.* Sed in casu isto dominus Alexander noluit à se abdicare dominium, cùm dictæ pecuniæ fuerunt positæ in bancho Altouiti, ad eius creditum, & posteà dedit ordinem, quòd sequuta ratificatione Antonij soluerentur Claudio. Quæ omnia repugnant abdicationi
13 dominij. † Et licèt fortasse non potuisset reuocare depositum, tamen interim remanebat dominus, vt fuit resolutum in causa Romana vineæ 5. Iunij 1579. coram bo. me. Oriolen. & in causa Romana pecuniaria 24. Nouembris 1595. coram R.P.D. meo Mellino.

Prædictis addebãt Domini, quòd si strictè consideraretur effectus dubij, Altouiti tenentur restituere dictas pecunias, sunt enim respectu domini Alexandri depositarij, & cùm depositum adhuc extet, iuxta resolutiones in hac causa factas, quia Altouitus malè soluit, non potest contra D. Alexandrum opponere de iure aliorum, neque compensationem, *l. si quis vel pecuniæ. C. depositi.*

ROMANA SALVIANI Interdicti.

Lunæ 10. *Decembris* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Rota de stylo non exequitur aliorum tribunalium sententias, nisi iustificentur ex actis.*

2 *Saluianum non habet locum, vbi nulla adest hypotheca.*

3 *Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus.*

4 *Bona prohibita alienari sub pœna, non comprehenduntur sub generali obligatione omnium bonorum.*

5 *Per clausulam*, etiam alienationis latè sumpto vocabulo, *censetur etiam prohibita hypotheca.*

6 *Obligatio generalis comprehendit etiam bona alienari prohibita, quãdo non adsunt alia bona, ne obligatio reddatur frustratoria.*

7 *Alleganti, non adesse alia bona, incumbit onus probandi.*

8 *Saluianum inter præsentes decennio præscribitur, stante titulo, & bona fide.*

9 *Limitatur, si præscriptio fuerit interrupta.*

10 *Ex capite iustæ ignorantiæ competit restitutio in integrum.*

DECISIO L.

CVm inueteratus Rotæ stylus 1
sit, vt non exequatur senten-

tias aliorum tribunalium, niſi ex actis iuſtificentur, Put. *deciſ.*401.*lib.* 1.Mohedan. *deciſ.*3.*de teſtibus,&* 11. *de re iudic.*Et fuit pluries reſolutum. Domini dixerunt,ſententiam A. C. latam in Saluiano, ad fauorem Angeli, non eſſe exequendum. Nam etiamſi dictus Angelus, in cuius cõtumaciam dubium fuit propoſitum, & reſolutum; probaret domum de qua agitur, fuiſſe illorum del Re, cuius tamen contrarium vero ſimilius viſum fuit, cùm teſtes de identitate non deponant concludenter,
2 † nihilominùs in hoc caſu non intraret Saluianum, quia nulla adeſt hypotheca. Corn. *conſ.*190.*num.*2. *lib.*1. Natt.*conſ.*174.*nu.*34. Nam hæc domus eſt emphyteotica, & quando fuit acquiſita illos del Re, in inſtrumento confirmationis factæ per Dominum directum promiſerunt dicti del Re, ſoluere canones, & ſeruare, alia pacta conuentiones, & obligationes contentas in aliis inſtrumentis conceſſionis in emphyteuſim, quæ in eodem inſtrumento inſeruntur,in quibus habetur,quòd hæc domus ſub pœna caducitatis non poſſit alienari, etiam alienationis latè ſumpto vocabulo. Vnde perinde habetur, ac ſi hæc prohibitio fuiſſet poſita in inſtrumento di-
3 ctæ confirmationis.†Relatum enim eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, *l. aſſequuto, ff.de hæred.*
4 *inſtit.*† Et ideo hæc domus prohibita alienari ſub dicta pœna, non cõprehenditur in generali obligatione omnium bonorum illorum del Re facta ad fauorem Angeli, cuius vigore egit Saluiano contra Reuerendiſſimũ Archiepiſcopũ Amalphitanum poſſeſſorẽ huius domus. Bart. *in l. codicillis,*§. *inſtitutio,num.*5. *de leg.*2. cum aliis per Gabriel. *de reg.iuris,concluſ.*12.*num.*12.& tenuit Rota coram bo. me. Illuſtriſſimo Cardinale Lancelloto,in cauſa Romana domorum 3. Iunij 1527. & coram R.P.D. meo Decano in cauſa Romana vineæ, 26.Iunij 1598.& in alia Romana Saluiani interdicti, 12.Nouembris,1599.coram R.P.D. meo Penia. Et ſtante illa clauſula: 5
etiam alienationis latè ſumpto vocabulo, cenſetur etiam prohibita hypotheca gloſ. *in l. final. verſ.vel hypothecam.C.de rebus. Eccleſ.non alien.* Soc. Sen. *conſ.*75. *num.* 2.*verſ.ſed his non obſtan.vol.*1. Et tenuit Rota in dicta cauſa Romana, coram Illuſtriſſimo Lancellotto.

Nec obſtaret ſi diceretur, quòd 6
prædicta non habent locum quando ille qui obligauit omnia bona, non habebat alia bona, quàm alienari prohibita, ne alioquin reddatur obligatio fruſtratoria; Gerard. *ſingul.*35. Marſil. *in rubr. de fideiuſſ. quæſt.*27. Gabr. *d.concluſ.*12. *num.*40. quia non probatur,illos del Re tempore dictæ obligationis generalis non habuiſſe alia bona.†Cuius pro- 7
bandi onus incumberet Angelo tanquam alleganti. Ruin. *conſ.*49. *num.* 3. *vol.*5. Gabr. *de probat. concluſ.*7.*num.*24.Couar. *var. reſolut.c.*6. *num.*2.*lib.*2.

Placuit etiam Dominis aliud fun- 8
damentum,videlicèt,quòd cùm hæc domus fuerit per Reuerendiſſimum Archiepiſcopum poſſeſſa per decennium, bona fide, & iuſto titulo, inter præſentes, Saluianum fuit præſcriptum, *l.*1.*&* 2.*C.ſi aduersùs vdit.* latè Roland.*conſ.*79.*num.*7.*&* 8.*vol.*1. Et tenuit Rota coram Illuſtriſſimo Mantica in cauſa Imolen. Saluiani, 27.Iunij 1594. & in alia Romana Saluiani. S.præſentis coram R.P.D. meo Iuſto. † Niſi fortè Angelus 9
oſtenderet, præſcriptionem fuiſſe interruptam, † vel ſibi competere 10
reſti

reſtitutionem in integrum ex capite iuſtæ ignorantiæ. Bart. *in l. 1. §. ſi quis propter, ff. de itin. actuq. priuato*, Ruin. *conſ. 44. num. 8. lib. 4.* Cagnol. *in l. 2. qui de communi, quæſt. 74. nu. 219. C. de pact. inter empt. & vend.*

BENEVENTANA beneficiorum.

Ven. 14. *Decembris* 1601.

SVMMARIVM.

1 *Abbati non conceditur alternatiua.*

2 *Decretum irritans poſitum in regula octo menſium, inficit titulum, & poſſeſſionem prouiſi ab Abbate.*

3 *Etiamſi decretum non ſit poſitum in reſeruatione in corpore iuris clauſa, vel aliàs ſuper certo corpore beneficij, quia eadem ratio militat, vbi reſeruatio eſt notoria, & iuſtificata.*

4 *Poſſeſſio inſtrumentalis à prouiſo Apoſtolico capta, exiſtente prouiſo per Abbatem in poſſeſſione, quàm decretum irritans regulæ. 8. inficit, eſt manutenibilis.*

5 *Per adeptionem poſſeſſionis capellæ, acquiritur etiam poſſeſſio bonorum.*

6 *Iudex ritè & rectè procedendo priuat poſſeſſione poſſidentem.*

DECISIO LI.

QVamuis conſtaret de anteriori poſſeſſione prouiſorum ab Ab-
1 bate, † nihilominùs cùm ille ſit ex inferioribus Collatoribus, quibus non conceditur alternatiua, & ideo menſis Aprilis quo contigit vaca-
2 tio, ſit reſeruata, † prouiſioni dictorum prouiſorum obſtaret decretum irritans, poſitum in regula reſeruatoria octo menſium, quod inficit titulum, & poſſeſſionem, iuxta, *deciſ. 3. de reſtit. ſpoliat. in nouiſ. & 2. eodem titulo in antiq.* Caſſad. *deciſ. 1. eodem titulo*, Mohed. *deciſ. 15. de cauſ. poſſ. & propriet.* Rota coram bo. me. Bubalo in cauſa Senen. canonicatus, 13. Martij 1588. † Et illud procedit, 3
etiam quòd decretum non ſit poſitum in reſeruatione in corpore iuris clauſa, vel aliàs ſuper certo corpore beneficij, quia eadem ratio militat, vbi reſeruatio eſt notoria. Put. *deciſ. 290. num. 5. & 797. num. 3. lib. 3.* Simonett. *de reſeru. quæſt. 4.* Et fuit reſolutum in cauſa Cortonen. decanatus, 20. Martij 1585. coram bo. me. Orano, & in alia Regien. Canonicatus, 17. Nouembris 1595. coram R. P. D. meo Pamphilio. Vnde fuit concluſum, Io. Iacobo dandum mandatum de manutenendo, † quia 4
de eius poſſeſſione conſtat, quæ licèt ſit inſtrumentalis, tamen cùm poſſeſſioni prouiſorum ab Abbate reſiſtat decretum irritans, & per cõſequens illa poſſeſſio ſit infecta, & nullius momenti; habetur pro vacua. Ideoque dicta poſſeſſio inſtrumentalis eſt manutenibilis. Caſſad. *deciſ. 20. de præbend.* Put. *deciſ. 360. nu. 8. lib. 1.* Verall. *deciſ. 334. num. 6. lib. 2.* Faſtol. *dub. 41.* Et aliàs fuit pluries reſolutum.

Et venit manutenendus in omnibus bonis dictorum beneficiorum, † quia per adeptionem poſſeſſionis 5
capellæ, acquiritur etiam poſſeſſio bonorum. Anchar. *in regul. beneficiũ, col. vltim. ante numerum 12. verſ. & ideo ego dico, de reg. iur. in 6.* Couar. *lib. 3. var. reſolut. cap. 16. nu. 13.*

Quibus accedit, quòd Io. Iacobus fuit immiſſus in poſſeſſionem ab exequutore ſuarum literarum, † qui 6
iudex rectè, & ritè procedendo, etiam ſi poſſeſſio dictorum prouiſorum ab Abbate, eſſet alicuius conſi-

derationis, potuit illos priuare ſua poſſeſſione, Angel. *in l.clàm poſſidere,§.qui ad nundinas, num.2.*vbi Alex. Socin. Iaſ. & alij, *ff.de acquir.poſſeſſ.* Ferret. *conſ.18.num.10.* Mohed *deciſ. 4.num 4. & 5.de reſtit. ſpoliat.* Et tenuit Rota in cauſa Pennen. & Adrien. beneficiorum, 4.Iulij 1584. & in cauſa Hippo. Regien. capellaniæ,5. Martij 1578. coram Cantuccio,& aliàs ſæpiùs.

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Ven. xi. *Ianuarij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *In incorporalibus, & in iis quæ de facili concedi non ſolent ratione amicitiæ, vel familiaritatis, per vnicum actum acquiritur quaſi poſſeſſio.*

2 *Item per actus contrarios amittitur quaſi poſſeſſio, & nu.7.*

3 *Quaſi poſſeſſio in incorporalibus eſt quidam vſus cum ſcientia, & patientia aduerſarij.*

4 *Mandatũ de manutenẽdo non datur illi qui nõn eſt in poſſeſſione de temporæ litis motæ.*

5 *Poſſeſſio ciuilis per decẽnium amittitur.*

6 *Poſſeſſio ſolo animo amittitur.*

8 *Patientia vnius monaſterij ſufficit ad amittendam poſſeſſionem, nec requiritur conſenſus totius Religionis.*

DECISIO LII.

Vid. Dec. 92 n. 2. 3.

CVm per octo annos ante motam litem, Reuerendiſſimus Archiepiſcopus amouerit ſedilia inferiora, in quibus ſedebant clerici ſæculares, & eos ſedere fecerit in ſuperioribus ſedibus, ſubordinatè tamen Monachis, (vt deponunt teſtes in Sum.*num.*1.Et per biennium ante eandem litem motam, (prout etiam deponunt dicti teſtes)de eiuſdem D.Archiepiſcopi mandato iidẽ Clerici ſæculares adierint presbiteriũ, & in eo ſederint,relicto Monachis choro antiquo, & ſedilibus ſuperioribus liberis; Domini dixerũt, Monachis non competere mandatum de manutenendo,vt dicti Clerici ſedere debeant, vel primo, vel ſecũdo modo.Ratio deciſionis fuit, † quia cùm verſemur in incorporalibus, & in iis quæ de facili concedi non ſolent ratione amicitiæ, vel familiaritatis, quemadmodum per vnicum actum acquiritur quaſi poſſeſſio,*c.cùm Eccleſia Sutrina,*vbi Abb. *num.*22. Rip.qui de communi,*nu.9. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Bart. *in l.*1. §. *hoc interdicto,in princ.ff. de itin. actuque priuato.*Put. *deciſ.* 276.*nu.*2. *lib.*1. Ita per eoſdem actus contrarios amittitur. Put. *d.loco.*† Et in iſtis incorporalibus non eſt aliud quaſi poſſeſſio, quàm quidam vſus cum ſcientia, & patientiæ aduerſarij, *l. quoties, ff. de ſeruitut.*Put. *d.loco,num.* 3. Et in hoc caſu non eſt dubitandum, quin plures actus interuenerint, † & ideo, cùm de tempore litis motæ Monachi non eſſent in tali poſſeſſione, illis non competit dictum mandatum, §.*hodie, inſtit. de interd.* Bart. *in l.*1. §.*fin. num.*4.*ff. vti poſſid.* cum vulgar.

Non obſtat,quòd decennium requiratur ad hoc vt poſſeſſio ciuilis amiſſa cenſeatur, Rip. *in d.c.cùm Eccleſia Sutrina,num.*23.

Nam cùm ſolo animo poſſeſſio amittatur, Bart.*in cap.cùm ad ſedem, num.*25. *de reſtit.ſpoliat.* de tali amiſſione conſtat ex ſcientia, & patientia Monachorum, quæ in controuerſiam in hoc caſu deduci non poteſt.† Et ſufficit, quòd circa aliquos actus

actus interceſſerit, cùm verſemur in incorporalibus, *l. etſi forte, in fine, ff. ſi ſeruit. vendic.* Innoc. *in cap. olim, 3. in princ. de reſtit. ſpoliat.* vbi Butr. *num. 11. circa medium, verſ. vnde fortè* Anchar. *num. 5. verſ. quandoque verò populus.* Put. *d. deciſ. 276. lib. 1.* Et tenuit Rota in cauſa Bononien. iuris macinandi. 23. Maij 1578. coram Cantuccio.

8 Nec ſubſiſtit, quòd requirebatur conſenſus totius Congregationis, quia ſufficit patientia Monachorũ illius Monaſterij, Mili. *in verb. poſſeſſio, ſeu quaſi iurium incorporalium.*

TARRACONEN. PRÆpoſiturarum.

Lunæ 14. Ianuarij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Scripturæ rogatæ in ſcribania à ſcriba, & publicatæ ab eius ſucceſſore in eodem officio, ſunt in forma probante.*

2 *Notario qui ſe nominat ſucceſſorem alicuius in ſubſcriptione, de ſtylo Rotæ creditur.*

3 *Secùs autem, ſi ſe non nominet ſucceſſorem.*

DECISIO LIII.

PArtes erant in confeſſo, quòd literæ Apoſtolicæ, & conſtitutio Epiſcopi non erant in forma probante.

Quantùm verò ad alias ſcripturas, fuit reſolutum, illas eſſe in for-
1 ma probante,† quia fuerant rogatæ in ſcribania, & à ſcriba Capituli, & publicatæ ab eiſdem in eodem officio ſucceſſore, iuxta notata per Bart. *in l. ſi quis ex argentariis, §. cogentur, ſub num 3. ff. de edend.* Dec. *in auth. ſi quis in aliquo, num. 26.* & ibi Iaſ. *num. 5 fallent. 10. C. eodem.*

Nec viſum fuit Dominis, poſſe 2
dubitari, hunc ſcribam eſſe ſucceſſorem, cùm ſe nominet talem in ipſa ſubſcriptione, cui in hoc de ſtylo Rotæ creditur; Verall. *deciſ. 245. & 266. par. 2.* Put. *deciſ. 475. lib. 2.*

Non obſtat deciſio in cauſa Ber- 3
tuſen. iuris conferendi, 24. Ianuarij 1596. coram R.P.D. meo Pamphilio, quia ibi fuerat reſolutum, inſtrumentis per ſimiles Capitulorũ ſcribas ſic informiter exemplatis, non credi, quia non conſtabat, illos eſſe ſucceſſores in officiis, & ſcripturis illorum, qui eas rogauerant, nec tales etiam ſe enunciabant. Vnde poſteà 24. Maij eiuſdem anni 1596. in eadem cauſa, coram eodem, fuit ab illa deciſione receſſum, quia probatum fuerat, eoſdem ſcribas fuiſſe ſucceſſores in officiis & ſcripturis eorum qui de iis rogati fuerant. Et ideo in ſimili fuerat reſolutum, in vna Romana domorum de Burgo, 20. Aprilis 1573. coram bo. me. Robuſterio, vbi non adhibebatur fides exemplo notarij ſucceſſoris in officio, quia non probatur, eundem ſucceſſiſſe in ſcripturis prędeceſſoris. In præſenti verò caſu, qui exemplauit, non ſolùm ſe enunciat notarium, & ſcribam Capituli, ſed etiam, ſe, vti ſucceſſorem in officio, tenere & regere ſcripturas omnes prædeceſſorum in eodem officio, ac libros in Archiuio, & ſcribania reconditos, & cuſtoditos.

Nec facit, quòd iſtæ ſcripturæ, etiam bene exemplatæ, non facerent fidem, quia illud eſt alterius inſpectionis, cùm ad hoc conſiderandæ ſint qualitates Archiuij.

ROMANA SANCTI Thomæ in Formis.

Lunæ 14. Ianuarij 1602.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Termini ſubſtantiales ſeruati cum procuratore non habente legitimum mandatum, ſi reiterentur, citato legitimo procuratore, validantur omnia acta.*

2 *Iudicium eſt nullum factum cum procuratore, qui non produxit mãdatum, ſtante proteſtatione, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato.*

3 *Mandatum, etiam poſt ſententiam, poteſt quandocumque produci.*

4 *A proteſtatione, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato, cenſetur receſſum in aliis actibus, ſi non fuit repetita.*

DECISIO LIV.

1 QVamuis termini ſubſtantiales fuerint ſeruati cum procuratore non habente legitimum mandatum, nihilominùs cùm poſteà fuerint reiterati, citato legitimo procuratore, hoc ſufficit ad validandum omnia acta vigore Innocentianæ. Caſſad. *deciſ.* 8. *in fine, de reſcript.* Verall. *deciſ.* 149. *num.* 7. *par.* 3. Veſtr. *in prax. cap.* 13. *num.* 1. *de reiter. term. lib.* 5.

2 Quantum ad aliam nullitatem prætenſam, ex quo fuit per fratres proteſtatum, neminem audiri niſi docto de legitimo mandato, Rot. *deciſ.* 1. *de procur. in antiq.* Guidob. *deciſ.* 288. Achil. *deciſ.* 6. *de procur.* Aym. *conſ.* 108. hoc non verificabatur

3 in facto. † Et ideo etiam poſt ſententiam, & quãdocumque mandatum produci poteſt. Rot. *deciſ.* 19. *de procur. in antiq.* Put. *deciſ.* 383. *nu.* 8.

4 *lib.* 2. Aym. *d. conſ.* 208. † Et ſi aliquando fuit proteſtatum, tamen illa proteſtatio non fuit repetita in aliis actibus, & proinde ab illa cenſetur receſſum. Mohedan. *deciſ.* 2. *de iudic.* Et fuit pluriès reſolutum. Vnde nihil obſtat, quin poſſit quandocumque mandatum produci. Rot. & Put. allegati.

Ex quibus cõcluſum, ſententiam Rotalem fuiſſe validam.

PADVANA DECIMETTÆ ſiue Decimarum.

Merc. 23. *Ianuarij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Agens remedio* l. conductores C. locati, *debet probare plenè. & concludenter ſuam intentionem.*

2 *In materia probatoria, indefinita non æquipollet vniuerſali.*

3 *Clauſula,* cum omnibus ſuis iuribus, iuriſdictionibus & pertinentiis, *non importat aliquod corpus diuerſum ab eo quod fuit expreſſum, ſed omne aliud ius quod competit locanti.*

4 *Hæc clauſula de ſtylo in locationibus apponitur.*

5 *Penſio cenſetur commenſurata fructibus in locatione.*

6 *Agenti remedio* l. conductores, *non poteſt obiici exceptio dominij.*

7 *Secùs eſt, ſi notoriè conſtet de dominio conducentis.*

8 *Eccleſiæ Parochiali debentur decimæ prædiorum exiſtentium intra limites ſuæ Parochiæ.*

DECISIO LV.

1 DOmini, vtraque parte informante, vnanimiter concluſerunt, R. Abbati Carcerum, nõ competere remedium *l. conductores C. locati*, ſuper tota & integra decima Villæ Raoni; quia non probat plenè, concludenter, prout requiritur, ſe dictam decimam locaſſe fratri

Fede

Federico, vti gubernatori Eccleſiæ Parochialis ſancti fidentij, vnitæ Conuenturi Attreſtis: ſed ſolùm decimam, ſeu ius decimandi in loco Raoni, *detta la decimetta* Modern. *de recup. poſſe remed.* 11. *num.*28. Et tenuit Rota in cauſa Placentina vſurarum, 9 Nouembris 1583. coram bo.me. Domino de Rubeis.

2 Non obſtant verba illa indefinita, (*decimam ſeu ius decimandi in loco Raoni.*) Nam, vltra quòd verba illa indefinita reſtringuntur ab illa ſubſequenti denominatione *decimetta*; in materia probatoria indefinita non æquipollent vniuerſalibus Crauett. *conſ.*33. *num.*16. Dec. *conſ.* 146. *num.*15. Cæſ. de Graſſ. *deciſ.*56. *num.*2. *& deciſ.*82. *num.*3.

3 Minùs faciunt verba ſequentia, *cum omnibus ſuis iuribus, iuriſdictionibus, & pertinentiis*; quia illa verba non important aliquod corpus diuerſum ab eo quod fuit expreſſum, ſed important omne aliud ius, quod Monaſterium poterat habere intra confines locationis factæ, vt fuit reſolutum coram R.P.D. meo Mellino, in cauſa Sabinen. tenutæ collis Rampoli, 6. Aprilis præteriti. † 4 In qua etiam fuit dictum, quòd illa verba ſunt ſolita apponi de ſtylo, in ſimilibus locationibus.

Et prædicta ſumunt adminiculũ à penſione annua trium librarum, quæ aſcendunt ad bolenos quadra- 5 ginta quinque. † Quæ quidem penſio cenſetur commenſurata fructibus locatis, gloſſ. *in l.*1. *§. qui ſuperficiem, in verb. agendo*, & ibi Bart. *nu.*3. *ff. de ſuperficieb.* Rom. *conſ.*396. *nũ.*2. *ſub fine.*

6 Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, † quòd licèt contra agentem remedio *l. Conductores*, non poſſit obiici exceptio dominij, tex. *in l. ſi quis conductionis, C. locati.* Modern. *loco præcitato, num.*4. † Se- 7 cùs nihilominùs eſt, quando notoriè conſtat de dominio cõducentis. Modern. *vbi ſuprà, num.* 44. prout in caſu iſto, † quia Eccleſia ſancti 8 Fidentij eſt Parochialis Baoni, cui debentur decimæ infra limites ſuæ Parochiæ, *c. Eccleſias* 13. *quæſt.*1. *c. ad decimas, de reſtit. ſpoliat. in* 6. *cap. cùm contingat, de decim.* Put. *deciſ.*371. *num.*2. *lib.*1. Et fuit pluries reſolutum.

Non obſtant donationes quæ producuntur pro parte Abbatis, nam dato etiam, quòd eſſent validæ, & in forma probanti, non continent donationem totius decimationis villæ Baoni. Vnde non poſſunt inſeruire Abbati, pro titulo totius decimæ villæ Baoni; & ſic non elidunt intentionem Eccleſiæ Parochialis ſancti Fidentij.

ROMANA SALVIANI Interdicti.

Ven. 8. *Februarij* 1602.

EPITOME.

Fructus rei emphyteoticæ veniunt in generali obligatione, quæ tamen per emphyteotæ mortem expirat.

SVMMARIVM.

1 *Hypotheca cenſetur prohibita per prohibitionem alienationis, etiam latè ſumpto vocabulo.*

2 *Relatum eſt in referente cum ſuis qualitatibus.*

3 *Clauſula generalis non refertur ad ſpecificata.*

4 *Clauſula*, ſi quid exequendum, *debet ex iiſdem actis iuſtificari.*

5 *Limitatur ad effectum impediendi exequutionem, quo caſu reus poteſt*

ex nouiter deductis docere de iniuſtitia ſententiæ.

6 *Rota de ſtylo ſemper in expenſis condemnat.*

7 *Agens Saluiano, debet de fructibus ſatisfieri.*

8 *Licèt proprietas rei emphyteoticæ prohibita ſit alienari, fructus tamen veniunt in generali obligatione.*

9 *Obligatio rei emphyteoticæ ſolùm durat, vita emphyteotæ durante.*

10 *Obligatio rei emphyteoticæ expirat per mortem emphyteotæ, vel ex reſolutione.*

11 *Actio perſonalis non tranſit in ſingularem ſucceſſorem.*

Decisio LVI.

MOtiuum identitatis domus, & præſcriptionis, videbatur Dominis ſublatum, ex iis quæ pro parte Angeli deducebantur. Aliud tamen, quòd domus, de qua agitur, non poſſet alienari, etiam alienationis latè ſumpto vocabulo ſub pœna caducitatis, remanebat inconcuſſum. Quapropter dicta domus non veniebat in generali obligatione.† Imò propter talem prohibitionem cenſebatur etiam prohibita hypotheca, rationibus, de quibus latè, in deciſione in hac cauſa coram me facta 10. Decembris præteriti. 1

Et quamuis in inſtrumento conceſſionis factæ illis del Re, non adſit hæc prohibitio, ſed ſolùm, quòd domus non poſſit alienari ſine conſenſu Domini; ſatis tamen eſt, quòd fuerit in altero duorum inſtrumentorum, quæ fuerunt inſerta in dicto inſtrumento.† cùm relatum ſit in referente, *l. aſſe toto. ff. de hæred. inſtit.* Nec huiuſmodi pacta ad inuicem pugnant, cùm etiam domus prohibita alienari alienationis latè ſumpto vocabulo, poſſit de conſenſu domini directi alienari. Ex quo ceſſat quod dicebatur,† clauſulam generalem non referri ad ſpecificata, *ad l. doli clauſula, ff. de verb. oblig.* Et eo magis procedunt prædicta, ſtante prægnantia verborum promiſſionis illorum del Re, de obſeruando pacta, conditiones, conuentiones, & capitula, promiſſiones, & obſeruationes in dictis inſtrumentis contentas, & expreſſas, quæ fuerunt de verbo ad verbum in dicto inſtrumento conceſſionis inſertæ. 2 3

Et licèt hæc inſtrumẽta non fuerint producta coram Auditore Cameræ, nihil refert, cùm hodie non agatur ad effectum clauſulæ: *ſi quid exequendum*,† quæ debet ex eiſdem actis iuſtificari:† ſed ad effectum impediendi exequutionem ſententiæ Auditoris Cameræ. Quo caſu, ſufficit, quòd detegatur iniuſta ex nouiter deductis, cùm id tendat ad corroborationem probationum antiquarum, quod poteſt fieri etiam poſt ſententiam. Faciunt tradita per Gabr. *de teſtibus, concluſ. 2. num. 38.* Et fuit latè deductum coram R. P. D. meo Lancellotto in cauſa Tridentina Officij Cancellariæ. 19. Ianuarij 1598. Et hæc noua iurium productio in nullo alio poteſt ſuffragari Angelo, niſi vt ipſe, non obſtante ſtylo Rotæ,† quæ ſemper in expenſis condemnat. (Caſſad. *deciſ. 13. de reſcript.* Put. *deciſ.* 246. *lib.* 2.) debeat ab illis abſolui, ex quo ſententia ex nouiter deductis venit reuocanda. Verall. *deciſ.* 340. *num.* 4. *par.* 1. 4 5 6

Non obſtat, quòd agitur vigore Saluiani, & ſic vt ex fructibus ſatisfiat creditori. Neguſ. *de pignor. in* 1. *memb.* 8. *par. num.* 6.† Et ideò licèt proprietas ſit prohibita alienari, tamen ſecùs eſt dicendum de fructibus, qui ſunt in bonis emphyteutæ. Vnde veniunt in generali obligatio 7 8

gatione, Grat. *conſ.* 22. *nu.* 3. *& conſ.* 54. *num.* 4. *lib.* 1. Nam, quicquid ſit de veritate illius opinionis, an emphyteuta poſſit conſtituere vſum fructum, vel potiùs fructus ipſius rei hypothecare, de qua per Tiraquel. *de retr. lignag.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 4. *vſque ad* 47. † tamen ſufficit in caſu iſto, quòd hæc obligatio duret ſolùm ad vitam & poſſeſſionem emphyteutæ. † Et ſic fuit per mortem, vel ex reſolutione illius del Re extincta Pinel. *in l.* 1. *par.* 3. *num.* 7. *C. de ben. mater.* Roland. *conſ.* 59. *num.* 7. 12. *&* 20. *lib.* 2. qui alios allegat. Grat. *loco præcitato.* Et fuit dictum in cauſa Romana de Theodolis. 12. Aprilis 1592. coram Illuſtriſſimo Domino Blanchetto. Actio verò perſonalis, ſi quæ erat, non potuit tranſire in Archiepiſcopum ſingularem ſucceſſorem, *l. final.* §. *final. de contr. empt. l. quædam*, §. *is autem, ff. de eden.* cum aliis latè per Crauett. *conſ.* 12. *nu.* 7.

Nec facit, quòd in dicto inſtrumento cõceſſionis enuntietur, fuiſſe impoſitum ſuper hac domo aliàs cenſum, quem pro parte pretij ſoluendum ſuſceperunt illi del Re, quia non ex eo poteſt inferri, fuiſſe conceſſam facultatem alienandi domum ſine licentia domini directi, ad tex. *in l. Iulianus, ff. de minor.*

VRBEVETANA
Affictus.

Lunæ 11. *Febr.* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis non admittit exceptiones, niſi falſitatis, quietationis, & ſolutionis.*

2 *Solutio facta ante lapſum temporis conceſſi ad ſoluendum, concurrentibus aliis, quando cenſeatur ſimulata.*

DECISIO LVII.

VIſum fuit Dominis, mandatum eſſe relaxandum pro reſiduo penultimæ paghæ, quod eſt ſcutorum, 123. quia obligatio facta ad fauorem Equitis, eſt Cameralis, † quæ non admittit exceptiones niſi falſitatis, quietationis, & ſolutionis. Galleſ. *ad form. Cam. oblig.* 4. *par. quæſt.* 1. Caſſad. *deciſ. vnic. de mut. petit.* Et fuit pluries reſolutum. 1

Non obſtat ſolutio facta per Gabrielem Coſmo aſſerto creditori Equitis, † nam fuit facta ante lapſum temporis conceſſum per Gubernatorem Gabrieli ad ſoluendum Coſmo. Fuit enim relaxatum mandatum cum termino ad primam, qui terminus durabat per totam diem 27. Septembris. Et ideo non debebat Gabriel illa die 27. ſoluere, prout ſoluit. Ex quo ceſſat quod dicitur de ſolutione facta de mandato iudicis. Et vlteriùs, cùm de ſolutione facta Coſmo non conſtet, niſi ex eius confeſſione de recepto, talis ſolutio videbatur ſimulata: non enim inueriſimile eſt, quòd Gabriel, qui per longum tempus litigauerat cum equite, & tandem ſuſceperat cenſuras, vt effugeret exequutionem, ita egiſſet cum Coſmo, ſtante maxime qualitate ipſius Coſmi. Et hoc ſatis apparet, quia die 18. Septembris ad iſtud computum præcedit alia confeſſio Coſmi, de recepto ſcut. 23. Et poſteà die 27. alia confeſſio continet ſolutionem, & receptionem in pecunia numerata totius ſummæ debitæ. Et eadem die adeſt alia promiſſio Gabrielis, reſtituendi ſcuta centum Coſmo abeo mutuò recepta. Et hoc indicat, quòd vere nõ fuerat facta ſolutio Coſmo, ſed quietantia fuerat ſimulata, licèt 2

Coſmus voluerit eſſe ſecurus, vt poſſet cõuenire Gabrielem pro iſta ſumma ſcut. centum.

Id quod dicebatur, A.C. abſoluiſſe Gabrielem ab hoc debito, talemque abſolutionem tranſiiſſe in iudicatum, & ideo non eſſe locum exequutioni, non placuit, quia A. C. ſolùm repoſuit à relaxatione mandati, vt paſſim fieri conſueuit.

ROMANA SALVIANI Intericti.

Ven. 1. *Martij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* : vel ſi magis placet, committatur eidem Auditori Rotæ qui procedat ad legitimam exequutionem, *ſiue referatur ad ſententiam latam, ſiue ad obligationem Cameralem, non poteſt. Auditor eius vigore, exequi ſententiam, ſi conſtat de iniuſtitia.*

2 *Clauſula:* ſine pręiudicio iurium, *præſeruat ius etiam poſt ſententiam, de cuius iniuſtitia conſtat.*

DECISIO LVIII.

1 CONſului Dominos per memoriale tranſmiſſum loco cauſæ: An ſtantibus verbis illis poſitis in ſecunda commiſſione, *vel ſi magis placet, committatur eidem auditori Rotæ, qui procedat ad legitimam exequutionem*, deberem procedere ad exequutionem ſententiæ ab A. C. latæ in Saluiano contra Reuerendiſſimũ Archiepiſcopum, vel potiùs ad exequutionem obligationis factæ per Archiepiſcopum in forma Cameræ, de ſoluendo fructus domus Angelo, ipſum in dominum recognoſcendo.

Et Domini, ſiue illa verba deberent referri ad ſententiam, ſiue ad obligationem, dixerunt, non eſſe procedendum ad aliquam exequutionem; quia ſi verba illa ad ſententiam diriguntur, vtique hodie illius exequutio legitima fieri non poteſt, cùm ſit detecta iniuſta, prout patet ex deciſionibus Rotalibus in hac cauſa factis. Si verò dirigantur ad obligationem Archiepiſcopi idem cenſuerunt, quia illa obligatio reſpicit iuſtitiam ſententiæ. † Et ideo 2 ſtante dicta iniuſtitia, intrat præſeruatiua facta per Archiepiſcopum in obligationẽ videlicèt, *ſine prætudicio ſuorum iurium*, quæ non eſt contraria facto, vt per Put. *deciſ.* 115. *num.* 3. *lib.* 2.

FLORENTINA Pecuniaria.

Ven. 1. *Martij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum perſonale, quod poteſt relaxari contra defunctum, poteſt relaxari contra hæredem qui non confecit inuentarium, num.* 7.

2 *Hæres cenſetur vna & eadem perſona cum defuncto.*

3 *Exequutio perſonalis fieri non poteſt quando adſunt bona.*

4 *Quod tamen procedit quando debitor offert bona meliora ad electionem creditoris, & cauet de euictione, & adſunt alia requiſita.*

5 *Inuentarium tutelare non ſuffragatur pro aditione hæreditatis. Item inuentarium imperfectum, non ſuffragatur.*

6 *Minor tenetur facere inuentarium.*

DECISIO LIX.

VEndiderat D. Raphaeli de Medicis quædam bona D. Alexander. Et pro eo in euentum euictionis

nis fideiuſſerat D. Ioannes Victorius, quem D. Alexander per inſtrumentum guarãtigiatum indemnem releuare promiſit. Euictis dictis bonis, coactus fuit D.Io.Victorius exſoluere pretium, in cuius vicem D. Antonius Franciſcus filius D.Alexandri dedit in ſolutum D.Io. Victorio prædium domus Albæ,appoſito pacto, quòd ſi illud euinci contingeret, poſſet redire ad primæua ſua iura. Vnde euicto prædio domus Albæ, dubitaui, an mandatum perſonale poſſet relaxari contra Antonium Franciſcum filium & hæredem D. Alexandri. Et Domini affirmatiuè concluſerunt.

1 Nam ſicuti mandatum perſonale poterat relaxari contra D. Alexandrum,ita poterat relaxari contra D. Antonium Franciſcum illius hæredem,qui non confecit inuentarium. Bald. *in l.vlt. §.etſi præfatam, num.3. C. de iur. delib.* Alex. *in l. poſtulante, num.2. & ſeqq. C. ad Trebell.* Corn. *conſ.31.nu.2.& 15.lib.3.* Hæres enim
2 cenſetur vna,& eadem perſona cum defuncto, *auth.de iureiur.à mor præſt. in princ.*& ibi gloſſ.*in verb.vna quodam modo,collat.5.*

3 Non obſtat,quòd quando adſunt bona,exequutio perſonalis fieri non poteſt, auth. *Hoc niſi,C.de ſolut.*quia D.Antonius Franciſcus debitor non probat, ſe feciſſe exactã diligentiam reperiendi pecuniam, & quòd non
4 reperit.Item non offert bona meliora ad electionem creditoris,nec cauet de euictione, nec alia ad id requiſita promittit, de quibus per Rom.*conſ.163.nu.2.& ſeqq.*latè Theſ. *deciſ.153.num.12.*

5 Nec inuentaria allegata per D. Antonium Franciſcum ei ſuffragantur, quia primum eſt tutelare confectum à matre.Secũdum verò fuit ſolum ceptum, nunquam perfectum, nec etiam habet requiſita, cùm citationes iuxta decretum iudicis minimè fuerint factæ.

Nec excuſari poteſt ex minori ęta- 6
te, † quia etiam minor tenetur inuentarium conficere, Rot.*de inuent. quæſt.5.par.2.* & maior factus ſe hæreditati immiſcuit.

Minùs obſtat, quòd fuerit cepta exequutio ſuper quodã caſale;quia ex eo non potuit ſatisfieri D. Petro Thomæ filio,& hæredi D.Io.Victorij,cùm ſuper dicto caſali fideicommiſſum, & cenſus impoſitos eſſe detectum ſit. Quocirca impediri non 7
debet, quo minùs perſona capi queat, Dec.*conſ.562.nu.8.*

FIRMANA LVCRI Dotis.

Ven. 8. Martij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Lucrum dotale debetur etiam ex parte dotis non exactæ, ſtante ſtatuto,quòd lucrum debeatur etiam ex dote non exacta.*

2 *Diſpoſitio hominis facit ceſſare diſpoſitiouem legis.*

3 *Culpa mariti non exigentis dotem non poteſt præiudicare mulieri.*

4 *Ad probandam negligentiam illius qui tenebatur exigere à debitoribus, non ſufficit probare, eum potuiſſe agere,niſi etiam probetur, quòd facilè poterat exigi.*

5 *Quando expreſsè dantur in dotem nomina debitorum,ceſſio non eſt neceſſaria, neque neceſſariò danda ſunt inſtrumenta, num.7.*

6 *Mulier ſecundò nubens, nulla certa dote data, cenſetur nubere cum prima dote.*

Decisio LX.

DOmini pro maiori parte dixe- 1
runt, Dianæ deberi lucrum

dotis, & pro parte dotis non exactæ; quia ſtatutum, *in rubr. C. lib. 2.* eſt clarum, quòd tale lucrum debeatur, etiam pro parte ſoluta. Et ideo non eſt opus alia non interpretatione, *l. ille aut ille, de leg. 2.* cum vulgar.

2 Non obſtat, quòd fuerat conuentum, quòd lucrum non deberetur pro ea parte dotis quæ exigi non
3 poſſet. † Et ſic diſpoſitio hominis facit ceſſare prouiſionem legis, *l. fin.*
4 *C. de pact. conuent.* † Quia reſpondebatur, quòd culpa mariti non exigentis non poteſt præiudicare mulieri, *l. Mœuia marito, l. penult. in princ. §. ſi vir. ff. ſolut. matr. l. ſi extraneus, ff. de iur. dot. l. ob res, ff. de pact. dotal.* Roman. *conſ. 46. nu. 3.* Corn. *conſ. 145. nu. 13. vol. 2.*

Culpa autem mariti dicebatur probari, ex quo non oſtendebatur, ipſum feciſſe aliquam diligentiam pro exigendis nominibus debitorum.

5 Sed Domini qui erant in contrario voto, dicebant, quòd ad probandum negligentiam illius qui tenebatur exigere à debitoribus, nō ſufficit probare, cum potuiſſe agere, niſi etiam oſtendatur, quòd facilè poterant exigi. Surd. qui alios allegat, *conſ. 228. num. 16. lib. 2.* Nec in facto probatur, prout ore tenus dicebatur, Dianam poſt obitum viri exegiſſe dicta nomina debitorum. Ex quibus potiùs volui reſolutionem extendere, vt videretur ad quod difficultas reſtringatur, quàm vt illa pro deciſione haberetur.

Nec viſum fuit Dominis, obſtare, quòd videretur neceſſaria ceſſio nominum debitorum; quia contrarium eſt verius in hoc caſu, quo expreſsè fuerant data dicta nomina in dotem, *l. 2. C. de act. & oblig.* Odofred. *in d. l. Mœuia, verſ. vnde ex principio huius legis.* Ruin. *conſ. 13. num. 27. & 28. vol. 2.* Bald. Nouel. *de dote, par. 6. priuil. 71. num. 1.* Roland. *de lucr. dotis, quæſt. 81. num. 13.* Licèt ſecus ſit, † quando mulier ſecundò nubit, 6
nulla certa data dote, quia licèt cenſeatur nubere cum dote data primo viro, tamē in iſta tacita aſſignatione non ſubintelligitur ceſſio, vt per DD. allegatos.

Nec facit, quòd fuerat promiſſa in apocha ceſſio, quia quoàd nomina prædicta non erat promiſſa, ſed quoàd alia iura, & prætentiones.

Minùs releuat, quòd inſtrumenta debitorum non fuerant data viro, quia tunc debebant dari, ſi debitores negaſſent, ſe tales, vt poſt Caſtren. & Bertrand. tradit. Dec. *conſ. 105. nu. 25.*

PAMPILONEN. DE Stella.

Ven. 15. Martij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Contra citatum in prima inſtantia, non poteſt agi per contradictas in cauſa appellationis.*

2 *Coram diuerſis iudicibus in eadem cauſa poteſt agi, parte acquieſcente.*

3 *Qui citat aliquem tanquam procuratorem, videtur eum tamquam verum procuratorem approbare.*

4 *Conſtitutio procuratoris facta ab vno ex beneficiatis ſufficit, cùm agitur pro defenſione Eccleſiæ.*

DECISIO LXI.

FVerat reſolutum coram me, ſententias Rotales fuiſſe nullas, quoàd beneficiatos, quia licèt fuerint citati vigore primæ commiſſionis Rotalis, tamen cùm eadem cauſa fuiſſet introducta eodem tempore coram Metropolitano, & denuò

nuò pòst latam sententiam à Metropolitano vigore alterius commis-
1 sionis appellationis in Rota, † debebant denuò citari, nec poterat contra ipsos agi per contradictas vigore citationis factæ in vim primæ commissionis. Achil. *decis.* 13. *de dol. & contum.* Et cùm pars non acquiesceret, iterum proposui dubiũ, & Domini ex eisdem steterunt in decisis.

2 Nec facit, quòd sententia Metropolitani fuerit nulla, quia id non operatur, quòd prima commissio Rotalis habuerit effectum. Et quamuis coram diuersis iudicibus, in eadem instantia possit agi parte acquiescente, Rip. *in cap. cum M. Ferrarien. num.* 199. *de constit.* Tamen hoc non fuit factum, quia prima sententia Rotalis fuit lata in tertia instantia, reuocando sententiam Metropolitani. Et sic vigore secundæ cõmissionis. Ex quo clarè patet, quòd prima commissio non habuit effectum.

Nec Abbati suffragatur, quòd coram Metropolitano non comparuit persona legitima. Omisso enim, quòd hoc non facit ad punctum, cùm tendat ad impugnationem sen-
3 tentiæ Metropolitani, † fuit coram Metropolitano citatus Ioannes de Ochoa per Abbatem, tanquam beneficiatorum procurator. Et ideò videtur, eum tanquam verum procuratorem approbasse. Castren. *in l. licet, num.* 2. *vers. tu dic hoc verum, ff. de iudic. & in cons.* 12. *incip. tota disputatio, in princ. vol.* 2. Marant. *de ordin. iudic. par.* 6. *memb.* 9. *nu.* 56. latè Felin. *in c. cùm inter, sub num.* 11. *vers. vnde generaliter, de except.* Mohed. *decis. vnica, num.* 4. *de regular.* Et tenuit Rota coram R.P.D. meo Seraphino, in causa Burgen. de Couarruuias 4. Febr. 1591. vbi dicitur, ita pluriès fuisse resolutum. Quod dicitur non adesse hodie qui possit de hac nullitate dare, cessat, cùm D. Capparossa habeat mandatum ab vno ex Beneficiatis, quòd sufficit, cùm agatur 4
de defensione Ecclesiæ. Abb. *in cap. cùm olim. num.* 2. *in fin. vers. item ex prædictis, de testib.* Speculat. *in tit. de procurat.* §. *ratione quoque, num.* 9. *vers. quid si Canonicus.* Archidiac. *in cap. cùm liceat, num.* 2. 12. *quæst.* 2. Anton. de Butr. *in cap. edoceri, paulò antè num.* 22. *de rescript.* Mattheſil. *singulari* 150. Et fuit resolutum coram Illustrissimo Platto in causa Virdunen. electionis, 17. Maij 1589.

ESINA SALVIANI Interdicti.

Lunæ 18. *Martij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Persona quantumuis coniuncta non potest constituere procuratorem ante litem contestatam, secùs tamen post litem contestatam.*

2 *Mandatum procuræ potest quandocumque produci, si non opponatur.*

3 *In dubio fit interpretatio, quòd quis voluerit vti facultate quam habet.*

4 *Verbum* constituit, *ex subiecta materia accipitur pro* substituit.

5 *Verbum*, substituit, *quando opus est institutione, accipitur pro* instituit.

Decisio LXII.

FVerat resolutum coram me 9. Aprilis præteriti, sententiam non fuisse nullam. Seruatum tamen, videre, ân Pyrrhus tanquam frater potuisset constituere procuratorem pro fratre, ante litem contestatam, in casu, &c. Tunc enim non constabat

ſtabat, quòd Pyrrhus haberet mandatum cum facultate ſubſtituendi.
1 † Et regula eſt, quòd perſona quantumuis coniuncta non poſſit ante litem conteſtatam, procuratorem conſtituere, licèt ſecùs ſit poſt litem conteſtatam. Doctor. & præcipuè Alex. & Iaſ. *in l. quod quis, in 7. fallentia. C. de procurat.* Decius poſt Felin. *in C. intelleximus, num. 64. de iudic.* Speculat. *in tit. de procurat. §. ratione conſtituentis, verſ. quòd ſi canonicus,* Roman. *conſ. 241. num. 8.* Rota. *deciſ. 34. de procurat. in antiq.* vbi quòd ita tenet Rota.

In caſu tamen de quo agitur, Domini dixerunt, Pyrrhum potuiſſe conſtituere procuratorem pro Thadæo fratre, quia habebat mandatum cum facultate ſubſtituendi, & quamuis hodiè ſolum mandatum
2 fuerit productum, † Tamen cùm nõ fuerit oppoſitum, quandocumque produci potuit. Rota *deciſ. 19. de procurat. in antiq.* quam ſeruari teſtatur Puteus, *deciſ. 383. nu. 8. lib. 2.* Aym. *conſ. 108. nu. 1.*

Nec placuit, quòd Pyrrhus viſus ſit nolle vti facultate ſibi cõceſſa in mandato, cùm illud non produxerit, & ideò intrare regulam. Quod potui nolui, &c. quia Pyrrhus non ſe reſtrinxit, eligendo viam incompetentem excluſiuè ad mandatum, ſed ſolùm conſtituit procuratorem pro ſe, & fratre, & ideò conſtitutio procuratoris ſuſtinetur in vim facultatis ſibi in mandato conceſſæ, *arg. l. 3.* & eorum quæ ibi notat Bald.
3 & alij, *ff. de milit. teſtam.* † Et tanto magis, quia in dubio fit interpretatio, quòd voluerit vti facultate mãdati pro validitate actus, *l. quoties 80. de verb. oblig.*

Nec releuat, quòd Pyrrhus procuratorem conſtituerit, non autem ſubſtituerit, prout ſibi erat conceſſum in mandato, † quia verbum (*conſtituit*) debet intelligi, pro *ſubſtituit*, 4
† prout verbum, *ſubſtituit*, accipitur pro *inſtituit*, quando inſtitutione opus eſt, Bald. & Salicet, *in l. penult. C. de procurat.* Decius, *in l. ſi librarius 92. in princ. verſ. & ſimiliter ſi notarius, ff. de reg. iur.* Benè facit deciſio Rotæ 27, *de prabend. in nou.*

ROMANA REDDITIONIS Computor.

Vener. 22. Martij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Qui petit exhibitionem libri, debet probare exiſtentiam libri apud illum à quo petit exhibitionem antè.*

2 *Non tenetur quis exhibere librum cuius exiſtentia apud ipſum probata fuit ante litem motam.*

3 *Speciale eſt ſcriptura, quòd probata ſemel exiſtentia libri apud aliquem ante litem motam, teneatur librum exhibere, quando ſcilicèt recepit librum à petente exhibitionem, vel quando ex officio tenebatur cuſtodire, aliàs ſecus.*

4 *Magiſter domus non tenetur cuſtodire libros diſpenſæ.*

DECISIO LXIII.

EXiſtentia libri diſpenſæ penes D. Aloyſium, non videbatur plenè probata, quod eſt principale fundamentum illius qui petit exhibitionem, *l. 3. in princ.* vbi gloſ. *in verb. ſummatim. ff. ad exhiben.* De ea enim deponit vnicus tantum teſtis, cuius etiam dictum confunditur ex dicto primi teſtis, & in omnem euentum, quatenus probaretur, eſſet 2
probata ante litem motam, & propterea non ſuffragaretur; quia licèt 3
ſit ſpeciale in ſcriptura, quòd probata

bata ſemel exiſtentia, ante litem quis teneatur exhibere; hoc eſt verum quando ille à quo petitur exhibitio, illam recepit à petente exhibitionem, vel quando ex officio tenebatur cuſtodire, aliàs ſecùs, vt declarat Caſtr. *in l.2.num.7.* & Corn. *num.5.C.de teſtam. ordin.* Hîc autem cùm D. Aloyſius non habuerit libros ab ipſis dominis petentibus
4 exhibitionem, † nec ipſe tenetur cuſtodire libros diſpenſæ, cùm eſſet magiſter domus, non valet in his terminis argumentum à præterito in præſens per Doctores allegatos.

ROMANA PRIMOGENITURÆ de ſancta Cruce.

Ven. 24. Maij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Deſcendentia probari debet per gradus diſtinctos.*

2 *In probanda parentela recente, vt fraternitate, vel filiatione, an ſufficiat probare tractatum, vel nominationem in iudicio petitorio.*

3 *Filiatio & fraternitas concludenter probatur per publicam vocem, & famam, & tractatum.*

4 *Teſtes ſingulares deponentes de diuerſa tractatione, & reputatione in filium, vel fratrem, probant fraternitatem & filiationem.*

DECISIO LXIV.

DOnauerat de anno 1576. Scipio Sancta Crucius Epiſcopus Ceruien. Domino Honufrio eius ex Georgio fratre nepoti, & ſucceſſiuè primogenito eiuſdem Honufrij, & aliis primogenitis ex eo deſcendentibus, quædam bona, quæ & teſtamento auxerat, & in eodem contenta in donatione confirmauerat, quibus ſubordinatè ſubſtituerat quoſdam, inter quos, & primogenitus Valerij alias Valeriani Sanctacrucis fratris Illuſtriſſimi D. Proſperi Cardinalis Sanctacrucis. Et quamuis nondum euenerit caſus ſubſtitutionis, nihilominùs ad omnem bonum finem, dominus Marcellus filius Valerij, ſeu Valeriani, & ipſo ſolo iura deducente, Dominis deſiderat de hac deſcendentia conſtare. † Probatur 1
enim per gradus diſtinctos, prout requiritur, *c. licèt ex quadam, ibi, ſingulos gradus, ex. de teſtibus*, Innoc. *in C. ſeries, in fin.* & ibidem Bald. *num.3. eodem tit.* idem Bald. *in l.1. num.18. verſ. propterea, C. eodem.* Anchar. *conſ. 277. num.7. verſ. nam aliquis gradus*, Decius, qui de communi *conſ. 322. num.4.* Nam quòd Valerius, aliàs Valerianus eſſet frater Cardinalis, deponunt primus, & 4. teſtis ſuper ſecundo. Et dant rationem ex publica voce, & fama, & ſuper 3. deponunt, de communi reputatione ab omnibus, vt de tractatu inter ipſos, vti tales, & ſecundus, & 3. teſtis pariter de eodem tractatu, & communi reputatione deponunt, & Valerianus vti talis nominatur in donatione.

Quòd verò D. Marcellus deſcendat ex Valeriano, & Antonina de Mutis coniugibus, deponunt dicti teſtes ſuper 5. Et deponunt de publica voce, & fama, tractatu, & communi reputatione.

Vltimus verò gradus, videlicèt, quòd Valerianus iunior & Antonius deſcendebant ex Marcello, & Porcia del Draco pariter coniugibus, deponunt dicti teſtes ſuper 6. & 7. de publica voce, & fama, tractatu, & reputatione, & res eſt notoria.

Quæ probatio viſa fuit Dominis ſatis ſufficiens. † Nam quicquid ſit 2

de illa quæſtione, an in iudicio petitorio, quando agitur de probanda parentela recente, quæ hominum memoriam non excedit, ſufficiat probare tractatum, vel nominationem, & de fraternitate probanda, Pacian. *de probat. cap.* 12. *num.*7. *& ſeqq. lib.* 2. Et an per ſimiles actus probetur filiatio, Fachin. *contro. iur. lib.*1.*c.*73. per totum, & Pacian. *d.lib.* 2.*cap.*6. Hìc ceſſat omnis difficultas,

3 † quia vnà cum tractatu concurrit publica vox, & fama, & ideò hæc fraternitas, & filiatio concludenter fuit probata. Aret. *conſ.* 37. *in fin. verſ. venit igitur ad* 2. Aymo. *conſ.*249. *nu.* 2. *in fin.* Alex. *conſ.*181. *num.*9. *vol.*7. Pacian. *d.cap.*12. *num.*23.

4 Nec obſtat, ſi diceretur, quòd iſti teſtes ſunt ſingulares, cùm quilibet eorum deponat de diuerſa tractactione, reputatione, &c. quia hìc non agitur principaliter de probando illos actus de quibus teſtes deponunt, ſed de probando effectum qui reſultat ex actibus illis, videlicèt fraternitatem, & filiationem. Ita poſt gloſ. Caſtr. *in conſ.*151. *num.*7. *verſ.*2. *videtur vol.*1.

CAMERINENSIS Dotis.

Ven. 31. *Maij* 1602.

Epitome.

Dos pro filia promiſſa marito, intuitu legati ex certis bonis detrahendi, ſi illa bona perueniant ad filiam, obligatio ceſſat.

SVMMARIVM.

1 *Solutio dotis promiſſæ marito facta vxori non liberat debitorem.*

2 *Deficiente cauſa propter quam quis ſe obligauit, obligatio remanet ineffícax.*

3 *Mandatum non eſt exequendum quod detegitur iniuſtum, etiam ex nouiter deductis.*

4 *De ſpecie ad quantitatem non fit compenſatio.*

5 *Mandatum relaxatum vltra ſummam debitam non eſt exequendum.*

Decisio LXV.

SEmel atque iterum reſoluta hac cauſa, & tandem tertiò propoſita, Domini ſteterunt in deciſis contra Auguſtinum ſolum informantẽ, cenſentes, mandatum per ipſum obtentum contra Pantaleonem ſocerum, ſuſtineri non poſſe. Nam cùm Venantia eius vxor habuerit bona materna, ex quibus legatum erat ſoluendum, intùs habet, quod extrà petit.

Nec obſtat, quòd promiſſio de ſoluenda dote erat facta Auguſtino, † & ſolutio dotis promiſſæ marito 1
facta vxori non liberat debitorem, *l. ſi pater, C. de dot. promiſſ.* Guido Pap. *deciſ.*375. cum aliis, quia hæc difficultas ceſſat ex apocha, in qua Auguſtinus promittit quietantiam pro huiuſmodi legato, cuius intuitu fuerant promiſſa quingenta, (vt benè in deciſione R. P. D. mei Pamphylis) quam nec ipſe, nec Venantia facere potuerant, tempore relaxationis mandati, ex quo Venantia habuerat bona materna, & conſequenter legatum quod in eis comprehenditur. Vnde mandatum relaxatum contra Pantaleonem fuit iniuſtum, † quia eius obligatio 2
ceſſabat, cùm deficeret cauſa propter quam ſe obligauerat, & ſic ſine cauſa obligatio remanebat inefficax, *l. ſi pupillum*, ſecunda vbi Bald. & Imola. *ff. de acquir. hæred.*

An

Anchar. *conſ.* 330. *num.* 11. Et tenuit Rota in Romana de Zabreiis 4. Maij ſub *num.* 14. 1580. coram Cantuccio, & fuit latè deductum in alia cauſa Romana nullitatis 23. Ianuarij de hoc anno coram R. P. D. meo Pamphylio.

Nec obſtat, quòd cauſa promiſſionis dotis non ceſſat, ex quo pater tenetur dotare filiam, quia cùm ſcuta 500. fuiſſent promiſſa intuitu legati de quo promiſerat Auguſtinus quietantia, vtique pro hac rata ceſſat cauſa obligationis Pantaleonis, cùm iam Auguſtinus habuerit alia quingenta promiſſa.

Minùs releuat, quòd ſolutis 500. Auguſtino, & per ipſam quietatione facta, parte agente pro recuperatione bonorum, quietantia operabitur effectum ſuum, quia fuit reſpõſum, res excedere terminos ſuos, & ſemper eſſe verum, quòd de tempore relaxationis mandati obligatio Pantaleonis ceſſabat ex defectu cauſæ propter quam ſe obligauerat ad illa 500.

Nec facit, quòd Pantaleon in ſolidum obligatus cum Vincentio filio, cui erat facienda quietatio, non poſſit opponere de hac quietatione, quæ Vincentio erat facienda, quia Auguſtinus expreſsè promiſerat, vtrumque de legato quietare.

Non obſtat, quòd cùm Pantaleon non oppoſuerit de huiuſmodi impedimento, Auguſtinus potuit hoc mandatum obtinere. Alex. *in l. filiæ licet, num.* 3. *C. de collat.* Nam quicquid ſit de veritate, (ſine actis enim proceditur, & cauſa non eſt Rotalis)
3 dum † quæritur, an mandatũ, relaxatum ſit exequẽdum, ſufficit, quòd detegatur iniuſtum, etiam ex nouiter deductis, cùm id tendat ad corroborationem probationum antiquarum, quod poteſt fieri etiam poſt ſententiam, prout fuit pluriès reſolutum.

Nec Auguſtino ſuffragatur, quòd poſt ſolutionem quingentorum, Pantaleon de nouo ſe obligauerat pro reſiduo, quia iſta non eſt noua obligatio, niſi reſpectu ſolutionis in terminis ab arbitro declarandis.

Minùs etiam ei ſuffragatur, quòd dos fuerit debita in pecunia, † & 4
non fiat compenſatio de ſpecie ad quantitatem, *l. ſi conuenerit, ff. de pignorat. act. l. ſi non ſortem, §. ſi certum. ff. de condict. indeb.* Socin. iun. *conſ.* 10. *num.* 22. *lib.* 3. *& conſ.* 170. *nu.* 20. *lib.* 2. quia hæc concluſio non applicatur; non enim agitur de compenſatione, ſed dicitur, quòd pecuniæ fuerunt debitæ intuitu legati, quod ſoluendum erat ex hæreditate, & hodie ceſſat iſta obligatio, quia hæreditas deuenit ad manus ipſius Venantæ.

Nec refert, quòd iſta hæreditas non aſcendat ad valorem legati, quia etiamſi hoc non probetur, tamen ſi probaretur, ceſſaret nihilominùs cauſa obligationis Pantaleonis, pro valore hæreditatis. † Et ſic manda- 5
tum non eſſet exequẽdum tanquam relaxatum vltrà ſummam debitam, vt fuit latè deductum in cauſa Romana ſpolij 21. Februarij 1600. coram R. P. D. meo Iuſto.

Non obſtat, quòd hodiè negetur, bona matris perueniſſe ad manus Venantiæ, ſed ſolùm certam partem quæ non aſcendit ad ſummam 500. quia hoc nunquam fuit controuerſum, & non iuſtificatur in facto.

Et vnus ex Dominis reſpondebat, quòd ſi fortaſſe probaretur, totam hæreditatem non perueniſſe ad manus Venantiæ, quòd nihilominùs non ſuffragaretur, ex quo dicta

hæreditas hodiè eſt debita Venantiæ, ex fideicommiſſo, & ideò ipſe habet iura, & actiones, pro conſequendis omnibus bonis matris.

Alia tollantur ex deciſionibus in hac cauſa factis.

ANCONITANA Aſſecurationis.

Ven. 31. *Maij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Apocha onerationis vulgariter nuncupata* Poliza di carico *probat onerationem.*

2 *Liber ſcribæ nauigiorum meretur fidem, maximè ſtante ſtatuto, quòd ei fides adhibeatur.*

3 *Teſtes in primo iudicio nulliter examinati, ſi deinde cum partis interrogatoris examinentur probant.*

Decisio LXVI.

DVbitaui, an apocha aſſecurationis eſſet iuſtificata. Et Domini affirmatiuè reſponderunt. Duo enim pro eius iuſtificatione erant probanda, alterum, quòd conſtaret de oneratione. Zambellottorum, Alterum verò, quòd cõſtaret de deprædatione.

1 Prius probatur ex apotheca onerationis, vulgariter nuncupata, *Poliza di carico.* Stracca, *de aſſecur. gloſ.* 11. *num.* 50.

Et quamuis in apotheca onerationis non habeatur, quòd ſint tabulæ Ciambellottorum, tamen ceſſat difficultas, cùm in libro originali ſcribæ habeatur, Iacobum oneraſſe
2 ſex tabulas Ciambellottorum. † Qui liber ſcribæ nauigiorum, fidem meretur. Stracca, *de aſſecurat. gloſ.* 81. *nu.* 52. cõque magis hoc procedit Anconæ, vbi adeſt ſtatutum municipale, quòd huiuſmodi ſcribis fides habeatur, vt *in rubrica* 90. *de fide danda, Scripturis ſcribanorum nauigiorum*, & inſuper concurrit qualitas mercium, numeri, ſigni, loci, & perſonarum, nec ita qualitas tabularum poteſt in alia qualitate mercium verificari.

Nec obſtat, quòd dicitur, Ciambellottos ſpectare ad Ruſcam, non autem ad Hebræos, de quibus agitur, quia licèt teſtes dicant, vnam tabulam fuiſſe habitam à Ruſca, aliam à Dogana, nihilominùs concludunt, tabulas fuiſſe quorumdam Hebræorum.

Minus facit, quòd tam in apocha onerationis, quàm in partita libri, dicatur, tabulas fuiſſe oneratas die 29. Septembris, & tamen ex dicto Lucæ patroni, ſibi fuiſſe conſignatas per ſex dies ante diſceſſum à portu, & ſic die 24. cùm diſceſſerit die 30. Non eſt enim nouum, quòd merces cõſignentur patrono nauis, & illius ad aliquot dies ſcriba conficiat apocham onerationis.

Quòd dicebatur, apocham aſſecurationis non fuiſſe recognitam, conſtat de contrario in proceſſu cõpulſoriali, fol. 22. prout etiam apocha onerationis fuit recognita in eodem proceſſu, fol. 22. Cætera viſa ſunt Dominis non mereri reſponſionem.

Poſterius requiſitum videlicèt de- 3
prædatio, probatur ex teſtibus, qui licèt in primo iudicio fuerint nulliter examinati, tamen poſteà ad inſtantiam partis, cum eius interrogatoriis fuerunt exminati.

AVSCVLANA Domus.

Lunæ 3. *Iunij* 1602.

EPITOME.

Legatarius in re legata non præfertur creditoribus habentibus anteriora iura, quibus datur retentio, si possidebant iure familiaritatis in vita testatoris, vel habebant precarium ad sui fauorem, nisi sint creditores chirographarij, & hæreditas sit soluendo, quo casu onus probandi, quòd hereditas non sit soluendo, incumbit creditoribus.

SVMMARIVM.

1 *Vxor, & eius hæres, mortuo marito, possunt retinere bona mariti, ex hypotheca dotis.*

2 *Vxor non potest authoritate propria ingredi bonorum dotalium possessionem.*

3 *Intellige, nisi habeat precarium ad sui fauorem, vel bonorum possessio peruenit ad ipsam sine vitio.*

4 *Vxor quæ possidet ratione familiaritatis bona in vita viri, eo defuncto potest sibi mutare causam possessionis, & idem potest hæres.*

5 *Mutatio possessionis censetur facta ex superuenientia noui tituli, absq; alia declaratione.*

6 *Legatarius in re legata præfertur aliis creditoribus, quando hæreditas est soluendo, aliàs secus.*

7 *Intellige de creditoribus chirographarius, qui non habent hypothecam, secùs in aliis, & num. 9.*

8 *Doctor est intelligendus secundùm iura quæ allegat.*

9 *Creditor habens hypothecam, potest sibi eligere vnum ex pignoribus quod voluerit.*

10 *Creditoribus chirographariis agentibus aduersùs legatarios, incumbit onus probandi, hæreditatem non esse soluendo.*

11 *Saluianum competit legatario pro legato.*

12 *Saluianum non competit legatario, si possidens habet ius retentionis ex priori iure.*

13 *Ex acceptatione legati censetur approbatum testamentum,*

14 *Hæres non potest venire contra factum defuncti.*

15 *Vtens iure retentionis, vt post satisfactionem restituat legatario, non dicitur contrauenire voluntati testatoris qui simpliciter legauit, & num. 17.*

16 *Legatum factum cum conditione, seu clausula,* dum dotem non repetierit, & vitam vidualem seruauerit, *non censetur relictum animo compensandi cum dote, & num. 22.*

17 *Testator censetur se conformare cum dispositione iuris.*

18 *Hæres succedit in omne ius defuncti.*

19 *Fructus computantur in sortem, quando contractus est vsurarius.*

20 *Legatum annuum factum ob retardatam solutionem dotis, est vsurarium.*

21 *Secùs si sit factum absque vlla dinumeratione temporis, vel pro fructibus, atque interesse.*

22 *Legatum vsusfructus, dum dotem non repetierit, & vitam vidualem seruauerit, non est vsurarium, & nu. 19. 20. & 21.*

23 *Legatum alimentorum, vel vsusfructus, donec mulier vitam vidualem seruauerit, est validum.*

24 *Maximè si fructus non correspondeant fructibus dotis.*

25 *Cautio Mutiana præstari debet à muliere cui est relictum donec vitam vidualem seruauerit, aliàs debet restituere fructus.*

28 *Cautio Mutiana debet præstari iuxta terminos* auth. cui relictum. C. de indict. viduit. tollen.

27 *Cautio Mutiana vult, quòd restituatur, in euentum contrauentionis.*

Decisio LXVII.

FInito vsufructu domus de qua agitur, per obitum Hieronymæ, quem Vincentius eius vir ipsi legauerat, dum viueret, vitam vidualem seruaret, & dotem non repeteret. Marinus pro parte hæres D. Vincentij, & in dicta domo finito vsufructu prælegatarius, petebat immissionem. Albenia verò filia, & hæres Hieronymæ volebat retinere, tanquam creditrix dotis maternæ, donec sibi de ea fuisset satisfactum: quapropter dubitaui, an Marino esset concedenda immissio. Et negatiuè fuit resolutum, quia nedum † vxor, mortuo marito, ratione hypothecæ potest retinere bona pro iure suarum dotium, sed etiam filia pro dote materna, Bart. *in l. gerit, num.* 21. *ff. de acquir. hæred.* Brun. *cons.* 1. *nu.* 11. *&* 12. *vol.* 1. Campeg. *in cons. seq. nu.* 4. Grammat. *decis.* 58. *num.* 4. Bald. *in l.* 1. *num.* 4. *C. de seruo pign. dato manum.* Decius, *cons.* 232. *num.* 2. *& cons.* 400. *num.* 5. cum aliis per Nattam, *cons.* 77. *num.* 27. *vol.* 1. 1

2 Quamuis enim regulariter mulier non possit propria auctoritate ingredi possessionem bonorum dotalium, vel pro illis obligatorum, *per tex. in l. dotis actione. C. solut. matrim.* † Tamen id non procedit, vel 3 quando mulier habet precarium in restitutione dotis, vel aliàs possessio vacua ad ipsam peruenerit sine vitio, vt expressè dicit Decius, *d. cons.* 232. *num.* 2. *&* 671. *num.* 1. *& seqq.* 4 prout in proposito accidit. † Albenia enim, iam viuente matre, ac tempore eius obitus, erat in possessione domus de qua agitur, iure familiaritatis. Vnde post illius obitum, potuit sibi mutare causam possessionis. Bald. *in l. penult. sub. num.* 1. *C. de pignorat. act.* & retinere pro dote materna, † sicut & absque alia 5 declaratione censetur fecisse, iuxta opinionem Decij. *in cons.* 400. *nu.* 5. quam reprobato Socin. Seniore, *in cons.* 131. *num.* 7. *lib.* 1. passim seruat Rota, vt per Put. *dec.* 446. *lib.* 1. Paleott. *dec.* 248. & Achill. *decis.* 4. *de causa poss. & propriet.* Et fuit resolutum in causa Maceratensi hæreditatis 11. Maij 1587. & in vna Rom. Beneficij sancti Andreæ. 19. Nouembris 1601. coram R. P. D. N. Pamphilio. Vltra quòd constat ex actis, de expressa declaratione.

Non obstat, quòd legatarius in re 6 legata præferatur cæteris creditoribus, quando hæreditas est soluendo, licèt secùs sit quando hæreditas non est soluendo. Cyn. *in l.* 2. *circa medium*, & Albericus, *num.* 2. *C. qui potior in pignor. habeantur:* & Cynum sequitur Bart. *in l. is cui*, §. *postquam, in fin. ff. vt in possess. legat.* Natta post Castrens. quem allegat. *cons.* 199. *nu.* 8. *vol.* 1. Surd. *dec.* 316. *num.* 12. Et creditori incumbit onus probandi, hæreditatem non esse soluendo. Natta, & Surdus locis præcitatis.

Nam respondetur, quòd glossa, 7 *in d. l. is cui*, §. *postquàm, in verb. non habebitur, ff. vt in poss. legat.* quæ est magistra huius opinionis, & quam Cynus sequitur, loquitur, (vt benè aduertit Bart. *in l. creditoribus, num.* 3. *ff. de separat.*) in creditore chirographario, qui non habet hypothecam. Azo *in summa C. etiam ob chirograph. pecun.* & in eodem creditore loquitur Cyn. † Et alij DD. qui ipsam 8 allegant, ex eius sententia sunt intelligendi, iuxta doctrinam Bart. *in l. non*

l.non solùm,§. si liberationis verba,nu. 7.ff. de liberat. legat. Et idem Cynus bene materiam declarat,& in parte etiam Vincentius de Franchis. *decis.* 246.

At verò in præsenti casu, legatarius non agit cum creditore chirographario, sed agit cum muliere, quæ ex persona matris habet expressam hypothecam omnium bonorum in instrumento dotis, ante-
9 riorem legatariis. † Et ideò potuit sibi vnum ex pignoribus, quod voluerit eligere,*l.creditoris,ff.de distract. pignor. iuncta l. qui generaliter, ff. qui potior in pign.hab.* Surd. *decis.*44.*nu.*6. Nec hoc ius potest impedire testator,*l.*1.*C.debit.pign. vendit.imped.non poss.d.l.creditoris.* Et in similibus terminis tradit Bald. *in l.*2. *num.*4. *C.si aduers.vendit.pign.& in d.l.*1.*in princ. C.debet.vendit. pign. imped. non posse.*
10 † Ex quibus cessat, nō modò quod dicebatur, creditoribus incumbere onus probandi, hæreditatem non esse soluendo,quia non versamur in
11 terminis illius distinctionis, † sed etiam quod dicebatur, eidem competere Saluianum. Aret. *in* §. *Item Seruiana,num.*9. *instit.de actionib.* Gabriel *conf.*46. *num.*19. *lib.*1. Paleott. *decis.* 313. & tenuit Rota coram R. P. D. meo Sacrato in causa Romana legati x1. Ianuarij 1602. quia
12 hoc non militat,quando ille qui est in possessione,habet ius retentionis, ex prioritate hypothecæ,per supradicta.
13 Nec facit, quòd Hieronyma acceptando vsumfructum, videtur approbasse testamentum mariti. Et sic,quòd finito vsufructu, domus ad Marinum reuertatur, *l.si pars,* §.*fin.l. Papinianus,* §.*si conditioni,ff.de inoffic. testam.l.post legatum,in princ.* & ibi DD. *ff. de his quibus, vt indign. in l. nihil,nu.*2.*ff.de inoff.testam.* late Alber. *conf.*17. *num.*1. *& seqq.* Et ideò cùm Albenia sit † hæres Hieronymæ,nō 14
potest venire contra ipsius factum, *l.cùm à matre,* vbi DD.*C.de rei vendit.* Respondetur enim, quòd Albenia non impugnat testamentum,nec testatoris voluntatem, † sed solùm 15
vult retinere hanc domum, donec sibi fuerit satisfactum de suo credito, & postea non recusat dimittere domum Marino. † Et cùm huiusmodi legatum non fuerit relictum 16
animo compensandi cum dote,quia fuit relictum, dum dotem non repetierit,& vitam vidualem seruauerit, & sic per verba temporis distributiui. Quare sicuti Hieronyma, si viueret, potuisset petere dotes suas, nec tum dici potuisset, testatorem noluisse illam posse vti iuris remediis pro sua dote recuperanda,† quia 17
testator censetur se cōformare cum dispositione iuris. Bald. *in l.*2.*in fin. C.de condit.instit.* Ruin. *conf.*169. *nu.* 7. *lib.*2. Ito hodie cùm per mortem Hieronymæ vsusfructus sit finitus, & Albenia eius filia, † & hæres.pe- 18
tat dotem maternam,iuris remediis vti potest,prout poterat eius mater, quia in omne ius successit, *l. hæreditas,ff.de reg.iur.* Et sic nec dispositioni, nec voluntati testatoris contradicit.

Non obstat,quòd huiusmodi debitum dotis videatur extinctum; quia legatum vsusfructus,donec vitam vidualem seruauerit, censeri debet vsurarium. † Et ideò vsus- 19
fructus perceptus in sortem computari, Put. *decis.*70. *&* 106.*lib.*1. quia doctores,quos allegat Puteus,& alij latissimè per Surdum cumulati, de aliment.*tit.*1.*quæst.*45.*num.*21.*& seqq. & tit.*8. *priuileg.* 29. *num.*2. *& tit.* 9. *quæst.*16. *num.*53. & Puteus ipse, loquuntur † quando relinquitur an- 20
nuatim certum quid per denumerationem

tionem temporum, ob retordatam dotis ſolutionem, quod eſt valdè di-
21 uerſum à legato de quo agitur, † in quo non fuit habita aliqua ratio ad denumerationem temporum, nec pro fructibus, nec minùs pro intereſſe dotis. Ideoque non eſt vſurarium. Surd. *d. tit. 9. quæſt. 16. num. 53.*
22 *in fin.* Imò fuit factum legatum dum dotem non repetierit, & vitam vi-
23 dualem ſeruauerit. † Et non eſt dubitandum, quin legatum alimentorum, vel vſusfructus, factum vxori donec vidualem ſeruauerit vitam, ſit validum, *l. fin.* & ibi gloſſ. Bart. & alij, *C. de indict. viduit. tollend.* Caſtr. *conſ. 451. par. 1.* Illuſtriſſimus Mantica, *de coniect. vltim. lib. 11. tit. 19. nu. 22.* Et in terminis ſimilis legati fuit dictum in cauſa Romana Saluiani, 26. Aprilis, & 2. Iunij 1599. coram R. P. D. meo Lancellotto.

24 Quibus addebant Domini, quòd eo magis procederent prædicta, ſi probaretur per Albeniã, quòd vſusfructus medietatis hæreditatis legatus Hieronymæ non haberet proportionem ad fructus dotis. Surd. *tit. 9. loco præcitato, in fin.* quod etiã fuit ponderatum in dicta Romana, coram D. meo Lancellotto.

25 Nec ſubſiſtit, quòd cautio Mutiana non fuerit præſtita, & ideò fructus percepti per Hieronymam ſint reſtituendi. Grat. *reſponſ. 102. ſub nu. 10. lib. 2.* Iaſ. *in l. cui relictum, num. 7. C. de indict. vid. tollen.* quia vt conſtat ex proceſſu de partibus fol. 16. à tergo
26 † hæc cautio fuit præſtita iuxta formam *authentic. cui relictum*, & in corpore, vnde ſumitur, *C. de indict. vid.*
27 *tollend.* videlicèt † in euentum contrauentionis de reſtituendo relictũ, vnà cum fructibus.

Minus facit, quòd Albenia debet reddere rationem de bonis per Hieronymam receptis, ex quibus vſus fructus erat percipiendus, quia per ipſam non ſtat, quo minùs hæc ratio reddatur, imò offert ſe paratam.

LEGIONEN. CANONICATUS.

Lunæ 3. Iunij 1602.

EPITOME.

Stante ſtatuto, quòd deſcendentes ex Mauris non admittantur ad canonicatus, & præbendas, ſi quis dixerit, quem ex Mauris deſcendere, debet hoc concludenter probare.

SVMMARIVM.

1 *Non deſcendentia à Mauris præſumitur.*
2 *Obiectum debet concludenter probari.*
3 *Confeſſio facta in memoriali, probat contra confitentem, & nu. 7.*
4 *Publica vox, & fama, cùm agitur de probanda origine ab antiquo, facit plenam probationem.*
5 *Confeſſio ſimplex extraiudicialis coadiuuat publicam vocem, & famam, contra confitentem.*
6 *Confeſſio eſt maior quolibet publico inſtrumento.*
8 *Excluſio vnius, eſt incluſio alterius.*
10 *Per communem reputationem, famam, & indicia, impuritas ſanguinis ſufficienter probatur.*
11 *In probando genere magis creditur teſtibus deponentibus de bona fama, quàm de mala, etiamſi teſtes de mala fama aliquantulum numero excederent, & num. 17.*
12 *Quòd quis ſit nobilis, & ex puro ſanguine*

ſanguine natus, ſuadetur ex eo, quòd eius pater, vel frater geſſit officium quod ſolùm perſonis puris, & qualifitatis conceditur, & nu. 13.

13 *De fide inquiſitorum, quòd quis ſit ex puro ſanguine, habetur aliqua ratio.*

14 *Probata qualitate vnius fratris, cenſetur etiam probata reſpectu aliorum fratrum vtrinque coniunctorum.*

15 *Teſtes nulliter examinati faciunt magnum adminiculum.*

16 *Teſtes ad probandam impuritatem ſanguinis, debent examinari in loco originis illius qui dicitur eſſe impuri ſanguinis.*

18 *In probanda impuritate ſanguinis, fama non habetur in conſideratione, niſi ſit vniformis, inconcuſſa, & ſuper ea non ſit contradictio.*

19 *Teſtis non probat, hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, & num. 21.*

20 *Fama, ad hoc vt probet, debet ortum habere ex probabilibus cauſis, aliàs tanquam vana vox populi nihil probat.*

22 *Probatio, quæ data inſtantia corruit, nihil concludit.*

24 *Probatio dubia non releuat.*

Decisio LXVIII.

DOminus Antonius Eſcouar obtinuit per ſanctiſſimum D. N. ſibi prouideri de canonicatu, & præbenda in Eccleſia Legionenſi, in qua viget ſtatutum per Fæl. record. Pium IV. confirmatum, volens inter alia, quòd deſcendentes ex Mauris non admittantur ad canonicatus, & præbendas dictæ Eccleſiæ. Vnde Capitulo recuſante recipere D. Antonium, ſub prætextu, quòd deſcenderet ex Mauris, dubitaui an dictum ſtatutum in hac parte obſtaret domino Antonio.† Et cùm talis 1
non deſcendentia præſumatur, *c. vlt. de præſumpt. l. ab ea parte ff. de probat.* Capitulo onus probandi talem deſcendentiam incumbit.† Et quidem 2
concludenter, quia venit obiectiuè. Rota *deciſ. pen. & vlt. de except. in nou.* Biſignet. *deciſ. 2. eod. tit.* Et in terminis huius ſtatuti fuit dictum coram Illuſtriſſimo Blanchetto, in cauſa Legionen. denegatæ poſſeſſ. 8. Martij 1595. Et in alio ſimili ſtatuto coram Illuſtriſſimo Mantica, in cauſa Toletana Parochialis 27. Ianuarij 1595.

Quare pro parte Capituli ad probandum hanc impuritatem, dicebatur, quòd Antonius fuiſſet faſſus in memoriali porrecto Capitulo, de quo in ſummario, *num. 3.* quòd eius pater fuerit Bernardinus Eſcouar natus Saldanæ, & eius auus paternus Antonius, qui ante 96. annos venit ex Sahagun ad inhabitandum Saldanam, vbi ſemper eius origo permanſit, quæ alioqui procedit de villa Aralon ex familia de Eſcouar, quam villam non incolunt ab hinc iam annis 140.† Et hæc omnia nar- 3
rata probant contra D. Antonium, *ad l. cùm precum. C. de liber. cauſ.* Felin. *in c. examinata. ſub num. 3. de iudic.* Iaſ. *in l. 2. num. 4. C. de inſtit. & ſubſtit.*

Et propterea receptis teſtibus de Saldana qui dantur in ſummar. *nu. 4.* videtur ex eorum depoſitionibus, quòd Bernardinus pater, & Antonius auus iunioris Antonij, communiter reputentur deſcendentes ex Mauris, quia de hoc erat publica vox, & fama, † quæ cùm agatur de 4
probanda origine ab antiquo, facit plenam probationem. Abb. *in c. veniens, 1. ſub. num. 8. de verb. ſignif.* Alex. *conſ. 15. num. 1. & ſeq. vol. 5.* cum aliis latè deductis per Chaſſan. *conſ. 54. num. 25.*

Secundò dantur teſtes, ſummar, *num.5.* recepti in oppido de Villamartin, qui deponunt, Bernardinum patrem Antonij iunioris, ius dixiſſe in d. Oppido, vbi murmurabatur, quòd non eſſet ex puro ſanguine.

Tertiò affertur in ſummar. *nu.6.* depoſitio eiuſdem teſtis, aſſerentis ſe audiuiſſe à quodam viro iam defuncto, Antonium ſeniorem ſibi, & aliis Legione dixiſſe, ſubſequentia verba. *Illic in Saldana me habent in mala poſſeſſione, ſed iuro per Deum, quòd ille qui iacet ſub hoc lapide, eſt*
5 *pater meus.* † Quæ quidem cõfeſſio, quòd haberetur in mala poſſeſſione, multùm coadiuuat publicam vo-
6 cem, & famam; † quia confeſſio eſt maior quolibet inſtrumento publico. Bald. *conſ.192. ſub num.8. verſ. verumtamen*, vt dixi, *lib.2.* Crauett. *conſ.61.nu.3.*

7 Quartò dicebatur, Antonium in ſuo memoriali, dixiſſe, quòd eius auus venerat ex oppido de Sahagun, & cùm in hoc oppido adſit hæc familia de Eſcouar, in qua aliqui ſunt nobiles deſcendentes ex puro ſanguine, alij verò ex Mauris, vt deponunt teſtes, ſummar. *nu.7.* & dicti teſtes deponant, Bernardinum patrem Antonij non eſſe affinem, nec conſanguineum nobilium de Eſcouar, ſequitur, illum deſcendere ab aliis, qui ſunt de ſanguine impu-
8 ro, † cùm excluſio vnius ſit incluſio alterius, *l. cùm Prætor. ff. de iudic. l. maritus, C. de procurat. c. nonne, de præſumpt.*

Quintò, habentur teſtes in nouo ſummar, *num.1.* qui deponunt, ſe audiuiſſe dici, Antonium ſeniorem exiuiſſe ex oppido Sahagun, ex via
9 della Moreria. † Quapropter cùm in memoriali dato per Antonium Capitulo de anno 1600. habeatur, Antonium ſeniorem illinc. 96. annis veniſſe ex oppido de Sahagun Saldanam, & ſic de anno 1504. Et cùm de illo tempore colligatur ex actu per ipſum tunc facto, de quo teſtes in dicto ſummar. *nu.3.* fuiſſe eum maturæ ætatis, conſequens eſt, ipſum Antonium ſeniorem venientem ex via della Moreria, natum iam fuiſſe in ea de anno 1502. quo emanauit pragmatica Ferdinandi, & Eliſabethæ Regum, per quam de Regno Caſtellæ Mauri expulſi ſunt, prout habetur in hiſtoria Pontificali de Illeſcas, *2.par. cap.222. fol.* 122. §. 2. quo tempore ſoli Mauri ibi degebant, quia teſtes dicunt, in ſummar. nouo, *num.2.* ſe audiuiſſe à ſuis maioribus, Mauros ibi inhabitaſſe, & Synagogas habuiſſe.

Ex quibus, cùm concurrant com- 10
munis reputatio, ſeu fama, & indicia, dicebatur, ſufficienter probari impuritatem, gloſſ. *in l.1. ff. de probat.* Aret. *in conſ.37. num.1.* Et tenuit Rota coram Illuſtriſſimo Mantica, in cauſa Toletana portionis 2. Maij, 1594.

His tamen non obſtantibus, cauſa bis propoſita, ac maturè diſcuſſa, Domini, vtraque parte audita, vnanimiter concluſerunt, ſtatutum non obſtare Domino Antonio. Nam omiſſo, quòd pro parte Capituli deducta non releuabant, vt infrà dicetur, quatuor teſtes in ſummar. Antonij, *num.4.* per Capitulum 1. & 2. vice recepti, tam in oppido de Sahagun, quàm in oppido de Saldana ſenes ſexagenarij, ſeptuagenarij, & octuagenarij, deponunt, Antonium ſeniorem, & eius deſcendentes deſcendere ex puro ſanguine, nec vlla macula eſſe infectos. Imò aliqui eorum deponunt, eſſe veros nobiles & in tali poſſeſſione nobilitatis exiſtere. † Vnde, negari non poteſt, cùm 11
agatur de probando genere, quòd magis

magis ſit credendum teſtibus deponentibus de bona, quàm de mala fama, etiamſi teſtes deponentes de mala, aliquantulùm numero excederent. Corn. *conſ.* 176. *col. fin. num.* 10. *vol.* 4. Anchar. *conſ.* 189. *col. vlt. num.* 7. *verſ.* 2. *modo reſpondetur* cum aliis deductis per Ocedam, *de benefic. incompat. par.* 1. *cap.* 23. *nu.* 143.

12 Secundò corroborantur prædicta ex teſtibus datis ſummar. *nu.* 4. *in fin.* qui deponunt, Bernardinum patrem Antonij, geſſiſſe virgam iudicis Cõfraternitatis ſtatus nobilium, Chriſtianorumque antiquorum. Quod quidem officium, vt deponunt dicti teſtes, non datur, niſi perſonis puris, & qualificatis.

13 Tertiò legitur in ſummar. *num.* 7. fides ſanctiſſimæ Inquiſitionis, in qua habetur, quòd Didacus frater moderni Antonij fuit admiſſus in Officialem illius tribunalis, & quòd in eius informatione aliquid repertum non fuerit contra puritatem ſanguinis prædictorum Bernardini, & Antonij ſenioris. Et de ſimili fide Rota habuit rationem in cauſa Oxomen. ſtatuti, ſeu Cantoriæ, 27. Iunij 1601. coram R. P. D. meo Penia. Et quamuis poſteà dictus Didacus fuerit remotus ab officio, tamen hoc non fuit ob aliquam impuritatem, ſed aliis de cauſis, vt in dicta fide.

14 Ex quibus duabus rationibus negari non poteſt, magnum adminiculum afferri deductis pro parte Antonij, cùm aliàs probata qualitate vnius fratris, cenſeatur probata etiam reſpectu aliorum vtrinque coniunctorum. Angel. *in auth. vt liceat matri, & auiæ,* §. 1. *verſ. ad hæc, in fin.* Alex. *in l. ſæpè num.* 51. *verſ. idem etiam ſent. Angel. ff. de re iudicat.* Tiraquell. *de nobilit. cap.* 17. *num.* 3. Catell. Cotta, *in memorab. in verb. ſententia dicta pro vno ex multis fratribus.* Et hoc probauit Rota in cauſa Valentina beneficij de Marcato 6. Martij, 1598. coram R. P. D. meo Pamphilio.

Quartò concurrunt dicta plurimorum teſtium pro parte Domini Antonij examinatorum, de quibus in ſummar. *num.* 8. qui omnes deponunt concludenter de puritate domini Antonij. Et licèt dicantur nulliter examinati, † Nihilominùs ne- 15
gari non poteſt, quin faciant magnum adminiculum. Bart. *in l.* 2. *nu.* 2. 25. *verſ. quod probo. ff. de appell. recept.* Verall. *deciſ.* 206. *num.* 6. *par.* 2.

Non obſtant deducta in contrarium pro parte Capituli. Et primò teſtes deponentes de publica voce, & fama, † quia vltra quòd non ſunt 16
examinati in loco originis Antonij, ſcilicèt in oppido de Sahagun, ad Bald. *in l. ea quidem, num.* 55. *de accuſat.* Hîc adeſt fama in contrarium, vt ſuperiùs dictum eſt. † Quo caſu ma- 17
gis creditur teſtibus de bona, quàm de mala fama. † Hoc autem caſu fa- 18
ma etiam non habetur in conſideratione, niſi ſit vniformis, & ſuper ea non ſit contradictio. Bald. *in l. conuenticulam, nu.* 8. *verſ. ex his infero. C. de Epiſcop. & cleric. & in l. diuus, ante num.* 2. *ff. de milit. teſtam.* cum aliis per Roland. *conſ.* 3. *num.* 49. *lib.* 1. Et tenuit Rota coram R. P. D. meo Decano, in cauſa Oueten. canonicatus. 24. Ianuarij 1578. & ſic inconcuſſa. Roland. *d. conſ.* 3. *num.* 49.

Et multùm mouit Dominos, quòd maior pars teſtium Capituli, dat rationem ſui dicti, quia Eſcouares veniebant ex via della Moreria, & tamen in ſummario Antonij, *nu.* 2. teſtes deponunt, quòd in eadẽ via viri nobiles etiam, & puri habitant. † Ac ideò non probant, hoc eſſe, 19
quod ab eo contingit abeſſe, *cap.* 2. *de*

tranſlat. Epiſcop. l. neque natales. C. de probat. l. non hoc. C. vnde legitimi. Abb. *conſ. 29. in princ. lib. 1.* Et in his terminis fuit dictum coram Illuſtriſſimo Mantica in cauſa Toletana portionis 13. Iunij 1594. Alij verò teſtes fundant ſuum dictum in aliquibus verbis iniurioſis auditis, dum iſti
20 teſtes Eſcouares altercarentur.† Et tamen, ad hoc vt fama probet, debet habere ortum ex probabilibus cauſis, aliàs tanquam vana vox populi nihil probat. Bart. *in l. de minore, §. plurimum, num. 3. ff. de quæſt.* Bald. *conſ. 295. num. 2. verſ. & hæc fama, lib. 1.* Corn. *conſ. 130. num. 6. in princ. lib. 4.* Alex. *conſ. 173. num. 11. verſ. item non ſufficit, lib. 6.* Et fuit dictum coram Illuſtriſſimo Mantica in cauſa Toletana portionis ſecunda Maij 1594.

Et ex his ſatis etiam apparet, ſublatum eſſe ſecundum fundamentum pro parte Capituli adductum.

Tertium minùs releuat, quia præterquàm quòd, vnicus tantùm teſtis de eo deponit, & quidem de auditu, nihilominùs ex quo Antonius ſenior dixit, in Saldana haberi ſe in mala poſſeſſione, & imponendo pedem ſuper quodam ſepulchro iura-
21 uit ibi iacere eius patrem; † non poteſt, ex iſtis verbis neceſſariò inferri, Antonium eſſe in mala poſſeſſione puritatis ſanguinis. Ideoque hoc nihil releuat. *ad rex. in l. in ambiguo, ff. de reb. dub.*

Quartum nihil concludit, quia non valet conſequentia; Non ſunt affines nobilium, ergo deſcendunt ex alia progenie Maurorum; quia ſtant ſimul, quòd non ſint affines, nec conſanguinei, & tamen quòd deſcendant ex eodem antiquo ſtipite; & poſſunt deſcendere ex alia familia nobili in eodem loco.
22 † Et ſic hæc probatio nihil concludit, quia data inſtantia corruit, §. *patronum, inſtit. de rer. diuiſ. l. creditori,* & ibi not. Roman. *in fin.* Iaſ. *num. 7. & 8. ff. de nou. oper. nunciat.* Socin. iun. *conſ. 63. nu. 57. lib. 3.*

Et prædicta comprobantur ex duobus teſtibus in ſummar. *num. 4.* Videlicèt 28. qui deponit, Antoniũ deſcendere ex bonis Eſcouaribus ex oppido de Sahagun, & 24. qui deponit, Antonium iuniorem eſſe in poſſeſſione virorum nobilium, & 26. ſcilicèt Petrus Eſcouar, cùm eſſet à Capitulo in teſtem receptus, faſſus fuit, ſe audiuiſſe dici, ſe eſſe conſanguineum, propter quod non fuit vlteriùs examinatus.

Quintum ceſſat, quia teſtes non deponunt, de quo tempore Mauri ſoli habitauerint in dicta via della Moreria. Vndè non obſtat quod dicitur de pragmatica, etiam quando hiſtoriæ allegatæ eſſet adhibenda fides, Vltra quòd etiam non legitur de regno Legionis, ſed de regno Caſtellæ, quod eſt regnum ſeparatum. † Et ideò hæc probatio tan- 23
quam dubia non releuat, *c. in præſentia. de probat.* vbi DD. & maximè Abb. *num. 3. & in c. auditis, num. 25. cum ſeqq. de præſcript.* Bald. *in l. vlt. in fin. C. ſi min. ſe maior. dix. & in l. 2. num. 5. ff. de ſent. quæ ſine cert. quant. profer.* & notat Roman. *in l. non hoc, in princ. C. vnde legit.* Alex. *in l. cum, qui nouiſſimus, in princ. ff. ad Trebell.* Pariſ. *conſ. 104. num. 2. lib. 1. & conſ. 54. nu. 47. lib. 4.*

PERVSINA SEV Tudertina bonorum.

Mer. 5. Iunij 1602.

EPITOME.

Qui agit rei vendicatione, ita debet concludenter probare

bare dominium, vt in ſupplementum, non admittatur iuramentum.

SVMMARIVM.

1 *In rei vendicatione dominium debet concludenter probari, & num. 3.*
2 *Ita vt non admittatur iuramẽtum in ſupplementum.*
4 *Nemo præſumitur immemor ſalutis æternæ.*
5 *Pro nobili præſumitur, circa ea quæ ſpectant ad nobilitatem, vt eſt, liberalitatem exercere.*
6 *Enunciatiua contra tertium non probat.*
7 *Niſi ſit in antiquis inſtrumentis.*
8 *Spatium centum annorum dicitur ſolùm antiquum in inſtrumentis.*
9 *Enunciatiua vnius inſtrumenti, etiam antiqui, non probat, ſed debet eſſe ad minimum duorum inſtrumentorum, quæ originem habeant à diuerſis perſonis.*
10 *Teſtis de auditu non probat.*
11 *Teſtis deponens de poſſeſſione, & perceptione fructuum alicuius, non probat illius dominium.*
12 *Probationes quæ in ſua ſpecie non habent perfectionem, ſimul coniungi non poſſunt ad faciendam plenam probationem.*

Decisio LXIX.

DOmini dixerunt, non probari dominium circa prædium de
1 quo agitur, † quia cùm fratres agãt reiuendicatione, neceſſe eſt, vt plenè probetur, *l. in rem, l. officium, ff. de reiuendicat.* Bald. *in l. cum res. num. 19. C. de probat.* Verall. *deciſ. 280. par. 1.*
2 † In tantum quòd non admittitur iuramentũ in ſupplementum, Iaſon. *in l. admonendi, num. 112. ff. de iureiur.* Aym. *conſ. 157. num. 18.* Et fuit latè deductum in cauſa Romana domus, 19. Iunij 1589. coram bo. mem. Ora-
3 no. Et ideò imperfectæ probationes adductæ hîc per fratres, ſibi non ſuffragantur. Alex. *conſ. 10. in fin. & conſ. ſeq. nu. 5. & ſeqq. lib. 4.*

Primò enim nihil facit, quòd non ſit veriſimile, quòd ſi Iacoba non habuiſſet dominium dicti prædij, illud donaſſet, cùm donatio facta ſit pro ſalute animæ, † & nemo præ-
4 ſumatur immemor ſalutis æternæ: maximè ſtãte eius nobilitate, † quæ
5 facit, vt pro ea facilè præſumendum ſit circa ea quæ ſpectant ad nobilitatem, prout eſt, liberalitatem exercere, *c. 1. de donat.* Et in his terminis conſuluit Crot. *conſ. 332. num. 10. vol. 3.*

Quia, etiamſi ex tali præſumptione toleretur, quòd iſta enunciatiua à perſona ſuſpecta emanaret, nihilominùs non inde † ſequi-
6 tur, dominium probare, cùm enunciatiua contra † tertium non pro-
7 bet, *l. non nudis, l. non epiſtolis, C. de probat. l. ex his verbis,* vbi Decius, *C. de teſtam. milit.* Aym. *de antiq. temp. in princ. num. 7.* Rota. *deciſ. 31. de probat. antiq.* † Niſi in antiquis inſtru-
8 mentis ſit prolata, iuxta Bald. *in l. cùm aliquis,* & ibi Iaſ. *nu. 7. & alij C. de iure delib.* Aymo. *d. loco, num. 7.* Alex. *conſ. 75. num. 3. lib. 4.* Caſſad. *deciſ. 3. num. 3.* de procurat: qualis non eſt hæc, quia non excedit tempus centum annorum, † quod ſolùm in inſtrumentis dicitur antiquum. Iaſon. *in d. l. cùm aliquis,* vbi hanc communem dicit. *C. de iur. delib.* & ibidem idem tenet Alex. *num. 6. verſ. tamen communiter, & in conſ. 12. num. 8. verſ. nec etiam, lib. 4.* Decius, *conſ. 13. num. 8.* Cephal. *conſ. 98. num. 36.* Aym. *d. loco, num. 4.* & fuit dictum in

dicta Romana domus, & aliàs sæpiùs.

Præterquàm quòd hæc enunciatiua est solùm vnius instrumenti, † quæ etiam in antiquis non probat, nisi ad minimum sit duorum instrumentorum, quæ originem habeant à diuersis personis. Felyn. *in cap. cùm causam, num. 4. de probat.* Aym. *de antiq. temp. par. 1. sect. 4. num. 14. 19. & seqq.* latè Hieronymus de Monte, *de finib. regen. cap. 60. num. 3.* Et fuit resolutum in vna Sabinen. confiniũ, 20. Aprilis. 1577. coram Illustrissimo Blanchetto.

Testes verò nihil probant, nam dum deponũt de emptione de auditu, nihil releuant, *c. tam literis, de testib.* Alex. *d. cons. 10. num. 6. & num. 8. in fin. lib. 4.* Crauett. *cons. 157. num. 5. vers. idem vidimus.* † Dum autem deponunt de possessione Bartholomei, Iacobæ, & fratrum vti dominorum cum perceptione fructuum, non probant dominium. Bart. *in l. quidam in fine, num. 4. ff. de condit. instit.* & post eum Alex. *d. cons. 10. num. 4. in fin.* & latè deducit Decian. *resp. 73. num. 8. & seqq. lib. 4.* Deberent enim assignare rationes concludentes de dominio. Verall. *decis. 229. par. 1.*

Et ex his dicebant Domini, quòd cùm nulla harum probationum habeat in se perfectionem in sua specie, coniungi simul non possent ad faciendum plenam probationem. Bald. *in l. si quis. §. 2. num. 3. ff. de eden.* & post eum Felyn. *in c. cum causam, num. 11. de probat.* Alex. *in d. cons. 10. in fin. & cons. seq. num. 5. & seqq. lib. 4.* Et fuit dictum in dicta causa Romana domus coram bo. mem. Orano.

ROMANA SOcietatis.

Ven. 5. Iunij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Inæqualitas lucri est permissa inter socios, si alter maiorem partem sortis, vel industriæ conferat.*

2 *Qui neque damnum extrinsecum, neque intrinsecum patitur in societate, sibi debet imputare, si expensas pro expeditione, & admissione ad officium posuit, quæ nunquam recuperantur.*

3 *Fructus incerti agrorum vendi possunt pro determinato pretio.*

4 *Lucrum incertum societatis vendi potest pro pretio determinato, proportionato tamen ad dubium euentum lucri.*

5 *Dicenti taxationem alicuius quantitatis esse excessiuam, incũbit onus probandi.*

6 *Verborum significatio debet trahi ad intellectum sanum, ciuilem, bonum, & vitio carentem. Et vt excludatur contractus illicitus.*

7 *Bulla Sixti V. super societatibus, ad caput saluum, prohibet contractus palliatos, & contra dispositionem iuris.*

DECISIO LXX.

COnuenerunt D. Palauicinus, & Carentius, quòd idem Palauicinus emeret officium registri bullarum super periculo vitæ ipsius Carentij, appositio tamen decreto ad fauorem Palauicini, & quòd Carentius erogaret sumptus pro expeditionibus faciendis, & admissione sibi obtinenda pro rata temporis reficiendos, si infra triennium alij, quàm Carentio officium Palauicinus

nus venderet, & quòd fructus maſſæ, & alij extraordinarij, & tertiæ partis exercitij eſſent ipſius Carentij. Quæ tertia pars fructuum exercitij taxata fuit ad ſcuta 40. annua. Quapropter dubitaui, an huiuſmodi pacta eſſent licita. Et Domini affirmatiuè concluſerunt, † quia inæqualitas haberi inter ſocios eſt permiſſa, vno ex ſociis maiorem partem, vel ſortis, vel induſtriæ in ſocietatem conferente, *l. ſi non fuerint*, vbi gloſſ. *ff. pro ſocio*, Calder. *in c. nauiganti. num. 30. verſ. verumtamen, de vſur.* Purpur. *in l. ſi paſcenda, num. 25. & 26. C. de pact.* Couarr. qui de communi teſtatur, *variar. reſolut. c. 2. num. 3. verſ. hinc primò apparet, & verſ. 2. conſtat.* Et ideò cùm Palauicinus totum contulerit capitale, non fuit inconueniens, quòd totam maſſam, & alios fructus perciperet: Verùm quia fructus cõſiſtunt etiam in exercitio, fuit conuentum, quoàd illos, quòd Palauicinus vnam tertiam partem, reliquas verò duas Conuentus qui officium exercebat, perciperet. Et licèt ipſe fecerit expenſas pro expeditione, & admiſſione, videreturque indè dicendum, quòd ipſe quoquè de maſſa, & aliis emolumentis participare deberet pro ſua rata. Tamen dicebant Domini, quatenus dictæ expenſæ eſſent pars capitalis, quòd ſatis pro ipſis Carentius participabat, ex quo habebat duas tertias partes lucri, cùm aliàs non fuiſſet incõueniens, quòd Palauicinus maiorem partem iſtius lucri perciperet, qui incurrebat periculum vitæ Carentij, & per conſequens amiſſionis capitalis, vt tenuit Rota ex Calderino, Purpurato, & aliis in cauſa Ferrarienſ. ſocietatis 28. Iunij 1599. coram R.P.D. meo Millino, ſtante maximè quantitate dictarum expenſarum, quæ non excedit ſcuta 70.

Nec refert, quòd elapſo triennio, ſi officium vendebatur, expenſæ non erant reficiendæ Carentio, quia dicebatur, quòd ſi huiuſmodi expenſæ ſunt pars capitalis, de natura huius capitalis eſt, vt collatum in ſocietatem amittatur, cùm expenſæ factæ pro expeditione, & admiſſione ad officium nunquam recuperentur. † Et propterea cùm Carentius ex tali amiſſione, nec damnum extrinſecum, nec intrinſecum patiatur, ad Bald. *in l. 1. nu. 23. ff. pro ſocio*, ſibi imputare debet, ſi partem illam capitalis ponere in ſocietate non recuſarit.

Non obſtat, quòd lucrum certum fuerit taxatum, quia reſpondebant Domini, illam taxationem continere aſſecurationem lucri, quæ eſt licita. † Sicuti enim fructus agri, vel vineæ incerti vendi poſſunt pro certo pretio, vel locari: † Ita etiam vendi poteſt lucrum incertum ſocietatis. Sylueſtr. *in ſumm. in verb. ſocietatis. 1. num. 18.* Armil. *num. 17.* Conrad. *de contract. quæſt. 96. in 1. & 2. concluſ.* Nauar. *conſ. 24. de vſur.* Io. Lopez. *de contract. cap. 65.* Et latè tradit Henrichmannus, *conſ. 8. num. 72.* Et fuit dictum coram R.P.D. meo Millino in dicta cauſa Ferrarienſ. ſocietatis, 28. Iunij 1599. Et quamuis prædicta procedant quando quantitas taxata eſt proportionabilis ad dubium euentum lucri, vt per Conrad. & Henrichmannum *locis præcitatis*: † Nihilominùs, omiſſo, quòd onus probandi taxationem exceſſiuam incumberet Carentio, Purpur. *in l. ſi paſcenda, num. 29. C. de pact.* ex calculo hîc pro parte Palauicini dato, probatur, hæc non exceſſiuitas.

Minùs facit, quòd iſta ſcuta 40. annua fuerint taxata, non habito reſpe

reſpectu alicuius impedimenti, putà infirmitatis, &c. Nauar. *conſ.* 14. *de vſur.* Nam reſpondebatur, quòd illa taxatio debet intelligi ceſſantibus infirmitate, & impedimento neceſ-
6 ſario.† Verborum enim ſignificatio debet ad intellectum ſanum, bonum, ciuilem, & vitio carentem applicari. Rota *deciſ.* 10. *num.* 4. & 5. *de teſtib. in antiq.* Et vt excludatur contractus illicitus. Alex. *conſ.* 191. *num.* 6. *lib.* 2. Et fuit aliàs reſolutum coràm bo. mem. Lauretano, in cauſa Foroliuien. ſocietatis 2. Decembris 1583. & in dicta Ferrarien. coram R. P. D. meo Millino.

7 Nec releuat Bulla Fælic. record. Sixti V. ſuper ſocietatibus ad caput ſaluum, quia tã ex procœmio, quàm ex diſpoſitione, & toto tenore bullæ, habetur, intentionem fuiſſe, prohibere contractus palliatos, & contra diſpoſitionem iuris communis, addendo pœnas nouas, vt cenſuit Rota in dicta cauſa Ferrarien. 17. Martij 1600. Et ideò non habet locum in hoc caſu, cùm iſta ſocietas non ſit vſuraria, nec prohibita ex diſpoſitione iuris communis, vt ſuperiùs fuit oſtenſum.

ROMANA DEPOSITI.

Lunæ 8. *Iunij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Factum indiuiduum principalis ſuffragatur in conſequentiam, fideiuſſori, & num.* 3.

2 *Depoſitarius malè ſoluens ſibi debet imputare.*

DECISIO LXXI.

FIdeiuſſerat Altouitus ad fauorem ſanctæ Crucis emptoris cenſus, pro pretio triummillium ſcutorum à Domino Alexandro de Aptis, cuius cenſus recognouerat bonam fidem Claudius Venturinus, & de rato promiſerat pro Antonio patre. Et cùm medietas dictarum pecuniarum fuiſſet per dictum Alexandrum depoſita in bancho Altouiti, ſoluenda Claudio, ſequuta ratificatione Antonij: Dubitaui an reſtitutio depoſiti facienda domino Alexandro per Altouitum, quia ſoluerat, non ſequuta ratificatione Antonij, iuxta deciſiones factas, poſſet ſuffragari Maluicino, qui infra triennium pro Venturino promiſerat liberare dominum Alexandrum, & Altouitum.

Et pro Altouito dicebatur, quòd Maluicinus acceſſerat pro Venturinis, & licèt Altouitus malè ſoluiſſet Claudio, videlicèt, non ſequuta ratificatione patris, tamen hoc tãtùm ſuffragari debebat D. Alexandro, ſtãte conditione adiecta depoſito, non autem Maluicino fideiuſſori Venturinorum, qui purè, & abſque vlla conditione pro ipſis fideiuſſit.

Hoc tamen non obſtante, Domi- 1
ni cenſuerunt, ſolutionem faciendam per Altouitum ſuffragari Maluicino; quia ex illa ſolutione debet cenſus extingui, ex quo in neceſſariam conſequentiam reſultat liberatio Maluicini, qui ſolùm eſt obligatus eximere, & liberare D. Alexandrum, & Altouitum infra triennium, occaſione cenſus. Et ſic non intrat eius obligatio, cùm Altouitus nullum patiatur damnum occaſione cenſus; ſed ex quo malè ſoluit Claudio.† Vnde ſibi debet imputa- 2
re, *l. quod quis, ff. de reg. iur.* Et tanto magis, quia Maluicinus ante ratificationem Antonij proteſtatus fuit, etſi Altouitus non erat ita diligens in ſoluendo, iſta proteſtatio ſuperueniebat in tempore, & ſuffragabatur Maluicino.

Non

3 Non obſtat quod pro Altouito dicebatur, quia iſtud factum eſt indiuiduum, ex quo ſi ſolutio fieri debet Alexandro, reſultat liberatio Maluicini pro rata, & ideò nihil refert, quòd conditio in depoſito fuerit poſita ad fauorem, & pro cautela Alexandri.

REGIENS. PRIORATUS.

Ven. 14. *Iunij* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Gratiosè ſubrogatus, lite pendente, poteſt abſque vitio attentatorum capere poſſeſſionem.*
2 *Etiam ſi fuerit inhibitus ante obtentam gratioſam ſubrogationem.*
3 *Secus, ſi poſt obtentam gratioſam ſubrogationem.*
4 *Superuenientia noui tituli mutat cauſam poſſidendi, ſine dimiſſione, & noua apprehenſione.*

DECISIO LXXII.

FVit reſolutum, poſſeſſionem Camilli non eſſe attentatam: nam quicquid dicendum eſſet de poſſeſſione capta ante ſubrogationem
1 gratioſam, † tamen cùm ipſe poſteà fuerit gratiosè ſubrogatus ad poſſeſſionem Vincentij, potuit, lite pendente, abſque vitio attentatorum, capere poſſeſſionem. Mohedan. *deciſ.* x1. *num.* 1. *vt lite pend.* Put. *deciſ.* 214. *lib.* 1. Lancell. *de attent. par.* 2. *c.* 4. *num.* 340.
2 Nec obſtat, quòd ſubrogatus attentat quando poſt inhibitionem, poſſeſſionem capit. Lancell. *præcitato loco, num.* 373. quia prædicta procedunt, ſi Camillus fuiſſet inhibitus
3 poſt dictam ſubrogationem. † Sed cùm fuerit inhibitus ante huiuſmodi ſubrogationem, nihil releuat, quia vigore ſubrogationis gratioſæ poſſeſſio capta cenſetur potiùs continuata, quàm denuò acquiſita, cùm transferatur legis, vel principis miniſterio, vt fuit pluries reſolutum, teſte Lancellotto in præcitato loco, *num.* 342.

Nec releuat, quòd de tempore ſubrogationis Camillus erat in poſſeſſione, vigore impetrationis priùs factæ per obitum Vincentij, de beneficio, tanquam libero, quia cùm poſteà obtinuiſſet ſubrogationem gratioſam, quoàd poſſeſſionē Vincentij, † hæc ſuperuenientia noui ti- 4
tituli mutat cauſam poſſidendi, ſine dimiſſione, & noua apprehenſione, iuxta opinionem quam ſequitur Rota Put. *deciſ.* 451. *lib.* 1. Achill. *deciſ.* 4. *de cauſ. poſſ. & propr.* Et fuit pluries reſolutum.

CÆSARAVGVSTANA Attentatorum.

Lunæ 17. *Iunij* 1602.

SVMMARIVM.

2 *Obligatio conditionalis ante purificatam conditionem, nihil ponit in eſſe.*
2 *Iuſtificatio attentatorum, ad effectum reuocationis, debet ſumi ex eiſdem actis, non ex nouiter deductis.*

DECISIO LXXIII.

DOmini cenſuerunt; Ioanni Berbegal, non obſtare periurium, quia non ſimpliciter ſe obligauit cum iuramento de ſoluendo ſcuta 1200. Ludouico, ſed iuxta formam ſupplicationis, quæ concedit talem ſolutionem faciendam Ludouico, dummodò expenſæ per ipſum factæ, & fructus decurſi ad talem ſummam aſcendant. † Et ideò 1

talis obligatio recipit omnes conditiones appoſitas in ſupplicatione, nec aliquid poterat operari, niſi priùs verificata venditione, quæ ante purificationem nihil ponit in eſſe, *l. Thais, §. Stichus, de fideicommiſſ. libertat. l. qui ſub conditione, ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* Et in his terminis fuit reſolutum in cauſa Salamantina penſionis coram bo. me. Giptio 26. Martij 1593. & priùs coram Illuſtriſſimo Lancellotto in cauſa Toletana penſionis, 9. Decembris, 1573. & in alia Aretina penſionis, 28. Iunij 1600. coram R. P. D. meo Millino, & alias ſæpiùs.

Nec facit, quòd ex teſtibus hodie examinatis, & ex literis Ioannis, hęc conditio dicatur verificata, quia, eſto quòd ſit verum; tamen non ſuffragatur, quia hæc non fuerunt
2 producta coram A.C.† Et cùm agatur ad effectum reuocandi attentata, & non exequutionem iam factã, non debent attendi nouiter deducta, ſed iuſtificatio ſumenda eſt ex iiſdem actis. Chaſſaneus, *deciſ.* 172. Et fuit dictum coram R.P.D. meo Pamphilio, in cauſa Romana cenſus, 4. Decembris 1595.

ROMANA CENSVS.

Ven. 21. Iunij 1602.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum nullum, ex eo quòd obligatio Cameralis non erat extenſa, vel ex defectu citationis in repetitione ſcripturæ, non eſt exequendum.*

2 *Citatio facta in domo in qua quis non habitat, non eſt valida.*

3 *Citatio facta procuratori, de cuius mandato non conſtat, ſtante proteſtatione, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato, non afficit.*

4 *Iudices in Curia non cognoſcunt de ſubreptione reſcripti ſanantis nullitates, propter facilem recurſum ad Principem.*

DECISIO LXXIV.

DOmini dixerunt, mandatum exequutiuum relaxatum per A.C. non eſſe exequendum, † quia 1
nulliter ad illud proceſſit. Rota *deciſ. 3. de except. in nou.* Proceſſit enim abſque eo, quòd obligatio Cameralis eſſet extenſa, cùm inſtrumentum extra eius tribunal, in quo agebatur, eſſet rogatum. Galleſ. *ad formul. obligat. Cameræ de proceſſu ipſo, quæſt. 1. num. 3. & 9.* Et fuit pluries reſolutum. Imò fuit proceſſum, non ſolùm vigore ſimplicis fidei inſtrumenti à Notario ſubſcriptæ, & productæ per Cautiam contra hæredes Pompeij Muti, ſed nec in eius repetitione facta per Aticiam fideiuſſorem Cautiæ contra hæredes, 2
ipſi fuerunt citati. Felin. *in c. 1. num. 28. verſ. 6. & vlt. de probat.*

Non obſtat citatio facta inſtante Venantio Sauino vti procuratore Ariciæ: tum quia fuit facta in domo Spannochij in platea Marganæ, in qua dicti hæredes non inhabitabãt.
† Tum quia non conſtat de manda- 3
to Venantij, & tamen fuerat proteſtatum, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato. Aym. *conſ.* 108. Rota. *deciſ. 1. de procurat. in antiq.*

Aliæ duæ nullitates videlicèt ex defectu citationis, ad videndum relaxari mandatum, & decreti non interpoſiti in ipſius relaxatione, non placuerunt; quia fuerunt ſanatæ per ſpeciale reſcriptum Sanctiſſimi D.N. † quod, licèt dicatur ſubrepti- 4
tium; tamen hoc in curia non attenditur, propter facilem recurſum ad Principem.

Quan

Quantum attinet ad iustitiam mandati, nihil fuit resolutum, quia de ea Domini non viderant.

ROMANA EMPHYTEUSIS.

Mer. 26. Iunij 1602.

EPITOME.

Emphyteosis simpliciter cõcessa à primo emphyteota secundo emphyteotæ, non potest à secundo emphyteota alienari sine consensu Domini directi, si verò fuit concessa in emphyteosim sub annua pensione, potest alienari à secundo emphyteota, sine consensu Domini directi, non autem sine consensu primi emphyteotæ.

SVMMARIVM.

1 *Non licet emphyteotæ sine consensu Domini meliorationes suas alij vendere, vel ius emphyteoticum transferre.*

2 L.fin.C.de iur.emphyt. *habet locum etiam in conductore sub annua pensione.*

3 L. fin. *non habet locum in conductore ad longum tempus, ad effectum caducitatis, & pœnæ, secùs quoàd validitatem contractus.*

4 *Si primus emphyteota simpliciter vendit emphyteosim, secundus emphyteota debet requirere consensum Domini directi, & nu.5.*

6 *Si primus emphyteota res emphyteoticas concedit in emphyteosim sub annua pensione, non alienando res emphyteoticas, & Secundus emphyteota alienat, requiri debet consensus primi emphyteotæ.*

7 *Res emphyteotica vendi potest alteri comprehenso in prima inuestitura, irrequisito Domino, secùs, extraneo, num.8.*

9 *Clausula* ad habendum & ædificandum, &c. *nihil operatur, & intelligitur secundùm subiectam materiam, & num.10.*

11 *Spatio triginta annorum præsumuntur omnia solemniter acta.*

12 *Spatio decem annorum, præsumitur interuenisse licentiam Domini in alienatione emphyteosis, dummodò interuenerit scientia, & patientia, num.13.*

DECISIO LXXV.

IOannes Gomez. nomine suo, & Eluiræ, locauit certam partem terreni, quam in emphyteusim acceperat ab Ecclesia Sancti Augustini, Troilo Lampodio, & aliis, durante vita ipsorum conductorum, ac pro persona ab ipsis nominanda. Et cùm super dicto terreno domus fuisset fabricata, illam domum cum melioramentis vendidit Lampodius Fabricio vni ex comprehensis in inuestitura, sine requisitione cõsensus aliorum vocatorum. Quapropter dubitaui, an huiusmodi alienatio esset nulla ad effectum inualiditatis contractus, non autẽ ad effectum amissionis melioramentorum. Ita vt non sit abdicatũ à Lampodio ius in præiudicium Sulpitiæ, & litis consortium in inuestitura comprehensorum. Et Domini affirmatiuè concluserunt, ex dispositione *l.fin.C.de iur.emphyt.*† vbi dicitur, 1
minimè licere emphyteutæ sine cõsensu Domini meliorationes suas aliis vendere, vel ius emphyteuticum transferre.† Cuius l.dispositio 2
procedit etiam in conductore sub certa annua pensione, vt per Bart. *in l.1.§.quod autem, 2.num.1.ff. de superf.*

Quod dictum Bartoli comprobauit Rota in cauſa Romana Caſalium de Maſſerinis,*nu.*6.14. Martij 1576. coram R. P. D. meo Decano. Et quamuis Bartolus loquatur in ſuperficiario, controuertíque poſſet an Lampodius eſſet ſuperficiarius; Domini tamen in hoc vim non faciebant, ſed in eo quòd conductor ad longum tempus ſub annua reſponſione, non poteſt alienare,irrequiſito Domino.

3 Ex quibus ceſſat quod dicebatur, diſpoſitionem, *l.fin.* non habere locum in conductore in longum tempus,iuxta ſententiam, quam in magna DD. diſcrepantia, ſequuta fuit Rota coram R. P. D. meo Decano, in dicta cauſa Romana Caſalium de Maximis, 20. Februarij 1576. quia hoc procedit ad effectum caducitatis, & pœnæ, non autem quantùm ad validitatem contractus.

4 Non obſtat, quòd fratres Sancti Auguſtini primi Domini nihil dicant, quorum conſenſus in alienatione erat requirendus, & non primi emphyteutæ ſublocatoris, per Corbulum. *de cauſ. priuat.ob alienat. irrequiſit. domino, ampliat.* 24. Quia placuit Dominis diſtinctio, de qua per Velaſcum, *de iur.emphyt.qu.*13. *num.*12. & Menoch. *conſ.*226. *num.*

5 185.*& ſeqq.lib.*3. † quòd aut primus emphyteuta ſimpliciter vendidit emphyteuſim,& hoc caſu ſecundus emphyteuta debet requirere conſenſum domini directi. Aut verò

6 primus emphyteuta tranſtulit in alium, non quidem res emphyteuticas omninò alienando, ſed in emphyteuſim concedendo, ſub annua penſione; & hoc caſu eſt requirendus conſenſus primi emphyteutæ; quia quemadmodùm dominus directus dicitur dominus reſpectu primi emphyteutæ; ita, & ipſe primus emphyteuta dicitur dominus reſpectu ſecundi emphyteutæ.Vnde † cùm Lampodius teneretur ſoluere certam quantitatem pecuniarum quotannis Ioanni,nõ fuerat à Ioanne ius abdicatum. Et ſic verſamur in ſecundo caſu diſtinctionis,ac per conſequens tenebatur Lampodius requirere conſenſum primi emphyteutæ.

Nec ſuffragatur, quòd domus 7 fuerat vendita Fabricio, qui erat vnus ex comprehenſis in conceſſione,ideoque iudicatur,non fuiſſe requirendam licentiã vendendi. Calder. *conſ.*10.*de locato,*quia ſimul cum Fabricio erant alij vocati.† Et quic- 8 quid dicendum ſit de rata ipſius, pro rata aliorum dicitur extraneus, & alienatio in eum facta non ſuſtinetur. Corbul. *de priuat. ob alienat. irreq. dom. fact.limit.*6.*num.*6.*&* 7. Et quamuis dicatur, quòd tempore venditionis ſolus Fabricius habebat ius ſuper ſolo prædicto, quod pro ſua portione in inſtrumento diuiſionis ei fuerat aſſignatum, hoc tamen non probatur; nec ex eo quòd penſio, quæ per Lampodium ſoluebatur, perciperetur per Fabricium, poteſt inferri,ſolum non remanſiſſe commune.

Nec etiam ſubſiſtit, quòd Lampodius habebat liberam facultatem diſponendi, quia in inſtrumento reperitur ſolùm † clauſula *ad habẽ-* 9 *dum, & in eo ædificandum, modo infrà ſcripto,*& ob id nihil operatur.Grat. *conſ*17. *num.*49. *lib.*1. Et facit Creſc. *deciſ.*6. *num.*8.*de teſtam.* Vltra quod iſta clauſula intelligitur ſecundùm ſubiectam materiam, & ſic ſecundùm naturã emphyteuſis,accedente conſenſu Domini. Dec. *conſ.*614.*nu.* 2. *&* 6.

Minùs releuat quod dicitur,hanc 10 venditionem ſpatio 30. annorum fuiſſe

fuiſſe obſeruatam, & ideò præſumendum, omnia ſolemniter acta. Corn.*conſ.*248.*num.*31.*& ſeqq. lib.*1. Put.*deciſ.*184. *&* 202.*lib.*2.quia non verificatur in facto,cùm Lampodius alienauerit in Fabricium, de anno 1588. & ſic nondum elapſis 30. annis.

12 Nec refert, quòd ſpatio decem annorum præſumatur,licētiam domini interueniſſe. Corbul. *de cauſ. priuat. ob alienat. limit.*31. quia licèt alienatio fuerat facta in Fabricium vnum ex comprehenſis, non tamen probatur, quòd alij cōprehenſi ha-
13 buerint ſcientiam, † ſine qua non intrat ratio ibi allata per Corbulum, quòd ex illa diuturna decem annorum patientia præſumatur conſenſus,ad quem ſine ſcientia inferri non poteſt, *l.nec ignorans. C.de donat. l.ex maleficiis.* §. *longè.ff.de actionib.& obligat.l.generali,C.de tab.lib.*10.Vltra quòd, cùm Lampodius alienauerit de menſe Septembris 1588. in diuiſione facta inter ipſos comprehenſos de menſe Iunij 1598. declararunt, ſe domum, & melioramenta velle recuperare, & poſteà inter ſe diuidere.

ROMANA BONOrum de Soderinis.

Mercurij 26. Iunij 1602.

EPITOME.

Notarius poteſt extendere clauſulas cæteratas, poſitas in inſtrumento de quo eſt rogatus, & non cæteratas quæ inſunt,ex natura cōtractus,etiam poſt datam partibus copiam inſtrumenti.

SVMMARIVM.

1 *Notarius non tenetur ſcribere omnia verba contrahentium.*
2 *Item clauſulas cæteratas extendere poteſt.*
3 *Item clauſulas non cæteratas, & num.*15. 16. *&* 18.
4 *Fundamentum ſuæ intentionis, ſiue excipiendo, ſiue agendo deducat vnuſquiſque,tenetur probare,etiam ſi conſiſtat in negatiua.*
5 *Alex.in conſ.*28. *num.*8. *vol.*2. *declaratur.*
6 *Notarius debet extendere clauſulas cæteratas ſecundùm conſuetudinem, & ſolitum, & ſtylum quem partes non ignorant, & num.*9. *&* 10.
7 *Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, & num.* 19.
8 *Scientia probatur ex coniecturis,& præſumptionibus.*
11 *Minor ætas non ſuffragatur pupillo,qui actum geſſit cum ſui iudicis præſentia.*
12 *Promittens generalem defenſionem, debet iudicium in ſe ſuſcipere, & iudicatum ſoluere.*
13 *Promittens generalem defenſionem, tenetur ſatisdare de iudicatum ſoluendo.*
14 *Promittere,litem in ſe ſuſcipere,vel de euictione, aut indemnitatem, idem important.*
15 *Verba quæ ſunt de natura contractus, etiam ſi notarius non appoſuerit, cenſentur appoſita, niſi partes illis renunciauerint, vel aliter conuenerint,& nu.*16.
17 *Remittentibus iura ſua non eſt ad ea dandus regreſſus.*
20 *Notarius poteſt extendere clauſulas non cæteratas, reſpicientes ſolemnia quæ ad ipſum notarium ſpectant, etiam ſi non rogetur à partibus.*

21 *Notarius non poteſt in inſtrumentis apponere clauſulas, quæ immutant naturam negotij.*

22 *Item non poteſt poſt datam copiam partibus aliquid corrigere, vel aliquid immutare circa ſubſtantialia contractus.*

23 *Notarius poteſt extendere clauſulas cæteratas, & ſub compendio poſitas, & aliquas venientes ex natura actus, etiam poſt datam copiam partibus.*

24 *Notarius non poteſt aliquid in inſtrumento corrigere, vel declarare poſt litem motam.*

25 *Inſtrumentum præſumitur extenſum tempore congruo.*

26 *Notarius, etiamſi ſit procurator, ex publico officio notariatus habet pro ſe præſumptionem bonæ fidei.*

27 *Pro inſtrumento ſemper præſumitur.*

28 *Producens inſtrumentum, cenſetur illud approbare.*

29 *Hæres venire non poteſt contra factum defuncti.*

30 *Inſtrumento cæterato deſumpto ex protocolo magis creditur, quàm inſtrumento per notarium extenſo, quando adeſt aliqua dubitatio inter cæteratum, & extenſum.*

31 *Scriptura non publica poſita in archiuio, lite pendente, non facit fidem.*

32 *Scriptura authentica poſita in archiuio lite pendente fidem facit, & probat.*

Decisio LXXVI.

INſtrumentum laudi rogatum per Ioannem de Macantis, de anno 1583. fuerat datum partibus, cum clauſulis cæteratis, & de anno 1585. idem Ioannes dederat ipſum extenſum Io. Victorio alteri ex contrahentibus, quod Petrus Thomas eius filius produxit in hac cauſa, de anno 1600. & de nouo ſuperioribus diebus illud produxit vigore compulſorialium, deſumptum ex protocolo eiuſdem Notarij iam defuncti, exiſtente in archiuio Florentino; in eo tamen protocolo poſitum, die 8. Nouembris anni 1601. de ordine Dominorum conſeruatorum. Et quia in dicto inſtrumento habentur non modò clauſulæ cæteratæ extenſæ, ſed aliquæ etiam quæ non erant cæteratæ: & cùm partes adinuicem promiſerint generalem defenſionem bonorum permutatorum, ſecundùm magis amplum ſtylum Notariorum Florentiæ, & præſertim ipſius Ioannis de Macantis. Quæ promiſſio reperitur extenſa, & in ea habetur, quòd partes teneantur de euictione, ſiue moleſtia ſit ciuilis, vel criminalis, ſiue æqua, vel iniqua, de iure, vel de facto, iudicis imperitia, vel iniuſtitia, & quòd denunciatio quomodouis facta habeatur pro legitimè facta, nec dici poſſit, quòd non fuerit ſolenniter facta. Ideò dubitaui, an huiuſmodi extenſio eſſet attendenda, & Domini pro maiori parte affirmatiuam ſunt amplexi. † Quia cùm 1
notarius ſcripſerit ſolùm effectum iuris, nec omnia verba contrahentium teneretur ſcribere, Bart. *in l. mutuum. num. 2. ff. de acquir. hæred.* † tales clauſulas ſub compendio poſitas, & cæteratas, extendere potuit. 2
Specul. *lib. 2. par. 2. tit. de inſtrum. edit. inſtrumentum ergo, num. 12.* DD. *in l. Gallus, §. idem credendum*, vbi Iaſ. *num. 18. ff. de lib. & poſthum.* † prout 3
etiam in caſu iſto potuit extendere non cæteratas, vt infrà dicetur. Et ſi Antonius Franciſcus prætendit, non fuiſſe dictas clauſulas extenſas iuxta ſtylum, ipſi incumbit onus probandi, tanquam fundamentum intentionis ſuæ, † quod vnuſquiſque 4
tene

tenetur probare, etiam quòd consistat in negatiua, siuè id deducat agendo, siue excipiendo. Innoc. *in c. super his, sub num.* 50. *vers. sed arg. contrà. de accusat.* Bart. *in l. in illa, col.* 2. *& 5. de verb. obligat.* cum aliis per Nattam. *cons.* 199. *num.* 9. *vol.* 1. Surdus, *decis.* 316. *nu.* 14. † Nec Alex. *in cons.* 28. *num.* 8. *vol.* 2. dicit contrarium, cùm loquatur quando imbreuiatura est extendenda iuxta stylum alicuius notarij. Tunc enim, dicit, quòd qui se fundat in stylo, & petit extensionem, debet illum stylum probare: quæ excedunt terminos, in quibus nos versamur.

Nec obstat, quòd ad hoc, vt extensio prædicta sustineri possit, † necesse fuisset, vt partes non ignorassent stylum prænominatum, secundùm Purpurat. *in l. certi condictio. §. si nummos, num.* 34. *vers.* 2. *declaratis, ff. si cert. pet. & in l.* 1. *nu.* 101. *vers. sed hoc, C. de sum. trinit. & fid. cath.* Gabr. *de consuetud. conclus.* 3. *num.* 38. quia Purpuratus loquitur in puris terminis illius conclusionis, videlicèt quòd notarius censetur rogatus apponere clausulas consuetas, & solitas, in quibus nos non ita simpliciter versamur, sed versamur in casu, quo partes expressè habuerunt relationem ad stylum magis amplum, &c. † Et sic omnia quæ sunt in termino ad quem fit relatio, censentur repetita cum omnibus suis qualitatibus in termino referente, *l. si prior*, & ibi Bart. *ff. solut. matrim. l. si ita scripsit, ff. de condit. & demonstr. l. asse toto, ff. de hæred. instit.* cum vulgar. Et in omnem euentum huiusmodi contrahentes sciebant regionis, & notariorum consuetudinem, cùm alia negotia tractauerint, † Et scientia satisprobatur ex coniecturis, & præsumptionibus. Ripa, *in l. qui Romæ, §. duo fratres, num.* 50. *de verb. oblig.* Paris. *cons.* 91. *num.* 47. *lib.* 2. Aym. *cons.* 193. *num.* 6. *vers. contrarium.* † Et dubitari non potest, quin in genere huiusmodi stylum, & sciuerint, & cogitauerint, cùm ad illum relationem habuerint. Et hoc sufficit: † & ità limitat dictum suum Purpurat. *in d. l.* 1. *nu.* 201. Nec Antonio Francisco minor ætas suffragari potest: omnia enim fuerunt acta, & gesta cum interuentu magistratus pupillorum.

Minùs releuat, quòd ista facultas extendendi sit restricta ad generalem defensionem bonorum, & non quòd pars teneatur de euictione, quia † promittere defensionem, nõ solùm importat iudicatum in se suscipere, sed etiam iudicatum soluere; aliàs non dicitur rectè defendere, *l. rectè defendi*, & ibi Castr. vbi dicit, hoc alibi non ita benè inueniri. *ff. de iudic. l. ex iudicatum, ff. iudicat. solu.* † Imò qui promittit generalem defensionem, tenetur satisdare de iudicato soluendo, *l. item ait prætor. §. defendi, ex quibus caus. maior. l. sed & ea, §. defendere*, vbi glos. *in verb. cauere idoneè, ff. de procurat.* Et clarum est, quòd promittere in se litem suscipere, vel de euictione, aut indemnitatem, idem important. Bart. *in l. pater, num.* 1. *& 3. ff. de dot. præleg.* Ruin. *cons.* 187. *num.* 2. *& 3. vol.* 1. Par. *cons.* 16. *num.* 125. *vol.* 2.

Non obstat, quòd Notarius extenderit aliquas clausulas, absque eo quòd adesset dictio, *&c.* quæ extensio est tam in corpore, quàm in subscriptione notarij. Nam quantùm ad clausulas non cæteratas extensas in corpore, Domini primùm animaduertebant, quòd licèt in folio particulari dato per informantes pro Antonio Francisco, quàm plurimæ ponerentur clausulæ extensæ, reuerà tamen repertæ fuerint solùm

tres,

tres, & quidem tales, quæ non ſufficiunt.

Prima eſt, quòd poſt verba, *(arbitramur, & arbitramentamur)* fuerunt poſita verba, *(pronunciamus &* 15 *ſententiamus, & declaramus.* † Ad quod fuit reſponſum, quòd cùm in procœmio laudi fuiſſet dictum, quòd *iudex erat electus*, &c. & in laudo extenſo poſita verba, *ad arbitrandũ, declarandum & ſententiandum)* & in diſpoſitiua etiam in laudo cœterato adeſt hæc clauſula extenſa, *laudamus, arbitramur, & arbitramentamur, pronunciamus, decernimus, & declaramus, & damus, & adiudicamus)* Vtique dubitari non poteſt, quin verba addita in loco non cœterato eſſent ex naturalibus ſimplicibus ipſius actus, quæ ſpectant ad officiũ notarij, & ſi non poſuerit, cenſentur appoſita, niſi illis partes expreſsè renunciauerint, vel alitèr conuenerint. Menoch. *conſ.* 37. *num.* 28. *& ſeqq. lib.* 1. Et pari modo reſpondetur ad tertiam clauſulam extenſam, non cœteratam, videlicèt, quia poſt verba *(prout extunc, & è conuerſo)* quia cùm arbiter voluerit, quòd partes ſe adinuicem quietarẽt, & quòd quietatio ſe extenderet etiam quoàd incognita, & inexcogitata, prout ipſe 16 exnunc quietabat, † profectò ex natura ipſius actus veniebant ſequen- 17 tia verba *(prout extunc, & è cõuerſo* †) quia remittentibus iura ſua non eſt ad ea dandus vlteriùs regreſſus, *l. quæritur, §. ſi venditor. ff. de ædilit. edict. c. eos.* 7. *quæſt.* 1. *c. ſic illic.* 23. *quæſt.* 4. Anchar. *conſ.* 339. *num.* 10. Crauett. *conſ.* 114. *num.* 10.

Ad ſecundam clauſulam extenſam abſque dictione cœterata, videlicèt, *in omnibus, & per omnia*, vt infrà dicitur, de bonis cõſignandis, & adiudicandis dicto D. Io. Victorio, quę hic pro expreſſis habeantur, quoàd defenſionem generalem bonorum, vt ſuprà d. D. Antonio Franciſco conſignatorum, † fuit reſponſum, 18 notarium hanc clauſulam potuiſſe extendere, quia cùm vtraque pars ad inuicem promitteret generalem defenſionem bonorũ, iuxta ſtylum, &c. vt ſuperiùs dictum eſt, cùm notarius voluiſſet extẽdere huiuſmodi ſtylum in certa parte inſtrumenti, vtique prædicta verba, *in omnibus, & per omnia*, quæ ſunt poſita ad fauorem Antonij Franciſci, habent relationem ad promiſſionem defenſionis extendendam, & perinde eſt, ac ſi in hac parte notarius illam defenſionem extendiſſet, cùm relatum ſit in referente. Et ſic notarius potuit 19 ponere prædictam clauſulam, quæ habet relationem ad aliam extenſam, ad fugiendas repetitiones.

Quantùm ad clauſulas non cœ- 20 teratas, extenſas in ſubſcriptione: Domini dixerunt, quòd hæc ſunt ſolemnia, quæ ad ipſummet notarium ſpectant, Bart. *in l. ſi librarius, num.* 1. *in fin.* vbi Decius, *num.* 5. Cagnol. *num.* 15. *ff. de reg. iur.* Menoch. *conſ.* 37. *in princ.* Et de his non eſt, quòd notarius rogetur à partibus, & eo ipſo quòd requiritur conſcribere inſtrumentum, debet adhibere hæc ſolemnia, ex officij ſui debito. Menoch. *dicto conſ.* 37. *num.* 3.

Ex quibus ceſſat quod dicebatur, 21 notarium non poſſe ponere clauſulas immutantes naturam negotij. Couarr. poſt alios per eum relatos, *in* 2. *par. rubricæ de teſtam. ante num.* 14. quia tales clauſulæ, vt ex prædictis patet, non immutant naturam negotij.

Non obſtat, quòd notarius non 22 potuit extendere huiuſmodi clauſulas poſtquã dedit copiam inſtrumenti partibus, quia Bald. & Felin. *in cap. ex literis, num.* 8. *de fid. inſtrum.*

Socin.

Socin. *conſ.* 277. *ſub num.* 6. *verſ. vnde, vol.* 2. Alberic. *conſ.* 59. *num.* 3. Franciſc. Marcus, *deciſ.* 289. *par.* 1. Verall. *deciſ.* 247. *par.* 2. & alij per Gabr. *de conſuetud. concluſ.* 3. *num.* 42. 43. loquuntur, vel quando notarius poſt datam copiam partibus vult aliquid corrigere, vel quando vult aliquid immutare circa ſubſtantialia con-
23 tractus, quod non eſt in caſu iſto, † quia notarius neque mutata ſubſtãtia, neque aliquo correcto extendit clauſulas ſub compendio poſitas & cæteratas, & aliquas venientes ex natura actus, quod vtique facere potuit per ſupradicta.

24 Minùs facit, quòd notarius non poſſit aliquid ex inſtrumento corrigere, vel declarare poſt litem motam. Felin. *loco præcitato*, & Gabriel *d. concluſ.* 3. *num.* 45. quia quicquid dicendum eſſet, an poſſit extendere clauſulas cæteratas poſt litem motam, quæ præſumptiuè aliam non reciperent interpretationem, Domini dicebant, quòd licèt inſtrumentum extenſum fuiſſet datum Io. Victorio poſt talem litem, nihilominùs non conſtat de quo tempore
25 fuit extenſum, † & ideò præſumendum fuiſſe extenſum de tempore congruo, & debito. Socin. ſen. *conſ.* 94. *num.* 5. *vol.* 1. Alex. *conſ.* 70. *num.* 4. *vol.* 1. Et fuit latè deductum in cauſa Romana Caſalis Iuliani 4. Iunij 1584. & in alia Caietana Iuriſdictionis 26. Nouembris 1563. coram bo.me. Oriolen.

26 Nec obſtat, quòd iſta extenſio redditur ſuſpecta; ex quo Macantes erat procurator Io. Victorij, nam Macantes ex publico officio notariatus habet pro ſe præſumptionem bonæ fidei, *l. cùm precibus, C. de probat. l.* 2. *in verb. non arbitramur, C. de iuriſd. omn. iudic.* quem textum dicit in hoc notabilem Bald. *in l. errore C. de teſtam.* Guido Pap. *deciſ.* 119. *nu.* 2. Aym. *conſ.* 75. *num.* 8. Et fuit dictum in dicta cauſa Romana Caſalis. Imò
† ſemper præſumitur pro inſtru- 27
mento, *d. l. cùm precibus*, cum aliis per Cephal. *conſ.* 179. *nu.* 28.

Nec facit, quòd cùm Ioannes Vi- 28
ctorius produxerit in iudicio inſtrumentum cœteratum, cenſeatur illud approbaſſe in omnibus, & per omnia. Alex. *in l.* 2. *§. editiones, num.* 19. *ff. de edend.* Alberi. *conſ.* 59. *num.* XI. † 29
Et ideo Petrus Thomas eius hæres non poteſt venire contra factum ipſius, *l. cùm à matre.* vbi DD. *C. de rei vendicat.* quia Petrus Thomas non impugnat inſtrumentum cœteratum, ſed vtitur inſtrumento extenſo, in quo adſunt quæ virtualiter intrant in cœterato.

Non obſtat, quòd magis creditur 30
inſtrumento cœterato deſumpto ex protocolo, quàm inſtrumento extento per notarium. Socin. ſen. *conſ.* 277. *ſub num.* 7. *verſ. quibus, vol.* 1. cum aliis per Menoch. *de arbitr. iud. caſu.* 187. *num.* 21. *& ſeqq.* quia prædicta procedunt, quando aliqua oritur dubitatio inter extenſum, & cœteratum, hîc autem nulla oritur dubitatio, ſed quæritur, an extenſio facta per notarium ſuſtineatur.

Nec releuat, quòd hæc ſcriptura 31
fuerit poſita in Archiuio hac lite pendente, & ideo fidem non facit, quia Verall. *deciſ.* 41. *num.* 4. *par.* 1. loquitur in ſcriptura non habente publica requiſita, & tunc authoritas Archiuij ſuffragari non poteſt. † Hic 32
autem ſumus in ſcriptura authentica, quæ habet omnia requiſita, & ideò probat, & fidem facit. Bart. *in auth. ad hæc*, Caſtrenſ. *in l. contractum, num.* 3. *C. de fid. inſtrum.* Curt. iun. *conſ.* 162. Verall. *præcitato loco, in princ.*

BONONIEN. PECVniaria.

Ven. 28. Iunij 1602.

EPITOME.

Frater diues in concurſu cum matre paupere tenetur dotare ſororem nõ habentem, vnde ſe dotet.

SVMMARIVM.

1 *Quando duo ſunt obligati, intelliguntur pro virili obligati.*
2 *Limita quando negotium ſpecialiter ſpectat ad alterum ex contrahentibus, quia tunc ille cenſetur principalis, & alter fideiuſſor, & ambo tenentur in ſolidum.*
3 *Frater diues tenetur dotare ſororem non habentem aliunde, vnde ſe dotet, nu.11.*
4 *Obſeruantia, & actus ſubſequens declarat animum præcedentem.*
5 *Mater tenetur dotare filiam in concurſu cum fratre.*
6 *Secùs eſt in concurſu cum patre.*
7 *Declara, quando mater eſt diues.*
8 *An, & quando frater teneatur dotare ſororem de bonis maioratus.*
9 *Pater tenetur dotare filiam.*
10 *Bona cum ſua cauſa & onere tranſeunt ad hæredes.*
12 *Iudex non condemnans duos inſolidum, videtur condemnaſſe pro virili.*
13 *Quod non procedit, quando habet relationem ad libellum, in quo petitur, ambos in ſolidum condemnari, & nu.15.*
14 *Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.*
16 *Sententia quæ ex actis iuſtificatur, debet exequutioni mandari.*

DECISIO LXXVII.

DVbitaui, an in inſtrumẽto promiſſionis dotis Camillæ Virginia mater, & Andreas frater eſſent obligati in ſolidum, an verò pro virili, & an ſententia contra ipſos lata, eſſet in ſolidum, vel pro virili exequenda.

In quantum ad primam partem dubij Domini cenſuerunt, Virginiã, & Andræam teneri inſolidum; licèt enim quando duo ſunt obligati, intelligantur pro virili, *l. reos, §. cùm in tabulis, ff. de duobus reis.* † Tamen hæc regula non procedit, quando negotium ſpecialiter ſpectat ad alterum ex contrahentibus, quia tunc ille cenſetur principalis, & alter fideiuſſor, & ambo dicuntur in ſolidum obligati. Ronchegall. *in l. eadem, nu. 59. ff. de duobus reis,* Aym. qui de cõmuni, *conſ. 91. num. XI. verſ. ſolùm ſupereſt.* Oſaſch. *deciſ. 44. num. 16.* & in his terminis Corneus, *conſ. 316. nu. 3. lib. 4.*

Atque ideò in hoc caſu cenſeri debet, matrem fideiuſſiſſe; Andream verò principaliter obligatum, & ſic ambos teneri in ſolidum, quia ipſi Andrææ tanquam fratri diuiti incumbebat onus dotandi ſororem pauperem, nec habentem vnde ſe dotaret aliunde, gloſſ. *in l. cùm plures, §. penult. in verb. alio patre. ff. de adminiſtr. tut.* Cynus poſt gloſſ. *in l. non omni, in verb. nulla ratione, C. de adminiſtr. tut.* Abb. *conſ. 12. num. 5. verſ. ſeptimum dubium, lib. 1.* Campeg. *de dot. par. 1. quæſt. 23.* Molina. *de primog. Hiſpan. lib. 2. c. 15. num. 17.* multos congerit Tiraquell. *de iure primog. quæſt. 62. in princ.* & Corduba, *de liber. agnoſc. §. idem reſcripſit, num. 92.* & nouiſſimè Surdus, *de alim. tit. 1. quæſt. 25. nu. 9.* Quod etiam optimè declarauit obſeruãtia ſubſequuta † quia Andreas ſoluit

ſoluit vltra medietatem dotis, ex qua ſolutione eius animus præcedens declaratur, *l. ſed & Iulianus, §. proindè. §. interdum, ff. ad Macedo.* Aym. *conſ.226.num.6.*Surd. *conſ.441. num.30. lib.3.* & tenuit Rota coram bo.me.Cantuccio in cauſa Romana pecuniaria de Vitellis 27. Ianuarij 1580.

5 Non obſtat, quòd in concurſu cum fratre, mater teneatur dotare filiam.Molina *de primogenit. Hiſpan.* 6 *lib.2.c.15.num.68.*poſt Gomez,quem allegat,*in l.40.Tauri,num.75.*licèt ſecus ſit in concurſu cum patre, *l.neque mater, C. de iur. dot.* niſi in cauſa neceſſitatis. Campeg. *de dote par.1. quæſt.22.* Corduba, *de liber. agnoſcen. in §.ſi mater,num.14.* & Surd.*de alim.* 7 *tit.1.quæſt.14.num.13.* quia mater in concurſu cum fratre tunc tenetur dotare, quando eſt diues: ſed hîc non ſumus in matre diuite, ſed in matre,quæ habet ſolùm ſcuta 4500. monetæ, aut circiter, pro ſua dote, cuius fructus vix ſufficiunt pro alimentis iuxta gradum ſuum. Et ideò onus dotandi ſororem, ad fratrem, & non ad ipſam matrem ſpectabat.

Non obſtat, quòd Andræas non ſucceſſit in bonis paternis, ſed in maioratu facto à quodam ſuo patruo. Nam reſponderunt Domini, 8 quòd, quicquid ſit de illa quæſtione, an & quando frater teneatur dotare ſororem de bonis maioratus, de qua per Molinam, *de primog. Hiſpan.lib.2.c.15.num.66.*& per Suarez, *in l.quoniam in prioribus,C.de inoffic.teſtam.limit.2.legis Regiæ, nu.9.* & 10. & per Tiraquel.*de iur. primog. q.62.in princ.*Si Andræas ſucceſſiſſet in bonis paternis, res tranſiret ſine 9 difficultate,† quia pater tenetur dotare filiam, *l.fin.C.de dot.promiſſ.l.qui liberos,ff.de ritu nupt.* Quòd ſi non fecerit, eius ſucceſſor etiam extraneus tenetur, † nam bona cum ſua 10 cauſa,id eſt, onere dotādi tranſeunt ad hæredes, *arg. l.ſi quis à liberis, §. item reſcriptum,ff.de lib.agnoſc.* Abb. *conſ.12.num.5. verſ.1. quod hæres patris,lib.1.*Bart.& Caſtren. *in l.marito, §.ſi voluntate, num.4. ff. ſolut.matrim.* Corduba, *de lib. agnoſcen. §. non tantùm, num.16.* Sed frater hîc non te- 11 netur dotare ſororem, ex quo eſt hæres patris ſed ex ſola obligatione, quia tenetur frater diues ad dotandam ſororem. Molina, *loco præcitato,num.57. & ſeqq.* ſed benè Abb. *d.conſ.12.num.5. verſ.ſecundo capite tenetur,* vbi ponit hanc ſolam cauſam fraternitatis ſufficientem ad hoc, vt frater diues teneatur dotare ſororem.

Quantum attinet ad ſecundam partem dubij, difficultas reſidebat in eo † quia Iudex non condemna- 12 uit eos in ſolidum, ideóque videretur dicendum,condemnaſſe pro virili, *iux. tex. in l. 1.* vbi Caſtren. *num.2.& 3.*& alij,*C. ſi plur.vna ſent.* Sed Domini dixerunt,prædicta procedere,† quando Iudex habuit rela- 13 tionem ad libellum. Bart. *in d. l.1. poſt medium,verſ.nam verba ſententiæ,* & Bald. *ante num.4.* prout in caſu iſto,quia Iudex dixit, petitam executionem eſſe relaxandam, quæ fuerat contra vtrumque in ſolidum petita. † Vndè etiam quæ ſunt in 14 termino ad quem fit relatio, cenſentur repetita cum omnibus ſuis qualitatibus in termino referente. † Neq; perinde eſt,ac ſi Virginiam, 15 & Andræam inſolidum condemnaſſet, *l.ſi prior.* & ibi Bart. *ff.ſolut.matrim. l.ſi ita ſcripſero, ff. de condit. & demonſt.* cum ſimilibus. Et ex iis ſequitur, † cùm hæc ſententia,ob non 16 interpoſitam appellationem,tranſitum fecerit in iudicatum, quòd

debeat in ſolidum, exequi, quia ex actis iuſtificatur. Put. *deciſ.*401. *lib.*1. Mohed. *deciſ.* 11. *de re iudic.* Et fuit pluries reſolutum.

ANCONITANA ASSE-curationis.

Lunæ 1. *Iulij* 1602.

EPITOME.

Decretum, ſeu ſententia, etiam nulla, vulnerat obligationem Cameralem.

SVMMARIVM.

1 *Decretum iudicis vulnerat obligationem Cameralem.*
2 *Cauſa ſemel effecta appellabilis, ſemper remanet appellabilis.*
3 *Sententia nulla non vulnerat obligationem Cameralem.*
4 *Iniuſtitia notoria æquiparatur nullitati.*
5 *Sententia ex iiſdem actis iniuſta, non eſt notoriè iniuſta, ac proinde non eſt nulla, quando ſe non refert ad acta.*
6 *Sententia nulla vulnerat obligationem Cameralem, ad effectum appellationis, & num.*8.
7 *In iudiciis paritas eſt ſeruanda.*
9 *Clauſula,* Cum facultatibus A.C. *dat facultatem procedendi exequutiuè.*
10 *Cauſa appellationis diuerſificat inſtantiam.*
3 *Deciſio Elboren. penſionis* 9. *Iunij* 1595. *coram Corduba declaratur, & nu.*5. *&* 6.
11 *Deciſ.* 321. *in fin. par.*1. *diuer. & deciſ.* 132. *num.*12. *p.*2. *diuerſ. declarantur.*

DECISIO LXXVIII.

IAm fuerat reſolutum coram me, apocham aſſecurationis fuiſſe iuſtificatam, & cùm vigore obligationis Cameralis peteretur exequutio, Domini dixerunt, non eſſe concedendam, † quia obligatio Cameralis fuerat vulnerata per decretum A.C. Vnde cũ licuerit Santob actori appellare, ita licere debet Iudæ reo, à contraria ſententia reuocatoria decreti vulnerantis appellare, † & ſic cauſa ſemel effecta appellabilis, ſemper remanet appellabilis, *cap. non licet actori, de reg. in* 6. *l. non debet, ff. eodem,* cum vulg. 1 2

Non obſtat, quòd ſententia nulla non vulneret obligationem Cameralem, vt fuit dictum coram R.P.D. meo Corduba in cauſa Elborenſ. penſionis 9. Iunij. 1195. Et ideò cùm decretum A.D. ſit iniuſtum, vt conſtat ex deciſione in hac cauſa facta, † iniuſtitia notoria, quæ nullitati æquiparatur. Fel. *in c. inter cæteras, num.* 10. *de re iudic.* Cæſ. de Graſſ. *deciſ.*2. *num.*7. *de ſolution.* non vulnerauit obligationem Cameralem. Nam reſponderunt Domini, quòd dato etiam, quòd ſentẽtia ex iiſdem actis appareat iniuſta, nihilominùs non poteſt dici notoriè iniuſta, ad effectum quòd ſit nulla, cùm non referat ſe ad acta, Put. *deciſ.*401. *lib.*1. Quibus addebant aliqui ex Dominis, quòd deciſio in cauſa Elboren. non ſubſiſtit. fundatur enim in illa regula, *quod nullum eſt, &c.* quæ non applicatur, † quia ex eo ſententia nulla vulnerat obligationem Cameralem, quòd ſicuti licuit actori appellare, ita licet reo à contraria ſententia. † Paritas enim in iudicio eſt ſeruanda, *d.c. non licet, & c. in iudiciis, de reg. iur. cum concord.* per gloſſ. *vtrobique allegatis.* Et ſic non conſideratur, qualitas ſententiæ, ſed illa æqualitas inter partes, quæ non reſultaret, ſi ſententia nulla non vulneraret. 3 4 5 6 7 8

Nec

Nec releuat,quòd cauſa commiſſa fuerit in Rota cum facultatibus, A.C. & ideò ſicuti idem auditor poterat reponere,ita etiam Auditor
9 Rotæ poteſt, † quia per illa verba, *cum facultatibus*,intelligitur data facultas Auditori Rotæ, procedendi exequutiuè,non autem,quòd in eadem inſtantia tanquam ſubrogatus
10 A.C. procedat, † quia cùm ſit commiſſa cauſa appellationis,illa diuerſificat inſtantiam. Salyc. *in l. ita demum,in fin. in l. inuitus, num.*15.*C.de procur.*
11 Minùs officit deciſio in cauſa Romana ſocietatis 3.Iunij.1577.coram Illuſtriſſimo D.meo Cardinale Blãchetto,& in Romana cenſus,27.Iunij 1580.coram Cantuccio,quia pro intelligentia harum deciſionum, Domini diſtinguebant, quòd aut eſt vulnerata obligatio Cameralis, putà quia Iudex abſoluit ab impetitis, & hoc caſu intrant prædicta,& iſte eſt caſus de quo agitur. Aut Iudex pronunciauit ſuper inualiditate decreti iam relaxati vigore dictæ obligationis, & iſta pronunciatio non vulnerat obligationem, ſed ſolùm ipſum decretum, & ideo in hoc caſu exequutiuè poteſt procedi. Et ita loquuntur deciſiones allegatæ.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Mer. 6. Nouembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus in cauſa ſuæ Eccleſiæ eſt iudex competens, & nu.*2.
2 *Poteſt tamen recuſari.*
3 *Monitio iudicis facta etiam legitimo procuratori, ad audiendam ſententiam, habet vim citationis, & nu.*4.
5 *Monitio ad audiendam voluntatem,poſt concluſum in cauſa, intelligitur pro ſententia.*
6 Seu,*eſt dictio alternatiua, & poſita inter genus,& ſpeciem, ſtat expoſitiuè ſeu declaratiuè,quando conſtat de mente proferentis.*
7 *Sententia ſine monitione vim citationis habente, eſt nulla,reſpectu non citati.*
8 *Mandatum procuræ poteſt quandocumque produci ad effugiendam nullitatem.*

DECISIO LXXIX.

TRes opponebantur nullitates, iuriſdictionis ſcilicèt, citationis, & mandati. Prima non placuit Dominis,† quia Epiſcopus in cauſa 1
ſuæ Eccleſiæ eſt iudex competens. DD.*in c.cùm veniſſent,de iudic.* Felyn. *in c.inſinuante,num.*3.*verſ.cauſa Eccleſiæ, de officio delegat.* Oldrad. qui de communi,*conſ.*156.

Nec Abb.*in d. cap. cùm veniſſent, num.*9. dicit contrarium. † Firmat 2
enim,quòd poteſt recuſari, ſed antequàm recuſetur,eſt iudex competens,& ſententia tenet,quia non eſt cauſa propria.Abb.*præcitato loco, nu.* 13. Felin. *in d. c. inſinuante, num.* 3. *circa medium, dicto verſ. cauſa Eccleſiæ non dicitur cauſa propria, de offic. delegat.*

Quantum attinet ad ſecundã nullitatem ex defectu citationis reſpectu Lucretiæ, licèt non conſtet de citatione, conſtat tamen de monitione iudicis in præſentia partium, ad audiendam voluntatem ſuam, ſiue ſententiam, pro die 24. ſub qua, ſententia fuit promulgata. † 3
Quæ monitio habet vim citationis, *l.*2. vbi gloſſ. *in verb. admonit. C.quomodo,& quando iudex,* Felin. *in c.conſuluit,ſub num.*16. *verſ. in eadem,* gloſſ. *de offic. delegat.* Et hæc quidem monitio fuit rectè facta, cùm

fuerit facta Iacobo Galli procuratori Lucretiæ, de cuius mandato conſtat in proceſſu producto pro parte procuratoris fiſcalis.

Non obſtat, quòd dictus procurator fuerit monitus ad audiendam
4 voluntatem, † & vt monitio valeat debet eſſe ad audiendum ſententiam Felin. *in d. c. conſuluit, num.* 16. vbi Decius, *num.* 64. *de offic. delegat.* Roman. *conſ.* 172. Matheſil. *ſingul.* 8. quia vltra quòd prædicta non procedunt poſt concluſionem
5 in cauſa, quia tunc monitio ad audiendam voluntatem, intelligitur pro ſententia. Dec. *præcitato loco, nu.* 62. vbi dicit, cõtrarium in iure non inueniri, & idem tenet addit. ad Matheſil. *d. ſingul.* 8. *num.* 3. Caſtrenſ. *conſ.* 412. *col.* 2. *prope fin. vol.* 2. In caſu iſto non modo adeſt monitio ad audiendam voluntatem, ſed etiam ad-
6 ſunt verba ſequentia (*ſeu ſententiam*) quæ dictio alternatiua, cùm ſit poſita inter genus, & ſpeciem, & de mente proferentis ſatis conſtat, ſtat expoſitiuè, ſeu declaratiuè. Bart. *in l. vbi pactum, in* 1. *oppoſit. in vtraque lectura, C. de tranſact.* vbi gloſſ. Angel. *num.* 2. Bald. *in* 1. *oppoſit.* Salicet, *nu.* 3. *in fin. per tex. in l.* 1. vbi gloſſ. *in verbo, ſi, de reb. dub.* De mente enim proferentis ſatis apparebat, ex quo priùs interuenerat citatio ad ſententiam, licèt fuerit circumducta.

7 Sed quantum ad hanc nullitatem, difficultas reſidebat in eo, quòd Vincentius præſentatus à Lucretia non fuerat monitus, nec conſtat, Iacobum Galli eſſe ſuum procuratorem, qui tamen erat in cauſa, & ideò cùm ex hoc capite ſententia ſit nulla reſpectu Vincentij, Domini reſoluerunt, particulariter videre, an materia ſit indiuidua, vt etiam reſultet nullitas reſpectu Lucretiæ.

Tertia nullitas erat clara, quia non conſtat de mandato comparentis pro fiſco. Et quamuis non fuerit oppoſitum de tali mandato, hoc tamen nihil aliud operatur, quàm vt quandocumque poſſit produci 8 ad effugiendam nullitatem. Rot. *dec.* 19. *de procurat. in antiq.* But. *deciſ.* 383. *num.* 8. *lib.* 2. Aym. *conſ.* 108. *num.* 1. Non autem quòd ſi non appareat de mandato, ſententia dicatur valida.

TARRACONENS.
Præpoſiturarum.

Mer. 6. *Nouembris* 1602.

SVMMARIVM.

1 *De ſcripturis ad hoc vt probent, debet apparere, notarium fuiſſe rogatum, etiam quòd ex archiuio extrahantur.*

2 *Notarius Capituli ex deputatione ad officium, cenſetur rogatus ad omnia acta capitularia.*

3 *Conſtare debet, ſcripturas quas dat notarius ſucceſſor in officio, fuiſſe ſcriptas à notariis prædeceſſoribus, ad hoc, vt probent.*

Decisio LXXX.

PRæpoſiti in eo cõſiſtebant, quòd ſcripturæ de quibus agitur, non afficiunt eos, ex quo ſunt acta particularia Capituli. Circa hoc Domini dixerunt, quòd de eo in progreſſu cauſæ videbitur. In reliquis autem dixerunt, has ſcripturas eſſe in forma probanti, rationibus, de quibus in deciſione in hac cauſa coram me facta, 14. Ianuarij præteriti.

Nec ſubſiſtit dum dicitur, quòd etiam ſi conſtet, ſecretarium Capituli qui illas extraxit, eſſe ſucceſſorem in officio, nihilominùs non ap- 1
paret, anteceſſores de illis ſcripturis fuiſſe rogatos, prout requiritur,

iuxta

iuxta notat. per DD. *in l. ſcripturas, C. qui potior. in pign. habeatur*, & quòd ex Archiuio extrahantur. Verall. 2 *deciſ. 41. par. 1.* † Quia reſpondebatur, quòd cùm hæc acta ſint Capitularia, ex deputatione ad officium cenſetur rogatus ad omnia acta. ad tradit. per Felin. *in c. quoniam contrà, num. 4. de probat.* Bald. *in l. quædam, in ſecunda lectura, numer. 1. ff. de edend.*

Minùs etiam releuat, dum dicitur, non conſtare, ſcripturas à ſcribis prædeceſſoribus fuiſſe ſcriptas, quia ſatis id probatur ex eo, quòd reperiuntur in libris Capituli, in ſcribania cuſtoditis per ſcribas ad id deputatos.

PAMPILONEN.
Parochialis de Stella.

Ven. 8. Nouembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Ius parochialitatis eſt indiuiduum.*
2 *Sententia eſt valida quoàd citatos, ſecùs quoàd non citatos.*
3 *Vicarius ad nutum amouibilis, non poteſt dare de nullitate ſententiæ latæ in cauſa, in qua de intereſſe parochialis Eccleſiæ agebatur.*
4 *Vicarius ad nutum amouibilis, nomine monaſterij, cui Eccleſia parochialis eſt vnita, curam exercet.*
5 *Sententia non afficit illum qui non eſt in cauſa.*
6 *Qui non eſt in cauſa, non poteſt dare de nullitate.*
7 *Præcedentia declarant ſequentia, & magis influunt ad declarationem ſequentium, quàm è contra.*

Decisio LXXXI.

1 QVamuis ius parochialitatis ſit indiuiduum, ad tradita per Innocentium, *in cap. prudentiam, num. 9.* vbi Decius, *num. 46. de offic. delegat.* tamen cùm ſuper eo egerint ſolùm parochiani, ſententiæ Rotales, quæ ſententias de partibus firmant, quatenus fauorem Abbatis continent, & declarant, Eccleſiam de Stella eſſe vnitam Monaſterio de Yrache, parochianoſque non poſſe impedire iura parochialitatis, & beneficiatos teneri aſſiſtere Abbati in viſitatione, † ſunt valida quoàd ipſos pa- 2
rochianos citatos, licèt ſecùs dicendum ſit, quoàd alios non citatos, *l. non idcirco, ff. de iudic. l. de vnoquoque*, vbi Caſtren. *in princ. ff. de re indicat.* Gabriel *conſ. 56. num. 16. vol. 1.* Beneficiati enim non egerunt ſuper dicto iure parochialitatis, quia cùm fuerunt citati coram ordinario reſponderunt, excepta aſſiſtentiæ prætenſa ab Abbate, quam ipſi non præſtabant, de mãdato Epiſcopi, ſed ſuperiorum iuſſa expectabant, in reliquis autem nihil ad ſe, quia tangebant parochiam. Quæ quidem aſſiſtentia non reſpicit ius, & intereſſe ſuper quo agebant parochiani, ſed quid ſeparatum ab illo: & ſic non agebatur de re ipſa, hoc eſt, de iure parochialitatis, quoàd omnes, ſed quoàd parochianos tantùm. Vnde ceſſat obiectum ex deciſione in cauſa Montis Regalis, coram R.P.D Lancellotto.

Nec facit, quòd ſententiæ condemnent etiam Vicarium, & promotorem fiſcalem, quia quatenùs attinet ad Vicarium, cùm Eccleſia ſit vnita monaſterio de Yrache, † & 3
Vicarius ipſe ſit amouibilis, non poteſt dare de nullitate, † cùm cura 4
penes Monaſterium reſideat, & ipſe nomine ipſius Monaſterij curam exerceat, ad eius libitum. gloſſ. *in extrauag. execrabilis, in verb. temporalis, de præbend.* Rot. *deciſ. 2. num. 2. de exceſſib. Prælat. in nou.* Biſignet. *dec. 22.*

ſub

ſub num.2.de probat. Cardin.*in Clem. 1.ſub num. 15. de offic. vicar.* Oldrad. *conſ.38. num.1. 9. & 12.* Rebuff. *de diſpenſat. de non reſiden. num.15.* Vltra quòd,non adeſt hodiè in cauſa perſona legitima, quæ nomine Vicarij prædicti poſſit dare de nullitate.

Et pari modo reſpondetur ad intereſſe promotoris fiſcalis,quia ipſe non erat in cauſa, & vltima ſententia Rotalis ſolùm de eo facit men-
5 tionem. Quare dicendum eſt, ſententiam ipſum non afficere. Salycetus,*in l.1.num.4.C.ſi aduerſ.rem iudic.* Bald.*in l.ab eo,num.17. C.quomodo &*
6 *quando iudic.* † Et cùm non eſſet in cauſa, non poteſt dare de nullitate. Licèt enim in partibus fuiſſet actũ inter Abbatem, & ipſum promotorem fiſcalem, & Abb. obtinuiſſet ſententiam in ſui fauorem, excepta aſſiſtentia beneficiatorum. Tamen denuò introducta cauſa, & citato promotore, reſpondit,citandos eſſe beneficiatos, & parochianos, poſtmodùm verò nihil cum eo actum fuit,& nec ſententia ordinarij, nec alia Metropolitani,nec prima Rotalis de eo faciunt mentionem,ſed ſolùmmodo ſecunda ſententia Rotalis. Nec dictæ ſententiæ Rotales quatenus confirmant ſententias de partibus in eo quòd continent fauorem Abbatis, comprehendunt ſententiam prædictam, quia omnino eſt, & penitùs ſeparata ab actione, cuius vigore cauſa commiſſa eſt in Rota.

Nec ſubſiſtit, quòd prætenditur probari, tam ex articulis datis coram Ordinario, quàm corã Metropolitano, hanc eſſe vnicam cauſam defenſionis, quia illi ſunt intelligendi, quoàd hanc aſſiſtentiam, ſtante prædicta proteſtatione beneficiatorum, dum fuerunt citati.

† Clarum ſi quidem eſt, quòd præ- 7
cedentia declarent ſequentia,*l.ſi ſeruus plurium, §. fin. l. qui filiabus, in princ. de legat.1.* Et præcedentia magis influunt ad declarationem ſequentium,quàm è contra, *l.quiſquis,* & ibi Bart. *delegat. 3.* Iaſ. *in l.1.nu.5. C. de lib. præter.* Pariſ. *conſ.43. nu.52. lib.3.* Et ita etiam ſunt intelligendi articuli pro parte Monachorum dati.

CORDVBEN. PRÆſtimonij.

Mer. 13. Nouembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Reſignatarius tenetur gratiam reſignantis qui nunquam poſſedit,iuſtificare.*
2 *Teſtes in iuſtificando valore, debent deponere per non exceſſum.*
3 *Teſtes in probando valore, debent percutere tempus impetrationis.*
4 *Teſtes parte non citata nulliter examinantur.*
5 *Subrogatus poteſt dare de nullitate, de qua poterat dare ille in cuius locum fuit ſubrogatus.*
6 *Poſſeſſor, de cuius intereſſe agitur, eſt citandus in teſtibus examinandis.*

Decisio LXXXII.

FVit concluſum, gratiam Ioannis de Herrera non eſſe iuſtificatam, quia cùm ipſe obtinuiſſet beneficiũ de quo agitur,ex reſignatione Franciſci, qui nunquam poſſedit,† tene- 1
tur gratiam ipſius Franciſci iuſtificare.Caſſad. *deciſ.2.in fin. de cauſ.poſſ. & propriet.* vbi requirit, quòd reſignans per triennium poſſederit.

Nec valor narratus videtur iuſti- 2
ficatus, quia teſtes non deponunt per non exceſſum. Ægid. *deciſ.674.*

Et

Et quamuis 1. & 2. deponant per aſcenſum, non ſufficit, vt in cauſa Aquen. beneficij 16. Iunij 1600. coram R.P.D. meo Sacrato, & nouiſſimè coram R. P. D. meo Iuſto, in cauſa Hiſpalenſ. Beneficiorum 29.
3 Aprilis prædicti, † Nec dicti teſtes percutiunt tempus impetrationis, prout requiritur. Felin. *in c. ad aures, num.* 17. *verſ. limita.* 2. *de reſcript.* Oldrad. *conſ.* 58. *num.* 1. *& ſeqq.* Caſſad. *deciſ.* 19. *nu.* 7. Felin. *ſuper regul.* Verall. *deciſ.* 330. *par.* 3. & fuit pluries reſolutum.

4 Vltra quòd iſti teſtes ſunt nulliter examinati, cùm non fuerit citatus Ioannes de Caſtillo, in cuius locum fuit ſubrogatus Doctor Sanctafè, atque ideò, ſicuti poterat
5 Ioannes dare de hac nullitate, ita etiam poteſt doctor ſubrogatus, *arg. l. ſi eum, §. qui iniuriarum, ff. ſi quis cautionibus, l. qui in eius. ff. de reg. iur.*

6 Nec obſtat quòd Caſtillus non erat citandus, cùm non poſſideret, quia de contrario conſtat ex deciſione R.P.D. Littæ in hac cauſa facta, 7. Nouembris anni præteriti.

Quæ autem dicebantur de regula de annali, & de non publicatione facta in tempore, viſa ſunt Dominis egere particulari diſcuſſione.

VENETIARVM, SEV nullius Decimarum.

Ven. 15. Nouembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Nuntius, ſeu legatus Apoſtolicus non habet iuriſdictionem in Monachos Sancti Benedicti.*

2 *Sententia lata cõtra Monaſterium ſine citatione monaſterij eſt nulla.*

3 *Interpretatio talis eſſe debet, vt contoarietas euitetur.*

DECISIO LXXXIII.

OPponebatur cõtra ſententiam Nuncij nullitas & iniuſtitia. Quantùm ad iniuſtitiam, Domini dixerunt, hunc articulum egere particulari diſcuſſione. Nullitas erat 1 clara, quia nuncius non habebat iuriſdictionem in Monachos Sancti Benedicti, Quorum Monaſteria per priuilegium Eugenij 4. & aliorum Romanorum Põtificum ſunt exempta ab omni iuriſdictione Legatorum Apoſtolicorum, & nunciorum, & immediatè ſunt Apoſtolicæ ſedi ſubiecta. Quæ priuilegia pluriès fuerunt canonizata, vt in cauſa Burgen. Iuriſdictionis 20. Decembris 1596. coram bo. me. Orano, & in cauſa Piſcien. ſeu nullius 7. Martij 1582. coram bo. me. Gyptio.

Alia nullitas erat euidens, cùm 2 non conſtet de citatione Monaſterij, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicat.*

Nec facit, ſi dicatur, quòd ſola ſententia eſt in actis producta, & cùm totus proceſſus non adſit, cognoſci non poteſt, an Monachi fuerint citati, quia conſtat, ſententiam fuiſſe prolatam ſine actis, cùm in ea habeatur, *partibus extraiudicialiter auditis, & pro bono pacis, &c.*

Minùs etiam releuaret, ſi diceretur, conſtare de actis, ex quo in fine ſententiæ habentur hæc verba, *prout in actis Curiæ noſtræ latiùs continetur*, quia cùm ſuprà dictum fuerit, *partibus extraiudicialiter auditis*, † di- 3 cendum eſt, ad euitandas contrarietates, quòd conſtet in actis Curiæ, non in hac cauſa factis, ſed in aliis cauſis, eóque magis, cùm ex lectura ſententiæ appareat, talem eſſe illorum verborum intellectum.

ROMANA FIDEIUSSIONIS.

Mer. 20. Nouembris 1602.

EPITOME.

Fideiussores iudicij tenentur, si mutatur iudex, vel actio, nisi sit fideiussor in euentum succumbentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Euenient conditione, contractus purificatur.*
2 *Fideiussores iudicij non tenentur, quotiescumque mutatur iudex, res, vel actio, & nu. 9.*
3 *Fideiussores pro decreto faciendo à primo iudice certo, non tenentur pro decreto faciendo à secundo iudice, & num. 12.*
4 *Actus præsumitur factus eo modo quo fieri debebat.*
5 *Præcedentia declarant subsequentia.*
6 *Verbum* solutionis, *pertinet ad omnem liberationem.*
7 *Confessio procuratoris non præiudicat Domino.*
8 *Res in iudicio tunc dicitur mutari, quando de vna re acturus, stipulatus est, iudicatum solui, & postea egit de alia.*
10 *Debitor; creditore volente, potest dare speciem pro pecunia, & è contra.*
11 *Quod in contractu non dicitur, nec nos dicere debemus.*
13 *Fideiussor in euentum succumbentiæ, post latum decretum à iudice, non dicitur restrictus ad vnum iudicem tantùm, & nu. 15.*
14 *Fideiussor iudicij non est necessariò citandus, & sententia lata contra principalem, nocet fideiussori iudicij, etiam non citato.*
16 *Depositio alicuius rei (cum protestatione quòd alias staret periculo illius cui fuit intimatum) si res perit, perit periculo illius, cui fuit intimatum.*

DECISIO LXXXIV.

FVerat relaxatum mandatum per R. P. D. meum. Littam contra Bartholomeum de Grassis, pro summa scutorum mille, ad fauorem Gregorij de Ferrariis, data cautione per Gregorium, de restituendo dictam summam in euẽtum succumbentiæ, ad omne mãdatum domini, & pro eo cauerat Garimboldus, & Guilelminus. Sed quia Reuerẽdissimus D. meus Alexandrinus, coram quo causa appellationis à dicta relaxatione mandati fuerat introducta, declarauerat, quòd Bartholomeus solueret in tot libris iuxta commissionem Fœl. record. Sixti V. ante d. relaxationem per Bartholomeum obtẽtam, ideò post succumbentiam Gregorij, dubitaui, an fideiussores tenerentur. Et Domini vtraque parte audita, affirmatiuè resoluerunt, † quia cùm Gregorius succubuerit, 1
obligatio fideiussorum est purificata, *l. cedere diem, ff. de verb. signif. l. Thais ancilla, ff. de fideic. liber. l. legatum, C. de condit. inser.* cum vulgar.

Non obstat, quòd mandatũ fuit relaxatũ in pecunia, & Reuerẽdissimus Alexãdrinus illud reformauit, quòd solueretur in libris, † & fideiussor 2
non tenetur, quotiescumque mutatur iudex, res, vel actio *l. non à iudice*, §. 1. vbi gloss. & DD. *ff. de iudic.* Roman. *cons.* 210. Rolan. *cons.* 58. *nu.* 20. *lib.* 1. † Et in specie, quòd quotiescũque fideiussio datur pro decreto faciendo à primo iudice, fideiussores non tenentur pro decreto faciendo à iudice appellationis, *l. cùm apud*, 3

vbi

vbi Bart. *num.* 11. *ff. iudicat. solu.* Gabr. *vlt. de fideiuss. in princ.* cum aliis per Thesau. *dec.* 202. *nu.* 1.

Nam ad primum respondetur, quòd in hoc casu, nec iudex, nec res, nec minùs actio fuit mutata; nam quantùm ad actionem, hoc controuerti nõ potest, quantùm ad iudicẽ, infrà respondebitur, quantùm ad rem, non adest difficultas, quia quicquid dicendum sit de mandato, nec decretum, nec fideiussio restringitur ad pecuniam, imò cùm adesset commissio prædicta, quòd solueretur in libris, ita debet intelligi de-
4 cretum; † quia actus præsumitur factus eo modo quo fieri debebat, *l. miles, §. decem, ff. de re iudic. l. si duo,* vbi Bald. *ff. de acq. hæred.* Aym. *cons.* 91. *num.* 8. Surd. *cons.* 198. *num.* 15. *& seqq.* & à primordio tituli posterior formatur, *l.* 1. *circa fin. C. de imponen. lucrat. descr. lib.* 10. *l. filius familias, in princ. C. ad Macedon. l. tutor datus, ff. de fideiuss.* Aym. *cons.* 144. *nu.* 2. vbi, quòd originalis causa attendi debet, *& d.*
5 *cons.* 9. *num.* 9. † Et præcedentia declarant ea quæ sequuntur, *l. si seruus plurium, §. fin. l. qui filiabus, in prin. de leg.* 1. Paris. *cons.* 3. *num.* 37. *& cons.* 43. *num.* 51. *& seqq. lib.* 3.

Nec facit, quòd Reuerendissimus Alexandrinus declarauit, solutionem esse faciendam in tot libris, quia cùm esset iuxta formam decreti R. P. D. Littæ, nihil fuit alteratũ, *l. cùm dubitari. l. Cornelius, ff. de hæred. inst. l.* 3. *de leg.* 1.

Nec releuat, quòd primo loco Bartholomeus susceperit terminum ad soluendum in tot libris, & denuò susceperit terminum de soluendo simpliciter, absque alia mentione librorum, quia per hanc secundi termini susceptionem, non declara-
6 uit, se velle soluere in pecunia, † quia verbum, *solutionis*, pertinet ad omnem liberationem, *l. solutionis*, vbi Bart. *num.* 1. *vers. quandoque, de solutio.*

Minus etiam releuat, quòd Bartholomeus fassus fuerit in commissionibus, mandatum fuisse relaxatum in pecunia, quia commissiones nihil dicunt de certo, sed solùm de relaxatione mandati, quæ dedit causam declarationi factæ per Reuerendissimum Alexãdrinum, & non decretum. Vltra quòd ex hac cõfessione non potest probari cõcludenter dicta relaxatio in pecunia, quia hæc confessio non fuit Bartholomei principalis, sed procuratoris, † 7
quæ non potuit præiudicare domino, quia non est de re quæ sit in potestate confitentis. Achill. *dec.* 4. *de confess.* Et quamuis impensa faciat præsumere gratiam impetratam ad instantiam principalis, qui cùm fuerit ea vsus, non potest contra ipsam venire, tamen dicta confessio, & acceptatio nõ facit, quòd omnes clausulæ appositæ in gratia sint tales, quales procurator expressit, præsertim quando qualitas expressa habet dubium iuris, prout euenit in casu isto, ex supradictis. Et ita fuit resolutum in causa Conchens. Archipresbyteratus 28. Ianuarij 1594. coram Domino meo Penia.

Sed & si dictum decretum expressè loqueretur de pecunia, adhuc fideiussores non possent iuuari ex eo quòd solutio fuisset facta in libris, quia nec res in hoc casu esset mutata, iuxta tex. *in l. non à iudice.* Nam, vt benè declarat gloss. *in verb. si quis alio iudicio,* † tunc res muta- 8
tur, quando de vna re acturus, stipulatus est, iudicatum solui, & postea egit de alia. † Et tunc fideius- 9
sor non tenetur, quia eius obligatio alteratur. At in casu isto, non alteratur obligatio fideiussorum, quæ

eſt de reſtituendo in euentum ſuccumbentiæ. Nam quamuis Bartholomeus ſoluerit in tot libris, hoc tamen nihil ad fideiuſſores, ſed ſolùm
10 ad Gregorium, † cuius reſpectu idem fuit, quòd Bartholomeus ſolueret in ſpecie, vel in pecunia, quando ſpeciem dare potuit pro pecunia, vel pecuniam pro ſpecie, *d.l.miles*, §. *decem*, *ff.de ſolut.* Et hoc aliàs videtur ſenſiſſe Rota, vt per Cæſarem de Graſſ. *deciſ.*3. *num.*8. *&* 10. *de fideiuſſ.*

11 Nec facit, quòd fideiuſſores aliter non ſe obligarent, niſi ſolutio facienda eſſet in pecunia, † quia cùm hoc non dicat fideiuſſio, nec nos dicere debemus, vt in his terminis dixit Rota apud Cæſarem de Graſſ. *loc.citante nu.*7.

12 Ad ſecundum quod dicebatur, fideiuſſores, qui dantur à decreto faciendo à primo iudice, non teneri pro decreto faciendo à iudice appellationis, *l.cùm apud*, *ff.iudic.ſolui*, omiſſo quòd hæc concluſio non ita indiſtinctè procedit, vt per Caputaqu. *dec.*64. *aliàs* 67. *in princ.* Angelus Epiſcopus, *li.*2. in manus, Cæſ. de Graſſ. *deciſ.*2. *num.*7. *de locat.* Theſau. *deciſ.*202. reſpondebatur, quòd tex. *in d.l. cùm apud*, vt benè aduertit Theſaur. *dicto loco*, *num.*5. loquitur, quando fideiuſſio datur coram certo iudice, coram quo cauſa eſt ter-
13 minanda, † hîc autem cauſa erat iam finita per decretum, & appellarum, & in vigorem decreti data fideiuſſio pro parte Georgij actoris ita quòd ſuccumbentia expectabatur coram alio iudice. Et vltra rationem quæ hoc euidenter ſuadet, cùm non fuerit expreſſum nomen proprium iudicis, hoc videtur cõcludere Ægid. *dec.*33.

Non obſtat, quòd iſti fideiuſſores
14 non fuerint citati, † quia cùm ſimus in fideiuſſoribus, ſententia lata contra principalem, nocet fideiuſſori etiam non citato. Fingitur enim vnà cum principali condemnatus. Bald. *in l.duobus*, §. *igitur ſi quis*, *ff.de iureiur.* Alex. *in l.ſæpè*, *ſub num.*17. *ff. de re iudic.* Guido Pap. *dec.* 26. latè Surd. *dec.*271. *nu.*3. *& ſeqq.*

Et cùm, vt ſuprà dictum eſt, hæc 15
fideiuſſio non fuerit reſtricta ad iudicium R.P.D. Littæ, ſed ſimpliciter facta in euentum ſuccumbentiæ, cenſentur fideiuſſores conſenſiſſe in omni iudicio ſuccumbentiæ. Et hoc caſu etiam intrat ratio Doctorum, de qua per Socin. *conſ.*283. *ſub num.* 14. *verſ. nam*, vt dicit Bart. *lib.*2.

Tandem non obſtat, quòd libri fuerint depoſitati in Monte pietatis, & ibi ab inundatione aquarum deuaſtati, quia hæc proueniunt ex mora Georgij, qui fuit citatus ad recipiendum, cum proteſtatione, quòd aliàs ſtarent ſuo periculo, † 16
ideo dicitur in ſe omne periculum ſuſcepiſſe, Bart. *in l.ſi is qui*, *de acquir. rer.dominio.*

PADVANA DECIMETTÆ.

Merc. 20. *Nouembris* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Scripturæ ſunt in forma probanti, quæ habent requiſita de quibus per Abbatem, & Dec.* in c.1.num.15. de fid.inſtrum. *& alios nu.*3.

2 *Scriptura carens die, & menſe, non eſt in forma probanti.*

4 *In antiquis non eſt neceſſaria recognitio ſcripturarum, neque quòd conſtet de notariatu illius qui ſcripſit.*

5 *Ex antiquitate temporis præſumitur citatio in tranſumptatione.*

6 *Simplex ſimptum non probat.*

DECISIO LXXXV.

DOmini dixerunt, inſtrumentum donationis factæ per Epiſcopum, de anno 1180. eſſe in forma
1 probanti, † quia habet omnia requiſita, de quibus per Abbatem, & Decium, *in cap.* 1. *num.* 18. *& ſeqq. de fid. inſtrum.* Et pariter eſt in forma probanti tranſumptum dictæ donationis factum ex decreto Ordinarij, ne ſcriptura ob antiquitatem periret, *c. fin. de fid. inſtrum.* Bart. *in auth. ſi quis in aliquo,* vbi Dec. *num.* 9. *C. de eden.* idem Bart. *in l. chirographariis, in princ. ff. de adminiſtr. tutor.* Put. *deciſ.* 202. *lib.* 2.

Eſt quoque in forma probanti ſententia Vicarij Paduani, de qua in regiſtro, *fol.* 173. & alia inſtrumenta, de quibus in eodem regiſtro, *fol.* 400. vſque ad 485. quia habent requiſita de quibus per Decium, *in d. cap.* 1.
2 excepto tamen inſtrumento deſignationis confinium, de quo in regiſtro, *fol.* 442. quia caret die, & menſe; & excepta cartula depoſitionis nouem teſtium, in regiſtro, *fol.* 431. Non conſtat enim à quo dicta cartula fuerit ſcripta, nec habet alia requiſita.

3 Bullas quoque Vrbani, Gregorij, & Martini, fuit reſolutum eſſe in eadem forma probanti, habent enim illa requiſita, de quibus per Speculat. *in tit. de reſcript. præſent.* §. 1. *igitur* Rebuff. *in praxi, in 3. par. ſignat. tit. de Bullæ declarat. fol. mihi* 143. Eſt etiam in forma probanti ſcriptum Lucij, habet enim requiſita, de quibus ſuprà.

4 Non obſtat, quòd non conſtat de notariatu illorum qui ſcripſerunt, & quòd eorum manus non fuerint recognitæ, quia cùm ſimus in antiquis, hæc non requiruntur. Caputaqu. *dec.* 1. *par.* 3. Put. *deciſ.* 151. *&* 359. *num.* 6. *lib.* 1. Couarr. *pract. quæſt. c.* 21. *ſub nu.* 6. *verſ.* 2. *caſus,* Gabriel, *de probat. concluſ.* 8. *nu.* 27.

Minus etiam facit, quòd tranſumpta fuerint facta abſque aliqua citatione, quia licèt de ea non conſtet, ex antiquitate tamen temporis præſumitur, Put. *dec.* 210. *num.* 6. *lib.* 2. Chaſſan. *dec.* 88. 5

Quantum ad aliud inſtrumentum donationis de anno 1589. Domini dixerunt, non eſſe in forma probanti, quia eſt ſimplex exemplum factum hac lite pendente. DD. *in auth. ſi quis in aliquo,* vbi Dec. *num.* 6. *C. de edend.* 6

NERITONEN.
Bonorum.

Lunæ 2. *Decembris* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Propter poſſeſſionem anteceſſoris datur mandatum de manutenendo ſucceſſori.*

2 *Exceptio abſorbens poſſeſſorium, prius debet diſcuti, quam poſſeſſorium.*

DECISIO LXXXVI.

DOmini inclinabant, dandum eſſe mãdatum de manutenendo Reuerendiſſimo Epiſcopo Neritonen. † de poſſeſſione enim ante- 1
ceſſorum ipſius Reuerẽdiſſimi Epiſcopi conſtat ex teſtibus examinatis, quæ iuuat etiam ipſum ſucceſſorem. Felin. *in c. conſtitutus, num.* 19. *de reſcript.* Innoc. & alij, *in c. cùm ſuper,* vbi Abb. *num.* 181. *de cauſa poſſ. & propr.* Rota, *deciſ.* 1. *de reſtit. ſpoliat. in nou.* Guido Pap. *deciſ.* 629. † Sed 2
quia ex depoſitionibus ipſorum teſtium, conſtat, bona de quibus agitur, fuiſſe conceſſa in emphyteuſim, & modernum Epiſcopum recepiſſe

canones, ideò antequam mandatum concedatur, voluerunt, vt videatur, quomodò hæc res ſe habeat.

LEGIONENS. CANONICATUS.

Lunæ 2. Decembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Obitus ad effectum reſeruationis debet plenè, & concludenter probari.*

2 *Obitus ad effectum reſeruationis probatur ex teſtibus de publica voce, & fama, quando nec Ordinarius, nec ab eo prouiſus eſt in cauſa.*

3 *Probatio ex teſtibus de publica voce, & fama, in rebus parui præiudicij eſt concludens probatio.*

4 *Clericatus probatur ex literis patentibus.*

5 *Valor probatur per teſtes de publica voce, & fama deponentes, per non exceſſum.*

6 *Non tenetur quis iuſtificare valorem beneficij quod paratus eſt dimittere.*

DECISIO LXXXVII.

1 QVamuis obitus ad effectum reſeruationis debeat plenè, & concludenter probari, quia eſt fundamentum intentionis impetrantis, & agitur de præiudicio Ordinarij. Put. *dec.*266. *lib.*3. & fuit reſolutum coram Cantuccio in cauſa Pampi-
2 lonen. beneficij 8. Martij 1577. & alias ſæpiùs, † Nihilominùs in caſu de quo agitur, dixerunt Domini, probari concludenter ex teſtibus deponentibus de publica voce, & fama, quia nec Ordinarius, nec ab eo prouiſus ſunt in cauſa. Caſſad. poſt Ægid. *dec.*1. *de probat. nu.*1. *verſ. nam pro ea facit*, & fuit dictum coram Sanctiſſimo D.N. *in cauſa Marſicana beneficiorum*, 10. *Iunij* 1577. *ſub num.*5. Et in his terminis coram bo.me. Gyptio in cauſa Burgenſ. de Pancorno, 28. Nouembris 1588. & in cauſa Placentina Canonicatus, 1. Martij. 1599. coram bo.me. Orano. Ratio autem videbatur eſſe, quia ceſſante præiudicio Ordinarij, aut ab eo prouiſi, agitur de re modici præiudicij. Vnde ſatis Antonius probabat obitum in menſe reſeruato, ex quo de eo deponunt teſtes de publica voce, & fama, † quæ in re-
3 bus parui præiudicij cenſetur concludens probatio. Butr. *in c. veniens, ſub num.*8. *verſ. ſi aliter factum eſt*, & poſt eum Abb. *ſub num.*8. *de teſtib.* Bart. *in l. de minore, §. tormenta, nu.*30. *verſ. ſi verò ita eſſet probata, de quæſtion.*

Et hæc probatio Antonij multùm etiam coadiuuabatur, ex quo ipſe egit in partibus cum Capitulo, & informationes fuerunt factę contra ipſum, nomine Epiſcopi, & Capituli, & tamen neque Epiſcopus vnquam oppoſuit, ad ſe ſpectare collationes, nec vnquam aliquis ab eo prouiſus comparuit.

4 Clericatus Antonij ſatis videbatur probari ex literis patentibus. Grammat. *deciſ.* 81. *num.*1. Et fuit pluriès reſolutum. Et quicquid dicatur, prædictæ literæ fuerunt recognitæ.

5 Valorem Canonicatus probant teſtes deponentes de publica voce, & fama, per non exceſſum. Ægid. *deciſ.*674.

6 Valor obtenti non eget iuſtificatione, quia Antonius eſt paratus illud dimittere. Rot. *dec.*20. *de probat. in nou.* Felin. *in c. ad aures, num.*10. *de reſcript.*

MON

MONTIS REGALIS Iurisdictionis.

Lunæ 9. Nouembris 1602.

SVMMARIVM.

1 *Legalitas ciuitatis atteſtantis, quem eſſe notarium probat.*

2 *Fides Commentarienſis, quòd quis fuerit carceratus probat, ſi conſtet, illum qui fidem fecit eſſe Commentarienſem.*

3 *Notario talem ſe atteſtanti creditur de ſtylo Rotæ.*

4 *Quando iura ſunt extracta ab actuariis, ſunt in forma probanti.*

5 *In extractione iurium requiritur partis citatio.*

6 *In fide facta ab Officiali publico ſucceſſore in officio, non requiritur citatio.*

7 *Libri Officialis publici non probant contra eum cum quo res geſta non fuit.*

8 *Mandatum de excarcerando tanquam actus iudicialis non requirit locum loci, inuocationem, & rogitum, pro ſui validitate.*

9 *Scriptura extracta ex archiuio inter perſonas non ſubditas, & extra territorium, non probat.*

DECISIO LXXXVIII.

Vide Decc. 26:

DOmini dixerunt, iura, ſuper quibus fundata eſt deciſio in hac cauſa facta 6. Aprilis 1601. eſſe in forma probanti. Cùm enim teſtes examinati recognouerint manum ſcribentium, qui deponunt, Iacobũ Spinã eſſe Commentarienſem,
1 & Petrum Viennam Notarium, † &
hoc etiam probat legalitas ciuita-
2 tis Montis Regalis, † vtique fides dicti Iacobi, quòd in libris Carcerum conſtet de carceratione Monachorum facta de anno 1598. eſt in forma probanti, cùm ſit de pertinentibus ad ſuum officium. Aym. qui alios allegat, *de antiquit. tempor. par. 1. §. quartò limitatur, num. 62.* Et de Cõmentarienſi in ſpecie eſt conſilium criminale Bertazzoli. 421. *num. 27. & ſeqq. vol. 2.* Quæ carceratio, de anno 1566. ſumit adminiculum, etiam ex confeſſione ipſiuſmet inquiſiti. Et pariter ſunt in forma probanti mandatum de carcerando, & excarceratio, ad ſupplicationem cuiuſdam viſitatoris, cùm fuerit extracta à
D. Petro Vienna actuario de quo 3
conſtat ex eius atteſtatione, cui de ſtylo Rotæ creditur. Put. *deciſ. 275. lib. 2.* Verall. *dec. 215. num. 1. & 266. par. 2.* †Quando enim iura ab actua- 4
riis ſunt extracta, ſunt in forma probanti. Bart. *in auth. ſi quis in aliquo, verſ. 2. oppono. ſub num. 2.* vbi Dec. *num. 15. & ſeqq. C. de eden.* Rota *dec. 1. de fid. inſtrum. in nou.*

Nec facit, quòd dicta iura fuerint extracta lite pendente, & ſine partis citatione, † quæ tamen requiritur. 5
Dec. *in d. auth. ſi quis in aliquo, num. 9. & 10. C. de eden.* Rot. *deciſ. 36. & 37. de probat. in antiq.* Verall. *dec. 177. par. 2.* quia cùm alia ſint extracta ab ipſomet actuario, ſatis ſunt in forma probanti, vt dictum eſt. †Cùm verò 6
fides facta ſit à Iacobo ipſius ſucceſſore in officio Cõmentarienſis, nulla requiritur citatio; perinde enim eſt, ac ſi fides fuiſſet facta ab ipſomet Commentarienſi, cuius tempore fuerunt factæ carcerationes, vt de notario ſubrogato dicit Dec. *in d. auth. ſi quis in aliquo, nu. 26. C. de eden.* Verall. *dec. 351. par. 2.*

Minùs etiam releuat, quòd libri 7
Officialis publici, non probant contra eum cum quo res geſta non fuit. Aym. *loco præcit. num. 71.* Imol. *conſ. 96. in fin.* Vnde, non debet probare in

præ

præiudicium exemptionis quam Monaſterium prætendit à iuriſdictione Reuerendiſſimi Archiepiſcopi, quia hîc propriè non agitur contra tertium, ſed contra Monaſteriũ, ex cuius Monachorum carceratione prætendit Reuerendiſſimus Archiepiſcopus, eſſe in poſſeſſione exercendi iuriſdictionem.

Non obſtat, quòd mandatum de excarcerãdo ad ſupplicationem Viſitatoris, careat loco loci, inuocatione, & rogitu, quia cùm ille ſit actus iudicialis, non eget iis ſolemnitatibus. Baldus, *in l. quædam, in 2. lectura, num. 1. ff. de eden. in c. quoniam contrà, num. 9. de probat.* vbi Felin. *nu. 4.*

9 Nec releuat, quòd confeſſio inquiſiti extracta ab Archiuiſta ex Archiuio, non ſit in forma probanti, cùm ſimus extra territorium, & inter perſonas, quas adhuc non conſtat eſſe ſubditas. Card. *conſ. 72. nu. 8.* Verall. *dec. 42. lib. 2.* quia principale fundamentum in hac ſcriptura non fuit factum, & ipſa non inſeruit niſi pro adminiculo.

AGRIGENTINA Sancti Angeli.

Mer. 11. Decembris 1602,

De Subreptione,

SVMMARIVM.

1 *Qui ſubreptionem allegat, illam probare tenetur.*

2 *Probatio ſubreptionis debet eſſe cõcludens.*

3 *Narratiua concepta per verbum,* vt aſſeritur, *non debet iuſtificari.*

4 *Cancellaria in breuibus vtitur verbo,* vt aſſeritur, *quando ſunt plures impetrantes.*

5 *Communitas reputatur vt vna perſona ficta.*

6 *Verba in fine poſita referuntur ad omnia narrata.*

7 *Quando tamen ſunt prolata principaliter, & non incidenter.*

8 *Qui ſe fundat in poſſeſſione, probare debet poſſeſſionem.*

9 *In impetratione Breuis facienda eſt mentio de poſſeſſione alterius.*

10 *Qui non habet intereſſe non poteſt dare de ſubreptione.*

11 *In impetratione gratiæ non eſt facienda mentio de actibus extraiudicialibus.*

12 *Lis non inducitur per citationem, neque exequutam, neque decretam.*

DECISIO LXXXIX.

DOmini dixerunt, non conſtare de ſubreptione Breuium, † quia Confraternitas quæ ſubſcriptionem allegat, illam non probat, prout tenetur, gloſſ. *in cap. ſuper literis, in verb. priori modo, de reſcript.* Pariſ. qui alios allegat. *conſ. 3. nu. 50. vol. 4.* † Et probatio debet eſſe concludens, *l. in præſentia,* vbi not. *de probat.* 1 2

Non enim ſubſiſtunt ſubreptiones, quæ contra primum Breue allegantur. Quòd enim dicitur, fuiſſe narratum, Eccleſiam eſſe de iurepatronatus iuratorum, quod tamen non probatur, non ſufficit, quia iuſtificatio iuriſpatronatus non eſt neceſſaria, † cùm narratiua ſit concepta per verbum, *(vt aſſeritur)* quo caſu impetrans ad illius iuſtificationem minimè tenetur. Caſſad. *deciſ. 4. num. 1. & 8. de probat.* Rot. *deciſ. 60. & 77. de reſcript. in antiq.* Et fuit reſolutum coram R.P.D. meo Decano, in cauſa Legionenſ. præſtimonij 14. Iunij 1595. 3

Nec facit, quòd quando ſunt 4 plu

plures impetrantes, Cancellaria tratur hoc verbo (*vt asseritur*) Paul. *in pract. Cancellar. notab. super vacat. non reseruat. vers. item nota quòd*, vt asserit, quem sequitur Rebuff. *super concord. de forma mand. Apostolici*, nec non omnia, & singula, *vers. nota tamen, fol. mihi* .....quia respondebatur, hic non esse plures oratores, quia
5 sumus in Communitate, † quæ licèt sit collectiua plurium; tamen habetur loco vnius personæ factæ. Imol. *in l. mortuo, in fin. ff. de fideiussorib.*

Minùs releuat, quòd istud verbũ (*vt asseritur*) recipiat restrictionem, & limitationem à verbo (*stantibus*
6 *præmissis, concedes, & assignes.* † Quæ verba in fine posita referuntur ad omnia narrata, *l.* 1. vbi post alios latè Iason, *num.* 4. *& seqq. C. de lib. præ-*
7 *terit.* quia secùs dicendum est, in hoc casu, quia verba illa, *de iurepatronatus, vt asseritur*, incidenter, & non principaliter fuerunt prolata. Bart. *in l. fin.* §. *Titia, ff. de liberat. legata*, Felin. *in c. causam, quæ, num.* 4. *vers. limita.* 4. *de rescript.*

Secunda subreptio, quæ deducitur, ex quo non fuit facta mentio possessionis Francisci capellani, non subsistit; quia hæc possessio
8 non probatur, † quam tamen tenerentur probare confratres, tanquam in ea se fundantes, *l. ab ea, l. veriùs, ff. de probat.* Innoc. *in c. super his, sub nu.* 10. *vers. sed argum. contra, de accusat.* Bartol. *in l. in illa, col.* 2. *num.* 5. *ff. de verb. obligat.* cum aliis per Nattam, *cons.* 199. *num.* 9. *vol.* 1. Surd. *dec.* 316. *num.* 14. Et in omnem euentum iste erat capellanus amouibilis ad nutum.

9 Tertia subreptio, quæ deducitur, ex quo non fuit facta mentio de possessione Confraternitatis, prout requiritur, *cap. cùm nostris, de conces. præbend.* tollitur, ex quo in 2. Breui hæc mentio habetur, cùm capitula fuerint inserta, in quibus adest sufficiens mentio.

Quarta subreptio, quòd breuia fuerint impetrata nomine Iuratorum, de quorum mandato non cõstat, non obstat; nam præterquàm quòd adsunt multæ coniecturæ: præsertim quia ipsi non contradicunt, & quia fuerunt facta capitula cum eorum interuentu, † Confra- 10
tres non possunt dare de hac subreptione, cùm ipsorum non interfit.

Subreptio autem, quæ deducitur respectu secundi Breuis, quòd non fuerit facta mentio litis, & appellationis à Confratribus interpositæ ad Archiepiscopum Panormitanũ, hæc Dominis visa fuit vana, quia aliqualis non adest, nec de tali appellatione constat. † Actus enim 11
qui datur, est extraiudicialis, factus per viam recursus, † nec adest ali- 12
qua citatio Carmelitarum, neque exequuta contra ipsos, sed nec etiam decreta, sine quibus non fuit inducta lis; gloss. *in Clem. 2. in verb. plenè*, & ibi DD. *vt lit. pend.*

REGIEN. PRIORATUS.

Lunæ 16. *Decembris* 1602.

EPITOME.

Capiens possessionem post inhibitionem Rotalem siue iustam, siue iniustam, etiam de manu procuratoris Cameræ, attentat.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio Rotalis, siue iusta, siue iniusta, causat attentata, & numer.* 5.

2 *Capiens poſſeſſionem de manu procuratoris Cameræ, qui nomine illius videtur poſſidere, non attentat. Contrarium verius,nu.6.*

3 *Poſt ſententiam quæ tranſitum fecit in iudicatum, non poteſt dari de attentatis.*

4 *Tertius non poteſt dare de attentatis, qui non fuit in cauſa, tempore attentatorum.*

7 *Ad inſtantiam illius qui eſt in cauſa, reuocantur attentata.*

8 *Commiſſa cauſa appellationis, & nullitatis per dictionem copulatiuam, & vtraque cauſa cenſetur æquè principaliter commiſſa.*

Decisio LXXXX.

NObiles de Tauulis petebãt reuocari attentata, quæ ex eo prætendebantur, quòd dominus Camillus cepiſſet poſſeſſionem, 7. Aprilis 1583. de manu Commiſſarij Cameræ, poſt inhibitionem Rotalem ab Illuſtriſſimo bo. me. Cardinale Lancellotto emanatam, quæ fuerat intimata D. Camillo 14. Mar-
1 tij eiuſdem anni 1583. † Quæ quidem inhibitio, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, cauſat attentata. Pur. *dec.375. lib.2.* Achill. *deciſ.29. de appell.*

Pro parte autem D. Camilli huic obiectioni tres attendebantur reſponſiones. Prima eſt, quòd cauſa fuerat commiſſa dicto Illuſtriſſimo Cardinali Lancellotto, in petitorio firmo remanente negotio exequutiuo literarum Apoſtolicarum, in forma Breuis, coram A.C. & ideò dominus Camillus, abſque vitio attentatorum, potuit capere poſſeſſionem.

Secundò dicebatur, quòd Camillus cepit poſſeſſionem de manu
2 procuratoris Cameræ, † qui videbatur poſſidere nomine ipſius Camilli. Lancellott. *de attent. c.4. in præfat. nu.443.* Et ideò capiendo talem poſſeſſionem, non attentauit, *ad trad. per eundem Lancellottum, d.c.4. limit.1. num.14.*

Tertiò reſpondetur, quòd hodie non adeſt, qui poſſit dare de attentatis. Nam aut de his volunt dare qui tunc erant in cauſa. † Et cùm 3
ipſa fuerit agitata coram R.P.D. meo Decano, & in ea pronunciatũ, ſententiaque fecerit tranſitum in iudicatum, non poteſt ampliùs dare de attentatis. Rota, *deciſ.1. de appell. in nou.* Creſcen. *dec.7. de iudic.* Cæſ. de Graſ. *deciſ. 2. de appell.* † Aut verò 4
Achilles, qui non erat in cauſa de tempore prætenſorum attentatorũ, vult dare de attẽtatis, & non poteſt, cùm ſit tertius, qui ſicut non attentat, ita nec de attentatis dare poteſt. Achill. *dec.28. de appellat.* Lancellot. *de attent. c.3. nu.152.*

His reſponſionibus pro parte dictorum nobilium de Tauulis replicabatur. Et ad primam quidem dicebatur, quòd de anno 1582. 24. Decembris, cùm Camillus obtinuiſſet, ſibi prouideri de hoc beneficio, tanquam de libero, & fuiſſet capta poſſeſſio nomine Cameræ, aliqui ex patronis, facta mentione de huiuſmodi poſſeſſione, obtinuerunt, cõmitti dictam cauſam Illuſtriſſimo D. Cardinali in petitorio, cum clauſula prædicta, ſed Dominus Camillus non cepit poſſeſſionem vigore illarum literarum; obtinuit enim nouam prouiſionem, 1. Februarij 1583. cum narratiua, quòd beneficium de quo agitur, eſſet de iure patronatus, & à medietate patronorũ 5
eſſet præſentatus, cuius vigore poſſeſſionem cepit. Quæ quidem poſſeſſio fuit attentata, tanquam poſt dictam inhibitionem capta.

Ad ſecundam replicabatur, con- 6
trarium eſſe verius, quia qui accepit

poſſeſ

possessionem de manu procuratoris Cameræ,& facit actus possessorios, attentat,vt dicit Lancell. *d.c. in præfat.num.16.& limit.1,num.23.& seqq.* Et ita attestatur fuisse resolutum in Rota, coram Iusto, & coram Quiroga.

7 Ad tertiam replicabatur, quòd Gaspar patronus, qui inter alios obtinuit,committi causam Illustrissimo Lancellotto, est in causa, ad cuius instantiam attentata debent reuocari, *cap.1.vt lit.pend.* cum vulgar.

Nec obstat,quòd sententia R.P.D. mei Decani transitum fecerit in iudicatum, & fuerit etiam lata contra 8 Gasparem; quia fuit commissa non modò causa appellationis,sed etiam nullitatis à dicta sententia, per dictionem copulatiuam; quo casu, vtraque causa censetur æquè principaliter commissa. Put.*dec.172.lib.2.* Et ideò quamuis dicatur deserta causa appellationis, tamen non debet censeri deserta causa nullitatis, super qua nunquam fuerat pronunciatum.Et,quod tollit omnem difficultatem est,quòd in hac causa ante lapsum fatalium aderat alia commissio super subreptione literarum, commissa bo.mem.Domino de Rubeis.

ROMANA RELEVAtionis indemnitatis.

Ven. 20. *Decembris* 1602.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor de indemnitate, tenetur ad damna & interesse.*

2 *Quietantia Barigelli probat contra tertium, solutionem illi fuisse factam.*

DECISIO LXXXXI.

QVantùm ad primam partem 1 dubij, Domini non dubitarunt,Lucios teneri releuare indemnem Ianum, stãte eorum clara obligatione de releuando, &c. Bald. *in l.quæro. ff. locat. & in l.2.*vbi Salicet, *C.de senten. quæ sine certa quantitate proferuntur*, Paris. *cons.*109. *num.*38. *lib.*1. Socin.iun. *cons.*78.*num.*2.*lib.*2. latè Surd. *cons.* 150. *num.* 3. *& 6. lib.*1.

In quibus autem,& ad quam summam teneantur releuare; in hoc consistit difficultas. Nam quantùm ad pecunias captas ad societatem officij, videlicèt scuta 450. in eo videtur esse difficultas, quia Ianus in ipso actu Societatis protestatus fuit, omne commodum & incommodum spectare ad Lucios, & sic non potest petere releuationẽ, cùm commodum, & incommodum spectet ad Lucios, sed solùm liberari à fideiussione.

Huiusmodi motiuum non placuit Dominis. Licèt enim, si negotium consideretur inter Ianum, & Lucios, non adsit difficultas, quin stante dicta protestatione Lucij sint principales, & omne commodum & incommodum ad ipsos spectet,si tamen negotium consideretur inter illum qui dedit pecunias, & Ianum & Lucios, nihil ad Lucios, quia Ianus non potuit illos obligare absq; mandato, & semper ille qui dedit pecunias, egit contra Ianum, tanquam principalem. Vnde ipse ob hanc causam potest petere releuationem indemnitatis à Luciis.

Et dictus Ianus debet quoque releuari indemnis pro scutis septuaginta, & Baiochis 15. quos soluit vnà cum dictis scutis 450. dominis de Varisiis, vigore mandati contra ipsum relaxati.

2 Debet quoque releuari indemnis pro ſcutis ſeptem, & Baiocchis quinquaginta, quos ſoluit Barigello, vt conſtat ex quietantia ipſius Barigelli, pro mandato exequutiuo contra ipſum relaxato ad inſtantiam dominorum de Variſiis. Item debet releuari pro ſcutis 18. & baioc. 50. ſolutis procuratori, qui pro ipſo egit coram A.C. in hac cauſa, vt ex quietantia ipſius procuratoris conſtat.

Quantum attinet ad pecunias ſolutas Bernardo de Caualleriis pro penſione vnius apothecæ: Domini dixerunt, Ianum non debere releuari, quia non probat, hanc apothecam fuiſſe conductam cauſa cuſtodiendi res depoſitas, & minùs debet releuari pro expenſis, quas ipſe aſſerit ſe feciſſe pro tranſportandis & cuſtodiendis rebus depoſitatis; de ipſis enim non conſtat, niſi ex liſta ipſius Antonij, nec aliunde iuſtificantur.

Sed quia non conſtat, Ianum paſſum fuiſſe damnum ex depoſito, ſed ex quo bona reſtituit, ideò ſtatui iterum conſulere Dominos, & tantò magis, quia Ianus ſolus informauit, & profitetur, velle tollere hoc fundamentum ex facto.

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Ven. 24. *Ianuarij* 1603.

SVMMARIVM.

Vid. Dec. 52 Dec. 122.

1 *Pro reuocandis illis quæ ſunt in facultate, v.g. Epiſcopi, non competit inferioribus actio ſpolij.*

2 *Exceptio abſorbens poſſeſſorium, priùs cognoſci debet, quàm poſſeſſorium.*

3 *Qui iure ſuo vtitur, alteri non facit iniuriam.*

DECISIO LXXXXII.

DVbitaui, an Monachis competeret actio ſpolij, ita vt clerici, qui per biennium ante motam litem iuſſu Reuerendiſſimi Archiepiſcopi ſedent in preſbyterio, redire debeant ad ſedendum in choro antiquo vnà cum Monachis. † Et 1
Domini cum præſuppoſito, quòd Monachi ſedeant in digniori loco, dixerunt, actionem prædictam non competere; ea moti ratione, quia cùm tempore Fœl. record. Pauli III. verteretur quęſtio inter Monachos, & Vicarium Archiepiſcopi, Gubernatorem, Archidiaconum, Clerumque Eccleſiæ Montis Regalis ſuper Miſſarum celebratione, ſedendi locis, pace, & thure dandis, ac proceſſionibus, ac nonnullis aliis præeminentiis, & prærogatiuis, ac ſimilibus, quæ poſteà ſigillatim declarantur, bo. me. Cardinalis Farneſius illius Eccleſiæ adminiſtrator ſuper illis quædam ordinauit, reſeruata tamen ſibi, & ſucceſſoribus ſuis facultate, illa minuendi, & in illis addendi, prout in Domino ſibi, & ſucceſſoribus ſuis viſum fuerit, quæ omnia fuerunt per eundem Paulum Summum Pontificem confirmata; † ideoque cùm talis ſit data facultas Archiepiſcopis, Monachi 2
non poſſunt agere ſpolio, donec in petitorio cognoſcatur, an Reuerendiſſimus Archiepiſcopus potuerit hoc facere. † Qui enim iure ſuo 3
vtitur, alteri non facit iniuriam, *l. factum* 198. §. *non videtur. ff. de reg. iur.*

Ex quibus dicebant Domini, ceſſare omnia adducta pro Monachis.

ROMANA PRIMOgenituræ.

Ven. 4. *Ianuarij* 1603.

EPITOME.

Administrator de facto, rei fideicommissariæ tenetur reddere rationem, ante finitum officium, & ante purificatum fideicommissum.

SVMMARIVM.

1 *Per confessionem Procuratoris, probatur administratio sui principalis.*

2 *Administrator hæreditatis tenetur reddere rationem ante purificatam fideicommissi conditionem de pecuniis quæ debebant inuestiri, & num.7.*

3 *Administrator non tenetur reddere rationem ante officium finitum, nisi constiterit de mala administratione.*

4 *Administrator de facto tenetur reddere rationem ante finitum officium.*

5 *Voluntas testatoris debet pro lege seruari.*

6 *Hæres non tenetur reddere rationem, nisi purificato fideicommisso.*

DECISIO XCIII.

1 CVm constet de administratione. D. Honufrij ex confessione procuratoris. Felin. *in c.1.num.14.vt lit. non contestat.* & res sit notoria, & de interesse domini Marcelli, qui est vocatus ad primogenituram. Ca-
2 stren. *cons.383.num.2.lib.1.* dom. Honufrius tenetur reddere rationem de pecuniis, quæ iuxta voluntatem testatoris inuestiri debebant. Ias. *in l. præses. num.3. C. de transact.* Decius, *cons.110.num.7.* Rolan. *cons.49.nu.2. lib.1.* Grat. *cons.131. num.30.lib.1.* Et hoc procedit etiam quòd de facto administrauerit. Socin. sen. *cons.2. nu.5.* Dec. *cons.49.nu.17.lib.1.*

Non obstat, quòd administrator 3
non tenetur reddere rationem ante officium finitum, nisi constiterit de mala administratione. Io. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de instrum. edit. §. nunc verò, num.45. vers. legatariis.* Io. à Canibus, *de execut. vltim. volunt. §. nouissimum, num.6.* † quia cùm de fa- 4
cto D. Honufrius administrauerit, (sunt enim dati particulares à testatore administratores) satis dicitur officium finitum, ex quo nunquam de iure incepit. Salicet. *in l. aduersus, num.1. vers. & ideo ne dicatur.* Et tanto magis, quia etiam Domini censuerunt, esse locum deputationi administratorum, iuxta voluntatem testatoris, † quæ pro lege 5
haberi debet, §. *disponat, auth. de nupt.* requisitis tamen illis, qui per testatorem dati sunt.

Minùs releuat, quòd D. Honu- 6
frius tanquam hæres non tenetur reddere rationem fideicommissario, nisi purificato fideicommisso, Castren. *in l. cùm tale, sub num. 2. ff. de condit. & administrat.* quia D. Marcellus non petit hanc rationem à D. Honufrio tanquam hærede, † sed 7
tanquam administratore, vel exequutore, quia in ea parte, quia inuestiri debebat, non potuit gerere se, nisi tanquam administrator, vel exequutor. Capra, *in tract. de exequntorib. vltim. volunt. membr.4. nu.7.* Et ideo tenetur reddere rationem, per supradicta.

INTERAMNEN.
Pecuniaria.

Lunæ 17. *Februarij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Bis ignoranter solutum, repeti potest, cùm bona fides non patiatur, quòd idem bis exigatur.*

2 *Dicens, indebitum se soluisse, debet hoc concludenter probare.*

3 *Verba generalia apta sunt comprehendere omnem causam.*

Decisio LXXXXIV.

DVbitaui, an esset recedendum à laudo per R. P. D. de Grandis lato, in quo vtraque pars absoluitur. Fundamentum Iulij Cecchoni, qui petebat ab illo recedi, in eo cõsistebat, quia de iniustitia laudi constabat ex quo bis idem soluerat, & ideò poterat repetere quod ignoranter soluerat, *l.1.& toto titulo, ff. de condict. indeb.* nec bona fides patiatur, quòd bis idem exigatur, *l. bona fides, ff. de reg. iur.* Et ad hoc probandum dicebat, quòd cùm bo.me. Ioannes Cittadinus in laudo lato 22. Augusti 1191. quietasset vtramque partem de omnibus datis, & acceptis, reseruatis tamen quibusdam, vt infrà dicitur, non potuit Ioannes Baptista Marcutius obtinere graduationem pro scutis 250. vt in summario, *nu.9.* in quibus Gabriel Cecchonus author Iulij remanebat debitor ipsius Ioannis Baptistæ, vigore cõcordiæ factæ de anno 1590. de qua in summar. *num.3.* Nec etiam pro scutis 600. & scutis 73. pro agio, occasione cuiusdam census fatioli assignati D. Gabrieli in prædicta cõcordia anni 1590. ad hoc, vt extingueret censum Vecchiarellæ. Quia licèt hoc fuisset reseruatum in laudo lato per Cittadinum, nihilominùs constat, post obitum Gabrielis, Marcum Antonium Cecchonum, fratrem & fideiussorem Gabrielis, extinxisse censum Vecchiarellæ, nec non & fructus dicti census ipsi Vecchiarellæ soluisse, iuxta concordiam anni 1590. quæ in hoc non fuit mutata per Cittadinum.

1

Vnde cùm Iulius nomine suorum authorum soluisset Io. Baptistæ Marcutio in vna manu scuta 365. 24. Martij 1596. summario, *nu.* 10. & eadem die constituisset se debitorem ipsius Marcutij, in scutis 400. quæ posteà fuerunt soluta ipsi Ioanni Baptistæ. 5. Maij 1597. vt in eius quietantia summario, *nu.12.* vtique in prædictis constat, ipsum indebitum soluisse.

His tamen non obstantibus, censuerunt, Iulium non probare concludenter, se indebitum soluisse, prout tenetur. Alex. *cons.83. lib.1.* Socin. *cons.94. num.4.* Rota Ianuen. *decis.2. num.3. & decis.5. nu.5.* Et fuit resolutum in causa Romana lignorum, 8. Martij 1602. coram R. P. D. meo Lancellotto. Nam cùm in concordia 1590. fuisset conuentum, quòd fructus census fatioli assignati Gabrieli Cecchono, vt extingueret censum Vecchiarellæ decursi, vsque ad illam diem, deberent solui per Gabrielem, Ioan. Baptistę Marcutio, & in hoc concordia non fuerit immutata per laudum bo. mem. Cittadini, vtique solutio facta ipsi Ioanni Baptistæ potuit cedere in hanc causam, & in causam scutor. 85. quæ Cittadinus declarauit in laudo debere solui eidem Ioanni Baptistæ, & ad hoc vt non dicatur indebitè solutum, sufficit, quòd solutio potuerit verificari in dictis fructibus, & scutis 85.

2

Non obstat, quòd Ioannes Baptista obtinuerit graduationem pro scutis 250. & pro censu fatioli, à quibus tamen Iulius Cecchonus erat liberatus, stante laudo Cittadini, & extinctione facta cum Vecchiarella, quia non constat ex hoc capite, ipsum exegisse pecunias, dicitur enim in solidationibus factis inter Ioannem Baptistam & Iulium, quòd inito calculo inter ipsos de omnibus

3 bus gestis, & administratis, &c. Quæ verba cùm sint generalia sunt apta comprehendere omnem causam, *l. Iulianus, de legat.* 3.

Sed res apud me non caret difficultate, quia fructus dicti census nõ possunt ascendere ad tantam summam solutam per Iulium. Erat enim huiusmodi census redditus scutorum quadraginta octo, & fuerat emptus de anno 1586. & datus Gabrieli Cecchono de anno 1590. cum onere soluendi fructus decursos ipsi Ioanni Baptistæ Marcutio. Vnde de eo tempore etiam quòd fructus nunquam fuissent soluti per Fatiolum venditorem census, non poterant excedere summam scutorum centum nonaginta duorum, quæ vnà cum aliis scutis 85. quæ Iulius tenebatur soluere ex laudo Cittadini, ascendunt ad summam scutorum 277. & tamen Iulius soluit scuta 365. in vna manu, & in alia 400.

Ex quibus statui, iterum consulere Dominos meos super præsenti dubio.

ROMANA DOMVS.

Lunæ 17. Februarij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Testis vnicus in facto proprio plus quàm semiplenè probat, & iunctis adminiculis plenè probat.*

2 *Quietantiæ probant solutionem ad effectum liquidationis, quæ est difficilis probationis, & 3.*

4 *Dominum percepisse pensionem domus, verb. gratia, probatur ex eo, quòd illam locauit, & conductor inhabitauit, & nu. 6.*

5 *Fructus ciuiles tunc solùm dicuntur percepti, quando exiguntur.*

7 L. si fundum C. de rei vendic. *procedit etiam in fructibus ciuilibus.*

8 *Vbi militat eadem ratio, idem ius statui debet.*

9 *Nullus præsumitur iactare suum.*

DECISIO XCV.

PLacuit Dominis liquidatio facta in sententia Rotali, quibusdam tamen additis, ad fauorem dominorum de Perbenedictis, quia ostenderunt nouas quietantias, & errorem. Ex depositione enim tertij testis, de qua in summario, *nu.* 7. qui deponit, pluriès se soluisse pensiones Rentio, de mandato domini sui, scilicèt quolibet anno scuta 48. Et hoc per septennium ante obitum fœl. record. Gregorij 13. Quod tempus comprehendit annum 1582. & sequentes, & currit vsque ad annum 1585. de mense Aprilis; de quo tempore obiit Pontifex. Ideò benè fuit facta liquidatio in scutis 117. facto enim calculo, tantùm percipit Rentius, & hoc quidem testis, 1
quãuis sit vnicus, nihilominùs cùm de facto proprio deponat, plusquàm semiplenè probat. Aym. *cons.* 178. & fuit pluriès resolutum. Et adiunctis adminiculis, de quibus in decisione R.P.D. mei Decani, probat concludenter. Pro pensionibus autem decursis à dicto mense Aprilis, vsque ad menses Iulij 1586. nihil fuit liquidatum, cùm non constet de aliqua receptione Rentij; à dicto autem mense Iulij 1586. vsque ad mensem Iulij 1588. Domini censuerunt, faciendam esse liquidationem in scutis 70. & baiocchis 80. † Et 2
quamuis ex quietantiis cõstet, Rentium percepisse solùm scuta 60. & baiocchos 81. vel circiter, tamen constat, Boiardum, ad cuius fauorem dictæ quietantiæ fuerunt factę, inhabitasse domũ circa finem mensis Iunij 1588. Et hoc apparet ex quadam quietantia sibi de eo tempore

pore facta per quendam artificem pro operibus in dicta domo præstitis. Vnde verisimile est, quòd soluerit pensiones, & eas perceperit Rentius. Et hoc videbatur sufficere, cùm simus in materia liquidationis, quæ est difficilis probationis.

A dicto autem mense Iulij vsque ad mensem Februarij 1593. sententia liquidat in scutis centum; quia primus testis, de quo in summar. *num.*5. deponit, inhabitasse domum per biennium, & quòd inhabitabat de tempore Gregorij 14. & soluit scuta 100. & ad hoc tempus addenda sunt alia scuta vigintiquinque, vt in summar. *num.*2.

Pro pensionibus autem Februarij 1595. vsque ad mensem Nouembris 1596. sententia liquidat in scu-
3 tis 175. †& hoc bene, quia ex quietantiis, de quibus, *num.*3. non modo constat, Rentium percepisse dictam summã, sed etiam aliquid ampliùs.

A die autem 15. Decembris 1596. vsque ad annum 1599. sententia condemnat ad rationem scutorum 48. pro quolibet anno. Sed quia fuit relictus vnus annus, fuit dictum, eum esse addendum, quia domini de Perbenedictis recuperarunt domum anno 1600. die 9. Augusti.

4 Et hanc quidem perceptionem fructuum satis videbatur probari, ex quo Rentius locauit dictam domum cuidam Fabio, dicta die 15. Decembris ad quinquennium, & constat etiam de inhibitione domus per ipsum Fabium, ex depositione secundi testis, de quo in summar. *num.*6.

Nec facit, quòd non constet de exactione pensionis à dicto Fabio, nec minùs à Boiardo, nisi pro dictis
5 scutis 60. & bonen. 81. † Et cùm versemur in fructibus ciuilibus, nempe pensionibus domorum, tunc solùm dicuntur percepti, quando exiguntur. Surd. post alios, *cons.*84. *num.*4. *vol.*1. † Quia hîc satis probatur exactio, cùm probetur, non modò domum fuisse inhabitatam, verùm etiam locatam pro certa annua responsione, ad tradita per Iacobum de Strena, *in l. si fundum, in princ.* & ibi Bald. *num.*5. *C. de rei vendicat.* † 7 quæ licèt loquatur in fructibus naturalibus; † tamen militat in hoc 8 casu eadem ratio, cùm domus fuerit locata, & inhabitata, & ideò idem ius statui debet, *ad l. illud, ff. ad legem Aquil.* † nec præsumitur quis- 9 quam iactare suum, *l. cùm de indebito, ff. de probat.*

LVCANA PAROchialis.

Ven. 21. *Februarij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum procuræ factum ab Episcopo sub nomine dignitatis, in dubio intelligitur ad acta suæ Curiæ, maximè si vigore illius procurator exerceat acta fiscalia.*

2 *Mandatum pro vna causa, non suffragatur pro alia.*

3 *Mandatum expressum facit cessare præsumptum.*

Decisio XCVI.

ALteram ex nullitatibus, quæ aliàs opponebantur, dixerunt Domini esse sublatam, ex mandato procuratoris fiscalis, quod fuit datum à moderno Episcopo. Et licèt in eo non legatur, quòd procurator fuerit constitutus ad acta ipsius Curiæ Episcopalis, † tamen cùm sit 1 facta sub nomine dignitatis, videlicèt, Alexander Episcopus, &c. Visum fuit, esse intelligendum pro actis

actis ipſius curiæ, iuxta deciſ. Ægid. 47. Eóq; ampliùs, quia vigore iſtius mandati dictus procurator exercet acta fiſcalia.

Aliam nullitatem non poſſe ſanari fuit concluſum, quia licèt fuerit productum mãdatum Vincentij præſentati in perſonam Iacobi Galli, tamen non eſt ad iſtam cauſam, ſed ad quandam cauſam peculiarem
2 ipſius Vincentij cum alia perſona, & ideò ſuffragari non poteſt. Etiam quòd habeat clauſulas generales, quia reſtringuntur reſpectu illius contra quem eſt facta conſtitutio. Vant. *de nullit. ex defectu mandati, num.* 101.

Nec releuant ea quæ dicuntur de mandato præſumpto, & deciſione in cauſa Anconitana coram bo. me.
3 Giptio, quia cùm Iacobus produxerit ab initio dictum mandatum, hoc expreſſum facit ceſſare præſumptũ, *l. fin. C. de pactis conuent. l. cùm ex filio, §. filio, ff. de vulgar.* Pariſ. *conſ.* 43. *num.* 75. *lib.* 2.

ROMANA SANCTI Thomæ in Formis.

Ven. 21. *Februarij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Iudex nulliter procedendo ſpoliat.*
2 *Reintegratio ad bona nulliter conceſſa non reuocatur in vi compulſiua, ſecùs autem in expulſiua.*
3 *Vltimum ſpolium eſt purgandum.*
4 Caſtrenſ. *in conſ.* 400. *nu.* 4. *verſ.* 3. Similiter, *lib.* 1. & Dec. *conſ.* 200. *num.* 5. declarantur.

DECISIO LXXXXVII.

FVit reſolutem, reintegrationem factam ad fauorem Capituli Sancti Petri eſſe reuocandam ex capite nullitatis exequutionis, quia in relaxatione mandati fuit citatus Paulus Giſlerius, qui non habebat mandatum. † Et clarum eſt, quòd 1
Iudex nulliter procedendo ſpoliat. Abb. *in c. conquerente, num.* 8. *de reſtit. ſpoliat.* Bald. *conſ.* 357. *lib.* 2. Caputaq. *deciſ.* 186. *par.* 3. Cæſ. de Graſ. *deciſ.* 1. *num.* 4. *de conſtit.*

Non obſtat, quòd dicitur ceſſare 2
hoc fundamentum ex quo reintegratio Capituli, ſi non fuiſſet conceſſa, eſſet de nouo concedenda. Crauett. *conſ.* 46. *num.* 7. Caput. *dec.* 175. *num.* 3. *par.* 3. quia hoc procedit in vi compulſiua, ſecùs autem in vi expulſiua, vt in ſpolio, quemadmodùm diſtinguit Put. *dec.* 183. *par.* 1. & fuit dictum coram bo. me. Oriolen. in cauſa Romana Caſalis, 12. Iunij 1573. quæ eſt Deci. *par.* 1. *dec.* 103. *num.* 1.

Minùs releuat, quòd Capitulum 3
quoque fuerat priùs ſpoliatum, quia vltimum ſpolium eſt purgandum, *l.* 3. *§. cùm igitur, l. qui poſſeſſionem, l. qui fundum, ff. de vi & vi arm. l. ſi quis ad ſe fundum, C. ad l. Iuliam de vi public.* Gabr. *conſ.* 149. *num.* 12. & 16. *vol.* 2.

Nec reſiſtit Caſtrenſis, *in conſ.* 4
400. *num.* 4. *verſ.* 3. *ſimiliter, lib.* 1. quia Caſtren. loquitur, quando primum ſpolium fuiſſet violentum, quod non eſt in caſu iſto, & Dec. *in conſ.* 200. *num.* 5. loquitur, quando primum ſpolium fuiſſet attentatum.

BONONIEN. DE Mangiolis.

Mer. 26. *Februarij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Deſcendentia contra vnum ex creditoribus, probatur ex teſtibus examinatis contra alios creditores in*

eadem cauſa, coram alio iudice, concurrentibus adminiculis.

2 *Reciproca regulariter non continet fideicommiſſariam.*

3 *Limita quando adeſt clauſula codicillaris, concepta per verba futuri temporis quæ continent tractum ſucceſſiuum, & quando ſubſtitutio eſt concepta per verbum commune.*

4 *Confeſſio facta in inſtrumentis diuiſionis effectum ſortitæ, probat, factum eſſe locum fideicommiſſo.*

5 *Confeſſio authoris nocet ſingulari ſucceſſori.*

Decisio LXXXXVIII.

QVia Comes Melchior Senior de anno 1525. in ſuo quod condidit teſtamento, per inſtitutionem factam de filiis maſculis legitimis, & eorum deſcendentibus legitimis, vocauit minores natu maſculos ex filiis fœminis, & eorum deſcendentibus maſculis, nec non deſcendentes maſculos legitimos ex Comite Octauiano filio naturali legitimo, & ex Comite Hercule nepote naturali ex Bartholomeo filio legitimo, quos etiam in certa portione inſtituit, & in eadem ſibi inuicem ſubſtituit. Ideò dubitaui, an Comes Hercules iunior, & alij filij Comitis Melchoris Iunioris, ſint de vocatis in teſtamento, in caſu & ad effectum de quo agitur, qui eſt, vt poſſint agere pro recuperatione bonorum per eorum patrem alienatorum. Et Domini reſtrinxerunt negotium ad tres difficultates, quarum prima reſpicit effectum dubij.

Prima fuit, an conſtaret de deſcendentia Comitis Melchioris Iunioris à Comite Hercule Seniore nepote teſtatoris? Et Domini dixerunt, conſtare, & vltra quòd pars vehementer in hoc non inſiſtebat, & eſt pluſquàm notorium inter DD. Bononien. probatur ea teſtibus 6.9.11.& 14.vt in ſummario, *num.6.* qui deponunt, Melchiorem fuiſſe natum ex Comite Hercule, & Gunipera de Paleottis eius vxore, ſororebo. me. Illuſtriſſimi D. Cardinalis Paleotti. Et licèt iſti teſtes fuerint examinati coram A.C. dumageretur contra dominos de Maluariis tantùm, & non contra alios creditores, contra quos coram me agitur, tamen prædictis accedit nominatio ipſius Herculis in teſtamento facto de anno 1559. vbi nominat filios legitimos, & naturales Melchiorē, Alexandrum, & Georgium, de quo in ſummario, *num.2.* Et hæc quidem deſcendentia corroboratur ex quibuſdam enunciatiuis modernis, de quibus in ſummario, *num.3.* & ſequentibus. 1

Deſcendentia verò Comitis Herculis iunioris, ex dicto Melchiore iuniore, & Domina Lauinia Calderina eius vxore, probatur ex eiſdem teſtibus, & ex teſtibus coram me examinatis ſuper paupertate Comitis Herculis, & fratrum.

Secunda difficultas fuit, in qua parte teſtamenti ſint vocati. Et DD. dixerunt, quoàd bona relicta filiis legitimis, quòd fuerunt apertis verbis in defectum filiorum legitimorum, & eorum deſcendentium legitimorum vocati, vt ſuperiùs dictum fuit.

Quo verò ad bona relicta Octauiano, Domini dixerunt, eſſe vocatos ex reciproco fideicommiſſo facto inter deſcendentes Octauiani, & Herculis. Licèt enim reciproca regulariter non contineat fideicommiſſariam, *l.iam hoc iure*, & ibi DD. *de vulgar. & pupillar.* Alex. poſt Bart. *in leg. Lucius Titius, num.13. & 19.* Iaſon. 2

Iaſon. *num.* 29. vbi Ripa, *num.* 41. teſtatur de communi, *eodem tit.* Tamen
3 hæc regula fallit, quãdo adeſt clauſula codicillaris concepta per verba futuri temporis, Ripa, *dicto loco, num.* 45. latè Surd. qui alios cumulat, *conſ.* 232. *num.* 16. vbi ſubdit, hoc magis procedere, quando ſubſtitutio eſt concepta per verbum commune, *l. cohæredi. §. cùm filiæ. ff. de vulgar.* not. *in l. centurio, ff. eodem*, Surd. *loc. cit. num.* 15. eóque magis, quia verba cõtinent tractum ſucceſſiuũ, ex quo ſunt vocati deſcendentes. Socin. iun. *conſ.* 136. *num.* 18. *& ſeqq. lib.* 3. & tenuit Rota coram Reuerendiſſimo Domino meo Patriarcha Alexandrino, in cauſa Vibenetana Caſtri Sepij. 15. Iunij 1579. Quo caſu reciproca continet fideicommiſſariam. Pariſ. *conſ.* 41. *num.* 37. *lib.* 2. Cur. iun. *conſ.* 48. *num.* 4. Socin. *d. conſ.* 136. *num.* 3. *&* 28.

Tertia difficultas eſt, an poſſint agere. Et hæc difficultas conſiſtit in eo, an ſit factus locus fideicommiſſo. Et pariter affirmatiuè fuit concluſum. Et quicquid ſit circa bona relicta Octauiano, quia eſſe factum locum fideicommiſſo deponunt ſolùm teſtes examinati coram A. C, quoàd bona relicta filiis legitimis, † hoc probatur ex confeſſione, & ex communicationibus factis inter ipſos diuidentes, in inſtrumentis diuiſionis bonorum fideicommiſſi, factis inter vocatos ex iſta ſubſtitutione, ob mortem filiorum teſtatoris. Iaſ. *in l. cùm aliquis, num.* 4. *C. de iure delib.* Quæ diuiſiones for-
4 titæ fuerunt effectum, † & nocent creditoribus ſingularibus ſucceſſoribus, tanquam à ſuis auctoribus. Aym. *conſ* 29. *num.* 1. *& de antiq. temp. par.* 1. *§. ampliatur, num.* 12. Et de confeſſione facta in diuiſione Ruin. *conſ.* 40. *num.* 4. *&* 5. *vol.* 4. Gabr. *de conſeſ. concluſ.* 1. *in fin.* & tenuit Rota in cauſa Fauentina bonorũ de Nicolutiis. 15. Ianuarij, 1582. coram Reuerendiſſimo Domino meo Patriarcha Alexandrino. Et hoc idem probant teſtes in ſummario, *nu.* 6.

Non obſtat, quòd inſtrumentum teſtamenti non ſit in forma probante, nec formiter leuatum; quia cõtrarium fuit reſolutum de hocmet inſtrumẽto coram Reuerendiſſimo D. meo Pacen.

TOLETANA DECIMARUM.

Ven. 28. *Februarij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio non datur niſi poſſidenti.*

2 *Teſtis deponens, quem exegiſſe decimas prædij ex omnibus fructibus, intelligitur de fructibus, quos arrendatarij percipiunt ſi prædia ſunt arrendata.*

3 *Teſtes in ſpecie deponentes, alios declarant.*

4 *Exceptio reſpiciens petitorium, non cognoſcitur in ſummariiſſimo poſſeſſorio, in quo ſimplex poſſeſſio, & nuda facti detentatio attenditur.*

DECISIO XCIX.

DVbitaui, an Prior, & Fratres Conuentus Sancti Marci eſſent manutenendi in quaſi poſſeſſione percipiendi decimas, in caſu de quo agitur, qui erat, vt moniales Sanctæ Fidei tenerentur ſoluere decimas de paſcuis, quæ propriis gregibus depaſcebant: & DD. negatiuè reſoluerunt, † quia manutentio 1
non datur niſi poſſidenti, Fab. *in §. retinendæ, num.* 16. *Inſtit. de interd.* Nec releuat poſſeſſio, dum prata

arrendantur, Caputaq. *decis.* 244. *li.* 1. Et hanc possessionem quando propriis animalibus pascuntur prata, non probat Prior, imò Moniales ex pluribus testibus, de quibus in summario, *num.* 4. probant non solutionem.

2 Nec obstant testes deponentes, Priorem exigere decimam omnium fructuum, quia debent retringi, & declarari ad fructus quos arrendatarij percipiunt, vt censuit Rota in causa Sabinen. decimarum, 12. & 26. Iunij 1598. coram bo. me. Giprio, † quia testes in specie deponentes, alios declarant. Cæs. de Grass. *decis.* 8. *num.* 10. *de testib.* His accedat confessio administratoris Prioratus, de qua deponit tertius testis in summario monialium, *num.* 3. & 10. in eodem summario, *num.* 3. & omnes testes Prioris fatentur, quòd postquàm moniales emerunt greges, de pascuis non soluerunt.

4 Non obstat quòd decimatio sit realis, & propterea intelligi debet de omnibus fructibus, quia hoc respicit petitorium. In summarissimo autem possessorio, sola simplex possessio, & nuda facti detentatio attenditur. Couar. *pract. quæst. cap.* 17. *sub num.* 5.

Nec facit, quòd non probetur quasi possessio monialium non soluendi, cùm non appareat, quòd Prior petierit, quia sufficit in hoc casu, quòd Prior non doceat de possessione in pascuis non arrendatis.

Quæ dicuntur de subrogatione visa fuerunt Dominis non applicari ad articulum summarissimi possessorij.

BONONIEN. CENSVS.

Mercurij 5. Martij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussorem de euictione ante sequutam euictionem non tenetur principalis liberare.*

2 *Fideiussor qui diu stetit in obligatione debet liberari, præsertim stantibus molestiis, tempus autem arbitrio iudicis relinquitur.*

3 *Notorium probari non debet.*

DECISIO C.

DVplex est obligatio Gnetti ad fauorem dominorum de Buratiis, videlicèt de euictione fundi, & de solutione fructuum census. Quantùm ad primum, Domini dixerunt, Balzanum ad cuius instantiam Gnettus fideiussit, † non tene- 1
ri ipsum liberare à fideiussione, quia ante sequutam euictionem non potest dici Gnettus in obligatione stetisse. Bald. *in l. facere, num.* 2. Bar. *nu.* 3. Alex. *nu.* 1. *& 2. ff. solut. matrim.* Salyc. qui de communi, *in l. si pro ea, nu.* 5. *C. mandat.* Aret. *in §. si quid autem, num.* 3. *instit. de fideiuss.* Imol. *in l. fin. num.* 1. *& 8. de fideiuss.* Afflict. *dec.* 241. *num.* 4. vbi Vrsill. *num.* 4. Surd. *cons.* 367. *num.* 19. *lib.* 3. Gaill. *pract. obser. lib.* 2. *obser.* 29.

Quantùm ad secundum, Domini 2
dixerunt, Balsanum teneri liberare Gnettum, cùm diu steterit in obligatione, quod tempus arbitrio iudicis relinquitur. Gloss. *in l. Lucius, in verb. condemnetur, ff. mandat.* Aret. *in d. §. si quid autem, num.* 3. Socin. *reg.* 148. *fall.* 3. Afflict. *dec.* 241. *nu.* 3 *vers.* 2. *si diu steterit*, Menoch. *de arbitr. cas.* 41. *lib.* 2. præsertim stantibus molestiis passis per Gnettum, vt in causa Romana, seu Bononien. census, 7. Maij, 1601. coram Reuerendissimo D. meo Pacen. nuper nostri Ordinis insigni auditore.

Nec facit, quòd obligatio Gnetti 3
est

est conditionalis, in euentum quo certa ratio bancharia desisteret, de quo non fuit doctum, quia notorium, & plusquàm clarum est, pluribus abhinc annis, illam rationem cessasse. Et ideò fuit purificata obligatio Gnetti.

PATAVINA DECIMETTÆ.

Lunæ 10. Martij 1603.

EPITOME.

Exemplatio in causa spirituali, vel inter personas Ecclesiasticas facta de mandato Iudicis laici, est nulla, nec ex diuturnitate temporis præsumitur solemniter facta.

SVMMARIVM.

1 *Causa decimarum est spiritualis.*
2 *Exemplatio instrumenti in re spirituali, & inter personas Ecclesiasticas facta de mandato iudicis laici, est nulla.*
3 *Iudex laicus nullam habet iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, & nu. 5. & 6.*
4 *In exemplatione requiritur citatio interesse habentis, & si persona sit incerta, facienda est citatio per edictum.*
5 *Parochus non potest citari coram laico.*
7 *Ex antiquitate temporis non præsumitur, vel inducitur solemnitas, quæ, si in principio actus fuisset adhibita, malè fuisset adhibita.*
8 *Exemplatio fieri debet iuxta formam,* c. fin. de fid. instrum.
9 *Instrumentum rasum, & superlineatum diuerso atramento, in loco suspecto, est suspectum, & non facit fidem.*
10 *Apostilla posita in margine, non probat, nisi de illa faciat mentionem notarius in subscriptione.*
11 *Liber priuatus non probat.*
12 *Indictio falsa quæ cum anno non concordat, reddit instrumentum suspectum.*

DECISIO CI.

DOmini censuerunt, exemplum instrumenti donationis noualium villæ Baonis, exemplatum de anno 1307. de ordine, & authoritate iudicis laici, non esse in forma probanti. Cùm enim personæ essent Ecclesiasticæ, & ageretur de re spirituali,† videlicèt de decimis, *c. parochianos, cum seq. de decim.* Rebuff. *de decimis, quæst. 10. num. 2. & 35.* † 1 2 exemplatio non potuit validè fieri de mandato, & auctoritate iudicis laici, sed de mandato, & auctoritate Ecclesiastici fieri debebat, *c. fin. de fid. instrum.* vbi DD. Io. Andr. *num. 7.* Abb. *num. 9.* Felin. *nu. 3. & 4.*

Nec placuit Dominis, quòd huiusmodi exemplatio sit res merè prophana, quia habemus dictum, tex. clarum, & DD. dicentes, quòd exemplario de re spirituali, vel Ecclesiastica, debeat fieri auctoritate iudicis Ecclesiastici, & de mandato ipsius, ea ratione, quia consonum est, vt ille iudex adeatur, coram quo quæstio principalis moueri potest.

Nec facit Rebuff. *de decim. q. 10. num. 3 & 4.* quia *supra, num. 2.* firmat, causam decimarum spectare ad Ecclesiasticos, & dum *num. seq.* subdit, quòd quando agitur de facto decimarum puta de furto, causa posset cognosci coram laico, non propterea dicit, quòd causa decimarum debeat cognosci coram laico, & cessat in præsenti casu omnis difficultas, quia tam Monachi Carcerum,

quàm Rector Sancti Fidentij, de cuius præiudicio agebatur, cùm decimæ monialium Baonis existerent infra limites suæ Parochiæ, erant
3 personæ Ecclesiasticæ, † inter quas nullam iurisdictionem habet iudex laicus, vt infrà dicetur.

Nec Ripa, *in c. 2. num. 13. & 17.* nec minùs Decius, *num. 217. de iudic.* officiunt, quia quicquid sit de veritate illius quæstionis, non tangunt præsentem.

Et ex hac quidem exemplatione coram laico alius resultat defectus,
4 † quia cùm in exemplatione requiratur citatio interesse habẽtis, Bart. *in auth. si quis in aliquo, in 3. oppos. sub num. 4.* & ibi Dec. *num. 9. C. de eden.* & si persona incerta sit, facienda est citatio generalis per edictum, siue proclama, Bald. *in auth. si quis in aliquo, num. 18.* & ibi Decius, *num. 10.*
5 Alex. *cons. 112. num. 1. vol. 4.* † At in casu isto Rector sancti Fidentij, de cuius interesse agebatur, non poterat citari, nec cõueniri coram laico.
6 † Multa enim Concilia ab Ecclesia approbata, & perpetuo vsu recepta, prohibent clericis conclericos tra here ad iudicia sæcularia. Coucil. Carthaginen. tertium, *cap. 9.* Conc. Toletanum tertium, *cap. 11.* vbi talis ausus vocatur indisciplinatio, & disciplinæ insolitæ præsumptio, Concilium Calcedonen. *cap. 9.* quę refert Gratian. *in c. insolita, & c. placuit, & c. si clericus, 11. q. 1.* Extant præterea in candẽ sententiã summorũ Pontificũ decreta, *in c. nemo, in c. 51. clericũ, in c. si quis, in c. Christianis, c. nullus clericũ, in c. peruenit, & in c. fratris, & in c. Sacerdotibus, 11. quæst. 1.* Quibus per omnia consentiunt recentiorum summorum Pontificum sanctiones, Innocentij III. *in c. qualiter, & quando, de iudic.* Honorij III. *in c. nouit, & in c. grauem, de sent. excom.* Quibus duobus postremis decretis incurrunt in sententiam excõmunicationis omnes iudices violantes Ecclesiasticam libertatem, & iuxta tenorem suorum statutorum, & consuetudinum introductarum clericos iudicare præsumentes.

Nec potest defectus huius citationis sanari ex antiquitate, cùm ex actu ipso constet, quatenus solemnitas fuisset adhibita, quòd malè fuisset adhibita. Castren. *cons. 81. nu. 3. vers. & si dicat, lib. 2.* Alex. *cons. 1. num. 21. lib. 4.* Felin. *in c. sicut, num. 33. de re iudic.* Gabr. *de præsumpt. concluſ. 1. nu. 54. in 4. limitat.* 7

Et mouit etiam Dominos, quòd alia iura exemplata septem annos post istam exemplationem, quæ sub die 20. Nouembris præteriti Rota censuit esse in forma probanti, fuerunt optimè exemplata coram iudice Ecclesiastico, † seruata forma, 8
c. fin. de fid. instrum. & durum videbatur, quòd in oculis Episcopi iudex laicus authoritatem suam interponeret, pro exemplatione instrumenti rem spiritualem continentis.

Ex alio etiã capite Domini censuerunt, huiusmodi instrumentum, non esse in forma probanti, † ex 9
rasura, scilicèt, & superlineatura diuerso atramento confecta in loco suspecto, nempe in anno. Legitur enim *milleſimo centeſimo octuageſimo*, & postea sequitur quædam rasura, superlineata diuerso atramento ità vt cognosci minimè possit, quid denotet. Quare huiusmodi instrumentum redditur suspectum, & fidem non facit, *c. cùm venerabilis, de relig. domib.* vbi Abb. *nu. 6. &* 8. cum gloss. Io. Andr. *in addit. ad Speculat. §. ostenso, ante nu. 16. de instrum. edit.* Verall. *dec. 3. nu. 12. &* 14. *lib. 2.*

Nec releuat, quòd in margine dicti instrumenti, adsit scriptus annus

annus ſcilicèt 1589. quia ex diuerſitate atramenti conſtat, non fuiſſe ſcriptum de tempore exemplationis inſtrumenti. Vltra quòd, notarius de hoc feciſſet mentionem in ſub-
10 ſcriptione ſua; † ſine qua numerus in margine ſcriptus nihil operatur. Caſtren. *in l. ſi vnus*, vbi Iaſ. *num.* 9. *verſ. dicit etiam Bart. C. de teſtam.* Abb. *in d. cap. cùm venerabilis, nu.* 8. Verall. *d. dec.* 3. *num.* 12.

Minùs releuat, quòd in lib. priuilegiorũ Congregationis Camaldulen. impreſſo per plures annos ante hãc litem, adſit huiuſmodi inſtrumentum cum anno 1189. quia non propterea tollitur ſuperlineatura, &
11 raſura. † Et huiuſmodi liber tanquam ſcriptura priuata, & confecta à Monacho eiuſdem Ordinis, non prodeſt, *l. inſtrumenta, l. rationes, l. exemplo, C. de prob.*

Nec tandem mouit, quòd dictus annus 1189. concordat cum indictione ſeptima, quæ in inſtrnmento ponitur, quia ex hoc inſtrumento non poteſt ſaluari, imò redarguitur, quòd ex eo raſura, & ſuperlineatura potuit fieri, quia fortè indictio cum anno non concordabat. Clarum enim eſt, quòd indictio falſa,
12 ſcilicèt † quæ cum anno non concordat, reddit inſtrumentum ſuſpectum. Io. And. *in reg. datũ Romæ, nu.* 7. *& ſeq. de reg. iur. lib.* 6. Franc. *ibidem, num.* 6. *in fin.* Abb. poſt gloſſ. *in c. inter dilectos, num.* 13. *de fid. inſtrum.* vbi Felin. *num.* 9. Butr. *num.* 20.

Quia tamen ex obſeruãtia, etiam ſcripturæ in formi fides ſolet adhiberi, Domini mandarunt, quòd particulariter viderem, an inſtrumentum huiuſmodi habeat obſeruantiam.

ROMANA AFFICTVS Bucceæ.

Ven. 14. *Martij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Prima obligatio per nouationem extinguitur, & per ſecundum pactum videtur à primo receſſum.*

2 *Ex obſeruantia cum ſcientia & patientia, declaratur actus antecedens.*

3 *Qui tenetur ad aliquid faciendum, ſemel illud facere tenetur; licèt factum non duret, & ad hoc vt teneatur ad damna, illi debet intimari.*

4 *Nouatio non præſumitur in præiudicium nouantis.*

5 *Mora breuis temporis de iure canonico purgari poteſt, quando ius partis non eſt effectum deterius.*

Decisio CII.

DVbitaui, an Capitulo obſtaret 1
exceptio non adimplementi, ita vt Dominus Franciſcus non poſſet cogi exequutiuè ad ſolutionem terminorum affictus Caſalis. Et Domini cenſuerunt, Capitulo non obſtare, & dominum Franciſcum poſſe cogi. Quamuis enim parata non fuerit confecta iuxta formam inſtrumenti; nihilominùs ſecundus teſtis, & quintus in ſummario Capituli, *num.* 1. qui ſunt conteſtes, deponunt de noua cõuentione. Scilicèt, dominum Franciſcum ad interrogationem iſtorum dixiſſe, quòd parata ad ſui libitum conficeretur, etiam ex tela araneorum, dummodò ipſe poſſet inaquare. Vnde hæc nouatio extinxit primam obligationem factam inſtrumento, & transfudit in iſtam, *l.* 1. *ff. de nouat.* Quotieſcumque enim ſecundum pactum eſt di

eſt diuerſum à primo, inducitur nouatio, per quam à primo videtur receſſum. Bald. *in l. pacta nouiſſima, num.* 12. *C. de pact.* Crauett. *conſ.* 167. *num.* 9. Et quamuis ſecundus teſtis ſit beneficiatus Sancti Petri, tamen eius dictum coadiuuatur ex dicto primi teſtis, qui licèt etiam ſit beneficiatus, negari tamen non poteſt, quin faciat aliquod adminiculum & adeſt etiam dictum tertij teſtis in eodem ſummario Capituli, *nu.* 1.

2 † Et ceſſat difficultas ex effectuatione, & ſcientia, & patientia, atque vſu abſque querela, & proteſtatione. Ex quibus cenſetur approbaſſe, *l. item quæritur. §. exercitu. ff. locat.* Aym. *conſ.* 151. *nu.* 22. *& ſeqq.* Berou. *conſ.* 141. *num.* 14. *vol.* 1.

Non facit, quòd cõſenſus D. Franciſci fuerit limitatus, modò ipſe poſſet inaquare, quia quòd potuiſſet inaquare, prout priùs, & abundantiùs, deponunt teſtes, in ſummario Capituli, *num.* 3. & 7.

Nec obſtat, quòd teſtes in ſummario Domini Franciſci, *num.* 2. deponunt, quòd ipſe non potuerit inaquare, quia hoc dicunt, poſtquàm parata fuit dirupta. Et quamuis non ſufficiat feciſſe, niſi factum permaneat, *l. pro parte, §. verſum, ff. de in rem verſo*, tamen non propterea D. Franciſcus poteſt agere ex non adimplemento,

3 † quia ſufficit, ſemel adimpletum, licèt impletum non duret, *l. ſi quis hæredem. C. de inſtit. & ſubſtit. l. in ſubſtitutione, ff. de vulg. & pupill.* Surd. *conſ.* 36. *num.* 27. *l.* 1. Promittens enim reaptare, ſatisfacit ſemel reaptando. Bald. *in l. licet, num.* 9. *C. locati.* Felin. *in c.* 2. *col.* 3. *verſ. promittens reaptare, num.* 5. *de treu. & pace.* Iaſ. *in l. diuortio, §. in anno, num.* 22. *ff. ſolut. matrim.* Alex. *conſ.* 16. *nu.* 8. *lib.* 4. Decius, *conſ.* 512. *num.* 9. Vltra quòd, vt conſtat ex teſtibus in ſummario Capituli, *num.* 11. deponunt de fractura paratæ culpa miniſtrorum D. Franciſci, qui ducebant animalia ad bibendum ſuper parata, non obſtante, quòd pluriès fuerint admoniti, vt deponunt teſtes, ſummario, *num.* 12. & quod peius eſt, hoc idem fuit permiſſum per Dominum Franciſcum de alienis animalibus, vt deponunt teſtes, ſummario Capituli, *num.* 13. Et tandem, licèt per curſum aquæ parata in aliqua parte fuiſſet læſa, & Capitulum fuiſſet obligatum reficere, nihilominùs Dominus Franciſcus debebat intimare, & poſteà proteſtari. Corn. *conſ.* 102. *in fin. lib.* 3. Et ideò ſi damnum D. Franciſcus culpa ſua paſſus fuit, ſibi, & non alteri debet imputare, *l. damnum de reg. iur. in* 6.

Nec facit, quòd parata fuerit promiſſa per totum menſem Aprilis, & circa hoc tempus nulla oſtenditur nouatio, † quæ non præſumitur in 4
præiudicium nouantis. Dec. *conſ.* 97. *nu.* 5. & tenuit Rota coram Sanctiſſimo in cauſa Romana pretij domus de Palellis 13. Ianuarij 1578. vt ex teſtibus in ſummario D. Franciſci, *num.* 2. conſtat, paratam non fuiſſe confectam infra dictum tempus.

Nam reſponſum fuit, quòd Ca- 5
pitulum de iure Canonico potuit purgare moram, *c. potuit, de locato, c. in tua, de pœn.* Et licèt hæc regula non procedat quando ius partis eſt effectum deterius, *l. & ſi poſt trẽs ff. ſi quis cautionibus*, Alex. *in l. ſi inſulſam, num.* 10. *de verb. oblig.* Gabr. *de tranſact. concluſ.* 1. *num.* 14. Tamen in caſu iſto teſtes in ſummario Capituli, *num.* 4. deponunt, quòd circa finem menſis Maij, & in principio Iunij, D. Franciſcus potuit inaquare, & teſtes in ſummario, *num.* 5. deponunt, quòd fœna erant adhuc in pratis de menſe Iunij, ita vt non eſſet effectum

ius

ius D. Franciſci deterius,† cùm etiã de illo tempore non potuiſſet inaquare, obſtante quòd fœna adhuc erunt ſuper pratis, de quo tempore non ſolent inaquari, vt deponunt primus teſtis, & tertius iuxta 64. Et quòd de menſe Iulij, & initio menſis prata poſſent inaquari, deponunt ipſimet teſtes Domini Franciſci, ſummario, *num.* 2.

Nec facit, quòd dicti teſtes deponant, quòd prata conficiebantur de menſe Auguſti, quia hoc prouenit ex eo, quòd fuerat derupta, & reficiebatur.

REGIEN. PRIORATUS.

Ven. 11. *Aprilis* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio capta poſt inhibitionem Rotalem, non eſt attentata, ſi cauſa fuit commiſſa tantùm in petitorio.*

2 *Poſſeſſio capta lite pendente, eſt attentata, quando hoc fit in ſpretum iudicis, vel partis.*

DECISIO CIII.

1 QVamuis poſſeſſio Camilli fuerit capta poſt inhibitionẽ Rotalem, nihilominùs non fuit attentata, quia in Rota fuerat commiſſa tantummodò cauſa in petitorio, firmo remanente iudicio exequutiuo literarum Apoſtolicarum coram A. C.

Nec facit, quòd Camillus non cepit poſſeſſionem vigore iſtarum literarum, ſed nouæ prouiſionis, quia cùm commiſſio Rotalis fuerit in petitorio tantùm, nihil fuit attentatum circa ipſum, & ſic capiendo poſſeſſionem, nec ius, nec iudicem, quoàd petitorium, offendit. Rota, *deciſ.* 10. *nu.* 2. *verſ credo prædictum ſpoliatum, de cauſ. poſſ. & propr.* Lancell. *de attent. lit. pend. par.* 2. *cap.* 4. *nu.* 10.

Minùs releuat, quòd huiuſmodi 2
poſſeſſio fuit capta lite pendente, *toto tit. vt lit. pend.* quia hoc procedit, quando aliquid fit in ſpretum iudicis, vel partis, quorum vtrumque ceſſat in caſu iſto, ex ſupradictis. Ita Innoc. *in rubr. vt lit. pend. verſ. imò plus dicimus, & in c. ex parte, 2. nu. 2. de reſcript.* Rota, *dicto loco, verſ. & ſic non obſtat.*

VITERBIEN. Fideicommiſſi.

Ven. 18. *Aprilis* 1603.

EPITOME.

Alienatio fideicommiſſi fieri non poteſt ex cauſa paupertatis, in quam ſua culpa quis incidit, poteſt tamen illi ſuccurri per modum eleemoſinæ arbitrio ſuperioris.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio in integrum ad retardandam exequutionem non conceditur, quando de bono iure non conſtat.*

2 *Voluntas teſtatoris pro lege ſeruari debet.*

3 *Neceſſitas naturalis, quæ eſt illa quæ cauſatur à natura præſtat iuſtam cauſam alienandi.*

4 *Etiam quòd reſtitutio eſſet facienda ex pia cauſa.*

5 *Dictum vnius, dictum nullius.*

6 *Fundamentũ intentionis ſuæ vnuſquiſque probare tenetur, & num.* 14.

7 *Bona fideicommiſſo ſubiecta non poteſt quis alienare propter paupertatem, in quam incidit ſua culpa.*

7 *Secùs ſi facto ſui authoris, nu.9.*
10.*item ſecùs ex coniecturata mente teſtatoris.*

8 *Poteſt tamen illi ſuccurri ex dictis bonis per modum eleemoſynæ arbitrio ſuperioris.*

11 *Non probatur, hoc eſſe, quòd ab hoc contingit abeſſe.*

12 *Bald.* in l.26. lib.2. *declaratur.*

13 *Alienatio in dubio non præſumitur doloſa, vel fraudulenta.*

15 *Probatio dubia non releuat.*

16 *Bona fideicommiſſi alienata, in legitimam imputantur.*

17 *Pro meliramentis datur retentio rei fideicommiſſariæ.*

18 *Hæres non poteſt venire contra factum defuncti.*

19 *Vnica enunciatiua moderna nihil operatur.*

Decisio CIIII.

DOmini dixerunt, non conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum, propter quas exequutio ſententiæ Rotalis veniat retardanda, quia Ricomani non docent de eorum bono iure. Rota, *deciſ.1.de reſtit. in integ. in num.* Et ideò non eſt locus reſtitutioni, quæ fuit limitata per clauſulam, *prout iuris*, ex qua videtur data forma, quæ obſeruari debet ad trad. per Bart. *in l. diem proferre, §.ſtari, num.3. ff. de recept. arbitr.* Dec. *conſ.436.num.4.*

Nec viſum fuit Dominis, conſtare de bono iure dictorum de Ricomanis, ex quo Pacificus eorum auctor habebat licentiam à teſtatore alienandi ex cauſa neceſſaria, & vrgenti, & voluntas teſtatoris totum facit, *l. ex facto ff. de hæred. inſtit.*, & pro 2 lege haberi debet, *§. diſponat, auth. de nupt.* Et etiam quando teſtator hoc non dixiſſet, cenſebatur tamen id permiſſum ex præſumpta mente ipſius teſtatoris, ſtante neceſſitate ipſius Pacifici, quæ & ſi non erat fatalis, de qua latè per Menoch. *de arbitr. iud. caſu 187. num.24.* erat tamen naturalis, ſcilicèt, infirmitatis ipſius Pacifici, & cauſa alendi liberos, cùm eſſet granatus numero octo fi- 3 liorum. Quæ quidem neceſſitas, naturalis dicitur, cùm cauſetur à natura ipſa. Menoch. poſt alios, *præcit. loco, num.25.* Et hæc neceſſitas naturalis præſtat iuſtam cauſam alienandi, præſertim cauſa alimentorũ, vt per Menoch. *d. loco, nu.25. & ſeqq. & de præſumpt. lib.4. præſumpt.192. nu.1.* poſt Bart. *in auth. res quæ, num. 9. C. commun. de legat. & fideicom.* vbi Caſtren. *num.13.* Iaſ. *num.31.* Curt. qui de communi, *nu.30.* Socin. *in l. Marcellus, §. res quæ, nu.3. ff. ad Trebell.* cum aliis ibi per eum; & plenè Surd. *de aliment. tit.8. priuileg.19. num.1. & per totum.* † Et prædicta procedere 4 etiam quòd reſtitutio eſſet facienda ex pia cauſa voluit Roman. *conſ.267. cum concord.* ibi per Mandoſ. qui de comm. Reſpondètur enim, quòd huiuſmodi neceſſitas naturalis hic non interuenit, quia infirmitas non probatur ex teſtibus, qui dantur, *num.3.* Non enim deponunt de infirmitate diutina, ſed quòd aliquando fuit infirmus, & dum ſecundus teſtis ſuper tertio dicit, quòd habebat vnam ex auribus falſam, & alteram manum impeditam, non propterea probatur, quòd propter huiuſmodi infirmitatem coactus fuiſſet facere maximas impenſas. Vltra quòd teſtis iſte eſt vnicus: & ſuccedit concluſio, † quòd dictum vnius, 5 dictum nullius, *l. iurisiurandi, C. de teſtib.*

Et quamuis dicti teſtes deponãt, Pacificum habuiſſe filios octo, & cum ſuis redditibus non potuiſſe viuere: tamen iſti teſtes confunduntur ex dictis aliorum teſtium, datis

datis pro parte fratrum de Diuitia, qui deponunt, Pacificum culpa ſua incidiſſe in paupertatem, quia bona ſua conſumpſit ludendo, vt deponit primus teſtis concludenter, ſecundus de auditu, & tertius deponit, Pacificum potuiſſe familiam ſuã gubernare, & conſeruare, quia fuit hæres patris. Ex quibus depoſitionibus, vel confunduntur dicta teſtium Ricomani, & ſic ipſe non probat concludenter, Pacificum alie-
6 naſſe bona ex cauſa neceſſitatis, † quod vtique tenetur probare, cùm ſit fundamentum intentionis ſuæ. Innoc. *in c. ſuper his, num.* 10. *verſ. ſed argum. conſ. de accuſat.* Bart. *in l. in illa, num.* 5. *ff. de verb. oblig.* cum aliis per Natt. *conſ.* 199. *num.* 9. *vol.* 1. Surd. *dec.* 316. *num.* 14. Vel iſti teſtes probant, culpa ſua Pacificum incidiſſe in paupertatem, ludendo, quare non
7 potuit alienare, † quia hæc neceſſitas, nec iuſta, nec excuſabilis eſt. Menoch. *d. caſ.* 182. *num.* 37. Et quamuis non verſemur in culpa ad actum paupertatis, & neceſſitatis præmeditata, & ordinata, quo caſu res de plano tranſiret, vt per Menoch. *d. loco, num.* 39. ſed in caſu, quo culpa non fuit ad caſum ordinata, nec præmeditata, vt in ſimilibus terminis exemplificat Menoch. *d. loco, nu.* 41. de eo qui multa alea, & luxu profudit, credens, alia ſibi ſupereſſe debere. Tamen ex tali facto proueniens neceſſitas non præbet iuſtam cauſam, vt bona alioqui inalienabilia, liberè, & abſolutè alienari poſ-
8 ſint, † ſed ſolùm per modum eleemoſynæ ſuccurri poſſit, Dec. *in cap. quæ in Eccleſiarum, nu.* 3. *verſ. tertius, & vltimus caſus, de conſtit.* Couar. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 9. *verſ. contrarium.* Menoch. *d. loco, num.* 42. *& nu.* 44. *cum ſeq.* vbi ſubdit, quòd talis non poterit hoc prætextu bona inalienabilia alienare, ſed à ſuperiore petere, vt de his ſibi ſuccurratur, & is ſuperior ſuo arbitrio iudicabit, an de his potiùs, quàm de aliis facienda ſit ei eleemoſyna. Et licèt ſubdat Menoch. ibidem, dubiam eſſe Doctorum opinionem, tamen *d. nu.* 45. *in fine*, dicit hanc eſſe veram ſententiam, *& num.* 51. appellat hanc ſententiam communem.

Licèt autem Menoch. *præcitato loco, nu.* 62. *&* 64. declaret, huiuſmodi ſententiam dupliciter; primò non habere locum in hæreditate illius qui malè ſubſtantiam conſumpſit. Nam ſi is ex facto ſui prædeceſſoris in neceſſitatem incidit, poteſt inalienabilia alienare, vt huic ſuæ neceſſitati, in quã ſine ſua culpa incidit, ſubueniat. Couar. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 16. *verſ. fateor*, tamen quicquid ſit de hac declaratione, de qua etiã videtur dubitare Menoch. *d. loco*, nos non verſamur in his terminis, † Secundò declarat non ha- 10
bere locum, quando coniecturata voluntas teſtatoris vrget in contrarium, & exemplificat materiam in carceratione, liberatione ab hoſtibus, & morte, & arguit à veriſimili amore patris erga filium. Nam, omiſſo quòd Menochius loquitur quando reſtitutio eſt facienda extraneo, hic non conſtat, ob quam cauſam alienauerit Pacificus, vel cauſa alendi familiam, vel potiùs ob cauſam ſoluendi debita propter ludum contracta, † & ideò non pro- 11
bat, hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, *l. neque natales, C. de probat. l. nõ hoc, C. vnde legit. c.* 2. *de tranſlat. prælat. cum vulgar.*

Nec reſiſtit Baldus, *in conſ.* 20. *li.* 2. 12
quia eius dicto, prout ſonare videtur; reſpondet Oſaſch. *deciſ.* 168. *à num.* 1. *vſque ad* 10. *& num.* 11 declarat, dictum Baldi debere intelligi de

alienationibus factis propter prodigalitates ante testamentum & à testatore cognitas,& sit respicientibus causas vetustiores,& ibi Osasch. allegat Doctores declarantes Baldum.

13 Non obstat,quòd alienatio in dubio non præsumitur,nec dolosa,nec fraudulenta,quia Ruin. *cons.*109.*nu.* 11.*in fin.vol.*2. & Peregr.*de fideicom. art.*40. & si qui ad hoc allegantur, loquuntur in terminis, *l.Titius,ff.ad Trebell. & authen. contrà cum rogatus, C.eod.*& dicunt,quòd non præsumitur alienasse animo euertendi fideicommissum ; ibi enim erat permissa alienatio in isto casu , nil mirum si ille , quod de eo opponit, debeat probare.In præsenti verò casu alienatio est prohibita , & permissa so-
14 lùm in casu necessitatis, quam probare tenetur ille qui alienauit , vel habentes causam ab eo,cùm sit fundamentum intentionis.

Nec subsistit,quòd Marcus testator non poterat supponere bona de quibus agitur, fideicommisso , cùm essent bona suæ vxoris , quia testes in summario,*num.*4.hoc non dicũt, sed solùm, quòd bona Pacifici peruenerunt ad Marcum ex persona Hieronymæ eius vxoris , sed propterea non concludunt , quòd huiusmodi bona essent Hieronymæ,vt Marcus non potuisset super his testari , cùm potuerit esse , quòd Hieronyma , vel reliquisset huiusmodi
15 bona Marco, † & ideo huiusmodi probatio tanquam dubia non reluat, *c.in præsentia,de probat.*

Minùs facit,quòd sentẽtia Rotalis declarat , fratres de Diuitia fore,& esse immittendos, & tamen clarum est,respectu legitimæ, & Trebellianicæ Pacifico debitæ non potuisse immissionem concedi , sed pro ea rata emptoribus , & possessoribus competiisse retentionem, cùm alienata in illis imputentur, *l. Marcellus, §.res quæ, ff.ad Trebell.* Alex. *cons.* 178.*num.*4.*lib.*5.Rolan. *cons.*78.*num.* 19.*vol.*1. Quia in sententia Rotali licèt pronuncietur , concedendum immissionem fratribus de Diuitia. est tamen cum clausula,*deductis ducendis in exequutione sententiæ.* 16

Quæ autem excipiuntur de dotibus datis , non releuant , quia non constat de aliqua solutione facta per Pacificum.

Minùs etiam obstat , quòd pro 17
melioramentis datur detentio,*l.si in area , cum ibi not. de condict. indebit.* Castren.*cons.*247.*nu.*7.*li.*1. Contard. *l. vnica, quæst.*28. *nu.*16. *C.de moment. possess.* quia in hoc casu non constat de melioramentis,nec in genere,nec in specie.

Nec tandem releuat,quòd fratres de Diuitia sunt hæredes sui patris,† 18
& ideò non possent venire contra ipsius factum, *l.cùm à matre, C.de rei vendicat.*per regul.quem de euictione tenet actio,eundem agentem repellit exceptio, *l. vendicantem, ff. de euictionib.*quia non constat,ipsos esse hæredes,& quamuis in quodam instrumẽto enuncientur hæredes ; tamen hæc est simplex,& vnica enun- 19
ciatio moderna,quæ nihil operatur. Felin.*in c.cùm causam, nu.*4.*de probat.* Aym. *de antiq.temp.par.*1.*sect.*4.*nu.*14. 19. *& seqq.*

PAPIENSIS IVRIS-patronatus.

Ven. 18. *Aprilis* 1603.

EPITOME.

Descendentia probari debet per gradus distinctos, ita vt vno gradu deficiente cæteri destruantur.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Qualitate vnius fratris probata, censetur probata qualitas aliorum fratrum vtrinque coniunctorum.*

2 *Testes duo sufficiunt in probanda descendentia.*

3 *Institutio, iuncta nominatione, probat filiationem, & fraternitatem, & nu. 9.*

4 *Descendentia probari debet per gradus distinctos.*

5 *Vnica enunciatiua non probatur descendentia, & nu. 7. & 13.*

6 *Nisi in duobus instrumentis antiquis sit prolata, quæ originem habeant à personis non suspectis, & nu. 8. & 10.*

7 *Tempus centum annorum solummodò dicitur antiquum in instrumentis.*

11 *Duæ enunciatiuæ modernæ non probant descendentiam.*

12 *In probanda descendentia, si probatio deficiat in vno gradu, cæteri destruuntur.*

14 *Fides parochi attestantis, quem esse baptizatum, vti natum ex N. non probat descendentiam ab N. nisi concurrant adminicula.*

Decisio CV.

POstquàm per sententias Rotales fuit pronunciatum, D. Franciscũ, & litis consortes, esse patronos Ecclesiæ de qua agitur, intentarunt coram me, vigore commissionis, remedium *l. diffamari, C. de ingen. & manum.* contra alios de Basilica Petri, prætendentes, se esse patronos. Et vt materia faciliùs cognosceretur, illam diuidẽdo, primo loco dubitaui; An ius præsentandi, de quo agitur, spectarit etiam ad dominos Rochum, & Hypolitum, Cæsarem, & Marsilium, nec non ad Paulum Antonium, Octauium, Hieronymũ, & Ludouicũ fratres, & ad Claudiũ, & Marinum omnes de Basilica Petri: & domino Francisco, & aliis, informare minimè curantibus, Domini quoàd alios affirmatiuè censuerunt, quo verò ad alios, voluerunt coadiuuare probationes.

Et quantùm attinet ad Rochum, cùm iam sit firmatum corã R. P. D. meo Decano, ius patronatus spectare ad Franciscum, Hieronymum, & alios fratres ipsius Rochi, vtique, & ad ipsum Rochum spectat; † nam 1
probata qualitate vnius fratris, censetur etiam probata respectu aliorum vtrimque cõiunctorum, Angel. *in auth. Vt liceat matri, & auiæ, §. 1. vers. ad hæc, in fin.* Alex. *in l. sæpè, num. 51. vers. idem etiam sentit.* Angel. *de re iudic.* Tiraquell. *de nobilitat. cap. 17. num. 3.* Cotta *in memorial. in verb. sententia dicta pro vno ex multis fratribus.* Et quòd Rochus sit frater Fran- 2
ciſci, & aliorum, satis probatur ex dictis testium, qui dantur, *num. 2.* qui appellant Rochum fratrem Francisci, qui cùm sint duo sufficiunt, *l. vbi numerus, ff. de testib.* & testium depositio adminiculatur ex instrumento liberationis, de anno 1598. quod datur, *nu. 2.*

Quantùm attinet ad Hypolitum, ad ipsum quoque spectat iuspatronatus, quia sicuti spectat ad alium Hieronymum, & fuit firmatum coram R. P. D. meo Decano; ita quoque ad D. Hypolitum eius fratrem, per suprànarrata. Nec de hac fraternitate potest dubitari, cùm appelle- 3
tur talis in testamento Sinoderi patris, de anno 1591. & hæres instituitur. Et iste actus institutionis, vti proportionabilis filio, iuncta nominatione, probat filiationem, & per consequens fraternitatem, quia tam Hypolitus quàm Hieronymus appellantur filij, & hæredes instituun-

tur. Put. *in c. tranſmiſſa, num.* 10. & ibi Præpoſitus, *num.* 9. *in fin. qui filij ſint legitimi.* Aret. *in c. per tuas, num.* 23. & Felin. *num.* 17. *de probat.* Pariſ. *conſ.* 29. *num.* 10. *lib.* 2. Ruin. *conſ.* 13. *lib.* 5. *num.* 6. Gozzadin. *conſ.* 15. *num.* 7. Ceſal. *conſ.* 48. *num.* 15. *lib.* 1. Et fuit reſolutum in vna Comen. Capellaniæ, 27. Ianuarij 1595. coram D. meo Pegna, & fuit dictum in hac cauſa, 28. Ianuarij anni præteriti coram R. P. D. meo Decano:

1 Quo verò ad Cæſarem iuniorem, res ex duplici fundamento habet difficultatem: non enim probatur, quòd Franciſcus quondam Raynaldi præſentauerit ante annũ 1500. ſed ſolùm de dicto 1500. vt in ſummario, *num.* 4. & quòd pluriès præſentauerit, quia coram D. Decano fuit firmatum, quòd illi qui præſentarunt ante annum 1500. ſunt patroni, quia pluriès præſentarunt; nec probatur, quòd Cæſar iunior deſcendat à D. Franciſco quondam Raynaldi, quia concludenter non docetur de deſcendentia, per gradus
4 diſtinctos, † prout requitur, *l. licet ex quadam*, ibi, *ſingulos gradus de teſtib.* Innocen. *in c. ſeries, in fin.* & ibidem Bald. *num.* 3. *eod. tit.* idem Bald. *in l.* 1. *num.* 18. *verſ. præterea, C. eodem*, Anchar. *conſ.* 277. *num.* 7. *verſ. aliquis gradus*, Dec. qui de communi, *conſ.* 321. *nu.* 4. Et licèt prætendatur probari, quòd Cæſar Senior ſit filius Franciſci, ex inſtrumento tranſactionis de anno 1557. quod datur in
5 ſummario, *nu.* 5. † tamen huiuſmodi enunciatiua contra tertium non probat, *l. non nudis, l. non epiſtolis, C. de probat. l. ex his verbis*, vbi Dec. *C. de teſtam. milit.* Aym. *de antiq. temp. in princ. num.* 7. Rota, *dec.* 31. *de probat. in*
6 *antiq.* † Niſi in duobus inſtrumentis antiquis ſit probata, iuxta Bald. *in l. cùm aliquis*, & ibi Iaſ. *num.* 7. *C. de iure delib.* Alex. *conſ.* 75. *num.* 3. *lib.* 4. Caſlad. *dec.* 3. *num.* 3. *de procurat.* Put. *dec.* 209. *lib.* 2. Et fuit dictum in cauſa Sutrina beneficij, 18. Decembris 1587. coram D. meo Decano, & iſta non eſt antiqua, quia non excedit 7 tempus 100. annorum quod ſolùm in inſtrumentis dicitur antiquum. Iaſ. *in d. l. cùm aliquis, ſub num.* 7. *verſ. breuiter iſtis non obſtantibus*, vbi hanc communem dicit. Alex. *num.* 6. *& in conſ.* 12. *num.* 8. Cephal. *conſ.* 98. *num.* 56. Aym. *d. loco, nu.* 4. † Et vltra præ- 8 dicta huiuſmodi enunciatiua eſt vnius tantùm inſtrumenti, quæ etiã in antiquis non probat, niſi ad minùs ſit duorum inſtrumentorũ, quæ originem habeant à diuerſis perſonis non ſuſpectis, Felyn. *in c. cùm cauſam*, vbi Aret. *num.* 2. *de probat.* Aym. *de antiq. temp. par.* 1. *ſect.* 4. *num.* 14. 19. *& ſeqq.* Put. *deciſ.* 209. *lib.* 2. latè Hieronymus de Monte, *de finibus regen. c.* 60. *num.* 3. Et fuit dictum in allegata cauſa Sutrina coram Domino meo Decano, vbi aliæ deciſiones allegantur, & corã Illuſtriſſimo Blanchetto in cauſa Sabinen. Cõfinium, 20. Aprilis 1577.

Ad Marſilium verò probatur ſpectare iuſpatronatus, quia cùm ſit firmatum coram Domino meo Decano, ſpectare ad alium Franciſcum fratrem ipſius Marſilij, & ad ipſum quoque Marſilium ſpectat, per ſupradicta. Et quòd iſti ſint fratres conſtat ex teſtamento Ioannis Antonij quondam Ioannis Baptiſtæ eo- 9
rum patris, de quo, *num* 7. cùm tales appellentur, & inſtituantur per ſupradicta.

Quantùm verò attinet ad Paulũ Antonium, Octauium, Hieronymum, & Ludouicum, dicitur ad eos quoque ſpectare iuſpatronatus, quia deſcendunt ab Ottone, qui præſentauit de anno 1462. vt in præſentatione,

tione, quæ datur, *num.* 8. & iam fuit resolutum, quòd descendentes ab illis qui præsentarunt ante annum 1500. sunt patroni. Dicitur enim quòd ab Ottone descendit Ioannes, à quo descendit Ioannes Antonius, & ab illo Camillus, à quo Paulus Antonius, & alij fratres. Sed videndum est, prout fuit firmatum coram Domino meo Decano, an Otto fuerit patronus, quia licèt præsentauerit ante annum 1500. tamen fuit firmatum, vt dictum est, quòd illi qui præsentarunt ante annum prædictũ 1500. sunt patroni ex multiplicatis præsentationibus. Nec etiam huiusmodi probatio descendentiæ placuit Dominis. † Licèt enim probetur, quòd ab Ottone descendat Ioãnes ex duabus enunciatiuis duorum instrumentorum, anno 1491. & de anno 1492. quæ benè probant per supradicta; tamen quòd à Ioanne descendat Ioannes Antonius, non probatur, nisi ex duabus enunciatiuis modernis, altera anni 1526. altera verò anni 1539. † quæ non probant, per supradicta. Quòd verò à Io. Antonio descendat Camillus, prætenditur probari ex duabus enunciatiuis in instrumentis moderniſſimis scilicèt anni 1596. & 1597. de quibus in summario, *num.* 11. & pari modo dicitur probari descendentiam Pauli Antonij, & fratrum à Camillo ex quadam enũciatiua in instrumento de anno 1601. quæ datur, *num.* 12. Quæ omnia non probant, vt dictum fuit. Nec fauore Pauli Antonij, & fratrum, aliquid concludunt testes. Dũ enim dicunt, Camillum reliquisse filios, non deponunt de ipsorum nomine, sed solùm 3. & 8. Primus quidem, dicit reliquisse Paulum Antonium, & octauus Paulum Antonium, & Octauium. † Vltra quòd sufficit, quòd probatio deficiat in vno gradu, ad effectum quòd alij destruantur, *d. c. licèt ex quadam ibi singulos gradus, de testib.* Et fuit dictum in causa Parmen. Prioratus 12. Ianuarij 1590. coram Domino meo Litta.

Postremò nec aliquid probatur concludenter de Marino iuniore, quia hæc probatio pariter patitur duas difficultates, vt suprà dictum est de Cæsare, quia scilicèt Marinus senior non præsentauit ante annum 1500. nec constat, quòd pluriès præsentauerit. Et quòd à Marino seniore descenderit Iulius, probatur ex vnica enunciatiua anni 1562. quæ datur, *num.* 13. quæ non sufficit, per sæpiùs repetita; nec ad probandum Marinum iuniorem esse filium Iulij, sufficit fides Parochi, quæ attestatur, fuisse baptizatũ de anno 1582. quia hæc est simplex fides, quæ non probat. Socin. *in cons. 99. num. 13. vers. secundo quia, lib.* 3. Rota, *decis.* 33. *de probat. in antiq.* Vel saltem non probant, nisi addantur adminicula. Et ita fuit resolutum.

SVTRINA IVRIS PATRONATUS.

Lunæ 21. *Aprilis* 1602.

EPITOME.

Iuspatronatus non acquiritur ex eleemosyna facta in constructione Ecclesiæ, aut ex modica dote.

SVMMARIVM.

1 *Fundamentum intentionis est probandum ab illo qui in eo se fundat.*

2 *Ex fundatione, & dotatione acquiritur iuspatronatus.*

5 Iuspa

5 *Iuſpatronatus acquiritur ex donatione.*

6 *Præbens fundum pro conſtructione Eccleſiæ acquirit iuſpatronatus.*

7 *Eccleſia penitùs diruta, noua indigens conſecratione, ſi reædificetur, acquiritur iuſpatronatus.*

8 *Epiſcopo atteſtanti in prouiſione, talem Eccleſiam eſſe de iurepatronatus, non creditur, ſi de contrario conſtet.*

9 *In familia potenti præſumitur vſurpatio iuriſpatronatus.*

10 *In acquirendo iuſpatronatus requiritur Epiſcopi conſenſus.*

11 *Conſenſus Epiſcopi in acquirendo iurepatronatus præſumitur ex ſpatio 30. annorum.*

12 *Ex eleemoſyna in conſtructione Eccleſiæ non acquiritur iuſpatronatus.*

Decisio CVI.

REcuſante Reuerendiſſimo Epiſcopo, inſtituere Antonium præſentatum ab Excellentiſſimo Domino Duce Bracchiani ad canonicatum de quo agitur, quem ipſe prætendebat eſſe de iurepatronatus ipſius D. Ducis, ſtante, quòd fuerat erectus mediante vnione facta de Eccleſia Sanctæ Mariæ *del Ripoſo*, quam dicebat eſſe de iurepatronatus ipſius Ducis; introducta cauſa coram me, dubitaui, An conſtaret de huiuſmodi iurepatronatus. Et Domini negatiuè reſoluerunt, quia pro parte prætendentis adeſſe iuspatronatus, non probatur aſſumptum,
1 prout requiritur, † cùm ſit fundamentum intentionis ſuæ. Innocen. *in c. ſuper his, ſub nu. 10. verſic. ſed argu. contrà, de accuſat.* Bart. *in l. in illa, num. 5. ff. de verb. oblig.* cum aliis per Nattam, *conſ. 198. nu. 9. vol. 1.*

2 Nec facit, quòd ex fundatione, & dotatione acquiratur iuspatronatus, *c. filiis 16. quæſt. 7. & c. 3. & c. nobis, de iurepatronat.* Lambertin. poſt alios, *de iurepatronat. lib. 1. par. 1. quæſt. 2. art. 2. num. 1.* quia nec dotatio, nec fundatio docetur. Quantùm enim attinet ad fundationem, teſtes qui dantur pro parte domini Epiſcopi, probant, Eccleſiam fuiſſe fundatam ex piorum eleemoſynis. Et ſic, ceſſat fundamentum quod deducitur ex fundatione. Quantùm ad dotationem, nec de ea conſtat, niſi per quandam enunciatiuam in certo inſtrumento Communitatis, de anno 1573. † Quæ enunciatiua, cùm 3
ſit moderna, nihil probat, & maximè contra tertium, & eſt vnica, *l. non nudis, l. non epiſtolis, C. de probat.* Rota, *deciſ. 31. de probat. in antiq.* Put. *deciſ. 209. lib. 2.* Et fuit latè deductum coram Reuerendiſſimo Domino meo Decano in alia Sutrina beneficij 18. Decembris 1587. Sed quatenus etiam probaretur iſta dotatio, fuit reddituum molarium qui annuatim, vt deponunt teſtes, reddunt ſcuta 5. & decem vegetum vini, ita vt ſit tam modica, † vt ex ipſa 4
non ſit acquiſitum iuspatronatus, gloſſ. *in c. quicumque, 16. quæſt. 7.* Abb. *in c. 3. num. 4. de Eccleſ. ædifican.* Lambert. *de iurepatronat lib. 1. par. 1. qu. 5. art. 12. num. 1.*

Nec vllibi conſtat de aliqua tranſlatione Communitatis in ducē Paulū, † quia licèt ex donatione acqui- 5
ratur iuspatronatus, *c. 1. de iurepatr. in 6.* Lambert. *de iurepat. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 9. & ſeq.* tamen tranſlatio Cōmunitatis non fuit in ducem Paulū, ſed in præſentatum ab ipſo. Vltra quòd hiuiuſmodi tranſlatio nihil operaretur, cùm non conſtet de iurepatronatus Communitatis, *l. nemo plus iuris de reg. iur.*

Nec releuat, quòd quando quis 6
præbet

præbet fundum pro conſtructione Eccleſiæ, acquirit iuspatronatus, *cap. nobis, de iurepatr. c. Abbate, 2. 18. q. 2.* Rocc. *de iurepatr. in verbo, fundauit, num. 1.* Et fuit dictum in cauſa Valentina de Conſentaina, 26. Ianuarij 1582. coram Reuerēdiſſimo. D. meo Patriarcha Alexandrino; quia nec hoc probatur: immò ex dictis teſtiū apparet, quòd vbi adeſt moderna Eccleſia, aderat priùs alias, quæ
7 fuit reſtaurata, † & quamuis acquiratur iuspatronatus, quando Eccleſia penitùs diruta reædificatur, tamen, vt dictum eſt, Eccleſia non fuit ædificata ſumptibus Ducis, ſed piorum. eleemoſynis. Et inſuper requiritur, vt ita ſit diruta, vt indigeat noua conſecratione, quod non probatur in caſu iſto. Rocch. *in verb. conſtruxit, num. 12.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. par. 1. quæſt. 6. art. 3.* Et fuit dictum in cauſa Peruſina de Cortinio, 3. Decembris 1576. coram Illuſtriſſimo domino meo Cardinale Blanchetto, & in cauſa Valentina de Conſentaina prædallegata, & in cauſa Valentina Parochialis de Carlet. 4. Maij 1601. coram R. P. D. meo Lancellotto.

8 Nec atteſtatio Epiſcopi in prouiſione aliquid operatur, quia, vt ex prædictis patet, conſtat de contrario. Felin. *in c. quoniam Abbas, prope finem, de offic. delegat.* Decius, *in l. ædita. num. 8. C. eodem, & in l. penult. nu. 2. C. de inſtit. & ſubſtit. & in c. 2. col. 3. nu. 33. de reſcript.* Creſcen. *dec. 8. nu. 5. de præben.*

9 Et ex prædictis ceſſant quæ dicuntur de præſentationibus factis per Duces, quia ex prædictis conſtat, de non iurepatronatus, & ſumus in familia potenti, in qua præſumitur vſurpatio, iuxta decret. Sacroſ. Concilij Tridentini, *cap. 9. de reformat. ſeſſ. 25.* Et cùm non conſtet de titulo, non poteſt fieri aliquod fundamentum in præſentationibus, quia nec docetur de immemoriali, nec de præſentationibus effectum ſortitis per 50. annos, nec de prædictis poteſt doceri, cùm Eccleſia fuerit conſtructa de anno 1573.

Accedat ſuperiùs deductis, quòd 10
in conſtructione, & dotatione Eccleſiæ, ad effectum acquirendi iuspatronatus, requiritur conſenſus Epiſcopi, *c. nobis, de iurepat. c. verò de conſecrat. diſtinct. 1. auth. de Monach. §. illud. coll. 1.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. par. 2. quæſt. 1. art. 10. num. 4. & 5.* Vnde, dato etiam quòd Eccleſia fuiſſet fundata, dotata, & ius in ducem tranſlatum ex donatione Cōmunitatis, adhuc tamen requirebatur conſenſus Epiſcopi, de quo non docetur, † licèt ſpatio 30. annorum 11
præſumatur. Lambert. *par. 1. lib. 1. d. quæſt. 2. art. 7. num. 2. & ſeqq.* Et tenuit Rota in cauſa Romana iurispatronatus, 10. Martij 1595. coram R. P. D. meo Millino, tamen dempto tempore litis, 50. anni non interueniunt.

Et tantò magis huiuſmodi ſententia placuit Dominis, † quia con- 12
ſiderata tota ſerie facti, euidenter apparet, quòd piorum eleemoſinis, Eccleſia fuit conſtructa, & id quod per Ducem fuit aſſignatum, fuit per modum eleemoſynæ; habita ratione ad modicitatem, & etiam quòd Communitas quolibet anno aſſignauit ſcuta decem, & vt patet ex teſtibus, etiam Eccleſia habuit quoddam legatum. Ex quibus patet, hos non fuiſſe dotatores, nec fundatores, ſed benefactores. Abbas, *in c. 3. nu. 10. de iurepatr.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. par. 1. quæſt. 5. art. 12. nu. 2. & quæſt. ſexta, art. 1. num. 9. & 10.* eiſdem lib. & parte.

ROMANA BONORVM de Soderinis.

Lunæ 28. Aprilis 1603.

EPITOME.

Notarius poteſt extendere clauſulas cæteratas etiam poſt datam copiam partibus, & litem motam, non tamen aliquid minuere, vel addere circa ſubſtantialia.

SVMMARIVM.

1 *Notarius poteſt extendere clauſulas cæteratas, & ſub compendio poſitas, etiam poſt datam imbreuiaturam partibus.*

2 *Non tamen poteſt aliquid minuere, vel addere circa ſubſtantialia, vel corrigere errorem ſuum, poſt datam copiam partibus, vel poſt litem motam.*

3 *Extenſio imbreuiaturæ, vel correctio, præſumitur facta à notario tempore debito.*

4 *Fides non facit fidem.*

5 *Præſumpta fraus transfert onus probandi in illum qui ſe fundat in actu de quo fraus præſumitur.*

6 *Hanc talem tranſlationem oneris probandi Rota non amplectitur.*

DECISIO CVII.

1 PLacuit Dominis deciſio in hac cauſa facta 26. Iunij præteriti, † quia notarius potuit extendere clauſulas cæteratas, & ſub compendio poſitas. DD. *in l. Gallus, §. idem credendum, ff. de liber. & poſthum.* Nec iure, aut aliqua ratione probatur, quòd notarius, etiam poſtquàm dedit copiam imbreuiatam partibus, non poſſit extendere ſuam imbreuiaturam. Nec doctores, qui ad hoc allegantur, id dicunt, † quia loquuntur quãdo poſt datam copiam extenſam partibus, notarius vult aliquid addere, vel minuere circa ſubſtãtialia, vt fuit reſponſum in deciſione. Et hoc præcipuè dicunt Doctores, qui in ſpecie de nouo ponderantur, ſcilicèt Franciſcus Marcus, *deciſ. 289. par. 1.* qui allegat Bartol. *in l. imperator, 2.* & ibidem Bald. *num. 12. ff. de ſtat. homin.* qui expreſsè loquuntur, quando notarius vult, poſt datam copiam partibus, aliquid addere, vel minuere circa ſubſtantialia, & Alber. 59. *nu. 3.* non recedit ab iſtis terminis. Et expreſsè hoc ſuadetur, quia allegatur Bald. *in rubrica, C. de fide inſtrument. num. 41. verſ. 4. quæritur, & num. 45. verſ. ſed pone,* qui expreſsè dicit, quòd notarius, poſt datam copiam partibus, vel poſt litem motam, non poteſt corrigere errorem ſuum, & quando Marcus, & Alberic. viderentur aliquid dicere in cõtrarium, quod viſum non fuit Dominis, adhuc eſſent intelligendi iuxta ſententiam Bartoli, & Baldi, quos allegant, ex ſententia ipſiuſmet Bartoli, *in l. non ſolùm, §. liberationis verbo, num. 7. ff. de liberat. legat.* Nec aliquid dicit deciſio Florentina 57. *num. 43.* & 44. quia verbis claris loquitur, quando notarius vult corrigere errorem ſuum. 2

Nec probatur, hanc extenſionem fuiſſe factam poſt litem motam. Et ideo præſumitur facta tempore cõgruo, & debito. Et quamuis Socin. *conſ. 94. num. 5. vol. 1.* & Alex. *conſ. 70. num. 4. vol. 1.* qui ad hanc concluſionem probãdam fuerunt allegati, loquantur, quando notarius correxit dictum ſuum, quia correctio præſumitur facta tempore debito, hîc autem non verſamur in correctione, ſed in extenſione. Ex iden- 3

titate

titate tamen rationis, immò à maioritate, visum fuit Rotæ, extendere illud dictum etiam ad extensionem, vt in causa Romana Casalis Iuliani 4. Iunij 1584. & in alia Caëtana iurisdictionis 26. Nouembris 1563. coram bon. mem. Robusterio.

Nec visum fuit Dominis probari, hanc extensionem, non fuisse factam iuxta stylum notariorum Florentiæ, & præsertim Io. de Macantis rogati, iuxta quorum stylum, & per prædicta formalia verba, fuerat promissum de euictione, quia
4 fides quæ datur, † vltra quòd non facit fidem iuxtam vulgatam regulam, *in l. 3. §. idem diuus. ff. de testib.* Rota Genuen. *decis. 76. num. 11.* Guidob. *decis. 19.* non probat stylum Io. de Macantis, quia dicit, quòd habentur in eius protocolis quædam instrumenta venditionis, & laudi, quæ non sunt plenè extensa, sed in aliquibus notarius remittit se ad formam iuris, in aliquibus verò ad stylum notariorum Florentiæ. Et quamuis adsit vnum instrumentum extensum in quo promissio euictionis reperitur extensa iuxta formam iuris, hæc quidem extensio non ostendit stylum Ioannis, cùm in aliis instrumentis aliquando retulerit se ad formam iuris, aliquando verò ad stylum notariorum Florentiæ.

Et cessat omnis difficultas, quia promissio de euictione est facta iuxta stylum magis amplum notariorum Florentiæ, & præsertim Ioannis de Macantis, & ideo cùm habeamus hanc promissionem de euictione extensam, si Dominus Antonius prætendit, hunc non esse stylum Ioannis de Macantis, & notariorum Florentiæ, sibi hoc onus probandi incumbit, tanquam fundamentum intentionis suæ, vt latè dicitur in alia decisione, & ex supradictis clarum est, quòd non probauit stylum Macantis in cõtrarium notariorum Florentiæ. Immò Dominus Petrus Thomas dat magnum fumum ne dicatur, quòd probet stylum notariorum Florentiæ, extendendi clausulam promissionis de euictione post posita in suo instrumento, reperitur extensa ex duobus formulariis instrumentorũ Florentiæ productis in actis, die 10. Iunij præteriti.

Nec placuit Dominis, quòd stantibus clausulis exorbitantibus, positis in extẽsione promissionis de euictione, præsumitur fraus, † quæ 5
transfert onus probandi in Dominũ Petrum Thomam, hunc esse stylum notariorum Florentiæ, & Ioannis de Macantis, ex sententia Archidiaconi *in c. in memoria, num. 12. 19. distinct.* quia omisso, quòd Archidiaconus loquitur in terminis longè diuersis, hîc nulla fraus potest considerari, stante quòd partes habuerunt relationem ad stylum notariorum Florentiæ, de quo datur magnus fumus, & huiusmodi extensio hoc modo facta non solùm afficit Dominum Antonium Franciscum, verùm etiam D. Petrum Thomam, *toto tit. quod quisque iuris.* Aliæ verò præsumptiones fraudis, scilicèt, quòd huiusmodi instrumentum fuit extensum post litem motam, & positum nouissimè in Archiuio, cessant ex superiùs deductis, & ex quo fuit positum in Archiuio, de ordine Conseruatorum, vt latè deducitur in alia decisione. † Vltra 6
quòd huiusmodi translationẽ oneris probationis Rota amplecti non solet, prout fuit resolutum coram Reuerendissimo D. Alexandro in causa Perusina Bonorũ, 12. Decembris 1597. & nouissimè in causa

Cæſarauguſtana alimentorum, 4. Martij 1602.

Alia tolluntur ex deciſione in hac cauſa facta 26. Iunij præteriti.

HISPALEN. DISTRIbutionum.

Ven. 2. Maij 1603.

EPITOME.

Abſens diſtributiones quotidianas amittit, nec Capitulum poteſt facultatem concedere, vt illas abſens lucretur.

SVMMARIVM.

1 *Tres ſententiæ in eo quòd ſunt conformes, exequi debent.*
2 *Rota exequitur ſententias de partibus, conſtito de bono iure.*
3 *Non reſidens, diſtributiones quotidianas amittit.*
4 *Capitulum non poteſt concedere abſenti, quòd lucretur diſtributiones quotidianas.*
5 *Gloſ.* in cap. 1. in verb. ſuas. de cler. non reſid. in 6. *Gemin.* in c. vnico. §. qui verò, nu. 10. verſ. poſſent, de cler. non reſid. in 6. *Card.* in Clem. 2. num. 8. verſ. 13. de vit. & honeſt. cleric. *declaratur.*
6 *Dolus præteritus remitti poteſt, non autem futurus.*
7 *Conditione deficiente, deficit conditionatum.*
8 *Canonico infirmo inſeruire ſolito, debentur diſtributiones quotidianæ.*

DECISIO CVIII.

1 DVbitaui iuxta reſcriptũ ſignaturæ, an eſſet procedendum ad exequutionem trium ſententiarum de partibus, in ea parte, in quà ſunt conformes, ſcilicèt, quòd bon. mem. Epiſcopo Squillacen. non eſſent debitæ diſtributiones quas percepit, non reſidendo, exceptis tamen illis, quas etiam non reſidendo fuiſſet lucratus. In hoc enim ſententiæ ſunt conformes. Et Domini affirmatiuè reſoluerunt, quia conſti- 2
to de bono iure, Rota ſolet exequi ſententias de partibus. Put. *dec.* 401. *lib.* 1. Mohed. *deciſ.* 3. *de teſtib.* & 15. *de re indicat.* & *fuit pluriès reſolutum.* De iuſtitia autem dictarum ſententiarum ſatis conſtabat, quia Epiſcopus Squallacen. non reſedit in ſuo Archidiaconatu, & canonicatu, † & 3
ideo diſtributiones ei non erant debitæ, *c.* 1. *de cleric. non reſid. in* 6. Pariſ. *conſ.* 33. *lib.* 4. Caſſàd. *deciſ.* 1. *de cleric. non reſiden.*

Non obſtat licentia obtenta per Epiſcopum à Capitulo de lucrando diſtributiones per triennium de quo agitur, abſque eo quòd reſideret quia huiuſmodi licentia tam ex defectu poteſtatis, quàm voluntatis, Epiſcopo nihil ſuffragantur. Pote- 4
ſtatis quidem, quia Capitulum illi non potuit concedere, quòd abſens lucraretur diſtributiones, Archidiaconus, *in c.* 1. *in fin. verſ. dic, quod fortè contrarium, de cleric. non reſiden. in* 6. Et videtur de mente Sacroſancti Concilij Tridentini, *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *ibi, diſtributiones, verò, qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant*, & declarauit expreſsè S. Congregatio Illuſtriſſimorum Interp. eiuſdem Sacroſancti Concilij, quòd Capitulum non poſſit concedere abſenti, quòd lucretur diſtributiones. Nauar. *de orat.* & *horis canonicis*, *cap.* 22. Meſcell. 14. *num.* 48.

Non obſtat gloſſ. *in c.* 1. *in verb. ſuas, de clericis non reſiden. in* 6. quæ

vide

videtur dicere contrarium; quia non inquit posse conueniri, quòd distributiones in absentia remittantur, sed solùm, quòd is cui iam ipso iure accreuerunt, possit eas remittere, id est, cõsentire, ne is qui eas iam perdidit, teneatur ei restituere, quod est longè diuersum à pactione, qua quis distributiones in absentia non perdat. Et hanc gloss. ita intelligit. Nauar. *d. loco, de orat. & horis canonicis, cap.* 22. Mescellan. 14. *num.* 49. Et hoc etiam sentit Francus, *in d. c. vnico, §. qui verò, num.* 4. *vers. tu dic. de clericis non residen. in* 6. Et ita est intelligendus Geminian. *in d. §. qui verò, num.* 10. *vers. possent concordari.* Et ita debet intelligi Cardinalis, *in Clem.* 2. *num.* 8. *vers.* 13. *quæro, de vit. &*
6 *honest. cleric.* Et meritò quidem, † quia dolus præteritus remitti potest. Bald. *in l. iurisgentium, §. sed si pacis-car. num.* 5. *ff. de pact.* Iason. *in l. si vnus, §. illud nulla, in princip. eodem tit.* Dolus verò de futuro remitti non potest, quia sic inuitaretur quis ad delinquendum, Iason. *in d. §. illud, num.* 1. Ruin. *cons.* 129. *num.* 20. *lib.* 5. Et hac ratione mouetur Nauar. *d. loco, num.* 49.

Ex defectu voluntatis pariter dixerunt Domini, Episcopum non po-
7 tuisse lucrari distributiones, † quia licentia fuerat concessa per triennium incipiendum à die habiti beneplaciti Apostolici, quod non constat vnquam fuisse obtentum. Ideo voluntas Capituli deficit. Paris. *cons.* 31. *sub num.* 17. *lib.* 4. Put. *decis.* 2. *de transact.* Accorambon. *dec.* 8. *in fin. lib.* 1. Et habeatur pro non data huiusmodi licentia, *l. pecuniam quam ff. si cert. petat. l. necessario, §. quòd si pendente, ff. de peric. & comm. rei vend.* Socin. iun. *cons.* 4. *nu.* 16. *lib.* 2.

Neque obstat, quòd aliæ duæ licentiæ fuerint datæ à Capitulo absque huiusmodi reseruatione beneplaciti Apostolici, quia quatenus in istis non intelligeretur repetita illa qualitas, scilicèt beneplacitum Apostolicum, tamen adhuc non remaneret defectus potestatis, vt superiùs dictum fuit.

Nec releuat, quòd certo anni tẽpore Canonici soleant ad inuicem remittere sibi distributiones malè perceptas, quia hoc intelligebant Domini de distributionibus malè perceptis ab inseruientibus, ob non præstitum debitum seruitium eo modo, quo præstare tenebantur.

Quia tamen Capitulum concessit Episcopo Archidiacono huiusmodi distributiones, ob eius indispositiones, & infirmitates, ac seruitium multorum annorum, quod in Ecclesia præstiterat, † & clarum est, 8
quòd Canonico infirmo & solito inseruire debentur distributiones, etiam quòd non resederit, *cap.* 1. *de cleric. non residen. in* 6. Natta *d. cons.* 41. *num.* 1. *vol.* 1. Nauar. *cons.* 2. *num.* 3. *de cleric. non residen. par.* 1. Ideo reseruarunt Domini, videre, an ex ista assertione Capituli constet de infirmitate Episcopi Archidiaconi, & quòd esset solitus residere, ita vt illi debeantur distributiones ex isto capite.

Et ita fuit resolutum, vna tantùm parte informante.

MEDIOLANEN.
Euictionis.

Lunæ 5. *Maij* 1603.

EPITOME.

Creditor, vel alius pro illo admittitur ad licitandum, aliis non existentibus, vel dignum pretium non offerentibus.

SVMMARIVM.

1 *Singularis ſucceſſor non habet regreſſum contra primum venditorem authoris ſui, ſequuta euictione, & num. 6. Quod limitatur, num. 7.*

2 *Exequutio facienda in bonis, non poteſt fieri ſuper iure perſonali quod competit pro euictione, quod declara, vt nu. 10.*

3 *Facultas data ad vnum actum, non extenditur ad alium.*

4 *Creditor non admittitur ad diſtractionem pignoris, etiam per ſuppoſitam perſonam, niſi debitor ipſe vendat.*

5 *Promittens defenſionem, debet in ſe iudicium ſuſcipere, & iudicatum ſoluere.*

8 *Subrogatus gaudet iure illius in cuius locum ſubrogatur.*

9 *Quod fit à iudice rem adiudicante creditori, vel licitatori, à parte fieri cenſetur.*

11 *In mandatis veniunt quæ ſunt conſueta apponi.*

12 *Creditor, vel alius pro illo, admittitur ad licitandum in pignore iudiciali, alio emptore non exiſtente, vel dignum pretium non offerente, & nu. 15.*

13 L. & qui ſub imagine, C. de diſtract. pign. *loquitur in pignore conuentionali.*

14 *In datione in ſolutum videtur neceſſaria æſtimatio præcedens, ſecùs in venditione.*

Decisio CIX.

SEquuta permutatione inter Octauium, & Alphonſum, bona Aretij de quibus agitur, peruenerunt ad Alphonſum, qui fuit declaratus debitor per ſententias Rotales in certa ſumma illorum de Puteobonellis, qui per exequutorem in partibus à Rota ſubdelegatum, bona de quibus agitur ſubhaſtari obtinuerunt, & fuerunt deliberata cuidam Herculi tanquam plus offerenti, qui in ipſa oblatione declarauerat, ſe fuiſſe perſonam ſuppoſitam à Puteobonellis vt conſtat ex inſtrumento ipſo venditionis. Quare iudex ipſis Puteobonellis fecit venditionem, & dationem in ſolutum cum ceſſione, ac poſitione in locum Alphonſi. Sed cùm poſteà Puteobonelli moleſtarentur ſuper dictis bonis, mediantibus reſolutionibus factis, fuit pronunciatum, ſtante obligatione Domini Octauij, ipſum teneri ſuſcipere litem, & defendere iſtos de Puteobonellis, tanquam ſucceſſores Alphonſi.

Ad impugnandũ ſententias prædictas opponebatur coram me de iniuſtitia ſententiarum Rotalium vltimo loco latarum, nec non de nullitate exequutionis factæ in partibus, tam ex defectu iuriſdictionis, quàm ob non ſeruatam formam iuris.

Iniuſtitia deducebatur ex eo, quia Puteobonelli erant ſingulares ſucceſſores, & ideo non habentes regreſſum contra primum venditorem auctoris ſui, vt eſt text. *in l. ſi res quam 59. ff. de euict.* vbi DD. communiter. Bart. *in l. ſi pro re pupilli, §. ſi pro euict. num. 2.* Agel. *num. 3. eodem tit.* & tex. alibi non reperiri dicit. Bald. *in l. 1. num. 10. C. de rer. permut.* & text. ſingularem appellat Imola *in l. Iulianus, §. 1. num. 5. verſ. & ſic iura, & actiones, ff. de verb. obligat.* 1

Nullitas exequutionis ex defectu iuriſdictionis deducebatur ex triplici fundamento. Primò quia ſententiæ Rotales loquuntur de bonis, & ideo non poterat exequutor facere exequutionem ſuper iſto iure perſonali, † quod pro euictione 2

com

competit, & eſt diuerſum à bonis, *l.à diuo Pio, §.in vend.ff. de re iudicat.* ponendo ſcilicèt illos de Puteobonellis in locum Alphonſi, cedendo
3 iura. † Secundo quia facultas exequutoris erat reſtricta ad venditionem faciendam oblatoribus, & per conſequens, non potuit bona adiudicare creditoribus. Salicet. *in l. 1. verſ. quæro quis eſt competens, C. ſi in cauſa iudicat.* Neguz. *de pignoribus, in primo memb.6. par. num. 9. verſic. ſupple tu.* Gazadin. *conſ.* 10. *num.*11. *verſic. quia iudex delegatus.* Tertiò quia ſtante deliberatione facta Herculi, iudex functus fuerat officio ſuo,& ideo expirauerat iuriſdictio, *c.in literis,de offic.delegat.*

Nullitas ſecundò principaliter deducebatur, ob non ſeruatam for-
4 mam iuris, † quia creditor ipſe, nec etiam per ſuppoſitam perſonam admittitur ad diſtractionem pignoris, niſi debitor ipſe vendat, vt eſt tex. *in l.& qui ſub imagine, C. de diſtract. pignor.* Alberi.*conſ.*14.*nu.*5. Panciro-lus,*conſ.*18.*nu.*45.

Prædictis non obſtantibus,viſum fuit Dominis, ſententias eſſe iuſtas, quia clara eſt promiſſio D. Octauij,
5 † & qui promittit defenſionem, nõ ſolùm tenetur iudicium in ſe ſuſcipere,verũ etiam iudicatum ſoluere, aliàs non dicitur rectè defendere, *l.rectè defendi,* & ibi Caſtren. vbi dicit,hoc alibi non ita benè inueniri, *ff. de iudic. l. ex iudicatum, ff. iudic. ſolui.*

6 Non obſtat, quòd Puteobonelli ſint ſingulares ſucceſſores, & ideo non habeant regreſſum contra primum venditorem auctoris, *d. l. ſi*
7 *res quam*, † quia diſpoſitio illius textus dupliciter limitatur, ſcilicèt, vt non habeat locum, quando ſingularis ſucceſſor fuit poſitus in locum primi emptoris, vel quando ipſi omnia iura fuerunt ceſſa.Angel. *in d.l.ſi res quam,num.*2. *verſ.ſed quid ſi non apparet.* & Bart. Bald. & alij locis ſuperiùs allegatis. Gloſſ.*in d.l. ſi res quã,in verb.niſi,*vbi hoc colligit ex textu ipſo. Decius, *conſ.*74. *nu.*1. *verſ.iſte tamen circuitus,* cum aliis per Surd.*conſ.*17. *num.*31.*vol.* 2. Hæ autem limitationes benè adaptantur ad præſentem caſum,quia non modò Puteobonellis fuerunt ceſſa iura, verùm etiam fuerunt poſiti in locum Alphonſi. Vnde ſicut † 8
Octauius tenebatur defendere Alphonſum, ita & Puteobonellos in lodum ipſius Alphonſi ſubrogatos, *l. ſi eum, §.qui iniuriarum, ff. ſi quis cautionibus, l.qui in ius, ff. de reg. iur.*

Nec facit, quòd iſta ceſſio, & in locum Alphonſi poſitio fuit facta à iudice,& non à parte, nam quod fit à iudice rem ipſam adiudicante creditori,vel alteri vltimò licitatori, cenſetur fieri ab ipſo debitore, *l.ſi ob cauſam,*& ibi Bart.Bald.& alij, *C.de euictionib. l. ſi pignora. ff. eodem tit.l.eleganter, in princ.ff.de pignor.act.* cum aliis per Tiraquell. *de retract. ligna. §.*1.*gloſſ.*14.*nu.*13.

Et quantùm attinet ad nullita- 9
tes, non releuat, quòd ſententiæ Rotales loquuntur de bonis,& ideo iudex non poterat adiudicare iſtud ius perſonale, † quia tex. *in d.l.à di-* 10
uo Pio, §. in venditione, ff.de re iudic. loquitur, quando iura ſunt omninò ſeparata ab ipſa re,vt ex lectura tex. apparet, & ſentit Socin. ſen. *conſ.* 158.*nu.*14.*verſ.prima eſt,vol.*2.Pinell. *in rub.C.de bon.matern.par.*2.*nu.*24.& firmauit Rota in hac cauſa, coram R.P.D. meo Millino. Huiuſmodi autẽ iura cùm ſint annexa, ſuccedit concluſio,quòd ſi quis vnum mandauit, videtur & aliud mandaſſe. Caputaquen. *deciſ.*191.*num.*5. & 6.

dauit

11 *par.2.* † Et in mandato veniunt cõſueta, *l. ſi pignore, §. fin. ff. de pignor. act.* Iaſon. *in l. ſi procurator, ſub num. 8. verſ. octauò limitatur, C. de procurat.* Ruin. *conſ. 93. ſub num. 4. lib. 5.* Et in mandato ad vendendum veniũt omnia quæ ſunt conſueta apponi in contractu venditionis; Gabriel, qui alios refert. *de conſuetud. concluſ. 1. num. 21.*

Minùs facit, quòd facultas exequutoris erat reſtricta ad venden. oblatoribus, & per conſequens non poterat adiudicare bona creditoribus, eóque magis, cùm ius reſiſtat, & quòd functus fuerat officio ſuo, ſtante deliberatione facta Herculi, quia exequutor nõ adiudicauit bona creditoribus, ſed proceſſit ad ſubhaſtationẽ, & obtulit Herculẽ, perſona ſuppoſita, à Puteobonellis,
12 fecitque maiorẽ oblationem. Clarũ autem eſt, quòd creditor admittitur ad licitandum in pignore iudiciali, alio emptore non exiſtente, vel exiſtente quidem, ſed nõ dignum pretium offerente, vt ad literam dicit text. & ibidem notat Odofredus, & Bald. *in fin. in l. 2. C. ſi in cauſa iudicat. l. ordo*, ſecundùm lecturam Buttrigarij & Butrigellæ, *C. de exequut. ſentẽt. diffinit. in princip. nu. 20. circa finem*, latè Surd. *conſ. 256. nu. 5. vol. 2.* Rolãd. *conſ. 32. num. 33. vol. 1.*

Nec reſiſtit textus, *in l. & qui ſub imagine, C. de diſtract. pignor.* quia loquitur in pignore conuentionali, hîc autem verſamur in pignore iudiciali, in quo procedit *d. l. 2. C. ſi in cauſa iudicat.*

13 Etiã vt dicebat vnus ex Dominis, nec textus *in d. l. ei, qui ſub imagine*, officit in præſenti, tum quia *in verſ. tametſi debitore diſtrahente*, habetur, quòd debitor, ceſſante fraude, & metu poteſt vendere creditori, ſed in hoc caſu iudex eſt, qui vendidit. Vnde intrat concluſio, quòd factum iudicis, cenſetur factum partis, *l. ob cauſam, C. de euictionibus, cum aliis.* Sed veritas eſt, quòd tex. *in d. l. ei qui ſub imagine*, loquitur in pignore conuentionali.

Nec facit, quòd in inſtrumento hæc appelletur venditio, & datio in ſolutum, quia ex actu ipſo conſtat, fuiſſe venditionem, vendita enim fuerunt bona Puteobonellis ad menſuram, certo pretio, & reſiduum pretij Puteobonelli ſe obligarunt ſoluere aliis creditoribus litis conſortibus, infra annum, iuxta formam oblationis.

Et ex hoc ceſſat quod dicebatur, fuiſſe neceſſariam æſtimationẽ præcedentem, † quia, quicquid dicen- 14
dum eſſet de datione in ſolutum, in venditione non eſt neceſſaria, vt contra Affligtum latè deducit Surd. *d. conſ. 256. per totum, lib. 2.*

Nec ſubſiſtit, quòd iudex deliberando bona Herculi, functus fuit ſuo officio, quia ipſe iudex ſciebat, Herculem perſonam ſuppoſitam, & ideo non functus fuerat ſuo officio, niſi poſt deliberationem, & bona fuiſſent vendita. Et de ſcientia huiuſmodi ſuppoſitionis ſatis conſtat ex ipſo inſtrumento, in quo propter hanc cauſam fit venditio Puteobonellis. † Et ideo ceſſat ex hoc 15
fundamentum, quòd creditor debet admitti à iudice, vt tradunt Cynus, Bald. Salic. & Ang. *in leg. vlt. C. ſi in cauſa iudicat.* quia ſatis admittit iudex, ex quo perſona ſuppoſita, ipſo ſciente, & permittente obtulit.

LVCA

LVCANA PAROchialis.

Ven. 16. Maij 1613.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis, alio non existente in possessione, est manutenibilis.*

2 *Resignatione beneficij, omne ius abdicatur à resignante.*

3 *Literis ad duos exequutores directis, si primo præsentetur, adiri secundus non potest, nisi in defectum.*

4 *Processus non afficit non citatum.*

5 *In interdicto Vti possidetis, probari debet possessio immediatè ante litem motam.*

6 *Resignatarius ante litem motam potest lite pendente capere possessionem.*

DECISIO CX.

VIsum fuit Dominis, Matthæo dandum esse mãdatum de manu-
1 tenendo,† quia de eius possessione constat ex instrumento adeptionis, *l. prædia*, vbi Bart. *num. 1. ff. de acquir. poss. l. non idcirco*, & ibi Bald. *C. de fid. instru.* Put. *dec. 360. nu. 8. lib. 1.* quæ licèt fuerit instrumentalis, nihilominùs, alio nõ existente in possessione, est manutenibilis. Rota, *dec. 21. de restit. spoliat. in antiq.* Put. *d. dec. 360. num. 8. lib. 1.* Et fuit pluriès resolutum. Satis autem dicebatur, neminem existere in possessione, ex quo Matthæus beneficium per resi-
2 gnationẽ obtinuerat,† ex qua omne ius à resignante abdicatum fuit, Rota, *decis. 2. de renunciat. in antiq. & decis. 4. in princ. eod. tit. in no.* Cassad. *dec. 2. num. 3. eodem tit.*

3 Non obstat, quòd possessio fuerit tradita de ordine secundi exequutoris, qui adire non poterat, cùm literæ primo essent præsentatæ, cuius iurisdictio erat perpetua, *cap. cùm plures, de off. delegat. in 6.* quia cùm esset data facultas Matthæo, in euentum quòd primus differret exequutionem, post 30. dies, adire secundum meritò, elapso tempore, potuit, *d. c. cùm plures.*

Minùs releuat, quòd primus exequutor habuit iustam causam non tradendi possessionem infra dictum tempus, stante clausula, *diligenter inquiras, si aliqua symoniæ labes, vel illicita pactio interuenerit*, † 4 quia licèt fuisset inchoatus processus coram alio iudice Episcopi, non tamen afficiebat Matthæum nõ citatum. Bald. *in l. ab eo, nu. 17. C. quomodo, & quando iud.* Et quamuis coram Vicario Lucano exequutore procurator fiscalis pluriès se opposuerit, allegando huiusmodi symoniam, tamen nullam fecit probationem, & productio actorum coram alio iudice nihil operabatur, tum quia fuit verbalis, tum etiam quia in illo iudicio Matthæus non fuit citatus.

Nec potest fieri aliquod fundamentum in citatione facta Matthæo per Vicarium primum exequutorẽ, quia non potest validare gesta coram alio iudice, & huiusmodi citatio erat ad respondendum in Camera ipsi Vicario, super quibusdam petitionibus per ipsum faciendis, nec constabat, super qua repetitiones essent faciendæ.

Non officit, quòd possessio in isto 5 interdicto est probanda immediatè ante litem, §. *hodie, instit. de interdict.* Bart. *in l. 1. §. fin. num. 14. ff. vti possidet.* Alex. *cons. 92. num. 4. vers. quòd autem in possessorio, lib. 1.* quia licèt processus formaliter super symonia fuisset inchoatus 28. Nouembris, elapsis iam

nouem diebus poſt terminum 30. dierum datum primo exequutori, nihilominùs citatio fuit exequuta die 29. contra Matthæum, quo die ceperat poſſeſſionem de mandato ſecundi exequutoris. Vnde non cóſtat an citatio fuerit exequuta ante, vel poſt captam poſſeſſionem, & multùm veriſimile eſt, quòd poſt captam poſſeſſionem, ſtante quòd citatio fuit exequuta, domi dimiſſa copia. Vltra quòd huiuſmodi noualis non poterat impedire, quo minùs Matthæus poſſet capere poſſeſſionem, cùm non eſſet ſuper titulo beneficij, vt in his terminis fuit reſolutum coram R. P. D. meo Lancellotto, in cauſa Calaguritana de
6 Maeſta, 29. Octobris 1601. Et ceſſat omnis amaritudo, quia cùm habuiſſet reſignationem ante huiuſmodi iudicium cœptum 29. Octobris, potuit, lite pendente poſſeſſionem capere. Lancellot. *de attentat. par. 2. cap. 4. num. 338.*

FIRMANA PRÆTENSÆ reſtitutionis Rotis.

Mercur. 2. Maij 1603.

EPITOME.

Dos filiæ à patre dotatæ, patre mortuo ſpectat ad filias fœminas dotatæ, etiam ſtante ſtatuto excluſiuo fœminarum propter maſculos, ſi maſculi non adſint.

SVMMARIVM.

1 *Dos à patre profecta, mortuo patre, conſolidatur in muliere.*
2 *Statutum non comprehendit forenſes, & num. 5. & 6. & 21.*
3 *De vno caſu non infertur ad alium.*
4 *Deficientibus agnatis, ceſſat ſtatutum inductum fauore agnationis.*
5 *Proximior in gradu excludit remotiorem.*
6 *Reo & poſſeſſori ſufficit vincere per non ius actoris.*
7 *Nomine filiorum, ex interpretatione veniunt fœminæ, & nu. 20.*
8 *Nomine liberorum veniunt propriè fœminæ.*
9 *Dos à patre profecta, ipſo mortuo, ſpectat ad filios dotatæ.*
10 *Dos mulieris dotatæ à patre, ſi pater moriatur, auo ſuperſtite, auocatur ab auo per filios dotatæ.*
11 *Argumentum à contrario ſenſu valet in ſtatutis, quando non plus prouenit ex interpretatione, quàm verbis, & num. 12.*
13 *Caſus à ſtatuto omiſſus, remanet in diſpoſitione iuris.*
14 *Item quando per illud ius commune non corrigitur.*
15 *Rubrica declarat intentionem ſtatuti.*
16 *Quæ veniunt in neceſſariam conſequentiam, non alterant diſpoſitionem.*
17 *Nomine filiorum, vel liberorum, non veniunt fœminæ, quando adeſt ſtatutum excluſiuum fœminarum. ſtantibus maſculis.*
18 *Quòd ſi non extent maſculi, nomine filiorum veniunt etiam fœminæ, ſtante ſtatuto excluſiuo fœminarum.*
19 *Statutum excludens interpretationem intelligitur de friuola.*

DECISIO CXI.

DOmini dixerunt, non eſſe locum lucro tertiæ partis, & reſtitutioni aliarum partium, iuxta diſpoſitionem ſtatuti, *ſub rub. 44. lib. 2.* cuius verba ſunt, *quòd muliere decedente ante virum ſine filiis, vel cum liberis ex eodem matrimonio natis non*

perue

peruenientibus ad ætatem quatuordecim annorum, maritus lucretur tertiã partem dotis; aliæ verò duæ 3. partes restituantur cui de iure. Licèt enim fuerit conuentum, quòd in euentum restitutionis, aut lucri dotis, seruaretur tale statutum ciuitatis nouæ, tamen casu de quo agitur, visum fuit, non esse locum restitutioni, quia cùm prædeceſſerit pater Arpa-
1 licis, de cuius dote agitur, † dos in ipsa muliere fuit consolidata, & radicata, ita vt transeat ad hæredes eius, & succeſſores, *l. vnica, §. videamus, C. de rei vxor. act.* Bald. Nouell. *de dote. par. 6. priuileg. 17. num. 5. circa medium, verſ. ſed quando*, Ripa, *in l. in quartam, num. 145. ff. ad leg. falcidiam*, Capyc. *deciſ. 176. num. 4.* Abb. *conſ. 81. num. 1. lib. 1.* Honded. *conſ. 32. nu. 25. vol. 1.* Et ideo non potest dominus Lucius frater Arpalicis iuuari ex regula, quòd dos à patre profecta reuertatur ad patrem, *l. dos à patre profecta. C. ſolut. matrim.* quia, defuncto patre, in Arpalice fuit radicata, & in eius succeſſoribus, quales sunt filij, *auth. in ſucceſſione, C. de legit. hæredib.*

Nec obstat, quòd adsit aliud statutum excluſiuum fœminarum, etiã filiarum fauore agnationis, *ſub rub. 34. lib. 5.* Et ideò cùm dominus Lucius frater Arpalicis, sit agnatus, debet succedere, quia non extant niſi filiæ fœminę ex dicta Arpalice, cùm Franciſus maſculus prædeceſſerit
3 ante 14. annum, † quia huiuſmodi statutum non obligat dictas filias, cùm sint forenses. Socin. sen. *conſ. 74. num. 11. lib. 1.* Gozadin. *conſ. 76. num. 12.* Honded. post alios, *conſ. 11. num. 9. vol. 1.* Nec fuit conuentum, quòd in succeſſione seruaretur statutum ciuitatis nouæ, sed solùm in euentum restitutionis dotis, in quo casu nos non sumus, per supràdicta.

† Ergo non potest inferri de vno ad
4 aliud, *l. Papinianus, ff. de minorib.* Et hoc casu idem esset si ageretur inter subditos, & non adeſſent agnati, quia fœminæ succederent, deficientibus enim agnatis, ceſſat statutum inductum fauore agnationis, Brun. *de ſtatut. excluſ. fœmin. art. 12. num. 36.* Et sic in ista facti specie, cùm iſtæ
5 fœminæ non sint subditæ statuto, ceſſat statutum; paria enim sunt, statutum non excludere, & quòd statutum non afficiat, *l. 1. §. qui habebat, ff. de bon. poſſ. contra tabul.*

Non obstat, quòd statutum excluſiuum fœminarum ligat etiã forenses, Brun. *d. loco, art. 6. num. 5. in fin.* qui refert etiam se ad ea quę dixit in superiori quæstione, quæ est *in eodem art. num. 2. & ſeqq.* Quia quicquid sit de hac quæstione, quam Brunus ipse declarat, & limitat, *d. num. 2. & ſeqq.* vt videre est in locis præcitatis, † 6 ponit quæstionem, quando viget statutum excluſiuum fœminarum, vbi bona sunt sita, & tunc dici posſet, quòd ligaret forēſes: hîc autem non sumus in casu, quo bona adsint in loco ciuitatis nouæ, quia fuit data dos in pecunia numerata: & hoc casu statutum non potest ligare perſonas forenses, per supràdicta & dicit Brun. *præcitato loco, nu. 6.*

Ex quibus, siue mares, & fœminæ succeſſerint pariter, *l. maximum vitium, C. de lib. præter*; siue, stante aliquo statuto, mares tantùm, & nunc agatur de succeſſione maris, & quicquid dicendũ esset de eius succeſſione, & quomodo succedatur, satis est, quòd adsit pater, & sorores. † Et 7
sic proximiores in gradu, ita vt ab ipsis tanquam remotior excludatur Lucius, *auth. de hæred. ab inteſtat. §. 2.* Et sufficit ipsis tanquam reis, † 8
& poſſeſſoribus vincere per non ius Lucij, *l. qui accuſare, C. de eden.*

Sed dato etiam abſque veri præiudicio, quòd d. Lucius, poſſet agere ad reſtitutionem dotis, adhuc nó intraret diſpoſitio d. ſtatuti de lucro dotis, quia licèt Arpalices deceſſerit, relictis Franciſco maſculo, qui ante 14. annum deceſſit, & tribus filiabus fœminis, tamen adhuc non eſſet locus reſtitutioni dotis,
9 cùm nomine filiorum, ex interpretatione veniant etiam fœminæ, *l. ſi quis ita, in fin. ff. de teſtam. tutel. l. ſi ita ſcriptum, de legat. 2. l. iuſta, & l. quiſquis, ff. de verb. ſignif.* Illuſtriſſimus Mantica *de coniect. vltim. volunt, lib. 11. tit. 14. num. 2.* eóque magis in præſenti caſu, quia ſtatutum dicit, ſi deceſſe-
10 rit ſine filiis, vel cum liberis, † & clarum eſt, quòd ſine vllo dubitationis ſcrupulo, propria verbi, Liberorum, ſignificatio, deſeruit etiam pro fœminis, *l. cognoſcere, §. liberorum, & l. non eſt ſine liberis, ff. de verb. ſignif. l. 1. C. de condit. inſert. l. iubemus, §. ſin autem, C. ad Trebell. l. cùm acutiſſimi, Cod. de fideicom.* Illuſtriſſimus Cardinalis Mantica, *d. loco, num. 11.* Surd. *deciſ. 66. num. 9.* Et hoc ſuadetur optima ratione, quia nomen, Liberorum, eſt terminus communis mari & fœminæ, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat præſtand.* Et ideo comprehendit vtrumque ſexum ex proprietate ſermonis, non ex interpretatione, vel extinctione. Bart. *in l. 1. num. 2. verſ. vel dic,* & ibi Alciat. *in princ.* & latiùs Veronen. *nu. 23. verſ. 1. caſu, ff. de verb. ſignif.* idem Bart. *in l. ſi quis in tantam, nu. 4. verſ. habemus, C. vnde vi.* Cardin. *in Clem. 1. quæſt. 3. num. 8. verſ. dic, quòd quandoque,* & ibi Barbat. *num. 19. & 60. de elect. mihi col. 20. verſ. quærit iſta gloſſ. & col. 26. verſ. imò ex vi rationis,* cùm aliis latè deductis coram Cantuccio in cauſa Romana deuolutionis domus, ſub *nu. 37. 4.* Maij 1580.

Quare ſtantibus dictis filiabus, 11
vir non lucrabitur tertiam partem dotis, nec aliæ duæ erunt reſtituendæ, ſed debent remanere penes filias Arpalicis, *d. l. 1. §. videamus, C. de rei vxor. act.* etiamſi auus viueret, quia tunc intraret conſuetudo Martini, gloſſ. *in l. dos à patre profecta, C. ſolut. matrim.* † Et tunc deferretur ipſis 12
filiis, non vt hæredibus matris, ſed, vt dicunt Doctores, auocando dotem ab auo, & in filium transferendo, Bart. *in l. poſt dotem. num. 30. & ſeqq. ff. ſolut. matrim.* Ripa qui de communi, *in l. in quartam, num. 191. ff. ad leg. falcid.* Cephal. *conſ. 613. nu. 11.* alios allegat Honded. *conſ. 32. nu. 24. & 27. vol. 1. & conſ. 75. nu. 37. lib. 2.* Et quamuis aliqui voluerint, filios ſuccedere, vti hæredes matris, non autè iure proprio, nihilominùs Rota ſequitur primâ opinionem, vt in cauſa Cluſina dotis, 12. Ianuarij 1598. coram bon. mem. D. Peregrino. Nec facit, quòd hoc ſit argu- 13
mentum à contrario ſenſu, quod in ſtatutis non valet, quicquid dixerit Bald. *in conſ. 95. in princip. vol. 4.* per tex. *in l. inter ſocerum, §. cùm inter, ff. de pact. dotalib.* quia huic textui reſpondet ex communi opinione Gabr. *conſ. 58. num. 19. & ſeqq. lib. 1.* & latè proſequitur, qui alios allegat. Phanucc. *de lucro dot. gloſſ. 11. num. 9. & ſeqq.* Aduertendum autem 14
eſt, quòd licèt argumentum à contrario ſenſu ita generaliter nó dicatur ſumi, ſumitur tamen ad limites verborum, quæ in ſenſu directo ponunt, non autem quando plus venit ex mente, & intellectu, & interpretatione, quàm verbis. Butr. *in c. cùm Apoſtolica, num. 10. de his, quæ fiunt à prælat. ſine conſenſ. cap.* Decius, *conſ. 386. nu. 4. circa medium, verſ. quia tale argumentum à contrario,* Thobias Non. *conſ. 90. num. 14.* Oſaſch. *dec. 85. num.*

*num.*14. Honded.*conſ.*16.*nu.*60.*lib.*1. Et ſi modo prædicto ſumatur argumentum,dicendum erit,virum ſuccedere in tertia parte, & teneri reſtituere alias duas filiis non extantibus, vel non peruenientibus, ad 14.annum,ipſis verò extantibus,virum non excludi ; ſed an ſuccedat, vel non, ſtatutum non determinat,
15 † propterea caſus remanet in diſpoſitione iuris communis, *l.commodiſſimè,ff.de lib.& poſthum.l.ſi extraneus, ff.de condict.ob cauſam*, Decius, *loco præcitato*,& Honded in terminis ſta-
16 tuti pariter, *loco allegato*. Hinc eſt, quòd Roland. *de dote,quæſt.*43.*nu.*3. voluit, poſt alios quos allegat, argumentum à contrario ſenſu valere, quando ius commune per illud non corrigitur,ſed reſeruatur. Quare in hoc caſu tale argumentum valebit, quia ius commune non corrigitur, ſed ſeruatur,quia ſuccedunt filij, vt fuit ſuperiùs dictum.

Nec placuit, quòd ſtatutum diſponat ſuper duabus partibus dotis, & non ſuper tertia viri, quia clarè patet, quòd intentio ſtatuti fuit diſponere ſolùm de lucro dotis in fauorem mariti, & non de duabus tertiis, fauore illorum quibus dos eſt reſtituenda. Et hoc patet ex rubrica, cuius verba ſunt, *quòd maritus lucretur tertiam partem dotis, &*
17 *de dotium reſtitutione*, † quæ quidem rubrica demonſtrat, & declarat intentionem ſtatuti,Bald. *in l.*1.*ſub nu.* 6. *verſ.modo in gloſ. C.ne liceat tertiò prouocare.*Alex.*in l.*1.*num.*3.*ff.ſi cert. pet.& conſ.*13.*incipien.cauſa primò,ſub num.*8.*verſ.ſicut per rubricam, lib.*3. Decius,*d.conſ.*387.*nu.*7.*verſ.prædictis tamen non obſtantibus.*

Nec reſiſtunt verba illa in rubrica, *& de dotium reſtitutione*, & in nigro, quòd *duæ tertiæ partes reſtituan-*
18 *tur cui de iure*, † quia hæc veniunt in neceſſariam conſequentiam, & ideò non alterant diſpoſitionem, *ad tex. in l.*1.*ff. de auct.tutor.& in l.conditionibus*, §. *pupillus, ff.de condit.& demonſtrat.*Sed dato etiam quòd diſponerēt ſuper reſtitutione dotis,quod tamen non viſum fuit Dominis,niſi in neceſſariam cōſequentiam,adhuc intraret argumentum, quia ſtantibus filiis,dos non debet reſtitui, ſed debetur ipſis ſecundùm diſpoſitionem iuris communis, per ſupradicta.

Minùs officit, quòd propter illud ſtatutum excluſiuum fœminarum, in hoc ſtatuto de lucro dotis non veniunt fœminæ, † ſed nec etiam 19
nomine liberorum, Iaſon. *conſ.*140. *nu.*32.*vol.*2. Roland.*conſ.*82.*num.*41. *vol.* 3. cum aliis per Illuſtriſſimum Manticam, *de coniecturis vltimarum volunt.*14.*lib.*11.*num.*22. & poſt eum Surd.*deciſ.*66. *num.*10. Reſpondetur enim, quòd, licèt nomine filiorum non veniant fœminæ, quando adſit tale ſtatutum,† tamen eſt aduerten- 20
dum, quòd non extantibus maſculis,vel deficientibus, nomine filiorum veniunt etiam fœminæ. Bart. *in l.vt iuriſiurand.* §.*ſi liberè,nu.*5.*ff.de oper.libert.* Decian. *reſponſ.*30. *nu.*40. *& ſeqq.vol.*3.Berous, *conſil.*83.*nu.*10. *lib.*2. Cephal. *conſ.*252. *num.*23.*lib.*2. Brun. *de ſtat.excluſ.fœmin. art.*1.*num.* 16. & meliùs,*art.*12.*num.*109.Et fuit dictum in cauſa Bononien. de Beroaldis, 18. Aprilis prædicti coram R.P.D.meo Litta.

Et ideo cùm extent filiæ fœminæ, debēt ſuccedere, quia dominus Lucius non poteſt iuuari alio ſtatuto excluſiuo fœminarum,quod non ligat forenſes,& paria ſunt,quòd non adeſsēt agnati,&quòd iſtæ mulieres non ligentur illo ſtatuto. Quare nō impeditur, quin nomine filiorū,veniant fœminæ, vt dictum fuit.

Non obſtat, quòd adſit aliud ſtatutum, *ſub rubrica 36. lib. 5.* in quo cauetur, quòd ſtatutum nullam recipiat interpretationem etiam à iure communi, vel canonico, quia omiſſo, quòd adeſt aliud ſtatutum, eodem *lib. 5. cap. 25.* in quo habetur, quòd diſpoſitum in maſculino, intelligatur etiam diſpoſitũ in fœminino, niſi conſtet de contraria mente & ratione tacita, vel expreſſa ſtatuti, & quòd in hoc caſu non agitur propriè de interpretatione, ſtante verbo liberorum, vt dictum fuit,
21 tamen hoc debet intelligi, † quòd ſtatutum non recipiat interpretationem friuolam; non enim excludit intellectũ qui colligitur ex verbis, & alium iuſtum. Brun. *de ſtat. excluſ. fœmin. art. 5. num.* 109. Et quamuis adſint verba prægnantia, ſcilicèt etiam à iure communi, vel canonico, non tamen tollit interpretationem, quæ fit per punctum rationis, vel ex communi vſu loquendi, vel
22 ex communi obſeruantia. Brun. *loco proximè citato, num.* 113. Et ideo non debet excludere, quòd nomine filiorum deficientibus maſculis, non veniant fœminæ, per ſupradicta.

Ex quibus in ſumma concluſum, quòd aut dominus Lucius vult iuuari ſtatuto de reſtitutione dotis, & non poteſt, quia non eſt ampliùs locus reſtitutioni, cùm pater Arpalicis prædeceſſerit. Sed, dato quòd Lucius poſſet agere ad reſtitutionẽ,
22 adhuc dos non eſſet reſtituenda, † cùm adſint filiæ fœminæ, quæ comprehenduntur ſub nomine filiorum, ſaltem non extantibus maſculis. Aut vult iuuari Lucius ſtatuto de
23 ſucceſſione, & non poteſt, † quia non ligat iſtas filias forenſes, nec aliquid fuit conuentum ſuper huiuſmodi ſtatuto.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Merc. 21. *Maij.* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus eſt indiuiduum.*
2 *Patronus poteſt ſeparatim, vel coniunctim cum præſentatis eſſe in iudicio.*
3 *Præſentatio eſt fructus diuiſibilis, & ſeparatus à iurepatronatus.*
4 *In diuiſibilibus ſententia quoàd vnum poteſt valere, & non quoàd alium.*

DECISIO CXII.

LIcèt iuſpatronatus ſit indiui- 1
duum, *cap. 1. de iurepat.* Bald. *in l. familiæ, nu. 1. C. comm. vtriuſque iudic.* Roch. *de iurepatr. in verb. ius, num.* 10. tamen Lucretia ſolùm egit ſuper iure patronatus, Vincentiùs verò ab ea præſentatus agebat ſuper inſtitutione. † Et dubitari non poteſt, quin 2
patronus poſſit ſeparatim, & coniunctim cum præſentatis agere. Rota, *deciſ. 2. de iurepatr. in no.* Lambert. *de iurepat. lib. 2. qu. 8. art. 3.* per totum. Et clarum eſt, † quòd præſentatio eſt 3
quid ſeparatum ab ipſo iurepatronatus, cùm ſit fructus iuriſpatronatus, qui fructus eſt diuiſibilis, Roch. *loco præcitato, num.* 11. Hinc eſt, quòd aliàs Rota reſoluit, teſte Lancellotto, *de attentatis 2. parte, c. 12. ampliat.* 11. *nu.* 12. ſententiam fuiſſe validam, quoàd patronos citatos, quia beneficiati agebant ſolùm ſuper manutentione, quæ erat omnino ſeparata ab eo ſuper quo patroni agebant. † 4
Et clarum eſt de iure, quòd quando agitur ſuper aliquo diuiſibili, ſententia poteſt valere quoàd vnum, licèt ſecùs quoàd aliud, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicat.* & latè perſequi-

tur

rur Gabriel *conf.56. nu.16.vol.1.* Et fuit resolutum in causa Pampilonen. Parochialis de Stella, 8. Nouembris præteriti coram me.

Ex quibus cessant in contrarium deducta, ex indiuiduitate rei super qua agitur, quia vnus super vno, alter verò, super alia re agebatur.

TOLETANA CAPELlaniæ.

Lunæ 26. Maij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Possessio probatur per instrumentum adeptæ possessionis.*
2 *Possessio iunior præsumitur clandestina.*
3 *Iudex nulliter procedens, non priuat possessione.*
4 *Possessio ciuilis est manutenibilis contra occupantem naturalem.*
5 *Possessor sine citatione, priuari non potest possessione.*
6 *Clausula*, amoto illicito detentore, *facit exequutorem, de mero mixtum.*
7 *Possessio instrumentalis, alio non existente in possessione, prodest ad effectum manutentionis restitutionis, & alios effectus.*
8 *Exceptiones respicientes petitorium, non admittuntur in summariissimo possessorio.*

Decisio CXIII.

IN hac causa, quæ agitabatur per contradictas, dubitaui, an Petro esset dandum mandatum de manutenendo. Et Domini affirmatiuam sunt amplexi; quia de eius possessione anteriori constat per instrumentum, de quo in registro, fol.83. quæ fuit apprehensa, 22 Octobris, 1600.
1 † Quod quidem instrumẽtum probat possessionem, *l. prædia*, vbi Bart. *num.1. ff.de acquir.possess. l.non idcirco*, vbi Bald. *in princ. C. de fid. instrum.* Put. *decis.360.nu.8.lib.1.* non obstante alia possessione Ioannis, capta 21. Octobris 1601. vt in registro, 2
fol.28. quæ tanquam iunior præsumitur clandestina. Bart. *in l. si duo, nu.4. vers. si verò testes vniuersique, ff.vti possidet.c.licèt causam,* & ibi DD. per illum text. *de probat.* Couar. *pract. quæst.17. in fin.ver.12.meritò.*

Nec facit, quòd Ioannes fuit im- 3
missus de mandato iudicis, quia iudex nulliter processit, & ideo non priuauit Petrum sua possessione. Angelus, & DD. *in l. clàm possidere, §.qui ad nundinas, ff.de acquir. possess.* Et cùm ipse non habuerit se pro spoliato, dicitur ciuilem retinuisse, *d.l.clàm possidere, §. qui ad nundinas.* Cuius vigore dandum est illi inter- 4
dictum retinendæ contra occupantem naturalem, vt tradit Bart. *in l.1. §.interdictum autem, num.2.& in d.l. si duo, num.2.ff.vti possid.* Quòd autem iudex nulliter processerit, dubitari non potest. † Cùm enim Petrus es- 5
set in possessione, debebat citari, *c.licèt Episcopus*, vbi gloss. *in verb.vocato, de præben.in 6.l.fin. C.si per vim, vel alio modo*, latè Felin. *in c.dudum, num.24.de præsumpt.* stante maximè, quòd in literis aderat clausula, *dummodo tempore datæ præsentium non sit alteri ius quæsitum*, & alia clausula, *amoto exinde illicito detentore*, quæ facit 6
exequutorem de mero mixtum, Felin. *in c.de cætero, num.9.de re iudic.* Et fuit dictum in causa Zamoren. Confratrum 14. Iunij 1595. coram bon.mem. D.Gyptio.

Nec releuaret, si diceretur, quòd possessio Petri fuit merè instrumentalis, quia cùm non constet, alium tunc temporis possedisse, † prodest 7
ad effectum manutentionis, & restitutionis, & ad quoscumque alios effectus.

effectus. Rota, *decis.* 21. *de restit. spoliat. in antiq.* Bisignet. *decis.* 8. *eodem tit.* Fastol. *dub.* 41. Cassad. *decis.* 20. *in fin. de præben.* Mohedan. *decis.* 234. Verall. *decis.* 334. *num.* 5. *par.* 2. Et fuit pluriès resolutum.

Minùs releuaret, quòd Petrus non probat, se habere qualitates requisitas in fundatione de qua in regiſtro,
8 fol. 40. † quia hæc respiciunt petitorium; nec in hoc iudicio summariissimo admittuntur huiusmodi exceptiones, Couar. *pract. quæst. c.* 17. *sub num.* 4.

ROMANA RELEVATIONIS Indemnitatis.

Lunæ 26. *Maij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Depositarius debet releuari ab omnibus damnis, & expensis.*
2 *In taxatione expensarum datur iuramentum in litem, præuia iudicis taxatione.*

DECISIO CXIIII.

PLacuit Dominis decisio in hac causa facta 20. Decembris præteriti, scilicèt Lucios, & alios teneri releuare indemnem Antonium, rationibus, de quibus in dicta decisione.

Nec facit, quòd fideiussores se obligarunt, quòd Antonius nullum damnum pateretur ex depositò, ex quo non fuit passus, sed ex restitutione ipsius depositi, quia constat, quòd Antonius vocauerat se depositarium, attamen realiter nõ habebat bona depositata; quod constat, tam ex confessione Vanini, de cuius bonis agebatur, dum ipsum promisit releuare indemnem, & dare fideiussores, vbi expressè habetur, quòd vocauit se depositarium, & adest cõfessio Luciorum in commissione signata manu Sanctissimi, *l. cùm precum, C. de liberal. causa*, quæ probat, assertionem Vanini fuisse veram. Et hoc maximè suadetur ex sustentione litis per Lucios, & alios facta; nec videtur verisimile, quòd si non fuissent obligati, sustinuissent litem contra dominos Varesios creditores.

Debet quoque Antonius releua- 1
ri, præter ea quæ dicuntur in alia decisione, ab omnibus expensis factis occasione istius depositi, tam in transportando bona post obitum Vanini, quæ tunc in actuale depositum accepit, & iterum describi obtinuit, quam etiam in pensione domus conductæ causa custodiæ horum bonorum. † Et quamuis pro- 2
batio harum expensarum sit leuis, dixerunt Domini, quòd detur iuramentum in supplementum, præuia taxatione iudicis.

ARETINA SPOLII.

Mercur. 28. *Maij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Iudex, non transportatis actis, nulliter procedit.*
2 *Acta præsumuntur integrè transportata.*
3 *Iura verbaliter producta, non debent transportari, & nu.* 4.

DECISIO CXV.

QVamuis ex dispositione Sacrosancti Concilij Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 2. acta primæ instantiæ sint transportanda, † ita vt iudex 1
ob non transportationem dicatur nulliter procedere, vt pluriès fuit resolutum, † tamen pro integra 2
transportatione actorũ præsumitur,

ita

ita vt alleganti, acta non eſſe integra, onus id probandi, incumbat.

Non obſtat quod dicebatur, certa iura deficere, nempe quandam fidem de certis bonis, quæ in cataſto ſunt deſcripta, vt conſtat ex proceſſu, fol. 143. quia illa eſt confeſſio partis in poſitione quam dedit, & ceſſat difficultas, quia huiuſmodi fides reperitur in huiuſmodi proceſſu, fol. 256. & 257.

Minùs ſubſiſtit, quòd deſunt literæ dominorum Conſeruatorum iuriſdictionis Florentiæ, emanatæ ſub die 3. Septembris 1576. necnon literæ Apoſtolicæ ad fauorẽ d. Franciſci ac literæ dominorum Conſeruatorum directæ Vexillifero Mon-
3 tis Sancti Sauini: † quia, vt conſtat in proceſſu, fol. 273. à tergo, huiuſmodi productio fuit verbalis, quod ſuaderetur ex ſtylo ipſiuſmet notarij in productione reali, de qua fol. 250. in qua habetur quòd talis, &c. *dict. iura produxit, quæ vnà cũ præſenti notula dimiſit, & relaxauit penes me Cancellarium.* Quæ quidem aſſertio non reperitur in alia productione, & ideò cùm huiuſmodi productio fuerit verbalis, dicta iura non erant tranſportanda. Et fuit reſolutum coram D. meo Ludouiſio, in cauſa Mediolanen. bonorum emphyteoticorum, 10. Iunij 1602.

Non obſtat fides notarij de productione horum iurium, quia non concludit ad productionem realem, immò videtur concludere de productione verbali per ea quæ in ipſa leguntur, ſcilicèt, *fuerunt, & ſunt infrà indicata iura, & ſcripturæ ab eodem D. Franciſco, vel eius procuratore producta* ponderando verbum illud, *indicata*, quod cum verbo *producta*, videtur concludere ad productionem verbalem.

4 Nec releuat, quòd huiuſmodi iura maximè conferant ad prętexendam cauſam, quia non ideò ſequitur, quòd ſint tranſportanda, cùm non fuerint realiter producta, nec propterea eſt præcluſa via D. Franciſco, quin illa poſſit in Rota producere. Et ſic fuit reſolutum, vtraque parte iura ſua deducente.

VALENTINA Mercedis.

Lunæ 2. Iunij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Contractus factus per literas, cenſetur celebratus in loco vbi literæ recipiuntur.*

2 *Conſuetudo, ſeu ſtatutum requirens ſolemnitatem, non extenditur extra territorium.*

3 *Vbi facienda eſt ſolutio, ibi contractus dicitur celebratus, reſpectu fori.*

4 *Solemnitas, & conſuetudo loci contractus attenduntur in contractibus.*

5 *L.* ſed & ſocius, *§.* ſi abſenti, ff. pro ſoc. *declaratur.*

6 *Mandatum, re integra, poteſt reuocari.*

7 *Contractus celebratus extra territorium, ad fraudandum ſtatutum, eſt nullus, non ſeruata forma ſtatuti.*

Decisio CXVI.

DVbitaui an Comiti eſſet concedenda remiſſoria, quæ ex eo petebatur, quia cùm fuiſſet condemnatus ad ſoluendum ſalarium D. Viues, quod fuerat illi conſtitutum per Vicecomitiſſam eius matrem, & tutricem, articulabatur, quòd in regno Valentiæ obſeruatur, quòd nullus tutor, nec curator poteſt procuratori, Aduocato, vel cui-

libet alij ſalarium abſque auctoritate iudicis, ſub nullitatis decreto, cõſtituere. Et Domini, vtraque parte informante reſoluerunt, remiſſoriã non eſſe concedendam. Ratio deciſionis fuit, † quia ſalarium non fuit in ciuitate Valentiæ, ſed Comitiſſa per literas conſtituit ſalarium d. Viues, qui Romę exiſtebat, in quo loco cẽſebatur celebratus cõtractus, cùm in eo epiſtola fuiſſet recepta. Bald. *in l. multum, num.* 28. vbi Salicet, *nu.* 17. ibi, *& id dicit, C. ſi quis alteri, vel ſibi*, Alberic. *in l. 2. num. 4. verſ. ſed iure, ff. de procur.* Rot. Ianuen. *deciſ.* 161. *num.* 4. Et ideo cùm conſuetudo non prohibeat, tutrices ſimpliciter conſtituere ſalaria, ſed ſine certa ſolemnitate, tunc non extenditur extra territorium, vt diſtinguendo dicit Bart. *in l. 1. nu. 32. quæſt. 6. C. de ſum. Trinit. & fid. Cathol.* & ibi Io. Baptiſt. de S. Seuerina, *in repet. nu.* 102. Multos cõgerit Lambert. *de contract. ſine certa ſolem. non valit. in verbo mulierũ, q.* 14. *nu.* 41. *& ſeqq.* & poſt eum Modern Ferrarien. *de clauſul. clauſ. 7. gloſ. 19. nu.* 17. *verſ. contrarium tamen alias*, & de ratificatione facta extra locum ſtatuti, ſi contractus per procuratorẽ fuiſſet factus in loco ſtatuti, fuit reſolutum, 14. Martij præteriti, in cauſa Romana hæreditatis de Saluiatis, coram R. P. D. meo Litta.

Non obſtat, quòd ſolutio erat deſtinata Valentiæ, & ibi quis contraxiſſe dicitur, vbi ſoluere ſe obligauit, *l. contraxiſſe, ff. de act. & obligat. l. 3. ff. de bon. auth. iudic. poſſ. & l. hæres, §. fin. de iudic.* Nam fuit reſolutum, quòd iura allegata loquuntur reſpectu fori, ad effectum, vt quis ibi poſſit conueniri. Bart. *in l. ſemper in ſtipulat. num. 2. ff. de reg. iuris, & in d. l. contraxiſſe*, Socin. ſen. *conſ. 247. num. 5. verſ. non obſtat, quòd tertio loco.* † In his verò quæ reſpiciunt ſolemnitatem, & ordinationem actus, & litis deciſionem attenditur ſtatus, & conſuetudo loci cõtractus. Bart. *locis præcitatis, & in l. cunctos populos, num. 15. & 16. C. de ſum. Trinit. & fid. Cath.*

Minùs obſtat textus, *in l. ſed & ſocius, §. ſi abſenti, ff. pro ſocio*, quem explicat Cephal. *conſ. 172. num. 99. vol. 2.* vbi renunciatio facta abſenti tenet in præiudicium renunciantis ante ſcientiam abſentis. Ex quibus conabatur probari, contractum reſpectu Comitiſſæ fuiſſe perfectum Valentiæ. Quia reſpondetur, quòd tex. *in d. §. ſi abſentis*, loquitur in renunciatione ſocietatis, vbi intereſt, non eſſe factum, non eſſe renunciatum, ſecùs autem in mandato, quod, re integra, poteſt reuocari, & ſola voluntas mandãtis extinguit mandatum, quia nihil intereſt mandatarij, *l. ſi pater, §. cui autem, ff. de manumiſſ. vindic.* Et ita declarat text. *in d. §. ſi abſentis* Salicet, *circa fin.* & Fulgoſ. *num.* 1. Et in omnem euentum iſta conſtitutio ſalarij fuerat facta per literas miſſiuas, nec vlla aderat ſtipulatio notarij pro abſente, & antequàm epiſtola perueniſſet ad manus domini Viues, poterat per Comitiſſam lacerari.

Nec ſubſiſtit, quòd contractus licèt celebratus extra territorium fuit nullus, ex quo d. Viues eſt Valentinus, qui præſumitur ſcire conſtitutiones illius patriæ, vnde illas ſeruare tenebatur. Tiraq. *de legib. connub.* qui alios allegat., *gloſſ. 8. nu.* 222. † quia prædicta procederent, ſi cõtractus fuiſſet celebratus ad fraudandam conſtitutionem, vel ſaltem poſſet intrare aliqua præſumptio fraudis. ita Aretin. *in l. cunctos populos, num* 8. *verſ. niſi actus, C. de ſum. Trinit. & in conſ.* 14. *in cauſa magiſtri Blaſij ſub num.* 2. Pariſ. *conſ.* 99. *num.* 58. *vol.* 1. Crot. *conſ.* 1. *num.* 42. *vol.* 1.

& la

& latè prosequitur Lambert. *d.loco, quæst.17. num. 53.* Hìc autem nulla potest considerari fraus, quia negotium erat tractandum in Curia, & in ea degebat dominus Viues. Notum est enim, quòd ipse est curialis antiquus. Ex quibus patet, quòd natura negotij requirebat, quòd sic tractaretur.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 9. Maij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Vbi non verificatur qualitas constitutionis, non militat illius dispositio.*

2 *Vbi agitur de alterius præiudicio, stricta fieri debet interpretatio.*

3 *Factum alterius non debet tertio nocere.*

4 *Obseruantia subsequuta declarat actum præcedentem.*

5 *Causa propter quam aliquid fit, debet ante omnia verificari.*

DECISIO CXVII.

VEndiderat censum Paulus Victorius Ianus Fabricio Fossano, accedētibus fideiussoribus, Celso, & illis de Vecchiis, qui Vecchij postmodùm in quadam apocha separata erga Paulum Victorium recognouerunt bonam fidem, & cùm postea foro cesserint, sanctæ memor. Pius V. per suum Motum proprium mandauit, quòd à die cessionis fori, vsque ad illud tempus, nulla haberetur ratio fructuum, sed solùm sortis principalis, & si quid solutum hac ratione fuisset, loco sortis principalis cederet. Quare dubitaui, An casus, de quo agitur esset cōprehensus in d. Motu proprio in casu, & ad effectum de quo agitur, qui est vt Celsus tāquam fideiussor nō teneatur ad fructus, & soluti vsque ad hodiernum diem computentur in sortem. Et rota difficultas fuit restricta ad effectum dubij, quia quòd census contineretur in Motu proprio, verba satis clara videbantur, nec hoc in controuersiam deducebatur, sed ad effectum dubij DD. censuerunt, non continere. Motus enim proprius emanauit ad fauorem DD. de Vecchiis, & contra eorum creditores, vt patet ex verbis illis, ibi, *alios creditores*, ac patet ex verbis quondam Iulij de Vecchiis, & ibi, *inter ipsos creditores*, &c. qualis non erat Fossanus, quia emerat censum à Paulo Vitorio, qui non modò vendiderat, sed etiam receperat pecunias. † Et ideò cùm in Fossano nō 1
verificetur qualitas considerata in Motu proprio, nec contra eum militat eius dispositio, *l.4. §. prætor ait, ff. de de dam. infect.* eóque magis quia 2
cùm agatur de præiudicando ipsi Fossano, debet sumi strictissima interpretatio, *c. dudum, de decimis.* Cassad. *dec.1. in princ. de priuil.*

Non obstat recognitio bonæ fidei facta per illos de Vecchiis, quia fuit facta in apocha separata erga Paulum Victorium, † & ideo non de- 3
bet nocere Fossano, *auth. de duobus reis, §. si verò minùs idonei. collat.7.* Bart. *in l. in duobus, §. vbi duo, num.15. ff. de duobus reis* Ronchegal. *in l. reos.11. nu. 33. vers. est tamen sciendum, de duobus reis.*

Nec releuat, quòd fuerit in Motu proprio habita expressa mentio huius census impositi ad fauorem Fossani, cū recognitione bonę fidei illorum de Vecchiis; quia hæc semper intelliguntur respectu Pauli Victorij, & illorum de Vecchiis, qui erant creditores, & debitores, & non respectu Fossani, qui excepta fideiussione illorum de Vecchiis,

nihil agere debebat cum ipſis, ſed ſolùm cum Paulo Victorio, qui ex alio capite, nempe ex recognitione bonæ fidei, agebat cum illis de Vecchiis, & propter hanc cauſam fuerat graduatus, nec vnquam Foſſanus interuenit, aut tanquam creditor fuit nominatus in diſcuſſione.

Prædictis accedat obſeruantia ſubſequuta, quia vſque ad hæc tempora fructus fuerunt ſoluti. † Et 4
hæc quidem obſeruantia declarat præcedentia, *l. ſi ſeruus plurium, §. fin. l. qui filiabus, in princ. deleg.* 1. Pariſ. *conſ. 3. num. 37. & conſ. 43. num. 51. & ſeqq. lib. 3.*

Et ceſſat omnis difficultas, quia Motus proprius in fine habet adſtrictiuam, quòd fructus computentur in ſortem, quatenùs bona non ſufficiant, & ideò quatenus prædicta non ſubſiſterent, adhuc DD. de Celſis non poſſent audiri, niſi priùs verificato, quòd bona non ſufficerent. Qualitas enim eſt cauſa priui- 5
legij. † Et ideo debet in primis verificari. *cap. vlt. de præbend.* Card. *conſ. 92. num. 5. & ſeqq.* Bero. *conſ. 140. num. 17. lib. 2.* Pariſ. *conſ. 41. num. 14. lib. 4.* cum aliis.

PACEN. DECIMARVM del Hebrero.

Lunæ 9. Iunij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Parochus prætendens decimas ex prædiis, probare debet, prædia eſſe intra fines parochiæ.*

2 *Nomine ciuitatis, venit quod murorum ambitu terminatur.*

3 *Ex limitibus ciuitatis, non infertur ad limites parochiæ.*

4 *Epiſcopus habet curam generalem totius ciuitatis, & diœceſis.*

5 *Decimæ loci qui non eſt intra limites alicuius parochiæ, ſpectant ad Epiſcopum.*

DECISIO CXVIII.

FVit reſolutum, non probari locum del Hebrero eſſe infra limites parochiæ Epiſcopi. † Non enim 1
probatur eſſe intra illius fines, prout requiritur. Hoſtien. *in ſum. in tit. de Paroch. num.* 1. Rom. *conſ.* 356. *num.* 1. *&* 2. Rebuff. *ſuper concordatis, tit. de collat. §. ſtatuimus, li.* 2. *in verſ. parochialis.* Hoied. *de benefic. incompat. par.* 1. *c.* 13. *num.* 2. Et fuit dictum coram Cantuccio, in cauſa Racanaten. Parochialis, ſub *num.* 14. 20. Maij 1577. & in alia Ciuitaten. decimarum Februarij 1589. coram Illuſtriſſimo Card. Mantica, & in eadem coram bon. mem. D. Gyptio.

Nec aliquid probant teſtes capituli, quia deponunt de adminiſtratione ſolùm in ciuitate, & ideo eorum depoſitio non poteſt extendi extra ciuitatẽ. Nomine enim ciuita- 2
tis venit id quod murorum ambitu terminatur, *c. ſi ciuitas, de ſent. excom. in* 6. Felyn. *in c. Rodulphus, num.* 1. *& ſeqq. de reſcript.* Vltra quòd hæc depoſitio redditur turbida, ex teſtibus examinatis pro parte D. Ducis.

Nec releuat, quòd locus del Hebrero ſit infra limites ciuitatis, † 3
quia non ideo ſequitur, eſſe infra limites Parochiæ. Hoſtien, *in c. ſuper eo, num.* 3. *&* 11. *de Parochiis, & in cap. querimoniam, num.* 2. & ibi Butr. *num.* 6. *de iurepatronatus*, Felyn. *in cap. cùm cauſam, nu.* 12. *de probat.* cum aliis.

Minùs faciunt alia latè deducta pro parte Capituli, quia omnia tendunt ad probandum, quòd locus del Hebrero ſit infra limites parochiæ generalis Epiſcopi, † qui habet cu- 4
ram generalem totius ciuitatis, & Diœceſis, gloſ. *in c. 2. in verbo, ſuo ſubdito*,

dito,de pœnit. & remiſſ.in 6. Butr. *in cap. ſicut ex literis, num.2. de ſponſal.* non autem infra limites ſpiritualis parochiæ, id eſt, quatenus Eccleſia Cathedralis ſit parochialis, de quo hodie quæritur; ſed quatenus Epiſcopus habet curam generalem, vt dictum eſt.

5 Prædictis non officit, quòd non probato, quòd aliquis locus ſit intra limites alicuius parochiæ, decimæ ſpectant ad Epiſcopum,*cap.quoniam,de decim.cap.decimas,16.quæſt.7.* Rebuf. *de decimis, quæſt.7.num.8.* Et fuit reſolutum in cauſa Oſcen. decimarum,21.Martij 1564.coram bo. me.D.de Rubeis;quia hodie de hoc non quæritur, ſed tantummodò an locus del Hebrero ſit infra limites parochiæ Epiſcopi, conſiderando, quatenùs Eccleſia Cathedralis eſt parochialis,vt dictum eſt.

ANCONITANA Aſſecurationis.

Lunæ 16. Iunij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes nulliter examinati, non probant.*

2 *Acta facta in iudicio criminali,non probant in ciuili,inter diuerſas perſonas, licèt ſocios.*

3 *In probando naufragio admittuntur teſtes, parte non citata, in loco naufragij.*

4 *A verbis contractus non eſt recedendum.*

Decisio CXIX.

DOmini dixerunt, teſtes non probare deprædationem;Quia fuerunt nulliter examinati, *cap.2.* vbi Doctores, *de teſt.*

1 Nec releuat, quòd iſti teſtes fuerint repetiti in iudicio criminali,ad inſtantiam Iudæ cum interrogatoriis Symeonis,quia hæc non fuit repetitio parte citata,ſed fuerunt examinati ad inſtantiam Iudæ in iudicio criminali, & illa quæ dicuntur interrogatoria, ſunt potiùs materiæ ſuggeſtæ iudici criminminali, quàm interrogatoria, & ideò ſicuti iſti teſtes non probarent pro Iuda,nec cõtra ipſum probare debent. Vital. *in Clemen.2.nu.91.de teſt.* Achil. *deciſ.1. eod.tit.* & fuit aliàs reſolutum.

Vltra quòd huiuſmodi acta non erant facta inter eaſdem partes, ſed cum ſocio, † & ideo non probarent 2 in iudicio ciuili,ita vt iudex ex illis moueri debeat. Bald. *in l.2. num.19.* & ibi Dec.*num.44.C.de eden.*Felin.*in cap.cauſam,quæ.1. num.18. de teſtibus.* Capic.*deciſ.107.nu.3.*Et fuit dictum in cauſa Bononien.de Budriolis, *ſub num.5.25.* Nouembris 1578. coram Reuerendiſſimo D. meo Patriarcha Alexandrino.

Nec applicatur, quòd in cauſa 3 naufragij admittantur teſtes etiam ſine partis citatione.Bart. *in l.ſecunda, nu.2.C.de naufrag.lib* 11. quia hoc procedit, quãdo examen eſt factum in loco naufragij, & ita declarat Bartolum Dec. *conſ.82. num.3. verſ. non obſtant allegata,*& adden.*ad Bart. verſ. & aduerte*; ſecùs autem dicendum eſt in caſu iſto, ex quo examen fuit factum Anconæ,vbi adeſt pars, & ideo citari debebat.

Minùs applicatur quod dicitur, 4 ſufficere, quòd adſit nuncius deprædationis nauis; quia hoc non dicit apocha aſſecurationis, in qua fit fundamentum, ſed ſolùm dicit, ſufficere, quòd venerit nuncius deprædationis nauis, ad effectũ quòd aſſecuratores teneantur. Sed cùm nauis venerit ſalua ad portum Anconæ, vtique deprædatio erat probanda, ad effectum quòd aſſecura-

tores tenerentur, quia ſumus in caſu deprædationis, non perditionis, prout loquitur apocha aſſecurationis, à cuius verbis non eſt recedendum, *l. non aliter, de leg.3.*

BONONIEN. FIDEIcommiſſi de Mangiolis.

Veneris 20. *Iunij* 1603.

SVMMARIVM.

2 *Ex confeſſione, etiam tacita, facta in diuiſione, & tranſactione, probatur, bona fuiſſe ſuppoſita fideicommiſſo, in præiudicium diuidentium, & ſingularium ſucceſſorum. Quod numero ſequenti declaratur.*

3 *Taciti & expreſſi eadem eſt virtus.*

4 *Ad validitatem tranſactionis ſufficit timor litis.*

5 *Duo confines probant identitatem, & nu.*1. *&* 7. *licèt mutata ſit qualitas rei.*

6 *Sequentia declarant præcedentia.*

DECISIO CXX.

FVerunt adiudicata plura bona dominis de Maluaticis, tãquam creditoribus Comitis Melchioris iunioris, quæ eius filij tanquam fideicommiſſo ſuppoſita recuperare intendunt. Quare cùm priùs fuerit firmata deſcendentia, & adeſſè fideicommiſſum; Dubitaui, an conſtaret de identitate horum bonorũ. Et Domini quoàd primam, & ſecundam poſſeſſionem affirmatiuè reſoluerunt, quòd enim hæ duæ poſſeſſiones fuerint ſuppoſitæ fideicommiſſo Comitis Melchioris ſenioris, videbatur ſatis probari quoàd primam, † ex diuiſione facta inter 1
ipſos fideicommiſſarios, id eſt, inter Comitem Melchiorem iuniorem, Ranucios, Barbacios, & alios, de qua in ſummario, *nu.*2. vbi inter alia in poſitione Comitis Melchioris obuenit hæc poſſeſſio nuncupata Caſſina, in campo Bruno. Et probatur quoque ex alia diuiſione facta de anno 1545. Quo verò ad aliã poſſeſſionem, id eſt, vnum prædium terræ aratiuæ arboratæ, &c. diſtinctum in quatuor petiis terræ, iuxta dominos de Faba à meridie Arioſtis, & de Felicinis, foueas Caſtri Sancti Martini, conſtat pariter fuiſſe ſuppoſitam fideicommiſſo Melchioris Senioris, ex inſtrumento tranſactionis inter Comitem Melchiorem iuniorẽ, & Comitem Vliſſem de Bentiuolis. † Et hæ quidem 2
confeſſiones in diuiſionibus, & tranſactionibus, ſicuti probarent inter ipſos diuidentes, & tranſigentes, bona fuiſſe ſuppoſita fideicõmiſſo, Alex. *conſ.* 152. *num.*1. *lib.*7. ita quoque probant contra ſingularem ſucceſſorem, vt in terminis fideicommiſſi eſt conſilium Ruin. 128. *num.*16. *lib.*2. Marzar. *in epit. de fideicom. quæſt.*59. & tenuit Rota coram Reuerendiſſimo D. meo Patriarcha Alexandrino, in cauſa Fauentina bonorum de Nicolutiis, 15. Ianuarij 1582. & nouiſſimè fuit admiſſum in cauſa Bononien. fideicõmiſſi de Rubeis 3. Martij præteriti, coram R.P.D. meo Lancellotto. Et facit quod voluit Caſtren. *conſ.*94. *in fin. lib.*2. quòd bona fuerint poſſeſſa tanquam fideicommiſſo ſuppoſita. Et confeſſio facta in inſtrumento diuiſionis, quando emanauit ante tranſlationem nocet ſingulari ſucceſſori. Ruin. *conſ.*40. *num.*3. *&* 4. *lib.*4. Et tenuit Rota coram Cardinali Lancellotto in cauſa Bononien. iuriſdictionis 18. Maij 1576. Et generale eſt, quòd confeſſio nocet tam ſingulari, quàm vniuerſali ſucceſſori. Aym. *conſ.* 29. *num.*1.

Cæſar

Cæsar de Graff. *decis.* 20. *nu.* 9. *de probat.*

Nec releuat, quòd in istis diuisionibus non habeatur mentio, quòd huiusmodi bona fuerint suppositа fideicommisso, & ideo cùm nulla adest confessio cessant omnia prædicta, † quia cùm taciti & expressi eadem sit virtus, *l. cùm quid, ff. si cert. pet. l. qui ad certum, ff. locat.* ideò satis adest cõfessio, cùm ipsi tanquam fideicommissarij, & vocati, fecerint diuisionem. 3

Nec obstant ea quæ dicuntur circa secundam possessionem, scilicèt, quòd licèt Comes Melchior eam prætenderet à Comite Vlisse, tanquam suppositam fideicommisso, & vigore laudi Cardinalis Sancti Sixti, tamen ei non fuit data, nec vigore fideicommissi, nec vigore laudi, sed in vim transactionis, cum clausula ad habendum; quia respondetur, quòd transactio tanquam quid separatum ab ipsa confessione, non tollit confessionem Comitis, nec resistit, quòd fuerit non obstante confessione, transactum, † quia sufficit timor litis & controuersiæ, ad validitatem transactionis; sed non propterea sequitur, quòd confessio fuerit erronea. 4

Prædictis firmatis, dubitari non potest, quin de identitate harum possessionum constet. Nam quantùm attinet ad primam possessionẽ, conueniunt duo confinia, scilicèt via publica, & Zena, quæ sufficiũt. Bart. *in l. demonstratio, num.* 14. *ff. de condit. & demon.* latè Menoch. *cons.* 409. *num.* 84. His accedat identitas nominis, scilicèt, la Cassina. Menoch. *cons.* 202. *num.* 102. & loci, scilicèt in communi Sancti Martini; Aret. *cons.* 103. *sub num.* 3. *vers. idem videtur.* 5

Non obstat, quòd in diuisionibus hæc prima possessio nuncupetur Cassina, quæ differt à possessione laboratiua, quia, vt dicunt testes fuit redacta ad culturam; & hoc idem fatentur fideicommissarij in diuisione, & cùm confinia concordent, licèt sit immutata qualitas rei, sufficit. Roland. *cons.* 67. *nu.* 16. *& seq. lib.* 2.

Non officit, quòd in instrumento adiudicationis, hæc non appelletur Cassina, quia vigore illius instrumenti fuit capta possessio huius Cassinæ, vt constat ex alio instrumento adeptæ possessionis, & ideò satis videtur, hanc fuisse possessionem adiudicatam. † Sequentia enim declarant præcedentia, *l. si seruus plurium, l. qui filiabus, ff. de leg.* 1. cum aliis. 6

Minùs obstat, quòd possessio illa nuncupata Cassina, esset Tornatura rum, 67. Et quòd ista sit Tornaturarum 125. arguendo à quantitate seminis, quia tota non fuit inducta ad culturam, sed adhuc retinet prata.

Nec subsistit, quòd huiusmodi Cassina sit in communi Minerbij, possessio verò de qua agitur in cõmuni Sancti Martini; quia licèt in vna diuisione enuncietur in communi Minerbij, tamen colligitur, hoc fuisse per errorem; tum quia in vltima diuisione enunciatur in communi Sancti Martini, tum quia dicitur esse in loco dicto Campo Bruno, qui est in communi Sancti Martini. Et hoc etiam suadetur, propter contiguitatem horum duorum communium.

Quantùm attinet ad secundam possessionem, confinia posita in instrumento adiudicationis benè cõcordant cum confinibus nominatis in instrumento transactionis. Ex quibus satis constat de identitate 7

huius

huius ſecundæ poſſeſſionis, per ſupradicta.

PAMPILONEN.
Parochialis de Stella.

Lunæ 23. Iunij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Propter præſumptam calumniam, non facilè denegatur remiſſoria, ſecùs propter vehementem.*
2 *Scripturis magis creditur, quàm teſtibus in concurſu.*
3 *Remiſſoria denegatur, ob irreleuantiam articulorum.*
4 *Tertius non poteſt dare de nullitate.*
5 *Non reclamans acquieſcere cenſetur.*

DECISIO CXXI.

PEtebatur remiſſoria ad euitandam deciſionem, in qua firmatur, ſententias fuiſſe validas quoàd parochianos citatos, licèt ſecùs quoàd beneficiatos nõ citatos; quia actiones erant diuerſæ, & fiſcalis non erat in cauſa, & Vicarius eſt amouibilis; quare non poterat dare de nullitate, cùm cura ſit penes Abbatem, cuius monaſterio Eccleſia eſt vnita; & ideò cùm omnes articuli tendant ad probandum, quòd Vicarius eſt perpetuus, tam ex capite calumniæ, quàm irreleuantiæ, Domini cenſuerunt, remiſſoriam eſſe denegandam. Ex deductis enim coram Reuerendiſſimo Domino Patriarcha Alexandrino 12. Decembris 1598. in hac cauſa conſtat, Vicarium eſſe amouibilem, & quamuis etiam ad euitandum illam deciſionem articularetur contra ipſius fundamenta, tamen manifeſtè colligitur calumnia, quia ex multis præſentationibus quæ dantur in ſummario Abbatis ab anno 1544. vſque ad annum 1579. conſtat, ſemper Vicarium fuiſſe ad annum præſentatum, & admiſſum. † Et quamuis 1
propter præſumptam calumniam non de facili denegetur remiſſoria, Ægid. *deciſ.* 644. tamen hoc procedit, quando articuli ſunt releuantes, quod non eſt, hic vt infrà dicetur, vel niſi calumnia eſſet vehemens, prout reſolutum fuit coram Reuerendiſſimo D. Oriolen. bo. me. in cauſa Caurien. iuriſdictionis 16. Februarij 1587. quæ videtur in caſu iſto, ſtantibus prædictis præſentationibus.

Nec releuant teſtes pro parte parochianorum examinati, qui deponunt, Vicarium eſſe perpetuum, quia non propterea ceſſat calumnia. Ex ſcripturis enim conſtat, Vicariũ eſſe amouibilem, † & clarum eſt, 2
quòd in concurſu prævalet probatio per ſcripturas, vt fuit reſolutum coram bo. me. Bubalo, in cauſa Calaguritana beneficij, 5. Iunij 1589. Vltra quòd, teſtes deponunt poſt conſtitutionem ſynodalem factam de anno 1590. in qua præcipitur, quòd Vicarij amouibiles exinde nõ amoueantur abſque legitima cauſa, ſed nec huiuſmodi conſtitutio tollit, quin Vicarius ſit amouibilis, quod ſatis eſt, quòd beneficium in titulum ei non conferatur, & quòd ſimpliciter, abſque alia priuatione, cum cauſa remoueri poſſit.

Ex capite irreleuantiæ pariter re- 3
miſſoria fuit denegata; probatis enim articulis non releuaret, *l. ad probationem, C. de probat.* gloſſ. & Bald. *in c. cùm contingat. de offic. deleg.* Caſſad. *deciſ.* 2. *de dilat.* Caputaque. *deciſ.* 66. *p.* 3. Paleot. *deciſ.* 294. Mohed. 199. Nam non adeſt perſona legitima, quæ habeat mandatum pro Vicario, nec poſſunt parochiani pro ipſo

ipso dare de hac nullitate, ad tex. *in l. per fundum, ff. de seruit. rust. præd.* ibi. Benigniùs, vbi vnus ex sociis cedens ius suum, non potest postea obiicere de iure aliorum qui cedere noluerunt, & benè explicat materiam glos. finalis, *ibidem.* Et meritò 5 quidem in præsenti casu, quia Vicarius, non reclamat, nec aliquid dicit, quare censetur sententiæ acquiescere, *l. 5. C. de appellat. l. ab ea C. quomod. & quand. iudex*, eóque magis, quia parochiani semper cóparuerunt pro Vicario. Et hodie volunt allegare turpitudinem suã, scilicèt, ipsos comparuisse absque mandato, & ex hoc capite dare de nullitate, respectu ipsius Vicarij.

ROMANA BONORVM de Soderinis.

Lunæ 23. Iunij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Ex causa Releuantiæ, etiam vnius articuli remissoria conceditur.*
2 *Propter præsumptam calumniam, de facili remissoria non negatur.*
3 *In exequutiuis remissoria non conceditur.*

Decisio CXXII.

EX capite releuantiæ, Domini censuerunt, concedendam esse remissoriam. Articulatur enim, instrumentum non fuisse extensum iuxta stylum notariorum Florentię, secundùm quem fuerat promissum de euictione. Et si aliquod instrumentum reperiatur extensum, prout est illud de quo agitur, nihilominùs, quòd eius exequutio non solet concedi, quotiescumque constat iudici, quòd causa poterat defendi ab eo qui petit exequutionem, vel quotiescumque euictio fuit iniusta. † Quando enim constat de releuantia, etiam sine fumo in profanis, remissoria conceditur. Verall. *decis. 68. par. 3.* Cassad. *decis. 2. de dilation.* Mohed. *decis. 199.* & sufficit, quòd vnus articulus sit releuans, ad hoc vt alij admittantur, prout passim Rota seruat. 1

Nec releuat, quòd ista remissoria videatur calumniosa, stante, quòd extensio est facta iuxta formularium Florentinum, † quia propter præ- 2 sumptam calumniam non de facili denegatur remissoria. Ægid. *decis. 624. in fin.* Cassad. *decis. 3. de dilat.* & fuit sæpè resolutum.

Minùs refert, quòd in exequuti- 3 uis remissoria non solet concedi. Verall. *decis. 262. par. prima*; quia non agitur ad impediendam exequutionem, sed agitur ad verificandam ipsam obligationem, & causa reperitur commissa, appellatione remota. Vnde ex denegatione remissoriæ, sequeretur damnum irreparabile, quod facit, vt remissoria concedatur; vt fuit dictum coram Fabio in causa Toletana matrimonij, 7. Iunij 1549. sub *num. 4.*

INTERAMNEN. Pecuniariæ.

Lunæ 23. Iunij 1603.

Epitome.

Causa ciuilis priùs cognosci debet, quàm criminalis, si præiudicium est viciissitudinarium, stante clausula; *constito quòd causa ciuilis præiudicat criminali*, quæ formam inducit.

SVMMARIVM.

1 *Creditor exigens creditum aliàs exactum, tenetur ciuiliter actione*

in factum, & criminaliter ex ſtellionatu.

2 *Actioni ſtellionatuss locus eſt, cùm non reperitur impoſitum particulare nomen.*

3 *Cauſa ciuilis eſt præiudicialis criminali, quando illa reſoluta, reſoluitur etiam criminalis.*

4 *Clauſula.* conſtito, *inducit formã, num.*21.*&* 31.

5 *Cauſa ciuilis, & criminalis, quando oriuntur ex eodem facto, non poſſunt vnico contextu cognoſci, & nu.*20.

*Secùs ſi ex diuerſo, nu.*32.*&* 33.

6 *Si cauſa criminalis, & ciuilis tendunt ad diuerſa, vna finita, poteſt ad aliam procedi, ſecùs ſi tendunt ad eundem finem, ne diuerſæ ſententiæ ſequantur.*

7 *Cauſa ciuilis priùs debet cognoſci, & interim ſuperſederi in criminali, num.*8.

9 *Commiſſio cauſæ appellationis, non diuerſificat iudicium, ſed inſtantiam.*

10 *Accipiens ſcienter indebitum, committit furtum.*

11 *Dominus rei ſubtractæ non poteſt impedire iudicem criminaliter procedentem, poſt formatam inquiſitionem.*

12 *Debitum iam ſolutum ſcienter exigens, non committit aliquod delictũ nominatum, ideoque tenetur crimine ſtellionatus, & leuiùs peccat, num.* 14.

13 *Exigens ſcienter pecuniam nunquã debitam, eſt author, & fabricator doli, totiuſque figmenti; & infamis.*

15 *Falſi crimen non adeſt, vbi eſt aliquod primordium veritatis admixtum.*

16 *Stellionatus non infamat, ſi ciuilis actio non infamat.*

17 *Qui debitum ſolutum exigit, ſatisfaciens parti læſæ iudicium criminale impedit.*

18 *Cauſa criminalis tanquam maior priùs cognoſci debet, quando præiudicium eſt viciſſitudinarium, ſecùs eſt, quando non eſt viciſſitudinariũ, num.* 19. *quia impoſſibilitas facti non reſultat, ſed tantùm in potentia iuris.*

22 *Iudex ex officio poteſt hodie de quocumque crimine inquirere, nec admittitur reus, qui contra querelam litis ciuilis, pendentiam opponit.*

23 *Iudex non repræſentat offenſum, vt dicatur eius iniuriam proſequi, ſed publicam iniuriam, & æquiparatur accuſanti, tanquam vni de populo, non tanquam priuato, niſi quando officium ſuum principaliter eſt offenſum, num.*24.

25 *Vbi ſeruatur ius commune, non poteſt iudex ex officio inquirere.*

26 *Dictio*, ferè, *eſt diminutiua.*

27 *Doctori atteſtanti de conſuetudine non creditur.*

28 *Conſuetudo eſt probanda ab eo qui in ea ſe fundat.*

29 *Officium iudicis mercenariũ actioni deſeruit, officiũ iudicis nobile actioni non deſeruit, ſed deſeruit loco actionis deficientis.*

34 *Bulla Pij* 4. *in §. & ſi auditor, habet locum quando cauſa criminalis eſt præiudicialis ciuili.*

Decisio CXXIII.

PEndente huiuſmodi cauſa corã me, Marcutius obtinuit reſcribi, vt conſtito, quòd cauſa ciuilis ſit præiudicialis criminali, inhiberem: quare dubitaui, an conſtaret de huiuſmodi præiudicio, & Domini reſoluerunt affirmatiuè. Prætenditur enim, bis idem exactum fuiſſe, † ex 1
quo oritur actio ciuilis in factum, & criminalis ex ſtellionatu. Bald. *in l. prima, num.*14. *C. de condict. indeb.*

Et in

Et in terminis, quòd ille qui exigit debitum iam ſolutum, teneatur crimine ſtellionatus, eſt text. not. *in l. ſed fideiuſſor, §. in omnibus, ff. mandat.* vbi Bart. *num.1.* & benè Aret. *in 2. not.* Bald. *in l.1.num.12. C. quand. ciuil.* 2 *act. crimin. præiud.* † Cui ſtellionatus actioni locus eſt, quando non reperitur impoſitum ſpeciale nomen, *l.3. ff. de crimin. ſtellion.* Quare cùm 3 ciuilis ſit præiudicialis criminali, † (reſoluto enim ciuiliter, quòd bis idem non fuerit exactum, non poteſt agi criminaliter ex ſtellionatu) 4 eſt inhibendum, ſtante clauſula, *conſtito. &c.* quæ inducit formam; quare debet ſeruari, ad trad. per Bart. *in l. diem proferre, §. ſtari, nu.3.* 5 *ff. de recept. arbitr.* Dec. *conſ.438.* † Et eo magis, cùm cauſa ciuilis, & criminalis non poſſint cognoſci vnico contextu, quando oriuntur ex eo- 6 dem facto, vt in caſu iſto, † ſed, peracta vna, ſi actio criminalis, & ciuilis tendunt ad diuerſa, poteſt ad aliam rediri, licèt ſecùs ſit, ſi tendunt ad eundem finem, *l.2. §. ex hoc edicto,* & ibi notat Bart. *in princ. & num.1. verſ. videte Domini, ff. de vi bon. rapt. l. vnica,* vbi Azo. *num.3. C. quando ciuil. act. crimin. præiud. l. interdum, ff. de publ. iud.* Boſſ. *in prox. tit. de pluribus violentiis, num.115.* Clar. *in prax. crimin. §. fin. quæſt.2. verſ. vlterius quæro,* Maran. *in prax. in 4. par. princip. in 1. diſtinct. iudic. num.9. fol.93. in fin. cum ſeq.* Poſſet enim ſequi, quòd contrariæ ſententiæ pronunciarentur, quod eſt euitandum. Innoc. *in cap. cùm contingat, nu.3. verſ. eſt ergo, de offic. deleg.* Anchar. *conſ.62. num.3. verſ. item ratione,* 7 Surd. *conſ.139. num.1. vol.1.* † Sed ſic eſt, quòd fuit priùs intentata cauſa ciuilis, ideò de ea priùs cognoſci debet. Cyn. *in d. l. vnica, num. 5. verſ. ſed breuiter dicendum eſt. C. quando ciuil. act. crimin. præiud. & ibidem,* Odofred. *num.1. & ſeq. & num.12. verſ. ſi autem alicui.* Bart. *ibidem, nu.3. & in d. l. 2. §. ex hoc edicto, in princ. verſ. & quando, & num. 1. verſ. videte Domini, ff. de vi bon. rapt. & in d. l. interdum, in princ. ff. de public. iud.* Abb. *in cap. ſuæ, num.5. verſ. nam regula iuris, de procurat.* Specul. *in tit. de action. ſeu petit. §. ſequitur, num.15.* Surd. *dicto conſ.139. num.1. vol.1.* Et ſuperſedere habet qui intentauit priùs iudicium ciuile, donec illud ſit terminatum, *l. damus, C. de falſ. l. prima, C. de appell.* vbi etiam conceditur appellatio, ſi non terminatur iudicium primo loco intentatum. Bart. *loco alleg.*

Et quamuis cauſa criminalis ſit attentata poſt iudicium ciuile in partibus, hoc ſufficit, † quia com- 9 miſſio cauſæ appellationis non diuerſificat cauſam, ſed inſtantiam. Salyc. *in l. ita demum, in fin. & in l. inuitus, num. 1. C. de procurat.*

10 Non obſtat, quòd quando quis 10 ſcienter accepit indebitum ab alio, committit furtum, *l. quoniam,* & ibi Salice, *num.3.* & Caſtren. *in fine* poſt Bart. *ff. de condict. furt.* Alex. *in l. in his, §. mulier, ff. ſolut. matr.* † Et ideo 11 formata inquiſitione de furto, non poteſt dominus rei ſubtractæ impedire iudicem criminaliter procedentem, Clar. *in §. furtum, col.6. verſ. item excuſatur.* † Nam fuit reſpon- 12 ſum, quòd † quando quis ſcienter, 13 debitum iam ſolutum exigit, non committit aliquod delictum nominatum, ideóque propter dolum tenetur ſolo crimine ſtellionatus, vt dictum fuit, † ſed qui ſcienter exi- 13 git pecuniam indebitam, ſcilicèt quæ nũquam fuit debita, eſt author & fabricator doli, & totius figmenti, & eſt infamis, *l. quarta, in fin. cum duabus ſequen. ff. de his qui not. infam.* At is qui bis exegit creditum, fuit

14 aliquando verus creditor, † & habet aliquod primordium veritatis, & per conſequens leuiùs peccat, Caſtr. *in l. cùm filius, §. hæres, de*
15 *leg. 2.* vbi ait per illum tex. † quòd non eſt falſi crimen, quod habet aliquod primordium veritatis, vel aliquid veritatis admixtum; *& in conſ. 120. num. 4. vol. 1* Rimin. *ſen. conſ. 53. num. 6.* Cagnol. *in præm. Digeſtorum,*
16 *in principio, num. 102.* † Et ſtellionatus non infamat, quando ciuilis actio non infamaret, *l. penult. ff. de crimin. ſtellionat.* Menoch. *de arbitr.*
17 *caſ. 381. in fine.* † Quare in caſu crediti bis exacti, ſatisfaciendo parti lęſæ impeditur iudicium criminale, nec poteſt iudex ampliùs inquirere, *l. prima, in fine,* & ibi Salicet. *num. 3. verſic. quibuſdam verò ex his, C. de crimin. ſtellionat.* Azo *in l. vnica num. 3. C. quando ciuil. act. crimin. præiud.* Boſſ. *tit. de crimin. ſtellionat. num. 8.*

18 Nec facit, quòd hic præiudicium eſt viciſſitudinarium, vna enim cauſa propter facti poſſibilitatem approbat aliam, quare priùs debet cognoſci de maiori, qualis eſt criminalis, *l. prima, C. qui accuſar. non poſſ.* Salyc. qui dicit ita Azonem legere textum, *in dicta l. prima,* & illam lecturam eſſe communiter receptam, *& in l. final. num. 1. verſ. cauſa hæc, C.*
19 *de ordin iud.* † Licèt ſecùs ſit, quando præiudicium non eſt viciſſitudinarium, quia impoſſibilitas facti non reſultat, ſed ſolùm in potentia iuris, vt in ſeruo qui accuſat dominum, & quòd ſit ſeruus eius obiicitur, & pronunciari petitur, & tunc de iſta præiudiciali priùs cognoſcitur. Et ita procedunt textus, in quibus terminis nos non verſamur, *in l. per minorem, ff. de iudic. & tap. tuam, de ordin. cognit. l. quoniam Alexandrum, C. de adult. l. præſes, C. ad leg. Flau. de plag. & §. præiudiciales, inſtit. de action. & alij quos allegat* Hoſtien. *in ſumm. de ordin. cognit. circa fin.* Natt. *conſ. 138. num. 3.* Et in his terminis procedunt exempla adducta per Aym. *conſ. 280. num. 3.* Et ita diſtinguit Salyc. *in l. vltima, nu. 1. C. de ordin. iud.* † Reſpondetur enim, 20
quòd cauſa ciuilis, & criminalis non poſſunt cognoſci vnico contextu, quando oriuntur ex eodem facto, ſed cùm fuerit priùs incepta cauſa ciuilis, debet priùs terminari, per ſupràdicta. Secundò fuit reſpóſum, quòd cùm fuerit reſcriptum † cum 21
clauſula, *conſtito, quòd cauſa ciuilis ſit præiudicialis criminali*, quæ inducit formam, non eſt habenda ratio, an maior, vel minor ſit cauſa ciuilis, ſed ſolùm an ſit præiudicialis criminali, qualis eſt, vt fuit oſtenſum.

Minùs etiam officit, quòd cùm 22
hodie ex officio iudex poſſit de quocumque crimine inquirere, non admittitur reus qui cõtra querelam, ſiue accuſationem contra ſe porrectam, opponeret huiuſmodi exceptiones ad euitãdum iudicium criminale. Clar. *in §. finali, quæſt. 2. in fine,* & ibidem, *in quæſt. 10. verſ. ſcias tamen.* † Iudex enim non repræſen- 23
tat offenſum, vt dicatur eius iniuriã proſequi, ſed publicam iniuriã proſequi. Et iudex inquirens æquiparatur ei qui accuſat tanquam quilibet de populo, nõ autem ei qui propter priuatam iniuriam & vindictã ſuã. Ita Bald. *in l. cùm mulier, ante num. 32. verſ. item iudex non repræſentat, ff. ſolut. matrim.* Bartol. *in l. prima, §. ſi publico, num. 16. ff. ad leg. Iul. de adult.* † Niſi 24
quando officium ſuum eſt principaliter offenſum, vt in falſo teſte, calumniatoribus, & ſimilibus. Natt. *conſ. 138. nu. 15. vol. 1.*

Nam fuit reſponſum, quòd iudex 25
non poteſt ex officio inquirere, vbi ſeruatur ius commune, ſed vbi viget talis

talis consuetudo. Clar. *in prax. d. quæst.* 10. *vers. scias tamen*, ibi, *bene verum est.* Et quamuis Clar. attestetur, esse generalem consuetudinem, tamen dicit, in omnibus ferè casi-
26 bus,† quæ dictio, *ferè*, cùm sit diminutiua, non firmat in omnibus casibus, *l. in omni, ff. de adopt. l. intra vtile, §. vendentibus, ff. de minor.* Bald. *in l. 3. ante num. 42. C. de edict. Diu. Adria. tollen.* Et ideo ex hoc nihil potest concludi, cùm data instantia, cor-
27 ruat, *§. pauonum, instit. de rer. diu.* † Vltra quòd Doctori attestanti de consuetudine non creditur. Mohed.
28 *decis. 2. & 3. de consuet.* † Et ideo esset probanda ab eo qui in ea se fundat. Imol. *in cap. super his, sub num. 10. vers. sed argumentum, extr. de constit.* Bart. *in l. in illa, num. 5. ff. de verb. oblig.*

Et insuper in hoc casu non potest expediri huiusmodi negotium,
29 nisi officio iudicis mercenario, † quod actioni intentatæ deseruit, quæ cũ sit sublata ex eo quòd priùs fuit actum ciuiliter, impossibile est, dare officium iudicis mercenarium: per se enim tanquam accidens non subsistit, nec iudex potest prosequi ex officio quod est malè & perperam inchoatum, quicquid dicendũ esset, quando negotium esset expe-
30 diendum officio iudicis nobili, † quod actioni non deseruit, sed deseruit loco actionis deficientis, *l. quòd si minor, §. finali, ff. de minor.* Ita Bald. *in d. l. cùm mulier, num. 32. circa medium, vers. posset.* Abb. *in cap. iudicis, nu. 5. de offic. iud.* Gregor. Tholosan. *in syntag. iur. lib. 47. cap. 21. nu. 10.*
31 *& seqq.* † Et tandem in omnem euentum, cessantibus etiam prædictis, sufficit, quòd actio ciuilis sit præiudicialis criminali, ad effectum quòd possit inhiberi, stante clausula, *constito, &c.* vt suprà dictum est.

Nec minùs resistit tex. *in l. vlt. C. de ordin. iud.* vbi priùs cognoscitur causa criminalis, quàm ciuilis; † 32
quia, vt ex lectura textus apparet, & not. gloss. *ibidem in ver. sæpe*, causa criminalis & ciuilis, in casu illius tex. non erãt super eodem facto, sed ambæ quæstiones erant principales, & diuersæ, quod non est in casu isto.

Nec Put. *decis. 48. & 275. lib. primo,* 33
Lancell. *de attent. par. 2. cap. 4. limit. 23.* aduersantur prædictis, quia loquuntur, non quando agitur super eodem facto, sed super quodam incidenti quod tollit ius, vt de subornatione testiũ, falsitate instrumenti, & similium.

Denique non officit Bulla Pij IV. 34
in §. & si auditor, quia ibi dicitur, quòd tunc auditor quiescere debet, quando criminalis est præiudicialis ciuili; sed nos non versamur in his terminis, per supradicta.

MELITEN. PAROchialis.

Ven. 27. *Iunij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis, est manutenibilis.*
2 *Possessio posterior præsumitur clandestina.*
3 *Decretum irritans inficit titulum, & possessionem, quando decretum est iustificatum, aliàs non tollit detentationem, seu insistentiam facti num. 4.*
5 *Possessor beneficij interim dum cognoscitur, an beneficium sit reseruatum, debet manuteneri.*
6 *Iudex ritè procedendo, priuat possessione.*
7 *Reseruatio debet esse notoria, & in-*

dubitata, vt sit locus subrogationi gratiosæ.

Decisio CXXIIII.

CConclusum fuit, Stephano dandum esse mandatum de manutenendo. De eius enim possessione
1 cõstat ex instrumento,† quod ipsam probat, *l. prædia*, vbi Bart. *ff. de acquir.possess.l.non idcirco*, vbi Bald. *C.de fid.instrum.*Put.*decis.*360.*num.*8.*lib.*1. non obstante alia possessione Ioan-
2 nis Dominici, † quæ tanquam iunior, præsumitur clandestina, *l.*1.*in fin.* vbi DD. *ff. vti possid.* Bart. *in l.si duo,num.*4. *eod.tit.*cum aliis.

Nec releuat, quòd Stephanus cepit possessionem post collationem sibi factam ab Ordinario, absque eo quòd examinaretur ab examinatoribus synodalibus, & ideo cùm non fuerit seruata forma Sacrosancti Concilij, *cap.*18.*de reformat.num.*24. nõ modò prouisio fuit nulla, verùm etiam possessio, quia Concilium ha-
3 bet decretum irritans, † quod inficit titulum, & possessionẽ, Cassad. *decis.*11.*nu.*5.*super regul.*Gabr.*de clauſ.*
4 *concl.*3. & fuit pluriès resolutum. † Quia hæc conclusio procedit, quando decretum est iustificatum, & ante iustificationem non tollit detentationem, seu insistentiam facti, vt fuit resolutum in causa Parmen. Prioratus, 16. Ianuarij, & 16. Februarij 1598. coram bo. me.Orano, & de anno 1600.26. Octobris idem fuit resolutum in causa Cusentina Capellanię, coram R.P.D.meo Millino; Hîc autem non potest dici decretum iustificatum, quia Concilij, vt videre est in fine, dat licentiam Ordinariis, in certis casibus, non seruata præscripta forma, priuatum examen, cæteris tamẽ seruatis, adhibere, & insuper dat facultatem Synodo circa examinationis formam, addere, vel remittere. Et donec cognosbatur, an versemur in limitatione Concilij, & limitatio adaptetur ad præsentem casum, † interim 5
Stephanus debet manuteneri, *cap.*1. vbi Abb.*nu.*8.*de rest.spoliat.* Dec.*cons.* 92.*num.*1. Put.*decis.*497.*num.*2.*lib.*2. vt fuit dictum in causa Barchinonen. beneficij, 19. Iunij 1600. coram *Reuerendissimo D. meo Decano.* Et hoc etiam modo respondetur ad id quod dicitur; beneficium vacasse in mense reseruato, & ideo titulum & possessionem fuisse infectã, quia Episcopus habet iudultum conferendi, etiam in mensibus reseruatis, quod fuit canonizatum in simili Meliten. Beneficij sancti Marci 20. Iunij 1592.corã R.P.D. meo Penia. Et quamuis respondeatur, quòd indulgetur Episcopis, quòd possint conferre etiam in mensibus reseruatis ordinariis, & familiaribus, etiã consanguineis, non tamen ob id cessat reseruatio, modò conferatur talibus personis, vt de beneficiis debitis certo generi personarũ, quòd cadant sub reseruatione, modò conferantur illi generi; fuit resolutum in causa Vlixibonen. Prioratus, prima Februarij 1602. coram Reuerendissimo Domino meo Patriarcha Alexandrino. Tamen negari non potest, quin hæc requirant altiorem indaginem, & quòd multùm differant inter se, quòd beneficium sit debitum certo generi personarum, & quòd Episcopus possit conferre, etiam in mensibus reseruatis; & ideo interim Stephanus debet manuteneri, *d.c.*1. cum allegatis.

Minùs facit, quòd possessio Ioannis Dominici fuit capta vigore subrogationis gratiosæ, de mandato iudicis,† qui rectè procedendo, pri- 6
uauit Stephanum sua possessione. Angel. & Doct.*in l. clàm possidere*, §.

qui

7 *qui ad nundinas, ff. de acquir. poss.*† quia cùm reseruatio sit turbida, ex iam deductis, immissio non solet concedi, quando reseruatio non est notoria, & indubitata, vt fuit resolutum corã Reuerendissimo Domino meo Decano in causa Neapolitana Rectoriæ, 13. Februarij, 1598. & coram R.P.D. meo Ludouisio, in causa sancti Angeli Lombardorum, 3. Iunij 1602. vbi aliæ decisiones allegantur. Et ideò donec cognoscatur, an ritè fuerit processum, Stephanus debet manuteneri, per supradicta.

PARMEN. PENSIONIS.

Veneris 4. Iulij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Possidenti datur mandatum de manutenendo, etiam post sententiam contra se latam, si appellauit, num. 4.*

2 *Confessio facta in positionibus, probat contra confitentem.*

3 *Possessio antecessoris iuuat successorem.*

5 *Clausula,* saluo iure consequendi residuum, *præseruat iura ad effectum manutensionis.*

6 *Clausula,* dummodo remaneant centum pro Rectore, *non debet iustificari à pensionario, in iudicio summariissimo.*

Decisio CXXV.

FVit resolutum, Brunoro dandum esse mandatum de manutenendo in possessione exigendi pensionem annuam scutorum 180. auri in
1 auro, † cùm de eius possessione cõstet, §. *hodie, instit. de interdict.* † ex
2 confessione partis in positionibus, *l. cùm precum, C. de liber. caus.* Abb. *in cap. final. num. 15. vers. idem in positionibus, C. de confess.* Alex. *cons. 118. nu. 5. lib. 2. & cons. 92. in principio, lib. 5.* Felyn. *in cap. examinata, num. 2. de iudiciis,* cum aliis.

Non obstat, quòd huiusmodi cõfessio fuerit de exactione facta ab anteceſſore,† quia huiusmodi qua- 3
si possessio nocet etiam successori, Guido Pap. *decis. 29.* Gig. *de pensionibus, quæst. 47. num. 10.* Put. *decis. 151. lib. 3.* Et fuit dictum in causa Romana census, 8. Februarij 1577. *sub num. 10.* coram bonæ mem. Oriolen.

Nec facit, quòd fuerit lata sen- 4
tentia super reductione pensionis; quia cùm sit per appellationem suspensa, non impedit, quominùs Brunorus manuteneatur. Butr. *in c. cùm dilectus, in fine, de caus. poss. & propriet.* Menoch. *de retinen. possess. remed. 3. num. 849. & sequen.* & fuit dictum in causa Beneuentana census, 13. Iunij, 1594. coram Reuerendissimo Domino Episcopo Pacen.

Minùs facit, quòd Brunorus cecidit facto suo à possessione, stante, quòd obtulit se, paratum accipere pensionem, iuxta prædictam sententiam, quæ declarat, esse reducen. ad scuta centum duodecim, ob idque non potest prætendere se manuteneri vltra istam summam; quia hæc oblatio fuit cum clausu- 5
la † *saluo iure consequendi residuum,* quæ præseruauit iura ipsius Brunori. Aym. *cons. 33. sub nu. 17. & cons. 270. num. 6. & cons. 127. sub num. 7. & cons. 144. sub num. 15.* & est tex. *in l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. soluat.*

Nec releuat, quòd pensio sit re- 6
seruata cũ clausula, † *dummodo centum remaneant pro Rectore,* quæ debet iustificari; quia cùm agatur de possessorio, iustificatione non eget, Mohed. *decis. 9. de caus. poss. & propr.* & fuit dictum coram me, in vna Oscen. pensionis, 27. Iunij 1601.

ROMA

ROMANA EMPHYteusis.

Ven. 4. *Iulij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Identitas probatur ex pluribus confinibus.*

Decisio CXXVI.

CIrcumscriptis etiam instrumẽtis promissionis dotis, & transactionis, quæ non sunt in actis, adhuc constat ex testibus, de legitimatione personarum. Et visum fuit Dominis, quòd hoc non sine maxima calumnia negari possit, prout etiam idem dictũ fuit, quoàd idenitatem domus, † quia vltra quòd confinia conueniunt, vt dicitur in alia decisione, res est tam notoria, & publica, vt in hoc vlteriùs non sit insistendum; nec aliqua egeat probatione. Quòd autem competat actio D. Sulpitiæ, & litis consortibus, ad recuperationem, domorum de quibus agitur, fuit latè deductum in alia decisione, contra quam, licèt pluriès fuerit dictũ per partem aduersam, velle aliqua deducere, tamẽ non solùm aliquid nunquam fuit deductum, sed distulit vsque ad vltimas audientias, informare, & tunc nec etiam aliquid deduxit. Quare fuit resolutum, dandam esse immissionem, seruatis tamen seruandis, quia iam Rota firmauit, huiusmodi venditionem fuisse nullam. 1

MEDIOLANEN. PENsionis.

Ven. 4. *Iulij* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Successor in possessione beneficij dicitur successor illius qui beneficium possidebat.*

2 *Clericatus probatur per literas patentes.*

3 *Lis probatur ex confessione partis, & decisione Rotali.*

4 *Acta producta probant contra producentem.*

5 *Valor beneficij probatur ex confessione partis ad positiones.*

Decisio CXXVII.

PRopositi dubium, 14. Aprilis præteriti, an Capitulum teneretur soluere pensionem Carolo. Et Domini tunc dixerunt, quòd videretur, an gratia Caroli esset iustificata, quia si esset iustificata, dixerunt, Capitulum teneri; nam in reseruatione concurrit voluntas, & potestas Papæ, *l. si quæramus, ff. de testam. l. conficiuntur, §. 1. ff. de iur. codicill.* cum vulg.

Nec dixerunt, obstare DD. quòd pensio fuerat reseruata Carolo, soluenda per Aloysium, & eius successores, cuius non est successor Capitulum, sed Petri Lamburghi, de cuius consensu fuerat facta vnio, qui Lamburghus fuerat prouisus per obitum Leonis Carpani, & Leoni fuerat cessum ius per Iosephum, qui litigabat cum Carolo, † quia satis dicitur Capitulum successor Aloysij, ex quo Aloysius fuerat in possessione huius beneficij. Achill. *dec.* 1. *& 6. de pens.* 1

Quantum attinet ad iustificationem gratiæ, est quoque iustificata, † Quòd enim Carolus sit clericus, probatur ex literis patentibus, vt pluriès fuit resolutum. † Lis narrata probatur, tam ex decisione facta in causa coram Illustrissimo D. Cardinali Blanchetto, quàm ex prouisione Leonis Carpani, in qua habetur mentio de huiusmodi lite; & 2 3

hæc

hæc gratia fuit producta à parte ad-
4 uersa, † & ideo in ea contenta pro-
bant contra producentem. Bald. *in l. cùm precum, C. de liber. cauſ. num. 3.* Gollad. *conſ. 42. num. 9.* Roman. *conſ. 65. in fin.* Dec. *in l. 2. num. 6. & 7. C. de inſtit. & ſubſtit. & in conſ. 558. num. 7.* Socin. ſen. *conſ. 66. nu. 13. vol. 1.* Quòd verò penſio 30. ducat. reſeruata vnà cum alia priùs reſeruata 15. ducat. non excedat medietatem valoris, &
5 etiam valor obtentorum, † proba-
tur ex confeſſione ipſiuſmet partis ad poſitiones, *d. l. cùm precum, C. de liber. cauſ.* Abb. *in cap. fin. num. 15. verſ. idem in poſitionibus, de confeſſ.* Alex. *conſ. 118. nu. 5. lib. 2. & conſ. 42. in princ. lib. 5.* Felyn. *in cap. examinata, num. 2. de iudiciis, cum ſimil.*

Non obſtat, quòd fuerit narratũ, beneficium huiuſmodi eſſe ſimplex, quod tamen non probatur tale, quia fuit obtenta noua gratia, in qua narratur, eſſe Canonicatum, quam tamen gratiam dixerunt Domini, eſſe producendam in actis.

TARRACONEN.
Præpoſiturarum.

Veneris 4. Iulij 1603.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura bene compulſata, & regiſtrata in vna cauſa, vigore Innocentianæ probat in alia.*

2 *Scriptura ex archiuio extracta, non probat extra territorium, & inter non ſubditos, ſecùs tamen inter ſubditos, etiam extra territorium, num. 3.*

4 *Scriptura carens ſubſcriptione notarij, ſi eſt ſuſcripta à ſupremo Principe loci, à Legato, ab Archiepiſcopo, & aliis; probat, quia ſubſcriptio Supremi Principis, & Legati, ſupplet omnes defectus.*

5 *Diſpoſitio loquens in teſtamento, trahitur ad alios caſus, ex paritate rationis.*

6 *Scriptura priuata ſubſcripta à tribus teſtibus, fidem facit.*

7 *Scripturæ informi obſeruantia ſubſequuta fides adhibetur.*

8 *Obſeruantia præſumitur ſubſequuta, ex titulo præcedente.*

DECISIO CXXVIII.

FVit reſolutum, inſtrumentum 1
ſiue ſcripturam anni 1154. eſſe in forma probanti, fuit enim bene compulſata, & regiſtrata in alia cauſa, & ideo facit fidem in iſta, vigore Innocentianæ, de qua per Verall. *in deciſ. 751. num. 5. p. 2.*

Concurrit etiam, quòd huiuſmodi ſcriptura eſt extracta ab Archiuiſta ex Archiuio, † quæ licèt non 2
probet intra non ſubditos, & extra territorium, Verall. *deciſ. 42. lib. 1.* † Secùs tamen eſt, quando agitur 3
inter ſubditos, etiam extra territorium. Bald. *in l. exemplo, num. 5. C. de probat.* Felyn. *in cap. ad audientiam, num. 12. verſ. qui tamen non negant, de præſcript.* Cardin. *conſ. 72. num. 8.* Verall. *dicta deciſ. 42. lib. 1.* Et fuit dictum coram me, in cauſa Florentina pecuniaria 8. Iunij 1601.

Nec releuat, quòd huiuſmodi in- 4
ſtrumentum, vel ſcriptura non habeat ſubſcriptionem notarij, † 5
quia cùm fuerit ſubſcripta à Comite Barchinonæ, à Cardinali Legato, ab Archiepiſcopo cum ſubſcriptione Epiſcoporum Prouincialium, talis præſentia, & ſubſcriptio Principis, & Legati ſupplet omnes defectus, *l. omnem C. de teſtamen.* vbi Alex. *in fin.* Imol. *in cap. 1. ſub num. 7. verſ. fallit tamen, de lit. conteſtat.* † Cuius diſpoſitio loquens in teſtamento, trahenda videtur ad alios caſus, à paritate rationis, vt per Corn.

*conſ.*200. *num.*1. *vol.*1. maximè cùm certum ſit, Comitem Barchinonæ fuiſſe ſupremum Principem, prout requiritur ad hunc effectum. Socin. iun.*conſ.*137.*nu.*5.*vol.*1.

6 Sed quatenùs etiam eſſet ſcriptura priuata,adhuc fidem faceret,cùm habeat ſubſcriptionem plurium teſtium, quando tres ſufficiunt, vt ſcripturæ priuatæ fides adhibeatur, *Iſcripturas*, vbi Doct. *C. qui pot. in pign. hab. cap. quoniam*, ibi,*duos viros idoneos*,vbi gloſſ. *in verb.duos viros,de probat.*

7 Et quatenus eſſet ſcriptura informis,adhuc ei adhibenda eſſet fides, propter obſeruantiam. Cyn. *inter conſil. Bald.conſ.*400. *nu.*5.*lib.*4. Bald. *conſ.*402.*in fine,lib.*5. Aym. *conſ.*101. *nu.*4. Et fuit late deductum in cauſa Bononien. Iuriſpatronatus,*ſub nu.*5. 29.Martij 1574. coram bo. me. Epiſcopo Oriolen. & coram Domino de Rubeis in cauſa Romana cenſus, 21.Februarij 1578.

Et de hac quidem obſeruantia ſatis docetur, quia ſemper in Eccleſia fuerunt Canonici regulares,iux-
8 ta tenorem inſtrumenti. † Et hæc quidem obſeruantia præſumitur ſubſequuta ex preambulo tituli huius inſtrumenti, Aym. *conſ.*10. *nu.*9. *& conſ.*118.*nu.*2. Alciat. *de præſumpt. regul.*2. *præſumpt.*24. Et fuit dictum in præcitata cauſa. Bononien. iuriſpatronatus.

Prædictis accedant alia adminicula, de turri ædificata, & alia bene ponderata, quæ non repeto.

ROMANA CASALIS Portus.

Mercurij 29. Octobris 1603.

SVMMARIVM.

1 *Nomine ciuitatis venit id quod murorum nouorum ambitu continetur, nu.*3,

2 *Ciuitas & diœceſis ſunt differentes.*

3 *Ciuitas antiqua non dicitur amplius ciuitas, & quando hoc dicatur.*

4 *In diuiſione locorum ſtatus præſens eſt attendendus.*

5 *Actus ſubſequens declarat antecedentem.*

6 *Obſeruantia ſubſequuta, declarat actum præcedentem.*

Decisio CXXIX.

IN hac cauſa quæ pendet coram me extra Rotam,volui conſulere Dominos, an terræ nuncupatæ Caſaleni, eſſent vigore concordiæ reſeruatæ Illuſtriſſimo Domino Cardinali Epiſcopo Portuen. Et negatiuè fuit reſolutum, quia hoc non legitur in reſeruatione, & verba ſunt ita clara, vt interpretatione nõ egeant,*l.ille,aut ille*,§.*cum in verbis,de legat.*3.

Nec facit, quòd reſeruatur Illuſtriſſimo Domino Cardinali pro tẽpore Epiſcopo tota ciuitas,& huiuſmodi terræ continentur intra ambitum,ciuitatis,Reſpondetur enim, quòd non ſubſiſtit, huiuſmodi ter-
1 ras comprehendi intra ciuitatem,† cũ nomine ciuitatis, veniat id quod murorum ambitu continetur, *cap.ſi ciuitas, de ſent. excomm. in* 6.*l.*3.*ff. de verb.ſignif.* Bart. *in l.*1. §. *ſiue autem, num.*2.*ff. de nou.oper.nunciat.* Felin. *in cap.Rodulphus,nu.*1. *& ſeq.de reſcript.* Alciat. *in l.*2.*num.*1.*de verb.ſignificat.* licèt non comprehendantur intra
2 limites ciuitatis, quæ hodie extat.† Ciuitas enim & Diœceſis inter ſe differunt,*cap. Rodulphus, de reſcript.*
3 † Et ciuitas dicitur illa, quæ muris nouis, non antiquis cingitur. Bart. *in dicta l.*2. *num.*7. † Nec ciuitas an-
4 tiqua

tiqua dicitur ampliùs ciuitas, in ea enim non modò aratrum est inductum, quod intelligitur, quando vix vestigia ciuitatis sunt relicta, vt inibi terra locum aratro præbeat, non habitationi, sed sationi idoneũ, quo casu ciuitas esse desinit, *l. si vsus-fructus*, vbi gloss. *ff. quib. mod. vsus-fruct. amittit.* latè Gregorius Tholosan. *syntagm. iur. lib. 4. cap. 5. num. 15. & seqq.* Sed etiam terra colitur, & aratur. Et hoc non controuertitur, sed dat causam liti. Quare ista reseruatio ciuitatis non potest suffragari
4 Cardinali ad præsentem effectum,† cùm præsens status, scilicèt qui erat de tempore diuisionis, non qui aliàs fuit, sit considerandus, *l. vbi autem, §. idem Marcellus, ff. de in diem addict.* Castren. *cons. 433. in fin. vol. 1.* Aym. *cons. 906. num. 4.* latè Tiraq. *de retract. consang. §. 1. glos. 8. nu. 25.*

Prædictis accedat, quòd in laudo diuisionis reseruantur quædam Illustrissimo Cardinali tunc Episcopo, & post reseruationem dicitur, cũ onere ipsi Domino Episcopo custodiendi arcem, & inseruiendi Ecclesiæ dicti loci, & manutenendi ciuitatem, quas arcem, & Ecclesiam declararunt spectare ad D. Episcopũ, & ideò licèt in locatione postea facta de consensu Episcopi, & Capituli Sancti Petri, reseruetur ciuitas Episcopo, tamen nihil plus reseruatur, quod anteà non sit reseruatum. Ciuitas enim nihil aliud continet nisi arcem, Ecclesiam, & cauponam, quæ pariter est reseruata Episcopo. Ecclesia enim de tempore diuisionis non erat incorporata arci, quia hoc fuit factum postea per bo. me. Illustrissimum Cardinalem Perusinum.
5 † Quare reseruatio prædicta declarat hanc secundam, *l. si seruus pluriũ, §. fin. l. qui filiabus, de leg. primo.* Paris. *cons. 3. nu. 37. & cons. 43. nu. 51. & seqq. lib. 3.*

Et tandem cessat omnis difficultas, ex obseruãtia subsequuta,† quia 6
semper Capitulum Sancti Petri habuit portionem suam fructuum harum terrarum. Quæ quidem obseruantia, quatenus verba concordiæ essent obscura, ipsa declarat, *l. sed Iulianus, §. proinde, & §. interdum, ff. ad Macedon.* Aym. *cons. 226. num. 6.* Surd. *cons. 366. nu. 141. lib. 3.* Et ita fuit concluſum.

ROMANA SANCTI Thomæ.

Lunæ 10. Nouembris 1603.

SVMMARIVM.

1 *In relaxatione mandati vigore sententiæ, requiritur citatio aliàs mandatum est nullum, nu. 2.*
2 *Quæ requirantur, ad hoc vt mandatum possit relaxari, absque citatione, & nu. 4.*
5 *Possessio solo animo amittitur.*
6 *Possessor potest sibi mutare causam possessionis in alterius præiudicium, etiam tacitè.*
7 *Secundum, non primum spolium, est purgandum.*
8 *Lis cum colono introducta, non afficit dominum.*
10 *Attentata non dicuntur respectu illius qui non est in causa, & numer. 80.*

Decisio CXXX.

DOmini dixerunt, quòd licèt articulus sit valdè controuersus, † an in relaxatione mandati vigore 1
sententiæ requiratur citatio, ex tradit per Gabr. *de citat. concl. 1. nu. 129. & seqq.* tamen magis placuit opinio affirmatiua, quia ex citatione non grauatur ille qui petit exequutionẽ, & videtur satis conueniens, quòd alia pars possit deducere suas de-

fenſiones, quæ ei poſſint competere pro impedienda exequutione. Et hanc opinionem aliàs Rota ſequuta fuit coram Illuſtriſſimo D. Cardinale Blanchetto in cauſa Taurinen. Capellaniæ. 24. Februarij, 1576. & in cauſa Barchinonen. bonorum, *ſub nu.* 5. coram R.P.D. meo Patriarcha Alexandrino. 16. Februarij. 1582. † Quare Iudex procedendo abſque citatione, nulliter proceſſit, & ideo ſpoliauit. Igitur Fratres ſunt reſtituendi. 2

In reuolutione tamen regiſtri duo vidi quæ non deducebantur: alterum eſt, quòd ſententia fuit lata prima Decembris 1589. & reintegratio Capituli 26. Februarij 1590. appellatio verò fuit interpoſita per Fratres 18. Nouembris 1596. quare dubitaui, an in hoc caſu requireretur citatio, ex *deciſ.* 25 *nu.* 3 *circa med. de appell. in nou.* † Quæ vult, quòd poſſit fieri exequutio, parte non citata, duobus concurrentibus: vnum, quòd verè appellatio ſit deſerta, alterum, quòd de hoc iudex ſit certus, & ita intellexit hanc deciſionem Rota coram Reuerendiſſimo Patriarcha, in allegata cauſa Barchinonen. *num.* 3. & in dicta cauſa Taurinen. coram Illuſtriſſimo Blanchetto. In præſenti verò caſu non modò appellatio fuit deſerta, ſed non fuit interpoſita, & ſatis iudex erat certus, cùm ex reuolutione actorum, non conſtaret de appellatione. 3

Nec deciſiones Illuſtriſſimi Blanchetti, & Reuerendiſſimi Patriarchę repugnant, quia ibi iudex non fuerat certus de deſertione appellationis.

Secundum, quod ex reuolutione actorum vidi, eſt, quòd exequutio fuit facta ſuper eadem re, ſuper qua fuit lata ſententia, quo caſu dicit Gabr. ex communi opinione DD. *loco præcit. nu.* 131. non requiri citationem; & eſt deciſio Auoramb. 7. Circa fin.

Hac diuerſitate facti ſtante, ex ſolita benignitate DD. meorum, ſtatui iterum eorum ſententias audire.

Et proſequendo in reliquis deciſionem, non ſubſiſtit, quòd Capitulum nõ ſpoliauit Fratres, ex quo ipſi nunquam habuerunt poſſeſſionem reſpectu Capituli, ſtante quòd citarunt conductorem viridarij Eccleſiæ ad videndum decerni, & relaxari mandatum, ſine præiudicio tamen iurium Capituli. Put. *deciſ.* 32. *lib.* 2. cum allegatis. Nam cùm Capitulum poſteà egerit ſpolio, ſatis eſt, quòd ex iſto actu habuerit ſe pro ſpoliato, † ſolo enim animo perditur poſſeſſio. Butr. *in cap. cùm ad ſedem, num.* 25. *de reſt. ſpoliat.* † Et cùm Fratres eſſent iam in poſſeſſione Eccleſiæ, & viridarij, potuerunt ſibi mutare cauſam poſſeſſionis, poſſidendo etiam in præiudicium Capituli, Bald. *in l. penult. C. de pign. action.* & ſatis eam ſibi mutauerunt, cùm litem ſuſtinuerint contra Capitulũ, & conabantur probare, per ipſos nõ fuiſſe Capitulum ſpoliatum, & tamen inſtante Capitulo, contrarium fuit reſolutum. 5 6

Non obſtat dum dicitur, quòd in omnem euentum ſpolium commiſſum erga Capitulum fuit attentatum, & ideo licèt primum ſit, † debet nihilominùs ſecundũ antè purgari. Rip. *in l. naturaliter, §. nihil commune, nu.* 68. *de acq. poſſ.* Caſtren. *conſ.* 400. *incip. priùs quàm, col. fin. verſ.* 3. *ſimiliter*, Dec. *conſ.* 200. *nu.* 5. Menoch. *in primo remed. recuper. poſſ. num.* 383. Et fuit reſolutum in cauſa Cortonen. bonorum 19. Decembris 1586. & 7. Martij 1587. coram Cardinali Plato. Nam fuit reſponſum, quòd 7

atten

attentata prætenduntur ex lite, &c nulla lis erat inter Capitulum, & Fratres, quia Capitulum nunquam fuit citatum, nec vnquam de eo tempore interuenit in causa. *Clemen. prima, vt lit. pend.* Lancellott. *de attent.c.4.in præfat.num.11.*† Et quamuis lis fuerit introducta contra Petrum colonum Capituli, nihilominùs ipsum Capitulum non afficiebat. Abb. *in c. quoniam frequenter, §. in aliis, num.25.& 6. vt lit.non contest.* Aut prætenduntur attentata ex eo quòd post appellationem interpositam à Petro à decreto de immittendo, iudex relaxauit mandatum. † Et hoc casu, dato etiam quòd esset locus appellationi, nihilominùs respectu Capituli non possunt considerari attentata, cùm Capitulum non esset in lite per supradicta.

ROMANA DE BOMbellis.

Ven. 14. Nouembris 1603.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum in litem datur, stante dolo, & difficultate probationis, ex dolo causata.*

2 *Testes examinati pro informatione curiæ, non probant.*

3 *Clausula de apponendo alia bona, si quæ extarent, operatur, vt faciens inuentarium, possit deinde alia bona describere.*

4 *Hæres non tenetur conficere inuentarium, nisi instantibus fideicommissariis.*

5 *Iuramentum in litem non datur, nisi verè constet de bonis super quibus petitur iuramentum.*

Decisio CXXXI.

1 FVit resolutum, Ioannæ non esse dandum iuramentum in litem, quod datur duobus concurrentibus, scilicèt dolo, & difficultate probationis ex dolo causata. Bart. *in l. in actionibus, nu.22.ff.de in lit.iur.* Purpur. *cons.369. num.44. & seq. lib.1.* Paul.de Monte Pico, *cons.67.num.7.* Plot. *de in lit.iur.§.22.nu.1*, Menoch. *de arbitr.cas.208.num.1.*

Dolus in præsenti casu non probatur. Licèt enim testes deponant de transportatione aliquorum bonorum, † tamen isti testes sunt exa- 2
minati pro informatione curiæ; quare sicuti non probarent pro Helena, ita quoque contra ipsam probare non debent. Vitall. *in Clem.2. num.91.de test.* Achill. *decis.1. eod.tit.* & fuit dictum coram me in causa Anconitana assecurationis.16. Iunij præteriti. Vltra quòd non probatur concludenter, quòd ista bona essent hæreditaria Bernardini.

Nec officit, quòd Helena non apposuerit omnia bona in inuentario, quia postea in eodem inuentario de- 3
scripsit alia bona, † potuit hoc facere, stante clausula posita in primo inuentario, de apponendo alia bona si quæ extarent. † Vltra quòd hæ- 4
res non tenetur conficere inuentarium, nisi instantibus fideicommissariis. Ruin. *cons.159. num.25. lib.3.* Guido Pap. *decis.351.* Corn. *cons.303. num.8. lib.1.* Socin.sen. *cons.51.num.1. lib.3.* Cephal. *cons.396. nu.49.* Peregr. *de fideic. art.3. num.79.* vel quatenus ipse hæres velit vti beneficio legis, & inuentarij. *l. fin. in princ.vers. cùm igitur, & in §. sin verò, & in §. pen.C. de iur.delib.*

Ex quibus patet, etiam deficere secundum requisitum, quia difficultas probationis non prouenit ex dolo ipso. † Vltra quòd non constat, 5
super quibus bonis sit dandum huiusmodi iuramentum, & tamen requiritur vera notitia eius super quo

peritur iuramentum. Ruin. *conſ.*35. *num.*10. *lib.*5. Socin. *conſ.*194. *num.*1. *lib.*2. Et tenuit Rota coram R.P.D. Penia in cauſa Romana Computorum 17.Nouembris 1595. Non cõſtat enim de qualitate bonorum trãſportatorum,& dato etiam quòd teſtibus eſſet credendum, deponũt, quòd erant in quodam ſacculo.

PATAVINA DECIMETÆ.

Ven. 14. *Nouembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Non entium nullæ ſunt qualitates.*
2 *Dicta teſtium obſcura per alios declarantur, & ſupplentur.*
3 *Verba,nouales, & terra noua; fructus nouales,& terræ nouæ,non ſunt idem.*
4 *Obſeruantia dans fidem ſcripturæ informi, debet eſſe certa, & non æquiuoca.*
5 *Hiſtoriis non creditur, niſi ſint tales, quòd illis à maioribus noſtris ſit adhibita fides.*

DECISIO CXXXII.

ADſunt,vt prætenditur,duo inſtrumẽta donationis decimarum. Primum quod reperitur, & Rota reſoluit eſſe in forma probanti, confectum de anno 1180. in quo Gerardus Epiſcopus Paduanus donat Conuentui Sanctæ Mariæ Carcerum decimas noualium Paludis de Baone, per hæc verba, *habito conſilio fratrum noſtrorum Canonicorum, & aliorum ſapientum, omnes decimationes paludis de Baone, ſiue quæ nunc excolitur, ſiue quæ in poſterum ad culturam quacumque occaſione prouenerit,vobis,& Eccleſiæ veſtræ titulo donationis offerimus, donamus, tradimus, & concedimus.*

Alterum verò inſtrumentum, vt dicitur, eſt donationis noualium in genere, factum vt prætenditur de anno 1189. quod non reperitur, in quo idem Epiſcopus donat per hæc verba formalia: *Gerardus Paduanus Epiſcopus donationem irreuocabilem fecit eidem Eccleſiæ, totam decimationem omnium noualium de Baone, tam quæ nunc ſunt, quàm quæ pro temporibus fuerint, tam in terra, quàm in palude.* Reperitur tamen exemplum huius inſtrumenti factum de anno 1307. quod Rota reſoluit 10.Martij præteriti, non eſſe in forma probanti. Tum quia fuit exemplatũ de mandato, & auctoritate iudicis laici, tũ etiã,quia adeſt raſura in loco ſuſpecto, cuius tamen obſeruantiam reſeruarunt Domini videre, ex qua etiam ſcripturæ informi ſolet fides adhiberi; & in diſputatione dubij Domini non ſe reſtrinxerunt ad exemplum anni 1307. quia omnes actus ſunt facti ante dictum exemplum, ſed ad obſeruãtiam ipſiuſmet originalis,quam deducebant monachi Carcerum ex confirmationibus apoſtolicis, teſtibus aliàs examinatis, terminationibus factis, & pluribus aliis actibus,de quibus in ſummario concordato per totum,& ex hiſtoria ipſiuſmet Congregationis Camaldulenſium.

Sed de ipſa obſeruantia minimè conſtare Domini reſoluerunt. Nam quantum attinet ad confirmationes Apoſtolicas, confirmatio Lucij & Vrbani ſunt ante dictam donationem de anno 1189. Illa enim Lucij eſt de anno 1184. & alia Vrbani de anno 1186. Quare,non poſſunt cõprehendere donationem factam de anno 1189. quæ nondum erat in rerum natura; † cùm non entium 1 nullæ

nullæ ſint qualitates, *l. eius qui in prouincia, §. fin. ff. ſi cert. petat. cap. ad diſſoluendum, de deſponſ. impub.* Vltra quòd verba vtriuſque confirmationis ſunt ſatis clara, quòd loquuntur de prima donatione, quia Lucius, & Vrbanus ſuſcipiunt monaſterium Carcerum ſub ſua, & Beati Petri protectione, & volunt, quòd omnia bona donata, & conceſſa, firma ipſis monachis, ſuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, quæ poſteà exprimuntur ſigillatim, & poſteà legitur, *decimationes etiam totius paludis de Baone, ſicut vobis à Paduano Epiſcopo rationabiliter conceſſæ ſunt, & eius inſtrumentum plenius cõtinet, &c.* Et poſteà confirmant decimas, quas à 40. annis vſque ad illud tempus pacificè poſſident, ſalua ſedis Apoſtolicę auctoritate, & diœceſani Epiſcopi canonica iuſtitia, quas Bullas ſub vna ſtructura verborũ retuli, quia vtraque eſt iiſdem verbis concepta.

Nec minùs poteſt fieri fundamentum in Bulla Gregorij de anno 1227. quia Gregorius, vt dicitur in dicta Bulla, inhærendo veſtigiis Lucij & Vrbani, verbis eorũdem Pontificum vtens, inquit, *decimationes etiam totius paludis de Baone, ſicut vobis à Paduano Epiſcopo conceſſum eſt, & eius inſtrumentum plenius continet*, & infrà, *decimas noualium Paludis de Baone, & omnium noualium Vigizoli, &c. quæ omnia ven. frater noſter Epiſcopus Paduanus de conſenſu Capituli ſui vobis pia liberalitate donauit, prout in inſtrumento confecto exinde continetur.*

Quare huiuſmodi confirmatio Gregorij non poteſt comprehendere ſecundum inſtrumentum de anno 1189. donationis noualium in genere, tum quia verba ſunt expreſſa, quia confirmat donationem factam de noualibus paludis, tum etiam quia in dicto inſtrumento de anno 1189. nulla habetur mentio Capituli, prout dicitur in confirmatione Gregorij, ſed ſolùm in primo inſtrumento de anno 1180. ibi, *habito Conſilio fratrum noſtrorum Canonicorum, &c. omnes decimationes Paludis, &c.* vt dictum fuit.

Martinus verò V. nihil aliud facit in ſua Bulla, quàm renouare literas Gregorij, ſubdens, quòd per huiuſmodi renouationem vult, quod nihil de nouo acquiratur, ſed antiquũ ius, ſi quod habent, tantummodò conſeruetur.

Quantum attinet ad cartulam nouem teſtium de qua in ſummar. à *num.* 8. vſque ad *num.* 21. licèt ſufficeret vnica reſponſio, quòd ſcilicèt iam Rota coram me reſoluit 20. Nouembris anni præteriti, non eſſe in forma probante, nihilominùs non ſolùm non concludunt pro decimis noualium in genere, ſed concludunt pro decimis noualium Paludis: nam primus deponit, quòd monachi Carcerum percipiũt decimas Paludis, & hoc ſcit de auditu, & quia ſoluit decimam de vno campo de terra, quam laborat in palude Baonis, ſecundus verò teſtis dicit, quòd decimæ terrarum, quæ ſunt ab illis Zoſum verſus Paludem cutendo verbis ipſius teſtis, ſunt Eccleſiæ Carcerum, &c. Et infrà, quòd terræ quarũ decima litigatur, ſunt ſubtus puteum Laurani, &, vt conſtat, ex ſententia arbitrali de qua infrà dicetur, iſtæ terræ quarum decima litigabatur, ſunt in Palude: tertius teſtis dicit, decimas, de quibus agebatur, ſpectare ad Conuentum Carcerum, & hoc ſcit, quia à terminis poſitis per maſſarios Baonis inter Paludem Baonis, & terras Veteres, decima terrarum, quæ ſunt ab illis

termi

terminis versus paludem est Ecclesiæ Carcerum. & infrà dicit, quòd laborat duos campos de terra in ipsa Palude, & soluit decimas illius terræ. Et quartus testis dicit, scire fuisse positos terminos lapideos ad discernendam paludem Baonis à terris Veteribus.

Nec facit, quòd iste testis dicat, quòd decimæ noualiũ Baonis sunt Ecclesiæ Carcerum, quia ex dictis constat, ipsum intelligere de decimis Noualium Paludis, quod maximè suadetur ex sequentibus verbis, scilicèt, & dixit, quòd laborat de terra illius paludis, & dat decimam monasterio Carcerum.

Et quintus testis dicit, quòd decima noualium territorij, & confinij Baonis, scilicèt paludis Baonis, est Sanctæ Mariæ ad Carceres.

Et sextus testis dicit, quòd lis est de decima terræ Petri de Canuli, & quòd illa terra iacet in Bruida, & quòd est in amplis Baonis, & dat rationem, quia egomet laboro vnum campum in amplis Baonis, & solui decimas monasterio Carcerum. Ex prædictis clarè colligitur, quòd iste testis loquitur de decimis Noualiũ Paludis, quia vt infrà dicetur, terræ dicti Petri de Canuli, super quibus decima prætendebatur, erant in palude Baonis, & cùm etiam dicat, esse in amplis, debet intelligi in palude exsiccata ex ratione supradicta, & quia amplum ita accipitur, vt in instrumento quod datur *nu.* 8. ibi excepto campo vno, & dimidio in amplo ipsius paludis. Et ex ratione testis hoc euidenter apparet, inquit enim, quia egomet laboro vnum campum in amplis de Baone, & amplum accipitur pro palude exsiccata, vt dictum est. Ita loquitur, & debet intelligi septimus testis, quia dicit, litem esse de decimis terrarum Petri de Canuli, & dicit, quòd illa terra iacet in amplis de Baone, & quòd laborat certam terram in Palude Baonis, & de eo soluit decimã. Et octauus testis dicit, quòd decima amplorum colligitur pro monachis Carcerum, & collegit decimas, ab aliquibus in fossa Meliorina, in Palude Baonis, & quòd ipse laborauit terras in palude, & soluit decimam: & infrà dicit, quòd non fuit vbi decima noualium paludis Baonis fuit concessa Ecclesiæ Sanctæ Mariæ.

Nonus verò testis dicit expressè, quòd ipse laborat terram in Palude Baonis, & ex ea dedit decimam Nunciis Carcerum.

Ex quibus dicendum, quòd huiusmodi testes deponunt de decimis Noualium paludis, non autem de decimis noualium in genere, & quatenus dicta aliquorum ex istis testibus viderentur obscura, cùm sint plures, † declarantur, & supplentur 2
per alios. Vèral. *decis.* 206. *num.* 5. *p.* 2. Bald. *in l.* 2. *num.* 5. *C. de bon. poss. secundùm tabul.* Et cessat difficultas prorsus ex serie facti; nam est sciendum, vt constat ex sententia Commissarij Apostolici, quæ datur *num.* 12. lata 12. Maij 1219. quòd pendebat lis inter Monachos Sanctæ Iustinæ de Padua, & Monachos Carcerum super perceptione decimarum aliquarum terrarum, quas dicebant monachi Carcerum, esse de noualibus paludis, & in dicta sententia dicitur, quòd fuit allegatum per Monachos Carcerum, decimas & ius decimationis noualium Paludis de Baone esse Ecclesiæ Carcerum, & allegabatur titulus, nempe donatio Episcopi Gerardi, & exemplum instrumenti authentici per Vgerinum notarium scripti ostendebatur, quod quidem est illud donationis Noualium paludis

paludis de anno 1180. ſubſcriptum ab Vgerino, & vt conſtat ex cartula teſtium, fuerunt examinati in hac eadem cauſa, & conſtat etiam ex dictis eorum. Quare cùm deponant, decimas Petri de Canale ſpectare ad Conuentum Carcerum, ſunt intelligendi, quòd loquantur de decimis Noualium paludis, vt conſtat ex dicta ſententia, in qua pronunciatur, decimas prædictarum terrarum ſpectare ad monaſterium Carcerum. Ex quibus ſatis patet, ad quem effectum teſtes fuerint examinati, ſcilicèt ad probandum, quòd huiuſmodi terræ erant in palude Baonis, & quòd ad monachos Carcerum ſpectabant dictæ decimæ, vt dictū fuit.

Nec poſitio terminorū ſuffragatur ad oſtendendum, quòd inſtrumentum donationis noualium in genere habeat obſeruantiam; quia omnes terminationes huiuſmodi loquūtur de decimis noualiū paludis. Prima enim & ſecunda terminatio, quæ dantur, *n.7. & 9.* altera de anno 1196. altera verò 1208. abſq; difficultate loquitur de decimis noualiū paludis ibi, quòd debeant oſtendere cuncta noualia paludis Laurani, & ibi terram paludis curiæ Baonis; & verba ſunt adeò clara, vt tergiuerſari non poſſint, Immò in ſecunda terminatione, dum aliquando nominātur noualia, ſubiungitur, id eſt, palus. Altera verò terminatio de anno 1210. quæ datur *num.* 10. concordat cum prædictis, quia diſtinguit terram veterem à terra noua; & ſic dicendum eſt, intelligi de ea quæ
3 prouenit ex exſiccatione paludis. † Aliud enim eſt dicere, nouale, aliud, terra noua. Licèt enim fructus terrę nouæ ſint nouales, tamen non omnes fructus nouales ſunt ex terra noua, *cap. 1. & cap. quid per nouale*, vbi DD. *de verb. ſign.*

Præceptum verò quod datur, *nu.* 30. factum 9. Martij 1260. vbi præcipitur hominibus Baonis, vt infra 15. dies bona fide, & ſine fraude debeant diſcernere, & conſignare noualia, & quæ ſunt noualia à veteribus terris, & à decimis veteribus, nihil facit; nam & ex eo colligitur, ſemper fuiſſe habitam rationem ad terras veteres. Et ceſſat difficultas, quia die 14. eiuſdem menſis Martij, homines conſignant decimas monachis Carcerum, & ponunt terminos, & pluriès datur pro confinio, Palus, & aliquando dicitur, eſt tota terra noua, & paludis. Ex quibus ſatis patet, quòd terminatio loquitur de decimis paludum.

Nec facit, quòd detur pro confinio palus, quia aliud eſt palus, aliud verò palus exſiccata, nec propterea poteſt dici, quòd iſtæ decimæ ſint extra paludem exſiccatam.

Vltima verò terminatio facta 12. Maij 1288. quæ dicitur, *num.* 32. loquitur pariter de decimis paludis; pluriès enim datur pro confinio palus, & aliquando dicitur, quòd cōfines diſtāt à palude, quinq; perticas, aliquādo verò ſex perticas, & dicitur omnia eſſe noualia, ſiue nouaria.

Nec facit, quòd aliquando in dictis poſitionibus terminorum, dicatur verſus montem, & versùs arcadam; quia non ideo concluditur, quòd decimæ ſint extra noualia paludis, quia etiam in noualibus paludis poſſunt dari dicta confinia, quia non dicitur in arcada, quod eſt in montibus, ſed versùs arcadam, & versùs alia ſimilia loca.

Et tantè magis prædicta placuerunt Dominis, quia iſta poſitio confinium non poteſt fortè conſiderari, niſi in decimis noualium paludis, quia palus exſiccatur & terræ laborantur, quare ſunt ponenda confinia, ad diſtinctionem terrarum antiquarum.

Et ceſſat omnis difficultas, quia dato etiam quòd huiuſmodi obſeruantia poſſet verificari tam in primo inſtrumento donationis noualium paludis, quàm in alio, adhuc
4 non releuaret, † nam ad hoc vt obſeruantia det fidem ſcripturæ informi, debet eſſe certa, & non æquiuoca. Abb. *in c. 2. in fine, de cenſ.* Felin. *in cap. cùm Bertoldus, num. 26. de re iud.* & fuit reſolutum in Tiraſonen. iuriſdictionis de Tudela. 12. Nouembris 1601. coram R.P.D. meo Mellino. Et hoc maximè dicendum eſt, quia non docetur de effectuatione iſtius donationis, vt fuit reſolutum in cauſa ſententiæ tenutæ Pontis. Areghi. 10. Martij 1578. coram ſanctiſſimo Domino noſtro, & in dicta cauſa Tiraſonen. coram D. meo Mellino, ſicuti docetur effectuario primæ de anno 1180. ſtantibus confirmationibus Apoſtolicis, & aliis. Et hac reſponſione tolletur etiam fundamentum quod fit in ſententia lata de anno 1459. quæ datur numero vltimo, quia loquitur de decimis paludis, cùm prata de quorum decima agebatur, dentur pro confinibus à tribus Valles, nec conſtat de effectuatione huius ſententiæ.

Nec prædictis officit laudum datum de anno 1213. quod datur, *num.* 15. inter agẽtes pro Eccleſia Sanctæ Theclæ de Eſte, & Sãcti Stephani de Padua, & Monachos Carcerum, cuius laudi vigore fuerunt poſiti certi confines, quia hoc nihil ad id de quo quæritur.

Minùs reſiſtit ſententia arbitralis, lata 9. Maij 1220. inter Monachos Sanctæ Iuſtinæ de Padua & Carcerum, quæ datur, *num.* 25. Quia licèt in ea dicatur, quòd penderet lis ſuper quadam decima noualium Baonis, huiuſmodi ſententia eſt intelligenda de noualibus paludis: nam, vt conſtat ex cõpromiſſo quod datur, *num.* 24. factum per §. dies ante dictam ſententiam, conquerebatur monaſterium Carcerum de monaſterio Sanctæ Iuſtinæ, à quo petebat decimam vnius petiæ terræ iacentis in palude Laurani, in confinio Baonis, & in laudo Iudex laudat, quòd decima terræ, quæ fuit Cambij, ſit Eccleſiæ Carcerum, & aliæ decimæ conſignatæ, prout in cartula conſignata per Corradum, ſint pro indiuiſo.

Nec minùs poteſt fieri aliquod fundamentum in alio inſtrumento quod datur, *num.* 26. confecto de anno 1215. quia ibi Salomon, & Bellotus presbyteri Baonis prætendebant à Monachis Carcerum decimas ſuarum poſſeſſionum, exceptis iis quas propriis manibus, vel ſumptibus excolebant, & fuerat per quendam iudicem arbitrum pronũciatum, quòd ſolutis per Monachos Carcerum *lib.* 16. monetæ Venetæ, nomine finiti & conuenti pretij, omne ius ſuum cederent dicti presbyteri ſuper dictis decimis, prout ceſſerunt. Et hæc ſententia fuit confirmata per Epiſcopum, vt in ſummariõ, *nu.* 17. ſed hæc nihil concludunt ad dubium.

Petitio facta de anno 1223. quæ datur, *nu.* 28. à quodã Mazzuchello de Baone, qui prætendebat non teneri ſoluere decimas de vna petia terræ poſita in pertinentiis Baonis, in loco, vt dicitur, Laurano, vt conſtat ex alio inſtrumento, de quo in ſummario, *nu.* 7. & 14. eſt in palude, ſed iſte caſus nec aliquid concludit, per ſupradicta.

Quietantia facta Conuentui Carcerum de anno 1206. quæ datur, *nu.* 8. à Luccheſio & Dominico de Randuno, *de lib.* 60. monetæ Venetæ, ex qua ceſſerũt dictis Monachis omne

ius

ius quod habebant in decima totius paludis Baonis, nihil concludit ad obſeruâtiam donationis noualium in genere.

Nec tandem releuat, quòd donatio facta de decimis noualium, de anno 1189. fuit facta in conſecratione Eccleſiæ, in cuius conſecratione Marchio Oppizzo de Eſte donauit manſum, quæ quidem donatio habuit effectum, cùm poſteà Azo vigore teſtamenti Oppizzi dederit dictum manſum, vt conſtat ex inſtrumento quod datur, *num.6.* quia hoc non concludit ad obſeruantiam inſtrumenti, cùm potuerit inſtrumentum confingi, vt concordet cum dicta donatione Marchionis, nec per neceſſe iſtud inſtrumentum donationis Marchionis concludit, quòd huiuſmodi inſtrumentum ſit in forma probanti, cùm in eo nulla habeatur mentio de donatione decimarum facta per Epiſcopum.

Quod dicebatur de hiſtoria Monachorum Camaldulenſium, eſt confecta à quodam Monacho, & eſt moderna. Vnde licèt in ea regiſtretur huiuſmodi inſtrumentum, tamen hiſtoriis non creditur, niſi ſint tales, quòd à maioribus noſtris ſit fides adhibita. Abb. *in c. cùm cauſam, ſub num. 1. verſ. ex his infero, de probat.* & debet apparere, quòd ſit approbata. Pariſ. *conſ. 23. num. 235. lib. 1.* vel quòd ſub cuſtodia publica remanſerit. Ægid *deciſ. 70.*

Dicebat etiam vnus ex Dominis, quòd credebat, nõ eſſe differentiam inter primam & ſecundam donationem, quia ſecunda poteſt induci ad intellectum primæ; nam in ſecunda dicitur, decimationes omnium noualium de Baone, tam quæ non ſunt, quàm quæ pro temporibus fuerunt tam in terra, quàm in palude, reſtringere videntur generalitatem ad terras paludis, quæ dietim excolebantur, vt dicitur in prima donatione, & tantò magis, quia in terminatione, quæ datur *nu. 9.* nomẽ noualium accipitur propalude, ibi, noualium id eſt palus, & idem dicit quintus teſtis in ſummario, *n. 17.* vbi dicit, quæ decimæ noualium, ſcilicèt paludis, &c. Circa hoc tamen nihil per alios Dominos fuit firmatũ, ſed ſi opus erit particulariter ſuper hoc agetur.

VALENTINA MERcedis.

Lunæ 17. Nouembris 1603.

EPITOME.

Quoàd ſolemnitates, & ea quæ oriuntur ſecundùm naturam contractus, tempore contractus, locus contractus debet attendi: locus verò deſtinatæ ſolutionis, quoàd ea quæ veniunt adimplenda poſt contractum.

SVMMARIVM.

1 *Vbi literæ recipiuntur, ibi contractus dicitur celebratus.*

2 *Statutum prohibens contrahi ſine certa ſolemnitate, non extenditur extra territorium.*

3 *Solemnitates loci contractus, debent in contractu adhiberi, & num. 5. & 7.*

4 *Vbi ſolutio eſt deſtinata, ibi contractus cenſetur celebratus, quoàd ea quæ in loco deſtinatæ ſolutionis adimplenda, num. 6.*

8 *Gabella pro contractu, debet ſolui in loco deſtinatæ ſolutionis. Sed contrarium verius, num. 9.*

10 *Statutum laicorum non ligat clericos.*

Decisio CXXXIII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt denegandam eſſe remiſſoriam ex capite irreleuantiæ,
1 † quia cùm in Vrbe contractus ſit celebratus, ex quo in ea D. Viues receperit literas Comitiſſæ, Bald. *in l. multum, nu.* 28. *C. ſi quis alteri, vel ſibi,* cum aliis allegatis in deciſione facta ſub die 2. Iunij præteriti, etiamſi probaretur adeſſe conſtitutionem vel ſtatutum prohibens, mulieres
2 contrahere ſine certa ſolemnitate, † adhuc non extenderetur extra territorium, cùm non prohibeat mulieres ſimpliciter contrahere, ſed ſine certa ſolemnitate. Bart. *in l. 1. nu.* 32.
3 *C. de ſum. Trinit. & fid. Cathol.* † Et ideo quoàd ea quæ reſpiciũt ſolemnitatem actus, vel quæ oriuntur ſecundùm naturam ipſius contractus, tempore contractus, & debent adhiberi in contractu, vel impleri tempore contractus, attenditur locus ipſius contractus, *l. ſi fundus*, vbi Aret. *in ſumm. ff. de euict.* & latè proſequitur Gail. *obſer.* 123. *num.* 2. *lib.* 2. Euerard. *conſ.* 78. *num.* 11. *verſ. modò ſic eſt*, Myſing. *obſer.* 82. *nu.* 3. *cent.* 4.
4 Non obſtat, quòd ſolutio eſt deſtinata Valentiæ, & ideo ibi contractus cenſeri debet celebratus, *l. quæro, ff. de ſolut. l. cõtraxiſſe, ff. de bon. auth. iud. poſſid.* Quia reſpondebatur, quòd dum quæritur, an in deciſoriis ſit obſeruandus locus contractus, vel deſtinatæ ſolutionis; aut quæritur quoàd ea quæ reſpiciunt ſolemnitatem actus, vel quæ oriuntur ſecundùm naturam ipſius contractus tempore contractus, & debent adhiberi in contractu, vel impleri tem-
5 pore contractus, vt dictum fuit, † & tunc inſpicienda eſt obſeruantia, ſeu lex loci, in quo contractum fuit, & ita procedit, *d. l. ſi fundus, ff. de euict.*

Aut quæritur quoàd ea quæ veniunt implenda poſt contractum in eſſe productum, in loco ad impletionem deſtinato, † & eo caſu non 6
eſt conſideranda lex, vel conſuetudo loci initi contractus, ſed deſtinatæ ſolutionis: & ita procedunt tex. *in l. quæro, ff. de ſolut. & in l. contraxiſſe, ff. de act. & oblig.* ita diſtinguit Bart. *in l. cunctos populos, nu.* 13. *& ſeqq. C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath. & in l. in principio, ff. de vſur.* Bald. *in d. l. ſi fundus, num.* 2. *ff. de euict. & in d. l. quæro, nu.* 2. *ff. de ſolut.* Ang. *in d. l. ſi fundus, num.* 1. *ff. de euict. in d. l.* 1. *in princ. verſ.* 2. *nota, ff. de vſur.* Euerard. *conſ.* 78. *num.* 11. *& num.* 27. Myſing. *obſer.* 82. *nu.* 3. *cent.* 4. Surd. *deciſ.* 227. *num.* 2. Oſaſch. *deciſ.* 114. *num.* 4.

Ex quibus, cùm verſemur in pri- 7
mo membro diſtinctionis, ſcilicèt quoàd ea quæ reſpiciunt perfectionem cõtractus, & eius ſubſtantiam, meritò debet attendi locus celebrati contractus per ſupradictã. Quæ etiam ſufficiunt pro reſponſione, & intellectu ad ea quæ in contrarium allegantur.

Nec facit quod dicebatur in ſpe-
cie ad probandum, quòd contrac- 8
tus non fuit perfectus Romæ, † ſcilicèt, quòd ſi venditio fuit facta in certo loco, & in alio deſtinata ſolutio, in loco deſtinatæ ſolutionis debet ſolui gabella, ex quo ibi contractum fuiſſe dicitur. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 1. *gloſſ.* 2. *num.* 49. Fuit enim reſponſum, quòd licèt ex prædictis pateat, hanc opinionem non eſſe tutam, † tamen ex abundanti fuit 9
etiam dictum, communem opinionem eſſe in contrarium, vt per Dec. *in c.* 1. *num.* 156. *in prima lectura, de iudic.* Rol. *conſ.* 100. *nu.* 9. *lib.* 3.

Nec ſubſiſtit quod dicebatur, in omnem euentum ſententias Rotales eſſe iniuſtas, quia ſi locus deſti-

natæ

natæ ſolutionis eſt attendendus in his quæ veniunt ex poſt facto, adeſt Valentiæ ſtatutum, quòd Aduocati & Procuratores non poſſint petere ſalarium, niſi pro quatuor annis præteritis. † Nam huiuſmodi ſtatutum nō ligat Eccleſiaſticos. Anchar. *conſ.* 61. *num.* 2. Abb. *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, num.* 1. *verſ. hoc dictum*, vbi etiam Felyn. *nu.* 101. *in fin. verſ. & pro iſta declaratione, de conſt.* Socin. iun. *conſ.* 25. *num.* 5. *lib.* 2. Pariſ. *conſ.* 27. *num.* 43. *lib.* 1.

TOLETANA DECIMARUM.

Lunæ 17. *Nouembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Magis attenditur cauſa actus, quàm ipſius actus exercitium.*

2 *Parochus vniuerſalis habet fundatam intentionem in omnibus decimis.*

DECISIO CXXXIV.

DVbitaui, an conſtaret de quaſi poſſeſſione vniuerſali Prioris, percipiendi decimas in caſu, & ad effectum de quo agitur. Et Domini capiendo dubium in abſtracto, non autem cum effectu, & in concreto, ita vt præiudicetur monialibus, quādo prata arrendātur, affirmatiuè reſoluerunt, tum ex titulo Alexandri tertij aſſignantis militibus omne territorium, quod à Mauris recuperaretur, volentis, quòd decimæ ſol-
1 uerentur clericis; † quo titulo vniuerſali ſtante, magis attenditur cauſa actus, quàm ipſius actus exercitium. Bald. *in l.* 1. *in repet. num.* 24. *verſ. tu die. C. de emancip. lib.* Felin *in c. auditis, num.* 19. *prope fin. de præſcript.* Et fuit dictum in cauſa Toletana annatarum, 16. Februarij 1581. coram Cantuccio, & aliàs ſæpiùs quàm ex ſtabilimentis, de quibus in ſummar. *nu.* 2. *& ſeqq.* in quibus expreſsè diſponitur, ſuper decimis huiuſmodi, & ex teſtibus qui dantur in ſummar. *num.* 7. apertis verbis deponentibus, de huiuſmodi poſſeſſione vniuerſali.

Et ceſſat etiam difficultas, quia 2
Prior exercet curam vniuerſalem animarum per clericos ſuos, ad nutum amouibiles; quare etiam de iure habet intentionem fundatam in omnibus decimis, *c. cùm contingat, de decimis, c. Eccleſias.* 13. *quæſt.* 1. *c. ad decimas, de reſt. ſpol. in* 6. Put. *deciſ.* 371. *num.* 1. *lib.* 1.

ROMANA VINEÆ DE Brunis.

Merc. 19. *Nouembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Termini ſubſtantiales, an ſint ſeruādi coram A C. in expeditione negotij principalis.*

2 *In connexis ſit extenſio de perſona in perſonam.*

3 *Pars poteſt iudicis iuriſdictionem prorogare.*

4 *Sententia eſt nulla, nō viſis actis probatoriis. Limita quando pars fuit negligens in tranſportandis, nu.* 5. *Præmiſſa tamen monitione iudicis, num.* 6.

7 *Termini ſubſtantiales ſeruati, & pluriès reiterati, habent vim monitionis.*

8 *Concil. Trid.* ſeſſ. 24. c. 20. §. præterea, *habet locum in cauſa appellationis, non autem in aliis caſibus. Item in cauſis Eccleſiaſticis tantùm, non autem in profanis, etiam quòd vertantur coram iudice Eccleſiaſtico, nu.* 10.

9 *Caſus omiſſus remanet in diſpoſitione iuris communis.*

11 *Obligatio, & actio ſemel extincta, non poteſt amplius reuiuiſcere.*

Decisio CXXXV.

DVbitaui, an decretum reuocationis mandati eſſet nullum, ita vt poſſet procedi ad vlteriorem exequutionem ipſius mandati. Et Domini, quantum attinet ad nullitates, habuerunt aliquam difficultatem, quia non fuerunt ſeruati termini ſubſtantiales, licèt in Tribunali Auditoris Cameræ, in exequutiuis, & in reuocatione mandatorũ non ſeruentur, tamen in hoc caſu non fuit ſimpliciter reuocatum mãdatum, ſed expeditum negotium principale, & facta condemnatio in expenſis: Dicitur enim in citatione, ad videndum reuocari mandatum cum omnibus inde ſequutis, & in expenſis condemnari, attento quòd fuit relaxatum pro prætenſo credito extincto ante relaxationem dicti mandati, & facta fuit poſteà inſtantia, vt imponeretur perpetuũ ſilentium, † Vnde videbatur, terminos 1
fuiſſe ſeruandos, & dandas eſſe dilationes.

Alia nullitas, quòd deputatio bo. me. D. Guidij non afficeret D. Merendam, ex quo fuit facta ad inſtantiam hæredum Benedicti Carotij creditoris Ioannis Pauli Bruni, contra Virgilium Brunum patrem Virginiæ Brunæ, & ideo non excederet dictas perſonas; nõ placuit Dominis, quia huiuſmodi cauſa eſt cõnexa, & 2
indiuidua cum cauſa D. Merendæ, † quo caſu fit extenſio de perſona ad perſonam. Afflict. *deciſ.* 227. *num.* 2. Hoſtien. *in ſumm. de offic. iud. deleg.* §. *quibus modis, verſ. & in ſumma.* † Et 3
D. Merenda comparendo coram iudice prædicto, & faciendo actus iudiciarios, potuit eius iuriſdictionem prorogare, *l.* 1. *C. de iuriſd. omn. iud.* ſtante maximè reconuentione facta per D. Merendam, ad ſubhaſtationem vineę, per quam iudex fit competens, ſi priùs erat incompetens. Afflict. *deciſ.* 27. *num.* 2. *verſ. in contrarium.*

Nec poteſt iuuari D. Merenda ex capite erroris, cùm ſit iuriſperitus. Alex. *conſ.* 12. *num.* 7. *verſ. nec ad hoc obſtat, lib.* 6.

Minùs facit habita in conſideratione tertia nullitas ex defectu non trãſportationis actorum. Licèt enim ſententia non viſis actis, etiam probatoriis, ſit nulla, tanquam ſine cauſæ cognitione lata, *l. properandum*, §. *& ſi quidem*, vbi Bar. *num.* 6. *C. de iud.* idem Bart. *in l.* 2. *num.* 5. *C. de eden.* & ibi Alex. *num.* 8. *& ſeq.* Cagnol. *num.* 68. *verſ. ſed oppoſitum*, latè Felin. *in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, num.* 17. *de conſt.* Nihilominùs prædicta non procedunt, † quando vna pars pro- 4 5
duxit probationes ſuas, & altera fuit negligens in tranſportando, quo caſu iudex ſuper productis pronunciare poteſt. Alex. *vbi ſupra, nu.* 6. Rimin. *ibidem, num.* 12. *verſ. limita, & infrà.* Cagnol. *num.* 70. Felin. *in d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, in prima limit. num.* 18. Et fuit reſolutum in Maioricen. Pœnitentiariæ, & Canonicatus 4. & 18. Februarij 1591. coram R. P. D. Giptio. † Et licèt requi- 6
ratur monitio iudicis, Cagnol. *d. nu.* 70. ſufficit tamen, quòd termini ſubſtantiales fuerint ſeruati, & pluriès reiterati, † quia inſeruiunt pro 7
monitione, vt dicitur in allegata cauſa Maioricen. Et de hac negligentia D. Merendæ non poteſt dubitari, quia diſtulit per tantum tempus, coram iudice ſubdelegato ſuas probationes exhibere, vt fuit dictũ in allegata cauſa Maioricen.

Nec

8 Nec prædictis reſiſtit decretum Sacroſancti Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 20. §. præterea, de reformat.* quia loquitur in cauſa appellationis, & ſic quando à iudice à quo, ad iudicem ad quem omnia acta ſunt tranſportanda; non autem quando vna ex partibus non exhibet aliqua acta coram delegato
9 facta ipſi ſubdelegato, † Propterea iſte caſus tanquam omiſſus remanet in diſpoſitione iuris communis, *l. commodiſſimè, ff. de lib. & poſth.* Et ita fuit reſolutum in dicta Maioricen.
10 † Vltra quòd, vt bis reſoluit Congregatio Illuſtriſſimorum interpretum Sacroſancti Concilij, eius diſpoſitio, *in d. cap. propterea* habet locum tantummodò in cauſis Eccleſiaſticis, ſecùs autem in cauſis profanis, etiam quòd vertantur coram iudice Eccleſiaſtico: & ſequuta eſt Rota in cauſa Romana lignorum, 23. Iunij. 1603, coram R.P.D. meo Sacrato.

Quantum attinet ad effectum dubij, abſque difficultate Domini dixerunt, data nullitate decreti, non poſſe procedi ad exequutionem mandati, cùm iam fuit reſolutum coram R.P.D. nunc Epiſcopo Pacen. 14. Martij 1597. quòd mandatum fuit relaxatum pro credito ex-
11 tincto. † Quare obligatio, & actio ſemel extincta non poteſt ampliùs reuiuiſcere, *l. qui res, §. area, ff. de ſolut. l. inter, ſtipulantem, §. nam cùm quis, ff. de verb. obligat.*

FAVENTINA DE Paſiis.

Ven. 28. Nouembris 1603.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum relaxari non poteſt, non præciſa liquidatione.*

2 *In eo in quo duo periti concordant, non eſt opus electione tertij.*

3 *Mandatum poteſt relaxari, etiam in illo quod virtualiter continetur in decreto.*

4 *Decretum ſuper exequutione inſtrumenti, vel liquidatione, dicitur interloquutorium.*

5 *Mandatum interloquutorium relaxatum intra 10. dies ad appellandum, eſt validum.*

6 *Fideicommiſſarius non poteſt propria authoritate ingredi poſſeſſionem rei fideicommiſſariæ.*

7 *Exequutio facta in re maioris valoris, illud plus debet reddi debitori.*

Decisio CXXXVI.

ALphonſus & Iulius occaſione fideicommiſſi Annibalis, cui factus eſt locus per obitum Bartholomei, deuenerunt ad concordiam quòd Alphonſus, qui in poſſeſſione exiſtebat, daret Iulio octauam partem bonorum Annibalis, cum certa parte fructuum, & quartam partem bonorum Bartholomei, pariter cum certa quantitate fructuum, quas portiones partes ipſæ intellexerunt, deductis oneribus, quorum deductionem, & alias differentias remiſerunt in perſonam Illuſtriſſimi D. Cardinalis Matthæi, & inſuper pro aſſignationibus faciendis elegerunt peritos, cum facultate in euentum diſcordiæ, tertium eligendi. Peritus Alphonſi poſteà retulit, octauam partem, & quartam aſcendere ad certam ſummam, cum qua non concordauit peritus Iulij. & abſque alia electione tertij partes adiuerunt Illuſtriſſimum Cardinalem Matthæũ, qui laudauit, certas concordias factas per Alphonſum cum Camilla vxore Annibalis, & Maldina vxore Bartholomei ſuffragari etiam Iulio.

His

His peractis, Iulius productis dictis æstimationibus, & laudo Illustrissimi D. Cardinalis Matthæi petiit coram Auditore Cameræ, iuxta relationem periti Alphonsi & sententiam dicti Domini Cardinalis, relaxari mandatum, qui Auditor Cameræ relaxauit mandatum de immittendo in possessionem tornaturarum 93. certa summa pecuniarum, & illius vigore fuit facta exequutio; & quia iustitia huius mandati pendet ex eo, an Auditor Cameræ excesserit relationem periti Alphonsi; & laudum Cardinalis Matthæi, quod pendet à computis, & ideo opus esse videtur electione periti, ideo omissa pronunc iustitia, seu iniustitia huius mandati, volui particulariter videre, an mandatum relaxatum, & exequutio sint valida.

Et quantùm attinet ad relaxationem mandati, fuit resolutum pro validitate, quia non docetur de eius nullitate, quam ostendere tenetur Alphonsus, cùm sit fundamentum intentionis suæ.

1 Non obstat, quòd huiusmodi mandatum fuit relaxatum, non præuia liquidatione, quæ tamen requirebatur, Galesi. *de liquid. nu.* 7. & Cæs. de Grass. *decis.* 2. *num.* 10. *de sent. excomm.*

Nam fuit responsum, quòd cùm Iulius voluerit stari liquidationi factæ per peritum Alphonsi, & ille liquidauerit in minori summa, quã
2 peritus ipsemet Iulij, † in ea parte dicuntur concordes, quare nec erat opus ad hunc effectũ electione tertij periti, ad tradita per Dec. *in cons.* 100. *num.* 6. Rolan. *cons.* 35. *num.* 6. *vol.* 2.

Minùs facit, quòd mandatum fuit relaxatum vltra istam summam liquidatam per peritum Alphonsi, quia hoc obuenit propter laudum Illustrissimi Cardinalis Matthæi, qui laudauit, concordias factas per Alphonsum cum Camilla, & Maldina suffragari Iulio, & si in exequutione illius laudi excessit Auditor Cameræ, hoc respicit iustitiam, vel iniustitiam mandati, vt dictum fuit.

Nec subsistit, quòd mandatum relaxatum non concordet cum decreto facto, † quia cùm in decreto 3
virtualiter cõtinerentur omnia quæ sunt in mandato, iudex potuit illud eo modo relaxare. Afflict. *decis.* 32. *nu.* 4. Pedemon. *decis.* 5. *p. nu.* 24.

Minùs subsistit, dum dicitur, quòd ab huiusmodi decreto fuit appellatum, & ideo non potuisse deuenire ad relaxationem mandati, quia non docetur de appellatione, nec de ea in actis constat.

Nec facit, quòd mandatum fuerit relaxatum infra decem dies ad appellandũm, † quia cùm decretum 4
fuisset interloquutorium, vt est decretum super exequutione instrumenti. Rimin. iun. *cons.* 206. & super liquidatione instrumenti, idem Rimin. *cons.* 200. † non procedit re- 5
gula, paria esse, fuisse appellatum & esse infra tempus ad appellandnm. Lancell. *de attent. p.* 2. *cap.* 11. *nu.* 30. & 31. post Franc. quem allegat. *in c. super eo, num.* 7. *de appell.*

Quantùm attinet ad exequutionem mandati, Domini inclinabant pro nullitate, cùm enim Iulius vellet consequi certam portionem hæreditatis, † non poterat ingredi pos- 6
sessionem alicuius rei particularis propria auctoritate, prout ingressus fuit, exequendo mandatum super rebus sibi beneuisis. *ad tex. in l.* 2. *C. quando, & quibus* 4. *pars lib.* 10. Rip. *in l. in quartam, num.* 113. *cum seqq. ff. ad leg. falcid.*

Aliqui

Aliqui tamen ex Dominis non consentiebant huic motiuo, dicentes, quòd agitur de exequutione mandati, quod potuit exequutioni mandari super quibuscumque rebus, & licèt opponatur, quòd res super quibus fuit facta exequutio sint maioris valoris quàm sit debitum, tamen respondebatur, quòd etiamsi
7 hoc probaretur, † nihilominùs exequutio non vitiaretur, sed illud plus esset debitori reddendum. Alexand. *in l. iustè possidet, num. 23. ff. de acq. poss.* Socin. *ibidem num. 13. vers. aliquando*, & fuit latè deductum in causa Romana dotium de Zoppis, *sub nu. 2.* 3. Ianuarij 1584.

Ex quibus statui iterum audire sententias Dominorum meorum.

ROMANA EMPHYteusis.

Ven. 28. Nouembris 1603.

EPITOME.

Emphyteosis acquisita pro successoribus descendentibus, non est hæreditaria, & si prorogetur, censetur cum iisdem qualitatibus prorogata.

SVMMARIVM.

1 *Inuestitura facta simpliciter, ad certam generationem, sine nomine hæredum, non dicitur hæreditaria, num. 4.*
2 *Secunda inuestitura recipit interpretationem à prima.*
3 *Prorogatio censetur facta cũ iisdem qualitatibus, & nu. 15.*
5 *Quilibet censetur se conformare statuto patriæ, secùs si constet de contrario, nu. 8. à qua præsumptione facilè receditur, nu. 9.*
6 *In alternatiuis est electio alternatiuè acquirentis.*
7 *Sequentia declarant præcedentia.*
10 *Nomine successorum veniunt hæredes, cùm hæredes dicantur de iure ciuili, successores de iure prætorio.*
11 *Pater in dubio censetur stipulari pro filiis, vti hæredibus, & num. 17. Secùs in emphyteosi, quando non est facta mentio hæredum, nu. 18.*
12 *Verbum (descendentibus) positum sine copula, & post verbum (successoribus) illud qualificat, & comprehendit successores sanguinis. 14. Et an intelligatur de hæredibus, nu. 13.*
16 *Emphyteosis hæreditaria non habet effectum, nisi adsint hæredes instituti.*
19 *Ex proprietate sermonis, nomine descendentium veniunt etiam fœminæ, & nu. 27.*
20 *Consanguinei dicuntur agnati, & quocumque modo sanguine coniuncti, nu. 21.*
22 *Illegitimus qui non potest succedere vti hæres patris in emphyteusi, an dicatur primus acquirens, & nu. 24.*
23 *In generali dispositione non venit emphyteosis non hæreditaria.*
25 *Clausula posita in parte exequutiua, non ampliat, neque immutat naturam dispositionis.*
26 *In emphyteosi pro re in recognitionem, modica quantitas soluitur.*
28 *Creditum melioramentorum cum aliis debitis compensatur.*

DECISIO CXXXVII.

DOmini vnanimiter perstiterũt in resolutis; Sulpitiæ, & litis cõsortibus competere actionem ad recuperationem domorum, de quibus agitur, & illis dandam esse immissionem, stante nullitate vendi-

tionis factæ per Lampodium Fabricio; nec obstare exceptionem melioramentorum, cùm Tomatus satis habeat intus, quod extra prætenditur. Quòd autem talis actio competat Sulpitiæ & aliis, vltra deducta in alia decisiones, hoc euidētiùs ap-
1 paret,† quia prima inuestitura non fuit hæreditaria, cùm fuerit facta simpliciter ad tertiam generationē. Clar. *in §. emphyteusis, quæst. 37. in fin.* Couar. *var. resol. lib. 2. cap. 18. num. 4. vers. quinto deducitur.* Et quamuis in ea semel habeatur mentio hæredū, hoc tamen est in nominatione, non in vocatione generationis; quare cùm ista prima inuestitura non sit hæreditaria, ita dicendum etiam est
2 de secunda,† quæ à prima debet interpretationem accipere, & declarari. Ruin. *cons. 187. num. 1. lib. 1.* Paris. *cons. 23. nu. 64. lib. 1.* Cephal. *cons. 369.*
3 *num. 101. & seqq.* † præsertim cùm ista secunda sit prorogatio primæ inuestituræ; quapropter censetur facta cum iisdem qualitatibus, *l. sed & si manente, ff. de precar. l. Labeo, 2. §. hæc autem, ff. de arbitr.* Bart. *in l. 1. §. & post operis, num. 5, vers. sed si in centum annorum. ff. de nou. oper. nunc.* Cephal. *d. cons. 369. num. 101.* Et verba prorogationis sunt satis clara, cùm Gundisaluus acquirat pro se, & Eluira, & successoribus descendentibus, quocumque nomine nūcupentur, & quocumque consanguinitatis iure sibi attineant in per-
4 petuum,† quare cùm nec in secunda sit facta mentio hæredum, sed descendentium, nō est hæreditaria. Clar. *in §. emphyteusis, quæst. 16. vers. emphyteusis non est hæreditaria.* Vnde cùm iam sit firmatum per duas decisiones, constare de legitimatione personæ Sulpitię, & litis cōsortium, nec non de identitate domorum, meritò illis competit actio ad illarum recuperationem.

Non obstat, quòd in prima inuestitura Gundisaluus acquirit ad tertiam generationem masculinam, seu fœmininā, vel ad tertiam generationem; quare, stante statuto exclusiuo fœminarum, censentur fœminæ vocatæ in defectum lineæ masculinæ, & ideò non potuit primus acquirens præiudicare masculis, & si Sulpitia prætendit, non adesse masculos in prima inuestitura vocatos, sibi onus hoc probandi incumbit.

Nam per Dominos fuit responsum, quòd, quicquid sit de illa quæstione, an primus acquirens possit præiudicare, de qua non est opus tractare in præsenti casu, non est verum in hac facti specie, quòd fœminæ essent vocatæ in prima inuestitura post masculos, nam tunc eo modo censentur vocatæ, quando non apparet de contraria mente testatoris, quia dictum Doctorū fundatur in eo † quòd quilibet censetur se conformare cum statuto patriæ. Brun. *in tract. de stat. exclus. fœmin. art. 8. quæst. 22. num. 1. & seqq.* Anchar. *cons. 125. num. 5. vers. 2. principaliter moueor* Decia. *resp. 46. nu. 65. vol. 2. & cons. 30. num. 40. lib. 3.* 5

In præsenti verò casu constat de contraria mente Gundisalui, quia Gundisaluus in prima inuestitura non acquisiuit simpliciter ad tertiam generationem sed ad tertiam generationem masculinam, seu fœmininam; † quare stante alternati- 6
ua, *seu* erat in electione Gundisalui, quam generationē vellet. *c. in alternatiuis, de reg. iur. in 6. §. penult. instit. de hæred. instit.* Bart. *in l. si is qui ducenta, §. verum, nu. 1. & seqq. ff. de reb. dub.* cum aliis. Quod etiam ex eo appareret, quia in prorogatione primò nominauit Eluiram filiam, & eius descendentes, & postea filios masculos. Quare satis constat, ipsum non habuisse animum in prima inuesti-

tura

tura vocandi fœminas poſt maſcu-
7 los;† cùm ſequentia declarent præ-
cedentia,*l.ſed Iulianus,§.interdum,&*
*§.proinde,ff.ad Maced.*Aym.*conſ.*226.
*nu.*6.Surd.*conſ.*366.*num.*14.*lib.*3.

Cùm igitur conſtet de contraria
mente Gundiſalui, non eſt locus
8 concluſioni,† quòd voluerit ſe cõ-
formare cum diſpoſitione ſtatuti.
Socin.iun.*conſ.*71.*num.*42.*verſ.demũ,*
*& quartò,lib.*1.Illuſtriſſimus Mantic.
*de coniect.vlt.vol.lib.*6. *tit.*7. *num.*14.
9 † ſtante maximè, quòd ab iſta præ-
ſumptione facilè receditur. Corn.
*conſ.*91. *num.*1. *verſ.tamen de facili,*
*vol.*1.*& conſ.*202.*num.*9.*prope fin.vol.*
3. Et ſequuta eſt Rota in cauſa Mõ-
tis Faliſci 24. Februarij 1584.& co-
ram me in hac cauſa.

Non obſtat,quòd in prorogatio-
ne non eſt emphyteuſis acquiſita
pro Gundiſaluo,& deſcendentibus,
ſed pro Gundiſaluo, Eluira, & ſuis
10 ſucceſſoribus deſcendentibus,† &
nomine ſucceſſorum veniunt hæ-
redes, cùm hæredes dicantur de iure
ciuili, ſucceſſores verò de iure præ-
torio.Alex.*conſ.*44.*num.*1. & 4.*lib.*1.
Pariſ.*conſ.*46. *num.*10.*lib.*4. Syluan.
11 *conſ.*30. *num.*10. & 11.cum aliis,†
Eoque magis cùm in dubio pater
cenſeatur ſtipulari pro filiis hæ-
redibus.Surd. poſt alios,*deciſ.*322.*num.*
32.*& ſeq.*

Quia DD. prædicti loquuntur in
emphyteuſi acquiſita pro hæredi-
bus,& ſucceſſoribus,& in aliis ter-
minis,in quibus nos non verſamur.
12 † Nam in hoc caſu dicitur pro ſuc-
ceſſoribus deſcendentibus, quod
verbum *deſcendentibus*, ſine copula,
& qualificat verbum *ſucceſſoribus*,
& illud reſtringit, ita vt non poſſit
intelligi niſi de ſucceſſoribus ſan-
guinis,nec eſt nouum in iure, quòd
verbum, *ſucceſſor* accipiatur aliquã-
do pro ſucceſſore ſanguinis, *l. cùm*
acutiſſimi, in fin. vbi Bald. *in* 2. *not.*
Ias.*num.*1.*C.de fideic.* Socin. ſen.*conſ.*
249.*num.*15.*&* 16.*lib.*2.

Nec ſubſiſtit, quòd ex quo non 13
eſt poſita copula,*&* inter verba *ſuc-*
ceſſoribus deſcendentibus, magis vide-
tur dicendum,fuiſſe intellectum de
hæredibus,vt per Pinel.*in l.*1.*p.*3.*nu.*
90.*C.de bon.matern.*quia ratio Pinel-
li optimè facit pro deciſione, licèt
loquatur in aliis terminis, ſcilicèt,
quando ſtipulatio fit pro liberis
hæredibus ſine copula,& ſic verbũ,
hæredes, qualificat, & reſtringit, vo-
cationem liberorum,† ita in præ- 14
ſenti caſu, cùm ſtipulatio ſit facta
pro ſucceſſoribus deſcendentibus,
illud verbum,*deſcendentibus*, qualifi-
cat,& reſtringit verbum *ſucceſſoribus*,
vt dictum fuit.

Et ceſſat omnis difficultas; quia 15
prima inueſtitura eſt pro deſcen-
dentibus, quare ita debet intelligi
etiam prorogatio, vt dictum fuit
ſecunda quia in aliis partibus vo-
cantur deſcendentes ſimpliciter
abſque alio verbo, *ſucceſſoribus.* Et
quamuis ſit poſita dictio, *vt ſuprà*,
tamen eſt poſita ad repetitionem
deſcendentium, & habentium in-
tereſſe, non vt repetat illam quali-
tatem ſucceſſorum. Tertiò quia fit
conceſſio pro deſcendentibus quo-
cumque nomine nuncupentur, &
quocumque conſanguinitatis iure
attineant, in futurum, & iſta verba
repugnant emphyteuſi hęreditariæ,
vel mixtæ; † quia ſi non eſſent vo- 16
cati niſi hæredes, iſta ſtipulatio,
quocumque nomine, &c. & quocumque
conſanguinitatis iure,&c. eſſet inutilis,
quia non poſſet habere effectum,
niſi etiam eſſent inſtituti hæredes.

Nec refragatur, quòd in dubio 17
pater cenſeatur ſtipulari pro filiis,
& hæredibus, quia quicquid ſit in
aliis contractibus, † ſecùs eſt in 18

emphyteuſi, quando non eſt facta mentio hæredum, ex communi opinione DD. Clar. *in §. emphyteuſis, quæſt. 37. in princ.* Caputaqu. *deciſ. 113. par. 1. in manuſcript.* Cott. *deciſ. 355.*

19 Nec eſt verum, quòd fœminæ nõ poſſint ſuccedere in hac emphyteuſi; nam reſpondetur, quòd vocantur deſcendentes, quorum appellatione veniunt ex proprietate ſermonis etiam fœminæ. Alex. *conſ. 160. nu. 2. verſ. ſed his non obſtantibus, lib. 2.* Pariſ. *conſ. 72. num. 6. lib. 4.* Neque hîc fuit habita ratio agnationis, cùm vocetur Eluira fœmina. Nec militat ratio ſtatuti, vt latè fuit deductum in alia deciſione.

20 Minùs reſiſtit, quòd vocentur conſanguinei, qui agnati dicuntur, *l. 1. §. fin. cum l. ſeq. ff. de ſuis & legit. hæred. §. 1. inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.* quia vocantur deſcendentes, vt dictum fuit, & ſubditur, *quocumque nomine nuncupentur, & quocumque conſanguinitatis iure ſibi attineãt.* Ex quibus conſtat, Gundiſaluum non ſe reſtrinxiſſe ad agnationem, eóque

21 magis † quia ſecundùm cõmunem vſum loquendi, appellentur conſanguinei quocumque modo ſanguine coniuncti. Bart. *in l. cùm quidam §. 1. num. 1. verſ. ſciendum eſt, ff. de acq. hæred.*

Minùs ſubſiſtit, quòd Eluira fuit prima acquirens, vt deducitur ex eo, quia cùm eſſet illegitima, non poterat ſuccedere, vti hæres patris,

22 † & ideo debet cenſeri noua acquirens. Afflict. *deciſ. 99.* Quapropter cùm in teſtamento excluſerit fœminas, meritò debent ſuccedere tãtùm maſculi, ſtante maximè clauſula, *ad habendum, &c.* poſita in prorogatione.

23 Nam reſpondetur quòd huiuſmodi emphyteuſis non eſt hæreditaria, † & ideo in generali diſpoſi- 24
tione non veniunt bona emphyteotica, vt latè in alia deciſione. † Vltra quòd illegitimus poteſt patri ſuccedere, licèt non tanquam hæres, in emphyteuſi. Bald. *in l. 2. num. 7. & ibi* Iaſ. *num. 122. C. de iur. emphyt.* Et ſic, quamuis patris ſtipulatio facta pro filio illegitimo, ſonet in nouam dationem, non tamen inde eſt, quòd iſte, cuius fauore fit ſtipulatio, ſit primus acquirens, quia inter emphyteutam, & eius filium pro quo ſtipulatur, oritur tacita donatio, & ideo ſuccedit patri, licèt non tanquam hæres, vt declarat. Bald. *in auth. ſi quas ruinas, num. 8. verſ. 2. ratio eſt. C. de ſacroſ. Eccl.* D. Aldobr. *conſ. 6. num. 8.*

Nec clauſula, *ad habendum, &c.* efficit, quòd Eluira potuit diponere in præiudicium vocatorum, † quia 25
cùm huiuſmodi clauſula ſit poſita in parte exequutiua, non ampliat, neque immutat naturam emphyteuſis. Dec. *conſ. 500. nu. 8. verſ. & ideo.* Pedemon. *deciſ. 164. num. 2.* Vinc. de Franc. *deciſ. 6. num. 7.* Corbul. *tit. de cauſ. priu. ob alien. limit. 3. num. 8.* Honded. *conſ. 38. nu. 11. vol. 1.* Vltrà quòd iſtæ clauſulæ, vt ex lectura patet, expreſsè ſunt appoſitæ ad fauorem vocatorum.

Minùs etiam obſtat, dum dicitur, 26
quòd hæc fuit locatio ad longum tempus, ſtante magna quantitate recognitionis, nempe ducat. 90. cùm tunc dicatur emphyteuſis, cùm pro re in recognitionem dominij quantitas modica ſoluitur. Ruin. *conſ. 161. num. 21. & ſeqq. lib. 1.* Rol. *conſ. 96. nu. 25. & ſeq. vol. 1.* & tenuit Rota coram Reuerẽdiſſimo Patriarcha Alexandrino in cauſa Romana Caſalium. 6. Nouembris 1576. & ideo illi debent cenſeri vocati, qui ſunt filij & hæredes.

Nam

Nam fuit reſponſum,quòd,quicquid ſit de hac quæſtione,& an huiuſmodi contractus fuerit locationis,vel emphyteuſis, ſatis eſt, quòd
27 ſint vocati deſcendentes,† quorum appellatione veniunt etiam fœminæ, & quòd nulla ſit facta mentio hæredum, per ſupradicta.

Prædictis ſtantibus D. Sulpitiæ, & litis conſortibus danda eſt immiſſio, quia iam fuit firmatum coram me, alienationem factam per Lampodium in Fabricium, fuiſſe nullam,ita vt ab ipſo Lampodio ius non ſit abdicatum in præiudicium Sulpitiæ,& aliorum.

Nec officit, quòd prætenduntur melioramenta,quia Troilus,qui illa fecit, ceſſit ius ſuum Sulpitiæ,& litis conſortibus pro ſumma ſcutorum 170.& eis debentur fructus, & penſiones domus,& apothecarum à die motæ litis,& ante motam litem canones decurſi, & non ſoluti;quæ longè omnia excedũt valorem omnium prætenſorum emolumento-
28 rum;† & cum illis veniunt computanda, vt per Put. *deciſ.276.lib.9.* & fuit pluriès reſolutum.

AGRIGENTINA Sancti Angeli.

Lunæ 1. Decembris 1603.

SVMMARIVM.

1 *Narratiua per verbum* (vt aſſeritur) *non eſt iuſtificanda.*

2 *Clauſula,* ſtantibus præmiſſis,*non alterat narrata, & nu.4.*

3 *Creſcentij deciſ.6.* de reſcript. *declaratur.*

DECISIO CXXXVIII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis,ſcilicèt, Breuia non fuiſſe ſubreptitia. Licèt enim non iuſtificetur,Eccleſiam de qua agitur, eſſe de iurepatronatus iuratorum;† non 1
refert,cùm iuſpatronatus fuerit narratum per verbum (vt aſſeritur)quo caſu impetrans releuatur ab onere probandi,Caſſad.*dec.4.num.1.de probat.*cum alleg.in alia deciſ.

Non obſtat clauſula in fine poſita,*ſtantibus præmiſſis aſſignes, &c.* ex qua omnia narrata ſunt iuſtificanda; quia illa clauſula non poteſt operari, quòd quis teneatur iuſtificare id quod ipſe minimè narrauit.

Minùs refert dum dicitur, quòd prædicta procederent, ſi eſſet ſimplex gratia, ſed cùm ſit in forma commiſſoria, licèt ſit narratum per verbum,*vt aſſeritur iuſpatronatus,* debet illud iuſtificare,cùm Papa dicat, *ſtantibus præmiſſis,*† quia fuit reſpon- 2
ſum, hanc clauſulam non alterare narrata, & ideo debere intelligi prout hic narrantur.

Nec prædictis reſiſtit deciſio 3
Creſcen.*6.de reſcript.*quia in caſu illius deciſionis Papa narrat enunciatiuè, aliquid coram eo fuiſſe factum, & illud factum debet iuſtificari,per clauſulam,*conſtito tibi de illo facto.* Et ratio illius deciſionis eſt, quia ſi Papæ intentio fuiſſet,vt ſuæ aſſertioni ſtaretur, non reſcripſiſſet cum clauſula *conſtitò*, ſed nos in præſenti caſu verſamur in longè diuerſis terminis, quia licèt coram Papa aſſertiuè fuerit narratum, Eccleſiam eſſe de iure patronatus iuratorum, Papa non reſcripſit cum clauſula,*conſtitò quòd ſit de iurepatronatus,* prout in caſu Creſcentij, in quo clauſula, *conſtito,* in ſpecie percuſſit narratum, & Papa vult, quòd iuſtificetur,ſed in præſenti caſu,Papa dicit,*ſtantibus præmiſſis,* quæ clauſula non alterat narrata.

PAMPILONEN. DE Ianſi.

Lunæ 1. *Decembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Alternatiua diſpoſitio contentatur vno ex requiſitis.*

2 *In gratia beneficij exprimi debet certus modus vacandi, vt in gratia, ſi neutri, & num.* 4. *ſecùs ſi eſt derogatum regulæ, nu.* 6.

3 *De iure communi non eſt neceſſarium exprimere in gratia certum modum vacandi, ſed ſufficit, quòd beneficium vacet, & nu.* 5. *&* 6.

7 *Gratia, ſi neutri, eſt noua gratia, & in ea debent exprimi quæ reddere poſſunt difficiliorem Papam ad concedendum.*

8 *Papa poteſt conferre beneficium, etiamſi non vacat.*

9 *Impetrans certo modo, & duobus modis vacationis expreſſis, non eget iuſtificatione de facto, ſi eſt derogatum regulæ, qua iuſtificatione egeret, ſi vellet capere beneficium, ex clauſulis generalibus in gratia poſitis.*

DECISIO CXXXIX.

DOmini reſoluerunt, gratiam Ferdinandi eſſe iuſtificatam quoàd vacationē. Cùm enim alternatiuè narrauerit, parochialem vacare per obitum Ioannis illius vltimi poſſeſſoris, ſeu ius in illa, vel ad illam habere prætendentis, ſufficit, quòd iuſtificauerit, dictum Ioānem
1 prætendiſſe habere ius,† cùm alternatiua contentetur altero ex requiſitis, *c. in alternatiuis, de reg. iur. in* 6. *l. ſi hæredi plurium, ff. de condit. & demon.* cum aliis. Et in his terminis fuit reſolutum coram Reuerendiſſimo Domino meo Patriarcha Alexandrino in cauſa Lunen. Sarzanen. Prioratus, 9. Februarij 1590. & 19. eiuſdem menſis, & anni, in cauſa Bononien. Canonicatus, coram Reuerendiſſimo D. meo Decano, & in alia Calaguritana beneficij de Ariola, 15. Nouembris 1592. coram bo. me. Giptio & aliàs ſæpiùs.

Non obſtat, quòd in gratia de- 2
beat exprimi certus modus vacandi. Mandoſ. *in prax. ſignat. gratit. de impetr. cert. mod. verſ. vel quia concluſio.* Et in gratia *ſi neutri*, dicit expreſsè Felyn. *in cap. in noſtra, num.* 37. *verſ. limita* 1. *de reſcript.* Rot. *deciſ.* 25. *eod. tit. in nou.* cum pluribus in diſcurſu allegatis.

Nam fuit reſponſum, quòd cir- 3
cumſcripta regula, cui fuit in hac gratia derogatum, † de iure cómuni nó eſt neceſſe exprimere certum modum vacandi, ſed ſufficit, quòd beneficium vacet. Lap. *alleg.* 6. *nu.* 5. *cum alleg.* ibi per Mandoſ. *in lit. K.* Felin. *in c. in veſtra, num.* 37. *de reſcript.* Gabr. *conſ.* 188. *lib.* 1. Hier. Paul. *in prax. Cancell. fol.* 139. Staphil. *de lit. gra. tit. de var. mod. vacat. nu.* 5.

Et quamuis Mandoſ. teneat con- 4
trarium, & Felin. limitat dictam cōcluſionem in gratia, *ſi neutri*, tamen Mandoſ. *alleg. tex. in c. ſuſceptum de reſcript. in* 6. in quo facit fundamentum, ſed non facit ad punctum, quia aliud eſt, quòd narrato vno modo vacationis, alius non veniat, prout dicitur in eo tex. aliud verò, quòd ſit neceſſarium exprimere certum modum, & contrarium dicunt Doctores, *in d. cap. ſuſceptum*, Gemin. *ſub nu.* 7. *verſ. per hoc*, Franch. *num.* 10. & firmant ſufficere, conſtare de intentione conferentis, & quòd non requiritur certa formalitas verborum.

Felin. verò pro ratione ſuæ limitationis allegat dictam deciſionem, 24. *de reſcript. in nou.* quam DD. cum

aliis

6 aliis allegatis intelligunt, † quòd tunc debeat exprimi certus modus vacandi, quando non fuit derogatũ regulæ, quia ceſſante regula, de iure cõmuni, ſufficit, quòd beneficiũ vacet, vt dictum eſt. Et ſi hoc de iure communi fuiſſet neceſſarium, regula minimè opus fuiſſet, & ea ſuperuacanea dici poſſet, nec adeſt aliqua ratio ſpecialitatis in gratia, *ſi neutri*,
7 ſed ratio ſola eſt, † quia cùm ſit noua gratia, debent in illa exprimi ea quæ poſſunt Papam reddere difficiliorem ad concedendum, vt dicitur, *in dicta deciſ. 24. de reſcr. in nou.* Felin. *in d. cap. in noſtra, numer.* 17. dicit, quòd requiritur expreſſio, prout ſi de nouo beneficium impetraretur.

Et iſta ratio ceſſat in hoc caſu, quia ex forma gratiæ apparet, quòd Papa voluit concedere ſine aliqua expreſſione, per tot clauſulas, cum derogatione regulæ. Io. Paul. *deciſ.*
8 69. † vbi, quòd ſi Papa voluit, cepit etiam beneficium quod non vacabat.

Nec ſubſiſtit, quòd debeat ſaltem de facto iuſtificari, beneficium vacare per obitum Ioannis, ad effectũ quòd poſſit capi alia vacatio, ſcilicèt quòd in eo ius habere prætendebat,
9 † quia fortaſſe eſt de facto iuſtificatus primus modus narratus: ſed Ferdinandus non eget tali iuſtificatione de facto, quia tunc egeret, ſi vellet capere vacationem ex clauſulis generalibus. Et ita procedunt deciſiones allegatæ, ſecùs autem dicendum eſt in caſu iſto, in quo diſpoſitiuè duo modi vacandi fuerunt alternatiuè narrati, vt in deciſionibus ſuperiùs allegatis.

Et ita fuit reſolutum, gratiam Ferdinandi fuiſſe iuſtificatam quoàd modum vacandi expreſſum. In reliquis videndum erit.

NARNIEN. CONFINium.

Mercurij 10. *Decembris* 1603.

EPITOME.

Teſtes de Vniuerſitate, quãdo agitur de intereſſe Vniuerſitatis, ſunt idonei teſtes; ſecùs ſi agatur de intereſſe ſingulorum.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes de Vniuerſitate, regulariter admittuntur, exempli gratia, in probandis confinibus, num.* 2. *Contrarium vide, nu.* 3.

4 *Teſtes de Vniuerſitate, admittuntur, quando agitur de intereſſe Vniuerſitatis, ſecùs ſi de intereſſe ſingulorum.*

5 *Ex materia confinium non infertur ad paſcua, cùm nihil habeant commune.*

6 *Quando ius paſcendi, vel lignandi, venditur, & pretium in arca communi reponitur, cauſa ſpectat ad Vniuerſitatem, non ad ſingulos de Vniuerſitate.*

7 *Communitas emens ius paſcendi, præſumitur acquirere pro Vniuerſis, potiùs quàm pro ſingulis.*

8 *Ad hoc vt repellantur teſtes Vniuerſitatis, quãdo agitur de paſcuis, vel nemoribus, requiritur, quòd alibi paſcua habere non poſſint.*

9 *An teſtes vnius Vniuerſitatis idonei ſint, quando agitur de ſolutione gabellarum, vel ſuæ Vniuerſitati, vel alteri in materia confinium, & paſcuorum.*

10 *Teſtes Vniuerſitatis non ſunt idonei, quando ſunt deſcripti in mandato procuræ ad agendum.*

11 *Verba*

11 *Verba sunt intelligenda secundùm subiectam materiam.*

12 *Testes de Vniuersitate non admittuntur, quando causa est criminalis, vel ciuilis ardua, vel magni honoris, quod quando sit, relinquitur iudicis arbitrio, nu.13.*

14 *Testes de Vniuersitate non sunt admittendi, quando aliter veritas haberi potest. Vide contrarium, num.15.*

16 *An testes de Vniuersitate, si admittantur, sint integræ fidei.*

17 *Testium dicta supplentur ex numero testium.*

18 *Sacerdos est idoneus testis pro Vniuersitate sæculari.*

19 *Dictum testium de Vniuersitate, suppletur per dicta testium, qui non sunt de Vniuersitate, & nu.21.*

20 *An sit magis credendum testibus forensibus contradicentibus, quàm testibus Vniuersitatis, & 22.*

Decisio CXL.

1 FVit per Dominos resolutum, testes de Vniuersitate Colliscipionis non esse repellendos; quia regulariter admittuntur, *cap. insuper de test.* quod licèt loquatur in testibus de Vniuersitate Ecclesiastica, tamen eius dispositio procedit etiam in Vniuersitate laicorum. Felin. *ibid. num.2.vers.sed contrarium.* Abb. pariter, *num.2. vers. ex qua ratione infertur, & vers. sed istam differentiam,* & ibi in addit. Vrsil. *col.1.vers. quam regulam,* Alberic. de Maluer. *de test. c.4. num.72.vers. hac ratio, & vers. iudicando tamen,* Hier. de Mont. *de fin. reg. c.57.* Et simpliciter, quòd testes Vniuersitatis admittantur, dicit Specul. *in tit. de test. §.1.num.22.vers. sed nunquid in causa Vniuersitatis, num.1.vers. vnde tenet glos.* Odofr. *ver. Or signori,* Alber. *num.3. & seqq. iuncto num.7. vers. nec obstat,* vbi tuetur hanc partem, & respondet contrariis, *ff. de rer. diu.* Dec. *in cap.3. num.45.* Bald. *nu.8. vers. item nota, de probat.* idem Bald. *in c. cùm Nuncius, in primo not.* Butr. *num.3.* Arian. *num.1. in primo not. de test.* Salyc. *in l. parentes, num.4. C. de test.* Ias. *in l. dictantibus, num.4. vers. sic in simili dicimus, C. de testam.* Socin. *reg.519. in princ.* vbi testatur de communi, Menoch. *de arbitr.* qui etiam testatur de magis recepta sententia, & etiam respondet contrariis rationibus, *cas.18. num.5. & 6. cum seqq. lib.2.* Et hanc conclusionem pluriès admisit Rota, Chisan. *decis.189.* & coram Illustrissimo D. Cardinali Blanchetto in causa Conchen. limitum, 19. Ianuarij 1596. & priùs in alia Pampilonen. sepulturæ 5. Decembris 1584. coram bo.me. Lauretano, & aliàs sæpiùs.

Et in specie, quòd testes Vniuer- 2
sitatis admittantur in terminis nostris, scilicèt quando agitur de finibus probandis, dicit Ruin. *cons. vlt. num.16. lib.4.* Menoch. *d. cas.106. nu.5.* Guido Pap. *decis.193. num.1. in fin.* Couar. *pract. quæst. cap.18. nu.4. vers. 4. iudices,* Bald. qui dicit hanc esse communem opinionem, *in cas.445. num.9. lib.5.*

Non obstat, quòd Plot. *de in lit.* 3
iur. §.4. num.26. & Viu. *in com. opin. vero testes de Collegio, vel Vniuersitate,* dixerint ex Dec. *in c. in super num.6. de test.* communem opinionem esse, quòd testes de Vniuersitate sæculari non admittantur pro sua Vniuersitate.

Nam fuit responsum, quòd Vi- †
uius, & Plot. perperàm allegant 4
Decium, qui *d. num.6.* nihil dicit, sed *nu.18* testatur, esse communem opinionem, quòd testes de Vniuersitate non admittantur, quando agitur de interesse singulorum, de quo in præsenti casu non agitur, vt infrà dicetur.

Minùs

Minùs releuat, quòd dicebatur, prædicta procedere si ageretur de interesse Vniuersitatis, sed cùm agatur de interesse singulorum, testes Vniuersitatis non admittantur, vt distinguendo dicit Chisanen. *decis. alleg.* & post alios Menoch. *loco præcit. num.* 13. & testatur de communi Lanfranc. *de test. num.* 73. Osasch. qui multos refert, *decis.* 99. *num.* 39. quod interesse singulorum deducitur, ex quo agitur de pascuis, & quando agitur de pascuis, vel nemoribus, propter interesse singulorum testes de Vniuersitate non sunt idonei. Angel. *in l. omnibus, num.* 2. *vers. aut respicit singulos, C. de test.* Castren. *ibidem, num.* 2. *vers. & per prædicta patet, quòd si est quæstio de pascuis,* Lanfranc. *de test. num.* 73. qui de communi. Afflict. *decis.* 400. *post num.* 5. Couar. *pract. quæst. c.* 18. *num.* 4. *vers.* 4. *iudices,* vbi quòd hæc opinio procul dubio est communis. Rol. qui pariter de communi, *cons.* 72. *num.* 13. *& seqq. lib.* 2.

Respondetur enim, quòd prædicta conclusio est verissima, sed non applicatur: nam hic non agitur de pascuis, sed agitur de finibus, & quamuis inter fines prætensos adsint pascua, quæ arrendantur per communitatem Narniæ, tamen ex victoria finium non resultat per necesse victoria pascuorum; † materia enim finium nihil habet commune cum iure pascendi. Couar. *pract. quæst. cap.* 37. *in princ. & per tot.* & stant simul, quòd territorium sit Collisicipionis, & ius pascendi competat Narnien. Couar. *loco præcitato,* Cæpol. *de seruit. rustic. præd. c.* 9. Florian. de Sancto Petro, *in l. item, si fundi, § seminarias, in fine, ff. de vsufruct.* Rota coram bo. me. D. Giptio in Farfen. territorij, die Lunæ 9. Maij 1594.

5

Et in omnem euentum, etiam quòd agatur de iure pascendi, & nemoribus, causa non ad singulos, sed ad Vniuersitatem spectare dicitur, quando ius pascendi, & lignandi per Vniuersitatem venditur, & pretium in arca communi reponitur, Iacob. de Sancto Georgio, *in l. nullus, num.* 8. *vers. deinde si esset quæstio, ff. de test.* Feli. *in c. insuper, num.* 2. *ad med. & num.* 6. *vers. secùs si effectus vtilitatis, de test. & in c.* 3. *loco num.* 3. *in fin. vers. & idem si est, quæstio de nemore,* Bald. *num.* 4. *vers. vel est quæstio de nemore, de probat.* idem Bald. *in l. parentes, in fin. C. de test.* Afflict. *decis.* 400. *post num.* 6. *vers. vel est quæstio de nemore, cuius fructus, num.* 91. *vers. testes an possint esse, in quarta fallentia, vers. secùs, si effectus,* Marsil. *in l.* 1. §. *seruus municipum, num.* 10. *post med. ff. de quæst.* Couar. *pract. cap.* 18. *nu.* 4. *vers. qua ratione,* Hier. de Mont. *de fin. reg. cap.* 58. *nu.* 9. *& seqq.* 6

Ex quibus cum hodiè per communitatem Narnien. istud ius pascen. vendatur, non potest concludi, quòd Communitas Collisicipionis velit illud acquirere pro singulis, immò magis dicendum est, velle illud arrendare, † & sic acquirere pro vniuersis, & sufficit, quòd non constet, quid vellet facere Cõmunitas, ad effectum, quòd testes de Vniuersitate Collis Scipionis tanquam habentes interesse, vti singuli non repellantur, ad trad. *per Alberic. in d. l. in tantum, §. Vniuersitatis, nu.* 7. *in fin. ff. de rer. diu.* Aym. post Butr. & alios, *de antiq. temp. par.* 1. *sect. quid in libro officialis, num.* 22. Rol. *cons.* 72. *num.* 4. *vers. pro cuius sententia lib.* 2. Menoch. *de arbitr. d. cas.* 106 *num.* 15. *in fin. lib.* 2. 7

Dicebat etiam vnus ex Dominis, ex Bald. *in c. cùm nuncius, ante nu.* 1. *vers. nam iuramenta, de test.* quem 8

ſequitur Socin. *reg.*519. *in 6. fallentia, verſ. Bald. tamen*, quòd ad hoc, vt teſtes Vniuerſitatis repellantur, quando agitur de paſcuis, vel nemoribus, requiritur, quòd homines alibi paſcua commodè habere non poſſint, & etiam quòd gratis ad paſcendum admitterentur abſque aliqua ſolutione. Bald. *in l. parentes, prope fin. C. de teſt.* Hier. de Monte *de fin. regun. c.*58. *num.*8. Capic. *deciſ.*15. *num.*6. Socin. *d.* 519. *in 6. fallen. verſ.* 2. *limitat. idem Bald.* Rol. *conſ.*72. *nu.* 15. *lib.*2.

Vnde neceſſe eſſet, quòd Communitas Narnien. quæ curat, hos teſtes repelli, probaret, quòd paſcua alibi commodè haberi non poſſint, & quòd Cõmunitas Collisſcipionis eſſet admiſſura gratis homines Vniuerſitatis ad paſcendum eorum animalia.

Non officit, quòd aliqui ex iſtis teſtibus habeant bona in loco controuerſiæ, & quòd agatur de intereſſe ſolutionis gabellarum, collectarum, & ſimilium, quia etiamſi declararetur territorium eſſe Communitatis Collis Scipionis, hæc tamen omnia eſſent ſoluenda illi
9 Communitati. Vnde cùm horum teſtium non interſit magis, ſoluere onera Narniæ, quàm Communitatis Collis Scipionis, propter hoc nõ ſunt repellendi, vt fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto in cauſa Conchen. limitum alleg. 19. Ianuarij 1596.

Et ceſſat difficultas, quòd homines Collis Scipionis ſunt exempti à iuriſdictione Narnien. in conſtitutionibus Apoſtolicis, quare non poteſt conſiderari aliquod commodũ, ſaltem principale pro hominibus de Communitate Collis Scipionis ex victoria ſua Communitatis.

Minùs facit dum dicitur, quòd iſti teſtes nõ ſunt idonei, ex eo quia dederunt mandatum ad agendum; quia ad hunc effectum requiritur quòd omnes de Vniuerſitate dederint mandatum, † tunc enim is qui 10
in mandato procuræ comprehenſus eſt, pro ſua Vniuerſitate teſtimoniũ ferre non poteſt. Plot. *de in lit. iur.* §.4. *num.*26. *verſ. maximè vbi omnes, & verſ. quod limita, niſi omnes*, Aldobrãd. *in addit. ad Dec. in c.*3. *loco, nu.*45. *lit. G. de teſt.* Viu. *com. opin. verb. teſtes de Collegio, verſ. & hoc potiſſimum*, Rol. *conſ.*72. *num.* 17. *lib.*2. vbi ampliat, quòd ſi cauſa eſt mixta, quia ſcilicèt intentetur, tam nomine Vniuerſitatis, quàm ſingulorum, tunc ſinguli de Vniuerſitate non poterũt teſtimonium ferre. Et ita loquitur deciſio coram bo. me. Giptio in cauſa Gerunden. anniuerſariorum, 9. Iunij 1586. & eſt deciſ. Blanchetti, in alleg. cauſa Conchen. limitum.

Et licèt dicatur, quòd omnes ſint deſcripti in mandato, hoc tamen in facto non ſubſiſtit, & copia mandati fideliter minimè datur.

Nec facit, quòd mandatum ſit datum ad inſtantiam Communitatis, & hominum Collisſcipionis; quia non propterea eſt dicendum, mandatum datum fuiſſe pro Vniuerſitate, & ſingulis; nam verba illa *pro Communitate, & hominibus*, ſunt intelligenda reſpectu hominum vti Vniuerſitatem conſtituentium, non vti ſingulorum; quia cùm agatur de territorio, non poſſunt conſiderari vt ſinguli, † & verba ſunt intelli- 11
genda ſecundùm ſubiectam materiam, *Gemin. conſ.*29. Aym. *conſ.*171. *num.*13. cum aliis.

Non releuat, quòd teſtes de Vni- 12
uerſitate non admittantur, quando cauſa ciuilis eſt ardua, & magna, in qua, cùm æquiparetur criminali, teſtis

teſtis de Vniuerſitate non admittitur; nec quando agitur de magno honore, vel de aliqua magna iuriſdictione, Felin. *in c. inſuper, num.5.ad fin. de teſt.* Marſil. *in l.prima, §.ſeruus municipum, num.8. in fin. ff. de quæſt.* Vrſill. *ad Afflict.deciſ.400.col.2. verſ. niſi tractetur de cauſa ardua,* Menoch. *de arbitr.d.caſ.106.num.11.*

13 Quia cùm tota hæc materia relinquatur arbitrio iudicis, vt per eundem Menoch. *d.loco,* quod licèt regulatur à iure, remittit tamẽ multum de rigore iuris, non viſum fuit Dominis, quòd cauſa de qua agitur, ſit talis, vt non ſint admittendi teſtes de Vniuerſitate.

14 Minùs ſubſiſtit, quòd teſtes de Vniuerſitate non ſint admittendi, cùm veritas aliter poſſit haberi, vt per gloſ. Innocen. Hoſt. Bald. & alios, quos refert Felin. *in cap. cùm nuncius, num.2.de teſt.* cum aliis.

15 Nam communis opinio eſt in cõtrarium. Abb. *in c. inſuper, num.2.ad fin. verſ. non autem admittantur,* idem Abb. *in c.3.loco, num.5. verſ. 2. colligitur,* vbi dicit, hoc eſſe verius, *de probat.* Dec. qui pariter teſtatur de communi, *in eod. cap.3.loco, nu.*48.49. & 50. Felin. *in d.cap.inſuper,num.7.in 2. fallen.* vbi reſpondet contrariis. Menoch. *de arbitr.d.caſ.106. num.*8. cum aliis, qui allegari poſſent.

16 Nec etiam facit, quòd ſi admittãtur teſtes de Vniuerſitate, non tamẽ ſunt integræ fidei; quia iſte articulus eſt valdè cõtrouerſus, circa quem tamen nihil Domini firmarunt, cùm pro negatiua teſtetur de communi Crot. *de teſtibus, num.*132. & pro affirmatiua Nicol. Foſtas. *in tract. de collect. par.3. cap.2. ſub num.* 26. Et quamuis opinio negatiua videatur fortè ex dinumeratione Doctorum magis communis, tamen quando alij teſtes non deponunt contrarium, affirmatiua videtur magis cõmunis, ex alleg. per Honded. *conſ.* 17.*num.*37. & *ſeqq.vol.*1.

Tamen omiſſis prædictis, cùm ſint plures teſtes, ſupplentur ex numero ipſorum.† Quando enim plu- 17
res, quàm duo teſtes Vniuerſitatis aliquid dicunt, plenam fidem faciunt. Paul. de Caſtr. *conſ.*47.*num.*7. *verſ.adeo quòd lib.*3. Imol. *in d.cap.cùm nuncius,ſub num.2.verſ.ideò poteſt dici, de teſt.* Alexand. *conſ.*99.*nu.*17.*lib.*5. Proſp.Pateth. *conſ.*161.*num.*14.cum aliis pluribus per Honded. *dicto conſ.* 17.*num.*42. *libro primo.* Aym. qui dicit, in hoc Doctores conuenire, *de antiq.temp.par.prima,ſect.quid in libro officialium, nu.*17.& 18.

Eóque magis hæc procedunt in præſenti caſu, quia adſunt duo teſtes Sacerdotes, † qui videntur eſſe 18
idonei pro iſta Vniuerſitate ſæculari, cùm ſint idonei pro Eccleſia. Dec. *in cap. inſuper.num.*20. *de teſt.* & *in c.3. loco, num.*46.*de probationibus,* Vrſil. *in addit. ad Afflict. deciſ.*400. *col.2. verſ.* & *eſt opinionis,* Nellus *de teſt. num.*22. Alberic. de Maluet. *de teſt.cap.5.num.*29. Aym. *de antiq. tempor.par.*1.*ſect.quid in lib.offic.poſt num.* 17. Hier. de Mont. *de fin.regen.c.*57. *num.*1.& 2. Viu. *in comm. opin.verſ.teſtes de collegio, verſ. interpretatur quoque,* vbi de communi.

Et ceſſat difficultas, quia concurrunt alij teſtes, qui non ſunt de Vniuerſitate.† Vnde dictum teſtium de 19
Vniuerſitate ſuppletur per dictum iſtorum; Gerard. *ſing.*24.*nu.*2. Gabr. *de teſt.concl.5. num.*1. vbi de communi, Rolan. *conſ.*19.*num.*9.*lib.*3. Oſaſch. *deciſ.*99.*num.*40. Paul. de Caſtr. Alex. & Iaſ. *in l.ſi quis ex argentariis, §. cogentur, ff. de eden.* cum infinitis, qui allegari poſſent.

Et ex prædictis ceſſat quod dice- 20
batur, in concurſu magis eſſe cre-

dendum teſtibus forenſibus contradicentibus teſtibus Vniuerſitatis, Abb. *in c. inſuper, ſub num. 2. col. 4. verſ. ego putarem hoc dictum procedere*, Felin. *ibidem num. 3. in ſecunda fallen.* Dec. *conſ. 25. verſ. niſi eſſent alij teſtes*, Afflict. *deciſ. 400. num. 8. & in fin.* cum aliis.

21 Nam cùm ex aliis teſtibus ſuppleantur dicta teſtium Vniuerſitatis, non poteſt habere locum prædicta concluſio, quòd magis ſit credendum teſtibus forenſibus.

Vltra quòd hodie non quæritur, quorum teſtium dicto ſit ſtandum; & ſi de hoc ageretur particulariter, fortaſſe res poſſet habere difficultatem; quia cùm agatur de materia finiũ inter viſcera territorij vtriuſq; communitatis, & illi non poſſint ſic bene noti eſſe aliis, vt illis de

22 Vniuerſitate,† fortè magis creditur teſtibus de Vniuerſitate, quàm aliis, Felin. *in d. c. in ſuper, num. 3. verſ. ſed intellige, de teſtibus.* Marſil. *in l. 1. §. ſeruus municipum, nu. 3. verſ. quod tamen intelligit, ff. de quæſt.* Anfer. *de teſt. num. 91. verbo, teſtes an poſſint eſſe, verſ. ſed intellige ſanè*, Menoch. *de arbitr. d. caſ. 106. nu. 10.*

Circa hoc vltimum tamen nihil fuit per Dominos firmatum, ſed tantùm conſideratum in diſcurſu cauſæ.

Et ex prædictis fuit reſolutum, teſtes de Vniuerſitate Colliſciopionis non eſſe repellendos.

ARETINA SPOLII.

Ven. 12. Decembris 1603.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiua notarij, quòd teſtis ſit iuratus, vel medio iuramento depoſuerit, de ſtylo Rotæ non creditur.*

2 *In examine teſtium, ſtylus loci eſt ſeruandus, de quo ſaltem extraiudicialiter conſtare debet, cùm reſpiciat ordinatoria, non deciſoria.*

3 *Æqualitas eſt ſeruanda in examinandis teſtibus vtriuſque partis.*

4 *Præfixio termini habet vim monitionis factæ per iudicem.*

DECISIO CXLI.

PLacuit Dominis, quòd videretur particulariter de probationibus Chiuſini; interim tamen firmarunt, examen teſtium pro parte Sozzini fuiſſe validum, non obſtantibus tribus nullitatibus quæ opponebantur, videlicèt citationis ad videndum iurare teſtes, iuramenti ipſorum teſtium, cùm ſolum de eo conſtet per verba enunciatiua Notarij, ſcilicèt *teſtis iuratus, qui medio iuramento dixit*, † cui, de ſtylo Rotæ, non creditur. Verall. *deciſ. 123. p. 2. & deciſ. 246. ead. par. 2. & deciſ. 295. par. 3.* & defectus citationis pro die certa ad viden. teſtes examinari. 1

Quantum attinet ad primam, & ſecundam nullitatem, viſum eſt, eas eſſe ſublatas ex ſtylo illarum partiũ, nam ibi ſolùm citatur pars ad videndum induci, & produci capitula, & non etiam ad videndum iurare teſtes, neque ad videndum committi receptionem iuramentorum teſtium, & ipſorum teſtium iuramentum notatur illis verbis. *Teſtis inductus, &c. iuratus, ac examinatus, qui eius medio iuramento dixit*, abſque verbo *tactis*, &c. de quo ſtylo conſtat ex fide Aduocatorum, & procuratorum illarũ partium. Licèt enim non doceatur formaliter, ſufficit tamen, quòd de eo extraiudicialiter conſtet, ex quo reſpicit ordinatoria, non deciſoria iudicij. Pedemon. 2

*decis.*22. Cæs.de Graſſ.*decis.*7.*num.*1. *de probat.* & tenuit Rota coram R.P.D. Sacrato in Mediolanen.reſciſſionis contractus, 17.Iunij 1602.

3 Vltra quòd quantùm attinet ad primam nullitatem, ſcilicèt citationem ad videndum iurare teſtes,reſponſum fuit, quòd nec in examine teſtium partis aduerſæ adeſt huiuſmodi citatio, & ideò cùm iſte modus fuerit ſeruatus ab vtraque parte,ſufficit, *tot.tit. quod quiſque iur.* & adeſt in terminis deciſio bo.me.Rubei,ſub die 16. Februarij 1582. quæ datur.

Quòd attinet ad tertiam nullitatem, minùs placuit Dominis, quia die ſeptima fuit facta citatio per Chiuſinum, ad videndum produci capitula, quæ eadem die fuerunt producta,& Sozzinus præſens proteſtatus fuit, non deueniri ad examen abſque ſuis interrogatoriis, & die 13. fuit exequuta alia citatio cõtra Sozzinum,ad inſtantiam Chiuſini, ad videndum produci teſtes, qui eadem die fuerunt producti, & Sollinus proteſtatus fuit, non examinari, niſi cum ſuis interrogatoriis, & die 14. fuit facta citatio ad inſtantiam Sozzin.ad videndum exhiberi quãdam petitionem, eademque die idẽ Sozzinus comparuit in iudicio, & petiit copiam capitulorum,cum termino ad conficiendum interrogatoria, & iudex aſſignauit terminum trium dierum ad dãdum interrogatoria, quæ fuerunt data die 20. & eadem die teſtes examinati. Ex qua ſerie facti conſtat, 4 fuiſſe teſtes validè examinatos, † cùm poſt terminum conceſſum ad dandum interrogatoria fuerint examinati, quæ quidem præfixio termini habet vim monitionis factæ per iudicem, quæ citationem ſupplet. Maran.*de ordin. iud. par.*6.*principio in prima parte iudic. de citat.*1. *membr.nu.*48.

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Ven. 12. *Decembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *In ſanctuario clerus orat, prædicat, & miniſtrat.*

2 *Locus in Eccleſia eſt nobilior, in quo ſiunt nobiliores functiones,item in quo eſt ſedes Archiepiſcopi, vel regia,num.*3. *Quod fallit,vt nu.*5. *Item vbi pulchrius eſt ædificium, ornamenta, & ſimilia, nu.*4.

Decisio CXLII.

FVerat per D D. reſolutum, Reuerendis Monachis non competere actionem ſpolij aduersùs mutationem Chorifactam per Reuerendiſſimum Archiepiſcopum,cũ præſuppoſito tamen, quòd locus, in quo ipſi monachi ſederent, ſit dignior. quod præſuppoſitum, cùm ab ipſis monachis impugnaretur, ideo de illius veritate dubitaui: & Domini pro maiori parte ſtare præſuppoſitum concluſerunt; ſcilicèt, locum monachorũ eſſe digniorem ea moti ratione, quia in his Eccleſiis, vbi etiam hodie Chorus remanet ante altare maius, remanet etiã illa diuiſio Eccleſiæ materialis antiquæ, in qua in parte anteriori locus eſt, vbi populus audire, & orare debet, intus verò remanet Sanctuarium, † vbi Clerus orat, prædi- 1
cat, iubilat, & miniſtrat. Abb. *in cap.*1.*num.*3. *de vit. & honeſt.cleric.*vt dicit Duran. *in rationali diuinorum officiorum, lib.*1.*cap.*1. *num.*5. vbi tractat de Eccleſia,& eius partibus. Et quamuis paulò inferiùs dicat, quòd ſimpliciter loquendo, reſpectu loci,

Sanctuarium eſt nobilius, in quo miniſtrant Sacerdotes, quia denotat vitam contemplatiuam, tamen in præſenti caſu, cùm Eccleſia ſit modo prædicto diuiſa, non magis poteſt dici Sanctuariũ poſt altare maius, quàm antè, cùm comprehendatur in parte anteriori cleri, non autem in parte anteriori populi, quo caſu pars ante altare maius eſt nobilior, quia ad hunc effectum debet attendi locus, vbi fiunt nobiliores functiones. † Sed cùm altare maius non habeat gradilia retrò, vbi ſedent Clerici, ſed antè, ſolum, & in conſpectu chori monachorum ſit locus vbi conficitur corpus Chriſti, & perficitur ſacrificium, cantatur Euangelium, & Epiſtola, cum ritibus Eccleſiæ; ex his omnibus abſq; difficultate oſtenditur, chorum monachorum eſſe digniorem. 2

Et in prædicto choro monachorum, non modò adeſt ſedes priuata Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi, in qua ſedet quando in priuatis adſiſtit alicui diuino officio, verùm etiam adeſt ſedes regia, & ſedes Pontificia ipſiuſmet Reuerendiſſimi Archiepiſcopi. Ex quibus etiam ſatis patet, locum monachorum eſſe digniorem, ad trad. per Alexand. *in l. centurio, ante num.* 11. *verſ. dicit etiam Ang. & num.* 14. *ff. de vulgar.* & habito reſpectu ad dictum locum à latere Euangelij, apparet, preſbyteros exiſtere à ſiniſtris; & monachos à dextris Reuerendiſſimi Archiepiſcopi, & propterea etiã ex hoc conſtat, chorum monachorum eſſe digniorem, gloſſ. *in l. decernimus, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* vbi Bald. *num.* 7. & idem Bald. *in l. ex hoc iure, num.* 15. *ff. de iuſt. & iur.* gloſ. vltima, *in cap. quàm periculoſum, 7. quæſt.* 1. 3

Prædictis accedat qualitas ædificij chori monachorum, ornamenta ipſius & alia ſimilia, quæ omnia, vt patet ex depoſitionibus teſtium, lógè excedunt chorum clericorum, ideoque reddit ipſum digniorem. 4

Non obſtat, quòd in preſbyterio poſt altare, vbi ſedent clerici, adſit in medio ſedes marmorea, & à dextris Altaris ſedes lignea Reuerendiſſimi Archiepiſcopi; quia in ſede marmorea Prælatus non facit functiones Pontificales, ſed ponitur ad effectum oſtendendi, Eccleſiam Archiepiſcopalem, prout paſſim fieri conſueuit, vt conſtat ex fide Cõmunitatis, & deponunt teſtes. Altera vero ſedes lignea fuit ſubrogata in locum alterius ſedis, in qua Reuerendiſſimus Archiepiſcopus etiã ante mutationẽ chori faciebat certas functiones particulares, † quare huiuſmodi ſedes non poteſt facere, quòd propterea locus in quo ſedẽt clerici ſæculares ſit dignior, cùm ſedes in illo loco eſſet etiam antequàm Chorus mutaretur, ad tex. *in l. fin. §. ſimili modo, &c. C. de nupt.* & not. per Bald. *in l. procurator, num.* 4. *C. de eden.* Stante maximè, quòd ſedes regia, & pontificalis ordinaria Reuerendiſſimi Archiepiſcopi, ſunt ad latus chori monachorum. 4

Eóque magis prædicta ſententia placuit Dominis, quia Reuerendiſſimus Archiepiſcopus dat optionẽ Reuerendiſſimis Monachis, eligendi ſibi locum, in quo ſedent clerici, ſi putant, ipſum eſſe digniorem, licèt contrarium viſum fuerit Dominis, vt ſuperiùs dictum eſt.

BONONIEN. DE Beroaldis.

Lunæ 15. *Decembris* 1603.

EPITO

EPITOME.

Si legitima non ſufficit pro dote, poſſunt alienari bona fideicõmiſſaria, pro dote conſtituenda, & reſtituenda, ſi alia non extant.

SVMMARIVM.

1 *Pater, relicta legitima filiis, de bonis ſuis diſponere poteſt.*
2 *Filij ſuccedentes ab inteſtato in fideicommiſſo, ex vi clauſulæ codicillaris, non poſſunt detrahere duas quartas, quæ detrahuntur, quando ſub conditione, vel in diem eſt iniunctum grauamen. nu. 3.*
4 *Si legitima non ſufficit pro dote, poſſunt alienari bona ſubiecta fideicommiſſo, ſi filia non habet aliunde vnde ſe dotet, num. 6. & 10. Item pro reſtitutione dotis poſſunt alienari, num. 7.*
5 *Dicens, legitimam non ſufficere pro dote, probare hoc debet, ſicut dicens, mulierem aliunde habere, num. 8.*
9 *Pater tenetur dotare filiam, etiam quòd filia habeat de proprio, in vita tamen ſua, ſecùs poſt obitum, num. 10.*
11 *Bona tranſeunt ad hæredes cum ſua cauſa, & onere.*
12 *Hæres tenetur dotare filiam defuncti, vſque ad legitimam, & ſi non ſufficit, vltra legitimam de bonis defuncti.*
13 *Auth.* res quæ §. cùm proponeretur, C. comm. de legat. *explicatur, & nu. 15.*
14 *Olim legitima & Trebellianica, pari paſſu ambulabant.*
16 *Fructus percepti iudicio teſtatoris, non computantur in legitimam, in filiis primi gradus.*
17 *Arbitri ex ſtatuto dati ad arbitrandum dotem, non debent arbitrari minùs legitimo, poſſunt tamen excedere, ſi legitima non ſufficit.*
18 *Non eſt curandum de modo, cùm effectus habetur.*

DECISIO CXLIII.

FVerat reſolutum coram R.P.D. meo Litta, teſtamẽtum Ioannis, non obſtante præteritione filiarum, ſuſtineri in vim fideicommiſſi, ex clauſula codicillari. Quare cùm Eliſabetha, retenta ſua legitima, reſiduum reſtituerit; Dubitaui, an ſibi aliquid deberetur vltra dictam legitimam in bonis patris fideicommiſſo ſubiectis, ratione dotis, vel alimentorum. Et negatiuè fuit reſolutum; † quia pater relicta filiæ 1
legitima, de bonis ſuis diſponere poteſt ad libitum, *l. parentibus*, vbi Bart. *C. de inoff. teſtam.* Surd. qui alios allegat, *deciſ. 21. num. 14.*

Nec minùs iſta mulier poteſt prætendere Trebellianicam, † quia cùm 2
ſimus in teſtamento quod ſuſtinetur in vim fideicommiſſi, ex clauſula codicillari, filij venientes ab inteſtato, grauati reſtituere, non poſſunt detrahere duas quartas, quia cenſentur rogati incontinenti reſtituere. † Duæ autem quartæ detra- 3
huntur, quando ſub conditione, vel in diem, eſt iniunctum grauamen. Bart. *in l. Papinianus, §. meminiſſe, in fin. ff. de inoff. teſtam.* vbi Cagnol. etiam *in fin. num. 21.* Alex. *conſ. 26. num. 7. vol. 1. & conſ. 161. num. 4. vol. 2.* Corn. *conſ. 232. num. 11. vol. 4.* Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 12. num. 31.*

Non obſtat, quòd quando legiti- 4
ma non ſufficit pro dote, poſſunt alienari bona ſubiecta fideicommiſſo, *auth. res quæ, C. comm. de leg. l. mulier, §. cùm proponeretur, ff. ad Trebell.* quæ in hoc concordat cum

d. auth.

*d.auth.*vt aduertit Cuman *ibi,num.*2. *verſ.nota ſummarium.*

5 Nam fuit reſponſum,quòd,omiſſo quòd minimè conſtat,legitimam non ſufficere pro dote, & onus hoc probandi incumberet Eliſabethæ, cùm ſit fundamentum intentionis ſuæ, vt in his terminis dicit Corn. *conſ.*3. *num.* 3. *col.*3. *verſ.* & ei
6 *qui,vol.*3. tamen,etiamſi probaretur, non releuaret, diſpoſitio enim, *dict. auth.res quæ* non procedit quando filia teſtatoris habet vnde ſe dotet aliunde. Iaſ. *ibi, num.*3. *in fin.* & *conſ.* 231.*num.*12.*lib.*2. Et hoc idem ſentiunt Rip. *in l. filiusfamilias*, §. *diui, num.*74.*ff.de legat.* 1. & ibidem Ferdin. Loaz,*in repet.nu.*138.Curt. iun. *conſ.*154.*in fin.num.*15.Aym.*conſ.*186. *num.*17.Rol.*conſ.*85.*num.*9.*vol.*1.*&in tract.de lucro dot. quæſt.*58. Decia.*reſp.* 120.*in fin.ſub num.*27 *verſ.item &* 3. *vol.*3.Phanuc. *de lucro dot gloſſ.*10.*nu.* 72.Boer.*deciſ.*130.*nu.*12.*&*13.Petra, *de fideicom.quæſt.*8.*princ.num.*459.Peregr.*de fideicom.art.*42.*num.*66. Kirchou.relat. *in tom.*1.*com.opin.diu. loco* 3.*tit.de iure dot.c.*15.*fol.* 209.*verſ. dos prohibita.* Et videtur de mente tex. *in d.*§.*cùm proponeretur*, vbi quòd ſi adſunt fructus ex bonis fideicommiſſo ſubiectis, & ſic proprium ipſius mulieris, non poteſt fideicommiſſum minui. Et ita limitat dictam authenticam Cuman.*in præcitat.*§.*nu.*2. *verſ.*2.*habetis limitationẽ.* Et hoc idem dixit bene Bart. *in eodem* §. *num.* 3. Et eſt generale in quocumque fideicommiſſario, non modo in conſtitutione dotis,verùm etiam in reſtitutione,quia priùs debet capere proprium,& poſteà alie-
7 num. Doct.*in auth.res quæ*,Curt.iun. *conſ.*16. Angel. *num.*5. Patiſ. *conſ.*63. *num.*49. *vol.*2. Aym. *conſ.*19. *num.*18. Caſtreu.*conſ.*77.*num.*7.*lib.*2.Marzar. *conſ.*1. *num.*41. Et fuit reſolutum in cauſa Romana dotium de Zappis, 19.Ianuarij 1593.

Quòd autem mulier habeat aliũ- 8
de, quamuis debeat probari per dicentem, Curt. ſen. *conſ.*27.*num.*17. *verſ. ergo incumbit hæredibus*, Aym. *conſ.*19.*num.*18.*verſ.cui autem incumbat onus probandi.* Ferdin. Loaz. *in d.repet. l. fil. famil.* §. *diui, num.* 138. *ff. de leg.* 1. *verſ. vnum tamen eſt notandum*,tamen ſatis probatur in hoc caſu, cùm vigore ſententiæ Rotalis Eliſabetha habuerit quintam partem bonorum Hieronymi patrui,& medietatem alterius fideicommiſſi Iuliæ de Spontonibus.

Non obſtat, quòd pater teneatur 9
dotare filiam, etiam quòd filia habeat de proprio,*l.fin.C.de dot.promiſſ.* ibi,*neque enim incognitæ ſunt leges,quibus cautum eſt, omnino paternum eſſe officium dotem pro ſua dare progenie*, & per illud *omnino*, magis communis opinio DD. eſt, quòd pater teneatur dotare, etiam quòd filia habeat aliunde. Socin.iun. *in l.*1.*num.* 156. *verſ.* & *hoc dico*, & *num.* 162. *verſ. cogitabis tamen*, vbi quòd, non eſt recedendum à communi opinione,*& num.*164.*verſ.fateor tamen*,vbi, quòd communis opinio magis ſibi placet *ff.ſolut.matr.*

Reſpondetur enim,quod diſpoſi- 10
tio *l.fin.* procedit in vita patris, ſecùs autem dicendum eſt poſt obitũ patris,quia filia vltra legitimam nõ debet tangere fideicõmiſſum, ſi habeat aliunde, & dicunt DD. ſuperiùs allegati.Et ratio differentiæ eſt, quia pater relinquendo filiæ legitimam, ſatisfacit officio ſuo, vt conſiderat Peregr. *de fideicom.art.*42.*nu.* 68. Alciat. *de præſumpt.regul. prima, præſ.*26.*num.*4. *verſ.quod poteſt procedere*, & ante hos omnes eleganter dicit Cuman. *in d. l. mulier*, §. *cùm proponeretur*, *num* 11. vbi expreſsè

decla-

declarat tex. *in d. l. fin. C. de dot. promiſſ.*

11 Nec facit, quòd bona tranſeunt ad hæredes cum ſua cauſa, id eſt, onere dotandi. Bart. & Caſtr. *in l. ſi marito, §. ſi voluntate, num. 4. ff. ſolut. matr.* Cordub. *de lib. agnoſ. §. non tan-*
12 *tùm, num. 56.*† quia hæres tenetur vſque ad legitimam, quæ ſi non ſufficit, tenetur quoque vltrà, ſi filia nõ habet aliunde, ſecùs autem ſi haberet; vt declarat Abb. *conſ. 12. num. 4. verſ. ad vltimum contrarium, & nu. 5. verſ. tenetur ergo dictus Bernardinus, lib. 1.*

13 Minùs officit, dum dicitur, quòd mulier non ſolùm debet habere dotem, ſed etiam Trebellianicam, vt innuit gloſ. *in d. §. cùm proponeretur, in verb. hoc,* & ibidẽ Iacob. de Aren. & Arius Pinel. *in l. 1. p. 3. num. 102. verſ. ſed receptiſſima conſuetudo, C. de bon. mat.* per tex. *in d. §. cùm proponeretur*, intelligendo tamen pro Tre-
14 bellianica, legitimam, † quia olim vtraque conſiſtebat in 4. & vſque ad nonam tantummodo, de qua *in l. parentibus. C. de inoff. teſtam.* Et ideo de Trebellianica ſola fiebat olim mentio, quia conſiſtebat in eadem quantitate cum legitima, Iacob. de Beluiſ. *in auth. de reſt. & ea quæ parit. vndec. menſ. q. 2. verſ. ſed olim vtraque coll. 4.* hodie verò fit mentio de legitima, quia regulariter eſt maior quàm quarta Trebellianica, quia eſt triens, vel ſemis, *auth. nouiſſima C. de inoff. teſtam.*

15 Nam reſpondetur, quòd tex. *in d. §. cùm proponeretur*, non dicit, quòd debeantur dos, & legitima, ſed ſolùm, quòd ſi ſufficiunt fructus rerũ fideicõmiſſo ſubiectarum pro dote, non eſt deueniendum. ad alienationem fideicommiſſi. Cuman. *ibidem, in fin.* Caſtren. *num. 6.* Alex. *num. 3. cum aliis*, Rom. *conſ. 232. circa fin.* Molin. *de primog. Hiſp. lib. 4. cap. 6. num. 15.* Nam *auth. res quæ* proceſſit iſta conſideratione, quia ſi ex legitima filiæ ſit quarta, vel triens, tamen vbi euenit cauſa dotis, voluit Imperator, augeri legitimã, quatenus eſt neceſſariũ pro iſta cauſa. Et per hoc euenit mirabile, quòd extenditur legitima, & fructus cõputantur, quãuis non cõputãtur in primam legitimã, ſed in extenſione. †Et ratio eſt, quia 16
iſta extenſio fit, ſi fructus non ſufficiũt: Cuman. *in d. §. cùm proponeretur, nu. 11. & 13.* Bart. *nu. 3.* dicens, quòd filia non debet habere vtrumque integrum, & ante eum dixit Iacobus de Beluiſio, *loco præcit. verſ. & quòd vnica quarta detrahatur.* Licèt enim fructus percepti teſtatoris iudicio non computentur liberis primi gradus in quartam, *l. iubemus, C. ad Trebell.* bene computantur in omnem aliam cauſam propter quam ipſum fideicommiſſum poteſt diminui. Ang. de Peruſ. *in d. §. cùm proponeretur, num. 1.* dicens, hunc eſſe verum intellectum illius tex.

Non obſtat, quòd in ciuitate Bononiæ adſit ſtatutum, quòd mulieres debeant dotari arbitrio quatuor coniunctorum, † quia dato, etiam, 17
quòd ſtatutum loqueretur in caſu noſtro, quod non fuit viſum, propinqui ſtante dicto ſtatuto non debent arbitrari minùs legitima, quia in ea non eſt exceſſus. Vel ſi legitima non ſufficit, debent excedere. Salicet. *in d. auth. res quæ, in 2. not.* † 18
Quare cùm in præſenti caſu Eliſabetha habuerit legitimam, quæ ſufficit pro dote, vt dictum fuit, habemus effectum ſtatuti; vnde non eſt curandum de modo, cùm modus, videlicèt arbitrium coniunctorum requiratur ad certum finem, *l. ſi mater*, vbi gloſſ. *C. de inſtit. & ſubſtit. l. ſi quis mihi bona, §. ſed ſi mandauit, ff. de*

acq. hæred. Brun. *in tract. de form. in tit. de implen. & obseruan. forma col.* 15. *in* 1. *fallen. fol. mihi* 75. Put. *decis.* 252. *num.* 8. *cum seq. lib.* 2. Cassad. *decis.* 2. *de ind.* Et fuit dictum in Cõpostellana Canonicatus, 20. Iunij 1601. coram Reuerendissimo Pacen.

Minùs facit aliud statutum, quòd vna soror debeat dotari prout aliæ fuerunt dotatæ, nisi patrimonium sit diminutum; nam etiam dato, quòd etiam huiusmodi statutum faceret ad præsentem casum, tamen non potest fieri fundamentum in dote data alteri sorori Elisabethæ, quia ipsa non fuit dotata à patre, sed à patruo, qui potuit ad libitum de rebus suis disponere. Vnde non potest fieri aliquod fundamentum in dicto statuto.

Et ex prædictis concluſum, Elisabethæ aliquid non deberi vltra legitimam.

BVRGEN. SERVITII.

Lunæ 15. *Decembris* 1603.

EPITOME.

Hic agitur de clauſula, *ſine præiudicio literarum Apoſtolicarũ*, & clauſula, *ſine præiudicio exequutionis*, & quando detur appellatio à mero exequutore.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio non cauſat attentata, cùm res à qua appellatur, non recipit ſuſpenſionem.*

2 *A mero exequutore non datur appellatio.*

3 *Literæ Apoſtolicæ habent exequutionem paratam.*

4 *Literis Apoſtolicis recentioribus maior fauor conceditur, quàm antiquis.*

5 *In literis indulti exequendis, conceſſis ad fauorem Eccleſiæ, negligentia vnius non debet Eccleſiæ nocere. In literis autem ad fauorem priuati, negligentia nocere poteſt.*

6 *Exequutio præſcribitur* 30. *annis.*

7 *Clauſula*, ſine præiudicio literarum Apoſtolicarum, *importat, vt non ligentur manus exequutoris literarum per inhibitionẽ. Et idem importat in hoc caſu, ac clauſula*, ſine præiudicio exequutionis, *num.* 10.

8 *Clauſula*, ſine præiudicio exequutionis, *tunc ponitur quando per exequutorem fuit cognitum ſuper exequutione literarum.*

9 *Hæc clauſula ponitur quando literæ non fuerunt præſentatæ exequutori.*

11 *Nomine, redditus; obuentiones, emolumenta, omniaque alia ad beneficium ſpectantia veniunt, etiam diſtributiones quotidianæ, & num.* 13.

12 *A mero exequutore ratione exceſſus datur appellatio.*

14 *Verba quantumuis vniuerſalia, intelliguntur ſecundùm ſubiectã materiam.*

15 *Exequutor literarum Apoſtolicarum, debet aſſumere partes iudicis contra contradictores, & propterea ab eo datur appellatio: ſecùs ſi oppoſitiones ſunt friuolæ.*

16 *Stantibus difficultatibus à facto pendentibus, datur appellatio à declaratoria exequutoris literarũ Apoſtolicarum.*

18 *Tertius veniens ad cauſam, adhærendo, debet venire in ſtatu cauſæ, inchoans verò nouum iudicium, poteſt venire ad cauſam, prout ſibi placet.*

Decisio CXLIIII.

DOmini resoluerunt, gesta per Abbatem Sancti Ioannis non esse attentata. Licèt enim fuerint gesta post appellationem interpositam,† tamen cùm res non reciperet
1 suspensionem, appellatio non causat attentata, *c.non solùm*, vbi gloss. *in verbo, casibus de appell.in* 6. Ægid. *decis.*18. Ias.*cons.*187. *num.*21. *&* 22. *lib.*2.latè Moder. *de attent.p.*2.*cap.*12. *in limit.*53.*num.*1. Abbas enim præ-
2 dictus erat merus exequutor, † à quo non datur appellatio, saltem suspensiua, *cap. nouit. de appell. l. ab exequutione, ff.eod.* Si enim grauamen adest, non prouenit ab exequutore, sed à priuilegio, & à Papa concedente. Aym. *cons.*273. *num.*1.*vers. & ista est ratio.* Agebatur enim de exequutione literarum Apostolicarum,
3 quæ † exequutionem paratam habent.Mohed.*decis.*13.*vt lit.pend.*Gig. *de pens.q.*85.*nu.*2.

Non obstat, quòd cùm ageretur de exequutione literarum satis antiquarum, erat in illarum exequu-
4 tione supersedendum, † quia eis nó conceditur tantus fauor in exequutione; quantus recentioribus concedi solet, vt fuit resolutum coram Bubalo in Compostellana Cardinalatus,17.Nouembris 1586.

Nam fuit responsum, quòd prædicta fortasse procederent, si literæ nunquam fuissent exequutioni traditæ;quia non esset præsumendum, absque causa illas fuisse neglectas, in præsenti verò casu,licèt de illarũ exequutione non constet, non apparet, quòd fuerint neglectæ, quia forsan semper fuerunt obseruatæ,& non euenit casus in quo ad exequu-
5 tionem esset recurrendum.† Cùm enim habeant succesiuam exequutionem, & semper loquantur, semper possunt exequutioni mandari. Et in hoc casu est aduertendum, quòd sumus in literis Indulti concessis ad fauorem vnius Ecclesiæ,in casu verò decisionis Domini Bubali literæ erant concessæ ad fauorem certæ personæ, & ideo negligentia illius sibi nocere poterat, sed in casu isto negligentia vnius,non nocet respectu aliorum.

Præterea decisio Domini Bubali 6
fundatur in præscriptione 30.annorum, quibus exequutio præscribitur, vt per Achil. *decisio* 5.*de præscr.* Quæ ratio hîc non adaptatur, cùm non doceatur, euenisse casum exequutionis Indulti, & non fuisse factam exequutionem: absque causa enim ad exequutionem Indulti non potest deueniri.

Et in omnem euentũ cessat om- 7
nis difficultas, quia signatura commisit causam cum clausula: *sine præiudicio literarum Apostolicarum*, quæ importat, quòd non ligentur manus exequutoris literarum; & Rota declarauit,inhibitionem stare cum huiusmodi clausula.

Nec facit, quòd in commissione fuerit deletum verbum exequutionis, & relicta tantummodò verba sine præiudicio literarum Apostolicarum; † nam licet clausula *sine* 8
præiud. exequutionis, tunc ponatur quando per exequutorem fuit cognitum super exequutione literarũ, & decreta exequutio, mandatumq; relaxatum; † clausula verò *sine præ-* 9
iudicio literarum Apostolicarum, tunc demum ponatur, quando literæ fuerunt præsentatæ alicui de exequutoribus deputatis, ita quòd per inhibitionem quæ emanabit vigore commissionis, non impediatur: tamen patet, quòd semper stantibus præfatis clausulis, signatura intendit, quòd exequutio literarum non

10 impediatur. † Et ideo quamuis in hoc caſu exequutio eſſet decreta,& propterea eſſet ponenda clauſula, *ſine præiudicio exequutionis*, tamen ita debet intelligi clauſula *ſine præiudicio literarum Apoſtolicarum*,cùm etiã aliter non poſſit intelligi, ad tex. *in l.2.ff.de lib.& poſthum.l.fundus qui locatus,ff.de fund.inſtruct.*Pariſ.*conſ.*27. *num.*64.*lib.*2. Cephal. *conſ.*622.*num.* 54. *lib.* 5. Berou. *conſ.* 159. *num.* 29. *lib.*2.

Et ex hac reſponſione tollitur quod dicebatur, Indultum Alexandri cenſeri debere reuocatum per Sacroſanctum Conc.Trid.*cap.*2.*§.*6. quia ſufficit,quòd etiam fuerit commiſſa ſine præiudicio literarũ Apoſtolicarum, & propterea non fuit firmatum, an per conſtitutionem Sacroſancti Conc. cenſeatur derogatum literis Alexandri.

11 Minùs facit, quòd in omnem euentum erat concedenda appellatio, quia Abbas condemnauit beneficiatos ad reſpondendum de omnibus redditibus, obuentibus, emolumentis,omnibuſque aliis ad beneficium ſpectantibus, ſub quibus verbis vniuerſalibus, comprehenduntur etiam diſtributiones quotidianæ,vt fuit reſolutum in cauſa Toletana penſionis, de anno 1565. corã bo.me.de Rubeis, & coram R.P.D. meo Penia in cauſa Toletana parochialis, de Mazaramboz 29. Aprilis 1592. Et circa has diſtributiones

12 Abbas exceſſit fines Indulti. † Vnde cùm eſſet merus exequutor,ratione exceſſus dabatur appellatio, iuxta notata per Ang.*in l.ſi cum exceptione*, *§.hoc autem,num.*4.*ff. de eo quod met. cauſ.* Imol. *in l.ab exequutore,col.*2.*ſub num.*2.*verſ.vbi autem per pronunciationem,ff. de appell.* Felin. *in c. quoàd conſultationem,num.*16.*de ſent. & re iud.* Capic. *deciſ.*1.*num.*17. *verſ.quo caſu*, Rot. *deciſ.*45.*num.*1. *de appell.in nou.* Modern. *de atten. appell. pend.limit.*53.*num.*22. *& ſeq.*

Reſpondebatur enim, quòd Ab- 13
bas non condemnauit ad diſtributiones, & licèt prædicta verba ſint apta eas comprehendere,tamen hoc caſu non comprehenduntur, † quia 14
cùm ageretur de exequutione literarum,verba quantumuis vniuerſalia reſtringi debent ſecundùm naturam ipſarum literarum, & ſubiectã materiam.Gemin. *conſ.*29. *circa fin.* Syluan.*conſ.*56.*num.*19. Cephal.*conſ.* 516.*num.*34.*lib.*4. *& conſ.*347.*num.*7. *&* 8. *lib.*3. Aym.*conſ.*171.*num.*13.

Nec facit,quòd Abbas tenebatur 15
aſſumere partes iudicis,& propterea ab eo dabatur appellatio, cùm eius poteſtas procederet tantùm aduersùs contradictores de facto,non autem cõtra reſiſtentes de iure.Franch. *in cap.*1.*num.*6.*verſ.vel poterit*, & ibi Gemin.*num.*11.*de conceſſ.præben.in* 6. Staphil.*de lit. gra.in tit.de vi,& effect. clauſ.§.ſequitur poſtmodùm, num.*6. *& ſeqq.*Rebuf.*in forma nou.prouiſ.in verbo,contradictores, & ſuper Concord. in tit. de form. lit. exequut. mand. Apoſt. in vero contradictores*, Put. *deciſ.*251. *num.*6.*lib.*3. Nam reſpondetur, hæc ceſſare, cùm ex prædictis ſatis conſtet, quòd iſti erant contradictores de facto, & friuolæ videbantur oppoſitiones,vt dictum fuit.

Non officit,quòd in hoc caſu da- 16
batur appellatio à declaratoria incurſus Cenſurarum.Achil.*dec.*4.*nu.* 7. *de ſent.excomm.* Put.qui refert deciſionem coram Achil. *deciſ.*271.*nu.* 1.*& ſeqq.lib.*3. quia ipſi loquuntur ſtantibus difficultatibus ex facto pendentibus, & ceſſat omnis difficultas; Quia cauſa fuit commiſſa ſine præiudicio literarum Apoſtolicarum, vt per eundem Achill. *loco præcitato, num.*13.

Quam

17 Quantùm attinet ad caput nullitatis ex litis pendentia coram alio iudice, minùs placuit Dominis, quia lis erat diuerſa, tam attentis perſonis, quàm attento fine. Rot. *deciſ.* 13. & 40. *de procur. in nou.* Intereſſe enim Capituli eſt vniuerſale; intereſſe verò Michaëlis, proprium, & particulare.

18 Nec facit, quòd tertius veniens ad cauſam debet venire in ſtatu cauſæ; quia eſt in facultate tertij venire adhærendo, & tunc illud procedet, vel inchoando nouum iudicium, vt in caſu iſto; & tunc poteſt venire prout ſibi placet, Caſſad. *deciſ.* 1. *num.* 9. *verſ. item in pubertate, de except.* Afflict. *deciſ.* 235. *num.* 6. Abb. *in cap. cùm ſuper nnm.* 627. *de re iud.*

NOVARIEN. BEneficij.

Veneris 19. *Decembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Obitus, & valor beneficij probatur ex confeſſione aduerſarij, emanata in ſua gratia.*

2 *Clericatus probatur ex literis patentibus.*

3 *Fides Epiſcopi atteſtantis, canonicum ſuæ Eccleſiæ eſſe militem Sancti Lazari, exempli gratia, probat.*

DECISIO CXLV.

1 VIſum fuit Dominis, gratiam D. Octauij Ranzij eſſe iuſtificatam. Quòd enim beneficium vacaret per obitũ Petri Franciſci de Portiz de menſe Septembris, & illius valor, probatur ex gratia ipſiuſmet aduerſarij, Ægid. *deciſ.* 268. & *deciſ.* 595. Put. *deciſ.* 368. *lib.* 1.

Nec facit, quòd in gratia Tentoni narretur, quòd beneficium non excedit 10. ducat. in gratia verò Ranzij, quòd non excedit 24. quia ſi non excedit decem, minùs etiam 24. Et ſic confeſſio Tentoni ſuffragatur Ranzio.

Clericatus probatur ex ipſiſmet 2
literis patentibus. Quòd verò Octauius eſſet miles SS. Mauritij, & Lazari, probatur ex fide Reuerendiſſimi Epiſcopi Vercellen. in cuius Eccleſia Octauius canonicus exiſtit, † 3
quæ viſa fuit ſufficiens probatio, cùm ad probandum huiuſmodi qualitates, aliàs ſufficiat ſummaria probatio. Ægid. *deciſ.* 114. Caputaqu. *deciſ.* 277. *p.* 1.

Quòd verò Octauius fuiſſet exa- 4
minatus ab examinatoribus, probatione non eget, cùm ſit aſſertio ipſiuſmet Papæ, vt fuit reſolutum in cauſa Vallifoletana Scholaſtriæ, 17. Iunij 1602. coram R.P.D. Lancellotto, & in alia Tiraſonen. Capellaniæ, prima Iulij eiuſdem anni, coram R.P.D. Sacrato, & aliàs ſæpius.

CAMERINEN. Dotis.

Ven. 19. *Decembris* 1603.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio extinguitur ceſſante cauſa propter quam facta eſt obligatio.*

DECISIO CXLVI.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt, mandatum relaxatum non eſſe exequendum; quia obligatio Pantaleonis, & Vincentij, ceſſabat ex defectu cauſæ. Eorum enim obligatio ad quingenta, erat vt Angelus faceret, quòd Venantia vxor cederet legato materno, quod

vtique non poterat facere de tempore relaxationis ipsius mandati, cùm iam Venantia vigore fideicommissi habuisset bona materna, ex quibus legatum erat detrahendum.

Nec facit, quòd Venantia nõ habuit omnia bona materna, quorum valor ascendit ad scuta 1225. Nam omisso, quòd hoc concludenter non probatur, respondetur, quòd dato etiam, quòd probaretur, non releuaret, quia sufficit, quòd Venantia habuerit bona sita in monte Causario, ex quibus Iulia mater voluit quòd extraheretur legatum dictæ Venantiæ factum.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, scilicèt, quòd detracta legitima, & Trebellianica pro Vincentio hærede, necnon & legato facto Venantiæ, & aliis legatis factis per dictum testatorem, non remanebat tanta summa pro fideicommisso ad fauorem Venãtiæ, quantam ipsa habuit; dicitur enim, bona montis Causarij esse valoris Scutorum 475. quare, aut ipsa voluit hæc bona pro legato, & cessat obligatio Pantaleonis, & Vincentij ex defectu causæ, vt dictum fuit; aut voluit pro fideicommisso, & tanta summa ei non debetur. Vnde semper erit verum dicere, quòd obligatio Pantaleonis, & Vincentij, cessat pro summa quã Venantia habuit vltra debitum pro fideicommisso, & pro illa Augustinum nõ posse adimplere quod promisit, & quoàd illam mandatum esse iniustum. Quare in totum corruit, vt fuit resolutum in Romana spolij 21. Februarij 1600. coram R.P.D. Iusto, & aliàs sæpiùs.

Alia sunt sublata ex aliis decisionibus in hac causa factis, &c.

PAPIEN. IVRISPATRONATUS.

Lunæ 12. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Descendentia probatur ex confessione partis ad articulos deponentis de sua credulitate, & num. 3. & 5. cùm ex voluntate partis stetur probationi minus legitimæ, num. 2.*

4 *Enunciatiua moderna faciunt adminiculum ad probandum descendentiam.*

DECISIO CXLVII.

PRoposui dubium 18. Aprilis præteriti, an ius præsentandi spectaret quoque ad DD. Rochum, Hippolitum, Cæsarem, & Marsilium, nec non ad Paulum, Antoniũ, Octauium, Hieronymum, & Ludouicum fratres, & ad Claudium, & Marinum, omnes de Basilica Petri.

Et quia fuerat firmatum coram R. P. D. meo Decano, constare de iurepatronatus, ex multiplicatis præsentationibus, & aliis, de quibus in eius decisione sub die 19. Februarij 1601. Ideo tota vis consistebat in probanda descendentia ab illis qui præsentarunt, de qua tunc fuit resolutum, constare quoàd personam Rochi, Hyppoliti, & Marsilij. Et quia iam fuerat resolutum coram R.P.D. meo Decano iuspatronatus spectare ad Hieronymum Franciscum, & alios eius fratres, & ad alterum Hieronymum, necnon ad alterum Franciscum, ita quoque dictum fuit, spectare ad supradictos; quia probatur, Rochum esse fratrem Hieronymi, & Franciſci, Hyppolitum verò alterius Hieronymi, & Marsilium alterius Franciſci, ratioui

tionibus de quibus ſuprà in dicta deciſione. Quamuis enim quoàd alios Domini tunc habuerint difficultatem, tamen hodie ceſſat talis difficultas, ex reſponſione facta per partem aduerſam ad poſitiones.

Nam quantùm ad perſonam Cæſaris iunioris, quòd deſcendat ab altero Franciſco, qui de anno 1500. præſentauit, ſcilicèt quòd à dicto Franciſco deſcendat Cæſar Senior, & à Cæſare Aſcanius, & ab Aſcanio Cæſar ipſe iunior, de quo in dubio;
1 † probatur ex dicta reſponſione partis aduerſæ ad poſitiones. Abb. *in c. ſin. num. 15. verſ. idem in poſitionibus, de confeſſ.* Alex. *conſ. 118. num. 5. lib. 2. & conſ. 92. in princ. lib. 5.* Felin. *in cap. examinata, num. 2. de iud.* Et tantò magis, quia agitur inter conſanguineos, qui præſumuntur ſcire gradus, & rationem conſanguinitatis. Bart. *in l. qui duos, in princ. num. 2. ff. de reb. dubiis.* Bald. *in l. quoniam, C. de iur. delib.* Natt. *conſ. 108. num. 3. vol. 1.*

Nec facit, quòd reſpondeat, quòd credit de eius credulitate, quòd Franciſcus fuerit in rerum natura eo tempore, & quòd ab eo deſcenderit Cæſar ſenior; quia cùm reſponderit poſitionibus, ex quo ex iuribus alias datis viſum fuit Rotæ, non probari ſufficienter deſcenden-
2 tiam, & det manus quoàd illam † ex voluntate partis, poteſt ſtari probationi imperfectæ. Alex. *in l. Titia, nu. 11. ff. ſolut. matrim.* Aym. *conſ. 206. nu. 19.* Nec hodie agitur contra Epiſcopum, ſed ſolùm inter ipſos compatrianos.

Ex prædictis conſtat, etiam probari deſcendentiam Pauli Antonij, Octauij, Hieronymi, & Ludouici fratrum ab Ottone, qui præſentauit, vt dicitur in alia deciſione. Nam quòd ab Ottone deſcendat Ioànes, ſufficienter fuit probatum, vt dicitur in dicta deciſione, & quòd à Ioanne deſcendat Ioannes Antonius, adeſt confeſſio partis, quæ licèt reſpondeat, quòd credat de eius credulitate, † tamen ſufficit hæc 3
reſponſio per ſupradicta. † Et his 4
accedunt duæ enunciatiuæ duorum inſtrumentorum, quæ licèt ſint modernæ, faciunt adminiculum, quòd à Ioanne Antonio deſcendat Camillus, & à Camillo Paulus Antonius, & alij fratres. Conſtat item ex reſponſione partis ad poſitiones, & conueniunt etiam pro adminiculo enunciatiuæ in inſtrumentis modernis.

Quantùm attinet ad perſonam Claudij, & Marini iunioris, probatur quoque deſcendẽtia; nam quòd à Marino ſeniore deſcẽdat Iulius, & Claudius, probatur ex confeſſione partis; † quæ reſpondit per ver- 5
bum, credit, de credulitate, vt ſuperiùs dictum fuit, & concurrit, etiam vnica enunciatiua moderna, quoàd perſonam ipſius Iulij, & Claudij. Et quòd Marinus iunior ſit filius Iulij, probatur ex confeſſione partis, in reſponſione ad poſitiones, & concurrit fides Baptiſmi.

Prædictis accedat reſponſio generalis; pars enim reſpondet, credere, prædicta omnia eſſe vera, & tandem ceſſit dubio, agnoſcendo bonam fidem.

BVRGEN. IVRIS
Lucrandi Fructus.

Ven. 16. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Abſentes à choro habentur pro præſentibus, dum miniſtrant Sacramenta in capellis annexis ſuo beneficio, vel cura.*

2 *Soli*

2 *Solitus residere ante infirmitatem, quando est infirmus habetur pro præsente.*

Decisio CXLVIII.

1 FVit per Dominos resolutum, curatos Capellæ Sancti Iacobi esse habendos pro præsentibus, in Capellis curæ annexis, quando sunt occupati in administratione Sacramentorum, ratione ipsius curæ ad tex. *in cap. vnico*, ibi, *vel ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, de cler. non resid. in* 6. Couar. *var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 8. vers. 8. non tantùm*, & voluit Congregatio Illustrissimorum Interpretum Sacrosancti Cócilij Tridentini; declarauit enim, quòd illi habeantur tanquam præsentes in Choro, qui animarum curam exercent, quæ illi Ecclesiæ imminet, dum tamen sint in actu ministrandi Sacramenta, vel alia exercendi quæ spectãt ad ipsam curam, & insuper adest expressa concordia, quæ datur in summario, *num.* 1.

2 Quantùm attinet ad caput infirmitatis, licèt solitus residere, quando est infirmus habeatur pro præsente, *d. cap. vnico, de cler. non resid. in* 6. vbi Doct. tamen quiahuiusmodi caput reddebatur turbidum ex concordia, de eo voluerunt Domini, quòd particulariter videatur.

Quæ opponebantur contra vnionem, visa fuerunt Dominis extra dubium.

PAMPILONEN. Statutorum.

Ven. 16. *Ianuarij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Si vnus articulus est releuans, conceditur remissoria, & num.* 3. *Quæ in materia profana in omni instantia & absque fumo conceditur.*

2 *Non datur remissoria ad probandum per testes, quod potest per scripturas probari.*

4 *Suspenso petitorio, iudex non habet iurisdictionem, donec cognoscatur in possessorio.*

Decisio CLXIX.

DOmini resoluerunt, concedendam esse remissoriam, quia articuli sunt releuantes. Articulantur enim grauamina Cleri ob extorsionem salarij, & in materia profana conceditur in omni instantia, & absque fumo. Verall. *decis.* 68. *pag.* 3. Cassad. *decis.* 2. *de dilat.* Et est regula trita. 1

Non officit, quòd articulantur quædam quæ possunt probari per scripturas; & non datur remissoria ad probandum per testes, quod per scripturas probari potest. Afflict. *decis.* 398. *num.* 4. † quia adsunt alij articuli releuantes, & sufficit, quòd vnus sit talis ad effectum, vt remissoria concedatur. Cassad. *decis.* 45. *num. vlt. de seq. poss. & fruct.* 2 3

Nec facit, quòd non adsit qui legitimè compareat pro clero, quia cùm adsint mandata procuræ nouem Archipresbiteratuum, ad instantiam horum remissoria potest concedi.

Minùs resistit, quòd sit suspensum petitorium, & ideo iudex non habeat iurisdictionem, donec cognoscatur in possessorio; quia cùm talis suspensio sit facta ad effectum, vt detur manutentio Episcopo, Archipresbiteratus, hoc non controuertunt, & ideo placuit DD. quòd manutentio daretur Episcopo, & Archipresbiteris remissoria. 4

AVXI

AVXIMANA BONORUM.

Lunæ 19. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Possidenti datur mãdatum de manutenendo.*

2 *Index ritè procedens priuat possessione.*

3 *Iudex subrogatus facit idem tribunal cum illo in cuius locum fuit subrogatus.*

4 *Possessio capta post appellationem prohibitam per Ægidianam, non est attentata.*

5 *Ægidiana non habet locum, quando agitur super re Ecclesiastica, vel inter personas Ecclesiasticas: secùs quando agitur inter laicos de possessione super re emphyteutica, quæ est sub proprietate Ecclesiæ.*

6 *Possessio capi non potest, re non liquidata, etiam quòd adsit pactum capiendi possessionem propria auctoritate.*

DECISIO CL.

1 DOmini dixerũt, Sacripanti dãdum esse mandatum de manutenendo, non quidem ex prima possessione, quia cùm habuerit se pro spoliato, ei non cõpetit manuten-
2 tio: sed ex sententia iudicis, † per quam cepit possessionem, & ideo Mutius fuit omni possessione priuatus. Ang. *in l. cùm possidere, §. qui ad nundinas, num. 2. in fin.* Imol. *num. 1. ff. de acq. possess.* Et fuit pluries resolutum.

Non obstat, quòd prædicta sint vera, quando iudex ritè & rectè processit, secùs autem quando nulliter, & iniustè; quia Mutius neque probat nullitatem, neque iniustitiã, & hæc quidem tenetur probare cùm sit fundamentum intentionis suæ.

Non enim subsistit, quòd iudex processerit, actis non transportatis; quia iudex non fuit iudex appellationis, sed primæ instantiæ. Et quamuis Mutius fuisset conuentus coram Vicario, attamen fuit exequutum simplex monitorium cum clausula, *si quis prætendit, &c.* & ab huiusmodi monitorio appellauit Mutius, & introduxit coram legato, qui inhibuit, & de his omnibus constat ex inhibitione Legati, in qua monitorium inseritur.

Minùs subsistit, quòd non constet de deputatione Alexandri Auditoris, quia contrarium est in facto. Ostenditur enim deputatio, in qua habetur, quòd propter absentiam Pompeij locum tenentis Vicelegatus deputauit Alexandrum in omnibus causis in statu & terminis, &c.

Et ex hæc responsione cessat quod dicebatur, acta non fuisse repetita coram Alexandro; quia Alexander non erat iudex diuersus, sed subrogatus in locum Pompeij absentis, ad omnes causas in statu, & terminis, &c. † Et sic erat idem tri- 3
bunal, *l. 1. §. qui mandatum, ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.*

Nec etiam est verum, quòd hu- 4
iusmodi possessio fuit attentata tanquam capta post appellationẽ, quia cùm sententia sit lata in possessorio, vigore Ægidianæ, non dabatur appellatio, cùm Ægidiana habeat locum in quocumque possessorio. Caputaq. *decis. 225. lib. in manuscript.* † Nec applicatur, quòd Ægidiana, 5
non habet locum quando agitur super re Ecclesiastica, vel inter personas Ecclesiasticas, vt fuit resolutum in causa Romana Saluiani interd. 12. Iunij 1589. coram bo.me.

Bubalo, & in alia Imolen. Legati 24. Maij 1595. coram Orano, quia licèt bona, de quorum poſſeſſione agitur, ſint emphyteotica, ſub proprietate Eccleſiæ, tamen perſonæ ſunt ſæculares, nec agebatur ſuper bonis, ſed ſuper poſſeſſione inter ipſos laicos. Vnde dicendum venit, intrare Ægidianam.

Quantùm attinet ad caput iniuſtitiæ. Reſpondetur, nec de iniuſtitia conſtare. Licèt enim fuiſſet pactum appoſitum ad fauorem Mutij, ingrediendi propria auctoritate, in euentum non ſolutionis canonum,
6 † tamen non poterat Mutius vti hoc pacto, niſi negotio liquidato. Bart. *in l. creditores, nu.* 14. *C. de pignor.* Alex. *conſ.* 189. *num.* 2. *verſ. bene fuit, vol.* 2. *& conſ.* 96. *num.* 4. *vol.* 4. vt fuit latè deductum in cauſa Montis Faliſci bonorum, 13. Maij 1589. coram R. P. D. meo Decano, & in cauſa Mediolanen. bonorum 18. Aprilis præteriti coram R. P. D. Ludouiſio.

ROMANA INVENTARIJ.

Lunæ 19. *Ianuarij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio non porrigitur contra tertium, & perſonam extraneam.*
2 *Inuentarium præſeruat conficientem in eo ſtatu in quo ante additionem reperiebatur.*
3 *Nullitas non admittitur in iudicio exequutiuo.*
4 *In dubio, vt actus valeat, prius præſumitur quod eſt poſterius.*
5 *In confectione inuentarij citandus eſt nominatim creditor certus, non autem abſens.*
6 *Difficile eſt aſſerere, aliquem eſſe creditorem.*
7 *Inuentarium poteſt eſſe validum reſpectu citatorum, inualidum verò reſpectu non citatorum.*
8 *Deſcriptio in genere ſcripturarum in ſacculo exiſtentium ſufficit in inuentario faciendo.*
9 *Item ſufficit habere relationem ad ſcripturam, in qua ſunt deſcripta bona, etiamſi illa bona non deſcribantur.*
10 *In inuentario deſcribenda ſunt iura & actiones.*
11 *Inuentarium fieri debet coram teſtibus.*

DECISIO CLI.

DVbitaui, an mandatum relaxatum cõtra propria bona Eleonoræ per AC. eſſet exequendum. Et Domini negatiuè reſoluerunt, †quia 1
ab huiuſmodi decreto datur appellatio, cùm effectus obligationis non porrigatur contra tertium, & perſonam extraneam. Galleſ. *de oblig. Cam. p.* 2. *in prima part. formul.* 92. *num.* 3. qualis erat Eleonora, ſtante inuentario per eam confecto, † cu- 2
ius natura eſt, vt ponat conficientem in eo ſtatu, in quo ante additionem reperiebatur. Bald. *in l. debitori, col.* 1. *verſ. ſed contra iſtud, C. de pact. & in l. fin. §. in computatione, in* 1. *oppoſitione*, vbi etiam Iaſ. *num.* 4. *C. de iur. delib.* Et eſt tex. apertus, *in eadem l. fin. §. & ſi præfatam*, vbi dicitur, quòd hæres adeundo cum beneficio inuentarij, hoc facit ſine periculo, & nihil penitus amittit, nec aliquod ſentit damnũ, latè Surd. poſt alios, *conſ.* 143. *num.* 40. *lib.* 1.

Nec obſtat, dum dicitur de nul- 3
litate inuentarij, quia huiuſmodi nullitas non eſt diſcutienda in articulo exequutiuo, ſed in petitorio, & negotio principali, Achil. *deciſ.* 15. *num.* 2. *de reſtit. ſpoliat.* Gabr. *conſ.* 44. *num.* 12. *lib.* 1.

Sed

Sed ceſſat omnis difficultas, quia nullitates quæ contra inuentarium opponuntur non ſubſiſtunt; nam defectus citationis tollitur; quamuis enim mandatarius referat, affixiſſe citationem die 18. pro prima die iuridica, & tamen inuentarium fuit confectum die 20. nihilominùs, ſtante, quòd commiſſio de citando, eſt die 19. Nouembris & Tubicina retulit, ſe publicaſſe dicta die 19. ex ſerie facti manifeſtè conuincitur error mandatarij referentis, ſe citaſſe, & affixiſſe die 18. non enim veriſimile videtur, quòd mandatarius,
4 citet ante decretum iudicis, † ideo in dubio vt actus valeat, priùs præſumitur quod eſt poſterius. Aym. *conſ.52.num.2.* Alex.*conſ.112.num.4. lib.5.* Dec.*in cap.quoniam Abbas,num. 51.de offic.deleg.& in l.donationem,nu. 12.C.de collat.*

5 Nec releuat, quòd cùm Virginia eſſet certa creditrix, debebat nominatim citari. Bart. *in d.l.final. §. cùm igitur,num.3.C.de iur.delib.* Dec. *conſ. 251.num.4. & conſ.633.num.9.* Aym. *conſ.89.in fin.* Nam fuit reſponſum, ipſam, vt ex eius ad poſitiones reſponſione conſtat, poſt annum ab obitu patris receſſiſſe ab Vrbe, nec conſtat, fuiſſe reuerſam, de tempore quo inuentarium fuit confectum.

6 Vltra quòd aliqui ex Dominis dicebant, difficile eſſe, aſſerere aliquem eſſe certum creditorem. Salyc. *in d.l.fin. §.ſin autem dubius, num.8.in fin. C. de iur. delib.* Et ideo quatenus probaretur, D. Virginiam eo tempore fuiſſe in Vrbe, negotium egere particulari diſcuſſione.

7 Minùs etiam facit, quòd alij creditores, qui erant certi, tanquam nominati in teſtamento, non fuerunt particulariter citati; quia quicquid dicendum eſſet reſpectu iſtorum, reſpectu citatorum inuentarium fuit validum. Dec. *d. conſ. 251. num.4.*

Non officit, quòd Eleonora non 8
deſcripſit nominatim ſcripturas quæ erant in duobus ſacculis, ſed in genere deſcripſit duos ſacculos ſcripturarum; quia Rota pluriès ſuſtulit hunc defectum, vt in cauſa Romana de Gaddis 24. Octobris 1578. coram Reuerendiſſimo D. Patriarcha Alexandrino, & meis temporibus in cauſa ciuitatis Caſtelli pecuniaria. 2. Iunij 1603. coram R.P.D. Iuſto. Eóque ampliùs viſum fuit Dominis, hoc admittendum in præſenti caſu, ſtante mendicitate teſtatoris, de qua deponunt teſtes, & quòd alter ex illis ſacculis erat in manibus magiſtri domus Carcerũ, alter verò in manibũs cuiuſdam ædium locatoris, ex quibus omnibus de facili poteſt argui qualitas harum ſcripturarum.

Minùs placuit Dominis, quòd 9
omnia bona nominata in teſtamento non fuerint deſcripta in inuentario, quia cùm inuentarium habeat relationem ad teſtamentum, viſum fuit ſufficere, ex traditis per Rip. *in l.ait Prætor, §.ſi iudex,num.4.ff.de re iud.* Rot. *deciſ. 5. de teſt. in antiq.* Et ſaltem iſta relatio excludit dolum, quia cùm credita eſſent nominata in teſtamento, non poterant occultari. Et hoc ſufficit ad effectũ excuſandi à dolo, ad trad. per Bald. *conſ.147.nu. 3.vol.4.* & Dec. *conſ.633. num.11.* & fuit dictum in allegata cauſa ciuitatis Caſtelli coram R.P.D. Iuſto.

Tandem non obſtat, quòd non 10
fuerint deſcripta iura, & actiones. Bald. *in d.l.fin. §. cùm igitur, nu.8. verſ. tu dic. C. de iur. delib.* quia ſtante qualitate teſtatoris, & eius teſtamento, in quo deſcripſit certa credita, viſum fuit, huic requiſito perabundè fuiſſe ſatisfactum.

Et ad illud quod dicebatur, notariũ ſcripſiſſe ad relationem Eleonoræ, & tamen in deſcriptione de-
11 bere interuenire notarium, † & deſcribere coram teſtibus, *d. l. fin. §. ſin autem dubius, C. de iur. delib.* Reſpondebant Domini, quòd teſtator non habebat domum, obiit enim in carceribus, nec habebat mobilia, vt ex eius teſtamento patet, & ideo ſatis in deſcriptione interuenit notarius, & teſtes; cùm Eleonora, habens relationem ad teſtamentum quod erat in actis, dederit notulam notario. Nec nominata in teſtamento egebant particulari inſpectione notarij, cùm exceptis duobus ſaccu-lis, & certo enſe, omnia eſſent incorporalia, nempe credita, & debita.

BONONIEN. FIDEICOM. de Mangiolis.

Ven. 23. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio facta in diuiſione bonorum, antequàm adeſſent creditores, probat etiam contra creditores ſuperuenientes.*
2 *Vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.*
3 *Confeſſio voluntaria tutoris non probat contra pupillum.*
4 *Identitas bonorum probatur per duos, vel tres confines.*

DECISIO CLII.

DVbitaui an bona adiudicata Faſanino eſſent ſuppoſita fideicommiſſo Comitis Melchioris ſenioris. Quod quidem dubium habet duas inſpectiones; ſcilicèt, ex quibus probetur eſſe ſuppoſita, & an de illorum identitate conſtet.

Quantùm attinet ad primam inſpectionem, circa poſſeſſionẽ nuncupatam, *li prati de Comacino*, habemus diuiſionem factam inter ipſos fideicommiſſarios, quæ corroboratur etiam ex alia diuiſione facta inter grauatos, in ſummario, *num. 1.* Circa ſecundam poſſeſſionem poſitam in Communi ſancti Martini, dictam, *la poſſeſſione della Tena*, habemus aliam diuiſionem factam per ipſos fideicommiſſarios, *num. 2.* Quo verò ad tertiam poſſeſſionem poſitam in eodem Communi ſuper Tana, habetur inſtrumentum exequutionis laudi lati per Cardinalem ſancti Sixti poſteà Gregorium 13. vbi hæc poſſeſſio conceditur Comiti Melchiori iuniori. †Et hæ confeſ- 1
ſiones, cùm fuerint factæ antequàm creditores haberent cauſam à Comite Melchiore, fuit reſolutum, probare contra ipſos creditores, vt ex ſententia Doct. benè diſtinguit Surd. *deciſ. 256. num. 8.* Et fuit latè deductum in alia deciſione in hac cauſa facta cõtra Dominos de Maluetiis.

Nec placuit Dominis diſtinctio, 2
quæ fuit facta ex cauſa lucratiua, & ex cauſa oneroſa, ſcilicèt quando ſingularis ſucceſſor habet ius ex cauſa lucratiua, confeſſio afficit, ſecùs ſi ex cauſa oneroſa, quia hæc diſtinctio iuribus non probatur, textus enim *in l. apud Celſum, in §. authoris*, & vtrobiq. gloſſ. *ff. de dol. mal. except.* non tangit hanc difficultatem, ſed loquitur quando dolus authoris nocet ſucceſſori.

Minùs etiam applicatur conſiliũ 3
Cornei, *17. num. 20. lib. 4.* † quia loquitur in confeſſione voluntaria tutoris, quæ non probat contra pupillum, *l. certum, §. ſed an & ipſos, ff. de confeſſ.* & loquitur etiam in confeſſione facta ab aduerſario, quæ ſibi prodeſſe non debet, & alteri parti obeſſe.

Quan

4 Quantùm attinet ad identitatem, ſatis etiam fuit reſolutum, probari; nam circa poſſeſſionem nuncupatã *prati de Comachio*, in inſtrumento poſſeſſionis captæ enunciantur tria cõfinia, quæ enunciantur etiam in diuiſione, nempe zena, bona DD. de Bentiuoliis, & Canale molendini.

Pariter quoàd ſecundam poſſeſſionem concurrunt duo confinia, ſcilicèt via communis, & bona DD. de Bentiuoliis.

Et quoàd tertium, concordant etiam quatuor cõfinia, nempe campibruni, poſſeſſio quæ eſt poſſeſſio Caſſinæ, vt dictum fuit in alia deciſione, via publica, canali, & alia bona ipſorummet Comitum de Mangiolis.

Nec facit, quòd dicatur in exequutione laudi Gregorij 13. quòd iſta poſſeſſio eſt diuiſa in quatuor petias, & ex inſtrumento poſſeſſionis captæ, conſtat eſſe diuiſam in plures; quia ex lectura vtriuſque ſcripturæ, & ex confinibus, apparet, eſſe eandem poſſeſſionem, de qua in exequutione laudi, eóque magis, cùm eodem nomine nuncupetur.

Et ex prædicta cõcordantia confinium, & etiam ex concordantia nominis, dubitari non poteſt, quin identitas probetur, vt latè in alia deciſione dictum fuit.

An autem Domini moderni Comites, poſſint agere ad recuperationem horum bonorum contra Faſaninum, particulariter erit agendum.

ANCONITANA Sequeſtri.

Ven. 23. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Debet probari in ſpecie cum ſuis qualitatibus id propter quod dicitur ceſſaſſe intereſſe, ad hoc vt debeatur intereſſe.*

DECISIO CLIII.

FVit per Dominos reſolutum, intereſſe non probari, ad hoc vt debeatur. Non enim probatur, quòd ob ſequeſtrum Somentius non trãsmiſerit panninas ad nundinas, in quibus illas tanti vendidiſſet, & tantam ſummam fuiſſet lucratus, quod requiſitum in ſpecie poſtulatur, ad effectum vt intereſſe debeatur. Caſtren. *in l. 3. §. fin. num. 3. ff. de eo quod certo loco*, quem paſſim Rota ſequitur. Mohed. *deciſ. 3. de vſur.* & nouiſſimè coram Reuerendiſſimo D. meo Patriarcha Alexandrino in cauſa Rauenaten. intereſſe, 28. Aprilis præteriti, & aliàs pluriès. 1

Non obſtat, quòd Somentius eſt mercator, & alias merces conduxit ad nundinas, quia non valet argumentum; Solitus eſt negotiari. Ergo, & has merces ad nundinas tranſmiſiſſet, & tot lucratus fuiſſet; quia debet probari in ſpecie, ob ſequeſtrũ, has merces ad nundinas conduxiſſe, vt per Caſtren. *in d. loco*, Mohed. pariter *loco alleg. in fine.*

Nec minùs ſufficeret, ſi prædicta probarentur, niſi etiam conſtaret, panninas fuiſſe eius qualitatis, vt ex eis fuiſſet perceptum lucrum, de quo deponunt teſtes. Caſtren. *loco præcitato.*

ESINA FIDEICOMmiſſi.

Lunæ 26. Ianuarij 1604.

SVMMARIVM.

Adimpletis conditionibus fideicommiſſum purificatur. 1

Decisio CLIV.

QVamuis pars contraria agnosceret bonam fidem, & cederet dubio, nihilominùs agentes pro Confraternitate actrice ad fundandam eius intentionem, voluerunt firmare, an constaret de fideicommisso Berti, quòd sit purificatum ad fauorem ipsius Confraternitatis. Et dubio per me proposito, Domini affirmatiuè resoluerunt. Nam Bertus instituit Marchegianam filiam, & alios filios nascituros, quibus in pupillari, vel quandocumq; descendentibus sine filiis legitimis, tunc, & eo casu testator post mortē Drusianæ vxoris substituit Confraternitatem, ad cuius fauorem factus est locus fideicommisso. Decessit enim Bertus, relicta tantummodò Marchegiana filia, vt deponunt testes in summario, *num.* 2. & postmodùm ipsa Marchegiana absque filiis decessit, vt in eodem summario, *nu.*4. Est quoque defuncta Drusiana vxor testatoris, vt deponunt testes in summario, *num.*5. Vnde euenit casus vocationis dictæ Confraternitatis.

BVRGEN. IVRISdictionis.

Veneris 6. *Februarij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Clausula*, parito iudicato, *impedit exequutionem donec fuerit paritum, & afficit etiam successorem, num.*2. *& reficiendæ sunt tam expensæ factæ in Curia, quàm in partibus, num.*3.

Decisio CLV.

1 FVit per Dominos resolutum, Reuerendissimum Archiepiscopum Modernum non posse audiri, nisi refectis expensis; quia restitutio in integrum fuit commissa cum clausula *parito iudicato*, † quæ suspendit iurisdictionem, donec fuerit paritum, *c. cùm dilecta, de rescript.* Paris. *cons.*94. *num.*8. *lib.*4. Put. *decis.* 283. *lib.*2. Caputaq. *decis.*150. *pag.*1. Et ideo gesta ante purificationem huius clausulæ, essent absque iurisdictione, vt in dictis locis, & per Put. *decis.*429. *lib.*1. Staphil. *de lit. iust.*§. *dicendum, num.*42. Et fuit resolutū in Calaguritana Capellæ sanctæ Crucis de Nagera, 15. Ianuarij 1589. coram Orano, & in alia Pampilonen. parochialis, 4. Martij, 1591. coram R.P.D. Decano. 4

2 Non obstat, quòd huiusmodi rescriptum fuerit obtentum per antecessorem, quia cùm suspendat iurisdictionem, afficit etiam modernum Archiepiscopum causam prosequi volentem; vt fuit resolutum in causa Vigellen. iuris optandi, 10. Decembris 1603. coram R. P. D. meo Ludouisio.

3 Minùs etiam obstat, quòd fuerit paritum, quoad expensas factas in Curia; & expensæ quæ hodie petuntur, fuerunt factæ in partibus; quia cùm fuerint factæ pendente causa in Rota, veniunt in condemnatione sub clausula, *coram nobis*, & ideo potuerunt taxari. Rot. *decis.*42. *de sent. & re iud. in antiq.*

TOLETANA DEcimarum.

Mercurij 11. *Februarij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio vniuersalis non extenditur ad locum vbi quis habet quasi possessionem particularem, cum titulo de quo non cognoscitur*

tur in iudicio ſummariiſſimo, numer.3.

2 *Non datur poſſeſſio niſi contra prohibentem.*

3 *Teſtes de viſu deponere debent, ſe non vidiſſe, nec fieri potuiſſe, quin ipſi vidiſſent, ſi res ſe aliter habuiſſet.*

DECISIO CLVI.

FVit per Dominos reſolutũ, quaſi poſſeſſionem vniuerſalem Prioris non capere territorium de quo agitur, dum moniales paſcunt pro-
1 prios greges, † quia quaſi poſſeſſio vniuerſalis, etiam fundata in iure communi, non extenditur in locum vbi quis habet quaſi poſſeſſionem particularem titulatam, prout habent moniales, vt conſtat ex teſtibus, & titulo dato, *cap. cùm perſonæ, de priuil. in 6.* Io. Lup. *in repet. c. per veſtras, §. ſed eſt pulchra dubitatio, qui eſt 44. ſub not. 2. num. 45. de donat. inter vir. & vxor. fol. mihi* 303. Rot. *deciſ. 11. de reſt. ſpol. in nou.*

2 Non obſtat, quòd non detur poſſeſſio niſi contra prohibentem; quia fallit hæc concluſio, ſtante titulo monialium. Rot. *dicta deciſ. 11.* Rebuf. *ad ord. reg. Gall. tom. 3. tit. de materia poſſeſſ. in præfat. nu. 145.* †De cuius
3 tituli validitate non eſt cognoſcẽdũ in hoc iudicio ſummariiſſimo, *e. cùm veniſſent*, vbi Abb. *n. 8.* But. *nu. 11. & 35. de inſtit.* Rot. *d. deciſ. 11.* Et aliàs fuit dictum coram Cardinali Paleotto in Tiraſonen. decimarum. 2. Decembris 1561.

Nec ſubſiſtit, quòd poſſeſſio monialium inceperit de anno 1576. quia contrarium conſtat ex pluribus teſtibus. Nec minùs etiam probatur, quòd moniales non habeant proprios greges, cùm deponant te-
4 ſtes, non vidiſſe. † Hæc enim depoſitio non ſufficit, niſi ſubdant, quòd aliter non poſſit ſe res habere, quin ipſi viderint. Dec. *conſ. 534. num. 8.*

Alia ſunt ſublata per aliam deciſionem factam ad fauorem monialium.

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Lunæ 8. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus eſt caput, & loco Abbatis in Eccleſia Cathedrali regulari, & habet omnimodam iuriſdictionem in monachos Cathedralis regularis, exceptis iis quæ concernunt regularia inſtituta.*

3 *Verba prolata ab habente poteſtatem diſponendi, important cauſam non conditionem.*

4 *Exceptio firmat regulam in non exceptuatis.*

5 *Dictio*, vel, *eſt augmentatiua, & ampliat diſpoſitionem, etiam ad diuerſa.*

6 *Statutum recipit interpretationem à iure communi.*

7 *Epiſcopus non habet iuriſdictionem in monachos ſancti Benedicti. Sed contrarium eſt verius, quando Eccleſia Cathedralis eſt regularis, nu. 8.*

9 *Vnio intelligitur facta ſine præiudicio tertij.*

10 *Ex ſeparatis non fit illatio.*

11 *Concil. Trid.* ſeſſ. 21. cap. 8. *loquitur de monachis exiſtentibus in locis exemptis.*

DECISIO CLVII.

DVbitaui, an & quam iuriſdictionem haberet Reuerendiſſimus D. Archiepiſcopus in monachos monaſterij Mõtis Regalis, tam in Eccleſia, & monaſterio, quàm

Vide Decc. 26:

extr

extrà. Et Domini vnanimiter cenſuerunt, omnimodam iuriſdictionẽ ipſorum habere, & in omnibus caſibus, exceptis iis quæ concernunt regularia inſtituta. Verba enim Bullæ Pauli tertij viſa fuerunt ſatis clara in §. declarans etiam, vbi dicitur, quòd Archiepiſcopus eſt caput ipſorum monachorum, declarando illorum exemptionem à viſitatione, & correctione Archiepiſcopi quoàd regularia inſtituta tantùm, & non quoàd ſupradicta in Bulla, vel exceſſus perpetratos, vel perpetrandos, in quibus viſitationi & correctioni Archiepiſcopi prout ſunt ſubiecti, ſint, & eſſe cenſeantur. Et hæc quidem diſpoſitio eſt conformis
1 diſpoſitioni iuris communis. † Cùm enim agatur de Eccleſia Cathedrali regulari Epiſcopus eſt caput, & loco Abbatis monachorum, & ipſi locò Canonicorum, Doctores, *in c. cauſam, de iud.* 1. Hoſt. *in princ. Io. Andr. num.* 3. Abb. *Antiq. nu.* 2. Bellam. *num.* 1. *&* 2. Butr. *num.* 4. *&* 8. Imol. *num.* 1. Dec. *nu.* 38. & Abb. qui loquitur expreſsè de Eccleſia montis Regalis, *numer.* 8. *& ſeq.* † Et
2 idem Epiſcopus etiam de iure communi, exceptis iis quæ concernunt regularia inſtituta, habet omnimodam iuriſdictionem in monachos Cathedralis regularis, *c.* 1. *ne ſed. vac.* gloſſ. final. *in cap. nullus, verſ. vt Epiſcopus etiam ſæcularis, de elect. in* 6. vbi Anchar. *nu.* 3. *verſ. ſed aduerte*, Ioan. Andr. *num.* 3. *ver. in gloſ. vlt.* Gemin. *num.* 7. *verſ. mea gloſ. ibid.* Franc. *nu.* 3. *verſ. in gloſ. fin.* Corn. *conſ.* 133. *num.* 4. *lib.* 2. *vbi num.* 5. apparet de hoc non eſſe hæſitandum, ceſſantibus indultis, & conſuetudinibus particularibus loci, propter quæ in illo caſu ipſe conſuluit contrarium. Et hanc ſententiam aliàs ſequuta fuit Rota coram Oradino in Peruſina iuriſdictionis 27. Februarij 1558. quæ etiam refertur, licèt diuerſis verbis inter miſcellaneas Cattæ, ſub *num.* 56.

Nec placuit Dominis, verba Bullæ, prout ſunt, eſſe intelligenda conditionaliter, non cauſatiuè; quia cõtrarium eſt verius. Tum quia D. Archiepiſcopus habet diſpoſitionem iuris pro ſe. Tum etiam quia huiuſmodi verba ſunt prolata ab habente poteſtatem diſponendi in diſpoſitione certa, † & ideo important 3
cauſam, non conditionem, Felin. *in c.* 2. *num.* 10. *de reſcript.* & tenuit Rota coram Lauretano in Caurien. iuriſdictionis, 5. Nouembris 1576.

Et hoc etiam euidentiſſimè appa 4
ret, cùm monachi eximantur à iuriſdictione Domini Archiepiſcopi quoàd regularia inſtituta tantùm; quæ exceptiò firmat regulam in omnibus caſibus expreſsè non exceptuatis. Bart. *in l. quæſitum, §. denique, ff. de fund. inſtruct.* & præſcribit, quòd ad alia non expreſſa exemptio extendi nequit, *l. qui in aliena, §. libert. ff. de neg. geſt.*

Minùs etiam placuit Dominis, verba Bullæ eſſe intelligenda de iuriſdictione, quoàd Eccleſiam tantùm; quia Bulla vlteriùs proſequitur, ſcilicèt, vel exceſſus perpetratos, vel perpetrandos, &c. Quæ diſpoſitio non ſolum eſt generalis comprehendens omnia, ſed etiam augmentatiua, propter dictionem, *vel* † quæ ampliat diſpoſitionem etiam 5
ad diuerſa, Crauet. *conſ.* 326. *num.* 2. Quæ eò magis vera ſunt, quia cum iure communi concordant, † à quo 6
verba ſtatutorum interpretationem aſſumerent, vbi dubia viderentur, *l.* 2. *C. de noxal. c. cùm dilectus, de conſuet.* Alex. *in l. nam quod §. non omnis, ff. ad trebell.* Iaſ. *in auth. nouiſſima, num.* 24. *C. de inoffic. teſt.* Vnde non poteſt

dici,

dici, vigore Bullæ, iuriſdictionem Archiepiſcopi reſtringi, vltra quã Bulla ipſamet faciat.

7 Nec ſubſiſtit, quòd Epiſcopus non habeat iuriſdictionem etiam quòd procedatur in figura iudicij, cùm iſti monachi ſint Ordinis Sãcti Benedicti. Abb. *in cap. quanto, de offic. Ord.* Rom. *conſ.* 375. *cum aliis.* Nam, omiſſo, quòd iſti Doctores non loquuntur quando Eccleſia eſt Ca-

8 thedralis regularis,† contrarium eſt verius de iure, *cap. cùm perſonæ, de priuil. in 6. cap. 1. de offic. Ordin. c. omnes Baſilicæ, 16. quæſt. 7.* & tenet, *in d. cap. quanto* Innoc. *num. 2.* Hoſt. *num. 9.* Io. Andr. *num. 15.* Anchar. *num. 16.* Henric. Boich. *num. 4.* Bellam. *num. 8. verſ. aut igitur,* & Butr. *num. 20.* Dec. *in cap. tua nobis, num. 16. de confirmat. vtil. vel inutili,* Firman. *de epiſc. lib. 4. par. 2. quæſt. 35. nu. 81. verſ. & quia dixi.* Capell. Tholoſ. *deciſ. 309.* Et hanc opinionem tanquam veriorem, & communiorem ſequuta fuit Rota in cauſa Auguſtana iuriſdictionis 27. Maij 1573. coram Oriolen. & in alia Cæſaraugustana exemptionis, 13. Nouembris 1587. & 28. Martij 1588. & 12. Febr. 1590. coram Orano.

Minus etiam ſubſiſtit dum dicitur, quòd in omnem euentum ceſſat iuriſdictio D. Archiepiſcopi ſtantibus priuilegiis venerabilis Congregationis Caſſinen. cui fuit vnita Congregatio Sicula, *d. c. cùm perſonæ, de priuil. in 6.* Corn. *d. conſ. 193. nu. 7. li. 2.* Capell. Tholoſ. *dec. 309.* Et cenſuit Rota in prædicta deciſione Cottæ.

9 Nam fuit reſponſum, quòd vnio intelligitur facta ſine præiudicio tertij, *cap. 2. de relig. dom.* Rebuf. *in prax. tit. de erect. in Colleg. verſ. & in hac erectione,* Put. *deciſ. 268. nu. 3. lib. 2.* Vnde per talem vnionem non cenſetur derogatum iuriſdictioni D. Archiepiſcopi.

Et ceſſat omnis difficultas, quia in Bulla erectionis Congregationis Siculæ, in cuius locum ſubrogata eſt Congregatio Caſſinen. expreſsè legitur, ſine præiudicio iurium Archiepiſcopi, quare huiuſmodi priuilegia non poſſunt monachis ſuffragari, dum degunt in monaſterio Montis regalis iuriſdictioni Archiepiſcopi ſubiecto, *cap. 1. §. in eos, de priuil. in 6.* ibi, *niſi forſan ipſi monachi,* vbi Franc. *in 2. not.* & Gemin. *num. 3. & 6.* Capic. *deciſ. 59. in fin.*

Nec facit, quòd monachi habeãt 10 menſam ſeparatam de qua diſponunt; & negotia Archiepiſcopi, & monachorum ſint ſeparata; quia ex hoc non poteſt inferri ad non iuriſdictionem D. Archiepiſcopi, *c. edoceri, de reſcript.* Et videmus, quòd Capitula ſæcularium Eccleſiarum habent menſam ſeparatam, & negotia ſeparata, & non propterea iuriſdictio Epiſcoporum eliditur, *tot. tit. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. Cap.* Doct. *in d. c. edoceri, de reſcript.*

Nec etiam monachis ſuffragatur 11 diſpoſitio Sacroſancti Concil. Trid. *ſeſſ. 28. cap. 8.* quia loquitur de monachis exiſtentibus in locis exemptis à iuriſdictione Ordinarij, quales non ſunt degentes in monaſterio Montis regalis per ſupradicta.

Et ita concluſum fuit, omnimodam iuriſdictionem ſpectare in omnibus ad Reuerendiſſimum Dominum Archiepiſcopum, præterquàm, quoàd regularia inſtituta tantùm.

CALAGVRITANA Beneficij.

Lunæ 8. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Reus & poſſeſſor vincit per non ius alterius.*

2 *Sequestrum necessarium non priuat possessione.*

3 *Decisio in causa Calaguritana iuris ascendi 28. Iunij 1599. coram Seraphino declaratur.*

DECISIO CLVIII.

1 DVbitaui, ad quem spectaret beneficium. Et Domini dixerunt, cùm Michaël sit reus, & possessor, & sibi sufficiat vincere per non ius Petri actoris, non esse videndum de iure suo. Rot. *decis.* 1. & c 24. *de re iud. in nou.* † nec sibi nocere sequestrum per Rotam appositum; quia sequestrum necessarium possessione non priuat, Cyn. Bart. Bald. Salicet. & alij, & præsertim Curt. sen. *num.* 64. *in l. vnic. C. de prohib. seq.* Callad. *decis.* 14. *num.* 12. *super regul.* Sarmen. *in reg. de Annal. quæst.* 46. Rebuf. *de sequestr. glos.* 1. *art.* 1. *num.* 19. Et fuit resolutum in causa Salutiarum beneficij, 27. Nouembris, anno Iubilei coram R. P. D. Ludouisio, & per prius in causa Parmen.

1 Prioratus, 16. Ianuarij 1598. coram bo. me. Orano.

Propterea; viso iure Petri, Domini resoluerunt, dominium spectare ad ipsum Petrum. Non potest enim dubitari, quin esset dimidius antiquior, & deberet vigore constitutionis synodalis ascendere ad integram portionem. Et quamuis tempore vacationis, & primæ prouisionis Petri, quæ fuit 15. Ianuarij 1591. vigeret constitutio Sixti V. tamen postea 4. Maij 1592. S. D. N. per Breue commisit Episcopo, vt suspenderet exequutionem Motus proprij Sixti V. & sineret clerum præsentare, vt anteà solebat, & mãdatur ei in dicto Breui, vt prouisos post inhibitionem Rotalem iuxta Motum proprium Sixti V. efficeret è possessione. Quare cùm inhibitio Rotalis fuerit intimata in partibus 20. Aprilis 1590. & sic ante vacationem huius beneficij, & Capitulum de nouo prouiderit Petrum de mense Februarij 1593. vtique ad ipsum spectat beneficium per supradicta.

Nec releuat, quòd fuerit resolutum coram D. Litta in causa Calaguritana attentatorum, 15. Maij 1600. prouisiones factas per Episcopum post dictam inhibitionem, non fuisse attentatas, stante illius moderatione de ordine signaturæ, quia aliud est, quòd Episcopus excusetur ab attentatis, aliud verò, quòd Sanctissimus mãdauerit, vt prouisi post dictam inhibitionem amouerentur.

Nec releuat, quòd idem S. D. N. per aliud Breue quod fuit datum 15. Martij 1593. suspenderit omnes prouisiones factas à Clero, quoad Sanctitas sua aliud declarasset, quia posteà de anno 1596. declarauit, quòd respectu illorum, qui cœperant esse beneficiati ante publicationem Motus proprij Sixti V. seruarentur consuetudo statuta antiqua. Et talis erat Petrus, qui fuerat beneficiatus ante dictum annum 1596.

Nec prædictis resistit decisio Re- 3
uerendissimi D. Patriarchæ Alexandrini in simili causa Calaguritana iuris ascẽdendi, 28. Iunij 1599. Quia illa loquitur in puris terminis constitutionis Sixti V.

BONONIEN. DE Beroaldis.

Merc. 10. *Martij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Sententia iusta debet confirmari.*

DEC.

DECISIO CLIX.

DOmini censuerunt, sententiam Rotalem esse confirmandam. De eius enim iustitia constat ex decisionibus factis tã coram D. Litta, quàm coram me, quæ non oppugnantur.

Quantùm attinet ad prætensiones de nouo excitatas, Et primò circa prætensionem gemmarum, iocalium, bonorum mobilium, & melioramentorum, respondetur, quòd de prædictis nihil constat in actis, & si essent prætensiones attendendæ, Lucretia quoque habet alias prætensiones, nempe pecuniarum solutarum Elisabethæ, durante lite, & melioramentorum factorum per Hieronymum in bonis communibus.

Minùs etiam aliquid fuit liquidatum circa creditum instrumentorum venditorum, vt asseritur cuidam Fasanino, nec minùs aliqua ex iis fuerunt ostensa, & liquidata, de quibus in decisione D. Littæ, quæ datur, *num.* 3.

Quantum attinet ad creditum Montis salis lib. 569. & aliud super regiſtro lib. 2500. & ad pretium animalium quod Rota firmauit 10. Maij 1600. vt in decisione, quæ datur dicto *nu.* 3. ascendere ad lib. 200. quæ omnia ascendunt ad summam, lib. 3269.

Respondetur quòd hæc summa quamuis sit liquida, tamen de ea fuit habita ratio in sententia Rotali, quia vt constat ex calculo dato, debita communia ascendunt ad lib. 13269. ex quibus deducta dicta summa, liquida remanẽt lib. 10000. de quibus pro medietate in sententia fuit habita ratio ad fauorem hæreditatis Hieronymi.

NARNIEN. CONfinium.

Lunæ 15. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1. *Testes de Vniuersitate habentes particulare interesse non sunt idonei & num. 3.*
2. *Testes de Vniuersitate admittuntur etiam quando agitur de pascuis, si pretium ponatur in arca communi.*
4. *Testes de Vniuersitate, quando causa est mixta, non sunt idonei.*
5. *Non potest quis esse actor, & testis.*

DECISIO CLX.

FVerat resolutum, testes de Cõmunitate Collisscipionis nõ esse repellendos. Tunc enim ex deductis visum fuerat, non constare de eorum interesse. Testes autem de Vniuersitate non repelluntur nisi habeant interesse in causa, ex allegatis in alia decisione. Iterum proposito dubio ex nouiter deductis fuit conclusum, testes qui habent bona in loco controuerso, & qui interuenerunt in mandato ad causam dato, non esse idoneos.

1 Nam quantùm ad illos qui habent bona in loco controuerso, agitur de eorũ interesse. Vt enim cõstat ex querela per Collisscipionenses data, de qua in summario, *nu.* 3. controuersia super territorio ex eo orta fuit, quia Narnien. prætendebant pascua super terris particularium qui habent terras, quæ liberarentur ab ista seruitute quam prætendunt Narnien. in terris particularium in suo territorio existentibus.

2 Non obstat, quòd testes de Vniuersitate, admittantur etiam quòd

agatur de paſcuis, ſi pretium paſcuorum ponatur in archa communi, quia hic non verſamur in his terminis, † ſed in caſu quo ex victoria territorij reſultat liberatio habentium terras in loco controuerſo; quia Communitas Narniæ nõ prætendit paſcua, niſi ratione territorij, nec agitur ſuper communi paſcuo intra fines alicuius territorij controuerſi, ſed ſuper paſcuis, quæ ratione territorij prætenduntur à Narnienſibus, vt dictum fuit. 3

Ex alio etiam capite dixerunt Domini, huiuſmodi teſtes non eſſe idoneos, ſcilicèt ratione gabellarum, & onerum quæ ſoluunt Colliſcipionenſes. Ex victoria enim territorij liberarentur à ſolutione huiuſmodi onerum.

Nec placuit, quòd ſi non ſoluerent onera Narnienſibus, ſoluerent Communitati Colliſcipionis, vt in cauſa Conchenſi limitum, coram Illuſtriſſimo Blachetto, 19. Ianuarij 1596. Quia illa deciſio loquitur de onere ſoluendi decimas, quod eſt certum; debent enim ſolui vni, vel alteri ex parochis; ſecùs autem eſt dicendum in caſu iſto, quia conſtat de oneribus ſoluendis Narnienſibus, ſecùs verò de oneribus ſoluendis Communitati Colliſcipionis.

Nec facit, quòd homines Colliſcipionis ſunt exempti à iuriſdictione Communitatis Narnienſium, quia Domini intelligunt hãc exemptionem, ratione perſonarum, non ratione bonorum exiſtentium in territorio Narnienſi.

Pariter fuit dictum, illos non eſſe idoneos teſtes qui interuenerunt in mandato, cùm illud ſit datum pro Communitate, & hominibus, & eorum, & dictæ Communitatis nomine, & prædictis nominibus, & pro eis. Quæ conſtitutio ſatis oſtendit, cauſam eſſe mixtam, ſcilicèt tam nomine Vniuerſitatis, quàm ſingulorum; & ideo illi qui interuenerunt in mandato, non ſunt idonei teſtes; † quis enim non poteſt eſſe actor, & teſtis. Bald. *conſ.* 438. *num.* 3. *lib.* 5. Ruin. *conſ.* 189. *num.* 20. *in fin. lib.* 1. & fuit reſolutum in Gerundenſi Anniuerſariorum, 9. Iunij 1580. coram bonæ memoriæ Giptio. 4 5

Nec placuit quod dicebatur, conſtitutionem eſſe intelligendam pro hominibus, tanquam vniuerſitatem repræſentantibus, quia verba *eorum, & pro eis*, viſa Dominis ſatis clara.

Minùs etiam placuit, quòd ad hunc effectum omnes de Vniuerſitate debuiſſent interuenire in mandato; quia hęc intelliguntur ad effectum quòd omnes repellantur; ſed non propterea ſequitur, quòd illi qui dederunt mandatum, non ſint repellendi; cùm militet ratio doctorum, ſcilicèt, quòd quis non poteſt eſſe actor, & teſtis, de qua per Bald. *loco ſuperiùs allegato.*

RÆATINA PRÆDII.

Lunæ 15. *Martij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Ex poſſeſſione anteceſſoris datur reſtitutio ſucceſſori in beneficio.*
2 *Suſtentatio litis cum adminiculis probat poſſeſſionem.*
3 *Teſtes debent reddere cauſam ſcientiæ, etiam non interrogati, in iis quæ pendent à iudicio intellectus.*
4 *Locatio cum adminiculis probat poſſeſſionem.*
5 *Vltimum ſpolium eſt purgandum.*

DECISIO CLXI.

FVit per Dominos reſolutum, Lęx
lium eſſe reſtituendum. Datur

enim

enim reſtitutio ſucceſſori in beneficio, ex poſſeſſione anteceſſoris. Rot. *deciſ.* 1. *de reſt. ſpol. in nou.* de qua quidem poſſeſſione, ſcilicet Alpharabij anteceſſoris non poteſt dubitari, tam ex teſtibus examinatis, quàm locationibus factis, & aliis, de quibus in diſcurſu. † Quòd autem Herculanus Abbas hodie poſſideat prædium, probatur ex ſuſtentatione litis, quæ, concurrentibus adminiculis, probat ſecundum extremum, & hoc etiam non controuertitur. 2

Non obſtat, quòd Alpharabius non poſſidebat vti canonicus, ſed iure pignoris habiti à quodam Nicolao Abbate Boſſio, † quia hoc ſolùm probatur ex depoſitione teſtium, qui nullam reddunt cauſam ſcientiæ, & tamen, cùm hoc pendeat à iudicio intellectus, etiam non interrogati reddere tenebãtur. Innoc. *in cap. cùm cauſam, de teſt.* vbi Fel. *n.* 3. *verſ. fallit ſecund. dict. concl.* Bald. *conſ.* 288. *num.* 3. *loco* 2. Verall. *deciſ.* 35. *lib.* 1. *in manuſcript.* 3

Nec placuit, dum dicebatur, ipſos ſatis reddere cauſam ſcientiæ, ex quo deponunt de lite, & carceratione; quia hæc non concludunt, quòd poſſideret iure pignoris, licèt ſuper hoc fuiſſet controuerſia, & tantò magis, quia, vt deponunt teſtes nouiter examinati, Alpharabius poſſedit vſque ad obitũ; nec videtur veriſimile, quòd per ſpatium ferè 40. annorum poſſederit iure pignoris.

Et ceſſat difficultas, quia huiuſmodi teſtes cõuincuntur de mendacio; Alpharabius enim, vt conſtat ex locatione facta, quæ datur in ſummario num. 3. poſſidebat vſque de anno 1550. Abbas verò Boſſius, vt conſtat ex literis quas idemmet Alpharabio miſit, de quibus in ſummar. num. 8. cepit poſſeſſionem Abbatiæ, de anno 1553.

Nec facit, quòd locationes non probant poſſeſſionem, quia ſecùs eſt, concurrentibus adminiculis; quę multa concurrunt in hoc caſu, vt latè in diſcurſu dictum fuit. 4

Nec facit, quòd teſtes Abbatis deponunt, Marinum Settacium Abbatem, qui obiit ante annum 1550. vti Abbatem poſſediſſe hanc vineam, quia nullam reddunt cauſam ſcientiæ, quam etiã in hoc caſu tenebãtur reddere, cùm penderet à iudicio intellectus, ex quo Marinus fuit quoque canonicus.

Nec facit, quòd in lite canonicus ſuccubuerit, quia non propterea tollitur, quòd non potuerit medio tempore, vti canonicus poſſidere.

Sed ceſſat omnis difficultas, quia cùm poſt obitum Marini poſſederit Alpharabius, poſt cuius obitum vinea fuit occupata ab Abbate Herculano, † vltimum ſpolium eſt purgandum, *l. ſi quis ad ſe fundum, C. ad l. Iul. de vi pub.* Gabr. *conſ.* 189. *num.* 12. *& 16. vol.* 2. Rot. *deciſ.* 27. *de appell. in nou.* 5

Nec tandem releuant teſtes Abbatis, qui deponunt, vineam communiter fuiſſe reputatam Abbatiæ, & eſſe deſcriptam in Cataſtro, vti de bonis ipſius Abbatiæ, quia cùm canonicatus ſit in eademmet Eccleſia Abbatiæ, hæc non tollunt, quòd bona canonicatus poſſint ex communi vſu dici bona ipſiuſmet Abbatiæ, prout quotidiè videtur, & de hoc datur magnus fumus, ſtante fide producta, quòd bona deſcribantur nomine Eccleſiarum, in quibus ſita ſunt beneficia.

VRBEVETANA AFFIctus.

Veneris 19. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio falſitatis ſolutionis, & quietationis, poteſt opponi contra obligationem in forma Camerę, vel nullitatis, incontinenti probata.*

2 *Exceptiones extrinſecæ à contractu, & requirentes altiorem indaginem, non admittuntur ad impediendam obligationem Camerälem.*

DECISIO CLXII.

FVit per D.D. concluſum, Equiti Sauino dandum eſſe mandatum pro ſcutis 1050. & bol. 38. nam eius creditum aſcendit ad ſcuta ter millia ex quibus detractis ſcutis 1989. & bol. 62. quorum partem ſoluit Gabriel, & certa pars ei computatur propter damna paſſa, iuxta relationem peritorum, remanet dicta ſumma liquida, pro qua eſt relaxandum mandatum, ſtante obligatione in
1 forma Cameræ Gabrielis, † contra quam ſolùm opponi poteſt exceptio falſitatis ſolutionis, & quietationis. Caſſad. *deciſ. vnica, num. 2. de mut. petit.* Galleſ. *de oblig. Camerał. 4. p. q. 1.* Vel nullitatis, quæ tamen incontinenti probari poſſit, Galleſ. *D. loco num. 6.* Ant. de Canar. *de exequut. inſt. q. 11.* Et ita fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Blanchetto, in Auximana, grani, 20. Aprilis. 1592.

2 Non obſtant prætentiones Gabrielis, † quia non ſunt liquidæ; & cùm ſint extrinſecæ à contractu, & altiorem requirant indaginem, non impediunt, quominùs exequatur obligatio Cameralis. Caſſad. *dicta deciſ. vnica*; Et fuit reſolutum in Tiburtina Caſtri S. Pauli 17. Martij 1564. coram Corta.

Nec facit, quòd Gabriel depoſuerit magnam quantitatem frumenti, aſcendentem ad notabilem ſummam, quia Eques non prætendit depoſitum vltra ſummam prætenſam, ſed petit mandatum pro ſumma prædicta quod intendit exequi contra depoſitum, ſi extabit, ſin minùs contra Gabrielem, & eius bona.

PAMPILONENSIS IVriſpatronatus de Ianſi.

Ven. 19. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1 *In probando iurepatronatus ſufficiunt leuiores probationes, quando Epiſcopus non eſt in cauſa. Si verò eſt in cauſa, requiruntur exactæ probationes, n. 2.*

2 *Communitas nunquam moritur.*

3 *Concilium Tridentinum non reuocat conceſſiones iuriſpatronatus factas titulo oneroſo.*

DECISIO CLXIII.

DOmini reſoluerunt, ex deciſionibus factis coram Illuſtriſſimo Domino Cardinal. Mantica, conſtare de iurepatronatus ad fauorem Catherinæ de Tanaletta, Quod quidem iuſpatronatus fuit canonizatum per tres ſententias Rotales.

Nec releuat, quòd tunc temporis 1
Epiſcopus Pampilonenſis non erat in cauſa, & ideo ſufficiebant leuiores probationes, vt dicitur in deciſionibus Illuſtriſſimi Domini Manticæ, ſecùs autem nunc eſt, ex quo Epiſcopus eſt in cauſa.

Nam fuit reſponſum, quòd tunc 2
requiruntur exactæ probationes, quando Epiſcopus eſt in cauſa, ex quo ipſe agit pro libertate Eccleſiæ. Sed in præſenti caſu non eſt in cauſa, vt vindicet libertatem beneficij, quia ex ſuccumbentia Catherinæ, non reſultat libertas beneficij, ſed iuſpatronatus acquireretur Communi

munitati de Ianſi, cui fuit conceſſum, licèt cóceſſio non habuerit effectum, ex quo repertum eſt, beneficium eſſe de iureſpatronatus Catherinæ.

3 Et viſum fuit Dominis, Epiſcopum laborare contra propria commoda. Nam ſi iuſpatronatus non erit Catherinæ, erit Communitatis, quæ nunquam moritur; & ſic nunquã Eccleſia poſſet acquirere libertatem; cùm ſecùs dicendum ſit in Catherina, quia eius linea poteſt finire, & Eccleſia acquirere libertatem.

Nec placuit Dominis, quòd iuſpatronatus vniuerſitati conceſſum, fuerit reuocatum per decreta Con-
4 cilij, † quia cùm conceſſio fuerit facta titulo oneroſo, non comprehenditur ſub dictis decretis, vt fuit reſolutum in Valentina de Conſentayna. 3. Ianuarij 1581. coram R. P. D. meo Patriarcha Alexandrino.

PAMPILONENSIS PArochialis de Ianſi.

Lunæ 22. Martij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Lis probatur ex actis, clericatus ex literis patentibus, valor beneficij ex confeſſione partis ad poſitiones.*

2 *Qui fatetur, valorem beneficij non excedere 100. exempl. gr. multo magis fatetur, non excedere 120. & deciſ. 145.*

3 *Non poteſt quis contra ſuam confeſſionem venire. Poteſt tamen ſuam poſitionem reuocare, & ſtare reſponſioni partis, num. 4.*

4 *Requiſita propter quæ poteſt reuocari poſitio, vide remiſſiuè.*

DECISIO CLXIV.

FVit reſolutum, gratiam Ferdi-1
nandi eſſe iuſtificatam, quoàd litem, clericatum, & valorem. Nam quantùm ad litem, de ea ſatis conſtat ex inſpectione actorum. Clericatus verò probatur ex literis; & valor probatur ex confeſſione Domini Antonij, in reſponſione ad poſitiones, *l. cùm precum, C. de lib. cauſ.* Abb. *in c. fin. num. 15. verſ. idem in poſitionibus, de confeſſ.* Alex. *conſ. 118. nu. 7. lib. 2. & conſ. 92. in princ. lib. 2.* Felin. *in c. examinata, num. 2. de iud. cum ſimil.*

Non obſtat, quòd fuerit narratũ,2
valorem non excedere 120. duc. & poſitio fuit data, quòd excedit 110. & D. Antonius reſpondet ad poſitiones, negando id quod ponebatur; quia ſi Antonius negando confitetur non excedere 110. minus etiam excedit 120. vt pluriès fuit reſolutum, & nouiſſimè coram me in cauſa Nouarien. beneficij 19. Decembris præteriti.

Minùs obſtat, quòd Ferdinandus non poteſt vti confeſſione Antonij reſultante ex poſitione negata, †3
quia aliàs ponens detegeret turpitudinem ſuam, & contra ſuam aſſertionem veniret. Specul. *tit. de poſit. §. oct. uo loco, nu. 2. verſ. dic, quòd neuter contra alterum.* Archid. *in cap. 1. nu. 3. verſ. nunquid ergo ex poſitione negata,* Gemin. *num. 9.* Franc. *num. 14. verſ. 6. quæritur, de confeſſ. in 6.*

Nam fuit reſponſum, quòd Ferdi-4
nandus potuit reuocare ſuam poſitionem, & ſtare negationi partis. Bart. *in l. poſt legatum, num. 11. ff. de his quib. indign.* Felin. *in c. Capitulum ſanctæ Crucis, ſub num. 9. verſ. ſcilicèt dixit, de reſcript.*

An autem concurrant requiſita propter quæ poſitio poteſt reuocari

cari, de quibus per Alexandrum, *in addit. ad Bart. loco prædicto verſ. ſibi ſufficiet*, & per Gabr. *de reg. iur. c.* 1. erit particulariter videndum.

MONTIS FALISCI Beneficij.

Ven. 26. *Martij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria, quotieſcumque eſt releuans, conceditur.*

2 *Quadragenaria cum titulo, vel immemorialis requiritur ad probandum, collationem ſpectare ad inferiorem Epiſcopo.*

3 *Non datur remiſſoria ad probandum, per teſtes quod poteſt per ſcripturas probari.*

4 *Negatiua, quòd non adſit memoria in contrarium, non poteſt probari per ſcripturas.*

5 *Remiſſoria in beneficialibus non conceditur in prima, vel ſecunda inſtantia, niſi facta obligatione de ſtando vnicæ.*

6 *Item non conceditur abſque fumo.*

Decisio CLXV.

DOmini reſoluerunt, remiſſoriam in contumaciam partis decretam, & relaxatam, eſſe exe-
1 quendam. † Quotieſcumque enim eſt releuans, conceditur. Verall. *deciſ.* 68. *p.* 3. Caſſad. *deciſ.* 2. *de dilat.* Mohed. *deciſ.* 199. Releuantia autem ex eo apparet, quia cùm non agatur incidenter inter prouiſos ſuper pertinentia collationis, ſed principaliter Ordinario exiſtente in cauſa, †
2 ad probandum collationem ſpectare ad inferiorem, requiritur vel quadragenaria cum titulo, vel immemorialis. Ægid. *conſ.* 201. *num.* 5. *cum pluribus ſeqq. & ſub num.* 27. *verſ. & ſi quæras.* Aym. *conſ.* 134. *num.* 14. *cum ſeqq.* Et fuit latè deductum in Piſcien. ſeu nullius, iuriſdictionis de menſe Octobris 1584. quæ quidem immemorialis articulatur in caſu iſto, & ideo non poteſt dubitari, quin articuli ſint releuantes.

Non obſtat, quòd non datur re- 3
miſſoria ad probandum per teſtes id quod per ſcripturas probari poteſt. Ægid. *deciſ.* 384. Put. *deciſ.* 366. *num.* 7. *lib.* 2. † quia fuit reſponſum, quòd negatiua, quòd memoria in contrarium non adſit, † non eſt res 4
quæ per ſcripturas poſſit probari. Io. Andr. *in cap.* 1. *in fin. de præſcript. in* 6. Alex. *conſ.* 16. *num.* 17. *lib.* 5. Balb. *de præſcript.* 2. *p.* 3. *par. princ. quæſt.* 6. *num.* 25. Aym. *de antiq. temp. p.* 4. §. *materia iſta, nu.* 39. Gabr. *de præſcript. concl.* 1. *num.* 25. & Rota in dicta Piſcienſi.

Non obſtat, quòd remiſſoria in 5
beneficialibus non conceditur in prima, nec in ſecunda inſtantia, niſi facta obligatione de ſtando vnicæ ſententiæ, Io. Paul. *deciſ.* 177. Put. *deciſ.* 42. 54. *num.* 3. *lib.* 1. Capic. *deciſ.* 56. & 57. *p.* 3. Peregr. *deciſ.* 93. *lib.* 3. quia ceſſat obiectum, cùm obligatio fuerit facta, & de ea in actis conſtet.

Minùs etiam facit, quòd in be- 6
neficialibus non conceditur abſque fumo. Put. *deciſ.* 866. *lib.* 2. quia ex teſtibus ſatis conſtat de fumo, licèt duo ex eis deponant, collationem ſpectare ad Epiſcopum Caſtrenſem, tamen veniunt intelligendi, ſpectare ad Epiſcopum tanquam Abbatem, quia Abbatia eſt vnita dicto Epiſcopatui. Et hoc maximè fuit admiſſum, quia adeſt dictum actoris teſtis deponentis, collationem ſpectare ad Abbatem.

Et ita concluſum, remiſſoriam eſſe exequendam.

BONO

BONONIEN. FIDEICOM. de Mangiolis.

Ven. 26. *Martij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Stante prohibitione alienandi, cum facultate reuocandi, alienatio bonorum eſt nulla ab initio, impedit tranſlationem dominij, & repellit alienantem, tanquam indignum à reuocatione rei alienatæ.*

2 *Clauſula in fine poſita, refertur ad omnia præcedentia.*

3 *An bona alienata, prohibita tamen alienari, ſtante facultate reuocandi, poſſint reuocari ab illis qui poſteà nati, & concepti ſunt.*

4 *Bona alienata per prohibitum alienare, poſſunt reuocari à tertio poſſeſſore, etiam per remotiores deſcendentes, vel conſanguineos, etiamſi adſint proximiores, qui tamen non declarauerint, ſe velle agere.*

5 *Non poteſt quis dare de iure tertij, niſi ius tertij ſit excluſiuum ipſo iure, iuris agentis.*

Decisio CLXVI.

DVbitaui, an filij Comitis Melchioris poſſint agere ad recuperationem bonorum per Faſaninũ detentorum. Et Domini affirmatiuè reſponderunt; quia cùm in teſtamento Comitis Melchioris ſenioris, cuius fideicommiſſo ea eſſe ſuppoſita iam firmatum eſt, adſit expreſſa prohibitio alienandi, & detur facultas cuilibet ex vocatis recupe-
1 randi, † hæc prohibitio reddit alienationem nullam ab initio, impedit tranſlationem dominij, & repellit alienantem tanquam indignum à reuocatione rei alienatæ, *l. filiusfam. §. diui.* vbi Bart. *num.* 6. Caſtren. *nu.* 7. Iaſ. *in prima lectura, num.* 66. Rip. *nu.* 47. Crot. *num.* 32. *de leg.* 1. Ruin. *conſ.* 33. *num.* 13. *lib.* 5. Tiraq. *de leg. connub. gloſ.* 7. *num.* 57. *gloſ.* 2. *in l. cum pater, §. libertis,* vbi Caſtren. *num.* 4. *de leg.* 2. Et tenuit Rota coram bo. me. Epiſcopo Lauretano, in Romana Palatij 8. Martij 1577.

Nec eſt verum; quòd huiuſmodi prohibitio ſit facta reſpectu certorum bonorum particularium; quia refertur ad omnia bona, & poſteà ampliatiuè ad certa bona particularia, ibi, *ſpecialiter, præſertim, & præcipuè.* Et in fine prohibitionis datur à teſtatore ſupradicta recuperandi facultas, † quæ tanquam in fine poſi- 2
ta refertur ad omnia, *l.* 1. vbi DD. & poſt alios Iaſ. *num.* 3. *& ſeq. C. de liber. præt.* Bart. *in l.* 3. *§. filius, num.* 7. *ff. de lib. & poſth.* Et fuit reſolutum in cauſa Placentina euictionis, 16. Ianuarij 1589. coram Reuerendiſſimo D. meo Decano, & aliàs ſæpiùs.

Non obſtat, quòd huiuſmodi bo- 3
na obuenerint in portione Comitis Alexandri fratris Comitis Melchioris, & ideo eorum recuperatio ſpectet ad filios ipſiuſmet Alexandri, etiam quòd ſint nati, & concepti poſt purificationem dictæ conditionis. Ruin. poſt alios, quos alleg. *conſ.* 22. *num.* 9. *verſ. ſed iſtis, & aliis, lib.* 2.

Nam omiſſo, quòd non conſtat concludenter de huiuſmodi diuiſione, & quòd Ruinus mouetur ex coniecturata mente teſtatoris, aliàs firmans regulam in contrarium, ſcilicèt, quòd illum qui vult admitti ad recuperationem, neceſſe eſt eſſe natum, vel conceptum de tempore purificatæ conditionis, cuius opinionis fuit auctor Lãbert. de Ramponibus, quem poſteà ſequuti fuerunt Io. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de teſtam. in rubr. col.* 3. *in verſ. item*

Lambertinus de Ramponibus, Caſtren. *conſ.* 16. *nu.* 5. *lib.* 2. Alex. *conſ.* 13. *nu.* 4. *lib.* 4. idem Ruin. *conſ.* 109. *nu.* 17. *lib.* 2. *cum aliis* per Alben. *conſ.* 105. *num.* 5. & 11. quo etiam latiſſimè cumulat. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 1. *gloſ.* 9. *nu.* 82. & *ſeqq.* dixerunt DD. non eſſe opus ingredi hanc quæſtionem, quam dicit Moder. Patau. eſſe multùm cõtrouerſam, & ratione, & auctoritate oſtendit *in ſuo tract. de fideicom. art.* 22. *num.* 73. *per tot.* quia de ea eſſet agendum inter ipſos filios Alexandri, & Melchioris. † Sed cùm hodie agatur contra tertium detentorem, ſufficit, quòd teſtator voluerit, per quemlibet ex vocatis bona alienata poſſe recuperari; quo caſu admittuntur etiam remotiores. Bald. *in rubr. C. qui accuſ. non poſſ. in fin.* Dec. *conſ.* 619. *num.* 2. Decia. *reſp.* 2. *num.* 2. & *reſp.* 3. *num.* 1. *lib.* 2. 4

Nec facit, quòd adſint filij Alexandri proximiores, quia dato etiã, quòd poſſent agere, tamen Faſaninus non poteſt dare de iſto iure tertij, *l. loci corpus*, §. *competit. ff. ſi ſeruit. vendic.* & *l.* 2. *cum gloſſ. ff. ſi ager vectig. cum aliis*. Et quamuis regula non procedat, quando ius tertij eſt excluſiuũ ipſo iure iuris agentis. Bart. *in d.* §. *competit*, & *in l.* 2. *ff. de except. rei iud.* Alex. *conſ.* 13. *num.* 23. *lib.* 2. tamen ceſſat hæc limitatio; quia iſtud ius tertij non eſt excluſiuum iuris agentis, cùm non conſtet, filios Alexandri velle agere, & tamen requireretur declaratio.

ESINA FIDEICOMmiſſi.

Lunæ 29. *Martij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Prætendens, bona fuiſſe fideicommittentis, probare debet, illa bona fideicommittentem poſſediſſe de tempore obitus, & num.* 3.

2 *Fideicommiſſario competit remediũ*, l. fin. C. de edict. D. Adria. toll. *contra tertios poſſeſſores habentes cauſam ab hærede grauato etiam mediatè, & num.* 4.

DECISIO CLXVII.

DOmini reſoluerunt, ſequentia bona fuiſſe in bonis quondam Berti fideicõmittentis, ſcilicèt, fundum aratiuum, & arboratum poſitũ in contrata Collis, qui poſſidetur hodie à Fælice Loro, nec non alium ſimilem fundum ſyluatum quoque poſitum in contrata S. Blaſij, exceptis tamen tribus cuppis emptis per Ioannem Baptiſtam; & ſimiliter alium poſitum in contrata Sancti Stephani, qui poſſidetur à Menardo Ioan. Vincentij, & deinde alium fundum ſimilem poſitum in dicta contrata Collis, iuxta bona Alexandri Francioni, poſſeſſum per ipſummet Alexandrum. † Et hæc proba- 1
tio reſultat ex teſtibus in cauſa examinatis, qui benè probant, poſſeſſionem Berti de tempore obitus, & quòd hodie bona poſſidentur per ſupradictos. Innoc. *in cap. cùm olim* 2. *num.* 4. *in fin. de priuil.* Bald. *in l. data opera, num.* 34. *verſ. item nota quòd quando teſtes, C. de his qui accuſ. non poſſ.* Doct. *in l. ſtipulatio iſta*, §. *hæc quoque*, vbi Bart. *num.* 1. *ff. de verb. oblig.* Alex. *conſ.* 51. *num.* 6. *lib.* 1.

Nec facit, quòd Confraternitas 2
agat contra tertios poſſeſſores, quia vbi habent cauſam ab hærede grauato, datur fideicommiſſario remedium *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen.* non obſtante alienatione grauati, *gloſ. fin. in l. pia*, vbi Bart. & alij, *C. ad Trebel.* Gabr. *conſ.* 44. *num.* 6. *lib.* 2. Et tenuit Rota in cauſa Montis Faliſci fideicommiſſi 12. Maij 1603. coram Reuerendiſſimo D. Decano, vbi aliæ deci

decisiones allegantur. † Et ad hunc effectum sufficit probatio possessionis fideicommittentis de tempore mortis, absque alia probatione dominij. Cephal. *cons.* 986. *num.* 35. Rimin. iun. *cons.* 190. *num.* 35. Gabr. *d. cons.* 44. *num.* 30. Peregr. *de fideic. art.* 44. *num.* 6. & 16. *art.* 48. *num.* 55. Et aliàs fuit resolutum in causa Bononien. fideicómissi de Sancto Petro, 4. Maij 1588. coram Illustrissimo Cardinali Plato. Et meis temporibus in Viterbien. fideicommissi 8. Martij 1602. coram R. P. D. Litta, & in dicta Montisfalisci coram
4 R.P.D.meo Decano.† In qua etiam in fortioribus terminis fuit resolutum, prædicta habere locum contra illum qui habet causam ab hærede grauato mediatè, non immediatè.

Alia visa sunt Dominis extra dubium, de quibus suo tempore erit agendum.

VITERBIEN. Fideicom.

Lunæ 5. Aprilis 1604.

SVMMARIVM.

1 *Aditio hæreditatis probatur ex solutionibus debitorum, & ex actibus iudicialibus, & extraiudicialibus.*

2 *Mater tutrix potest sola nomine pupilli infantis hæreditatem adire.*

DECISIO CLXVIII.

1 VIsum fuit Dominis, constare de aditione hæreditatis Pacifici per Alexādrum & fratres, eius filios, tam ex solutione debitorum ipsius Pacifici, *l.* 2. *C. de iur. delib.* Socin. *cons.* 45. *num.* 5. *lib.* 4. Paris. *cons.* 16. *num.* 41. *lib.* 2. Ias. *in l. pro hærede, §. Papinianus, in* 5. *not. ff. de acq. hæred.* quàm ex pluribus actibus iudicialibus, & extraiudicialibus, qui non possunt fieri citra ius, & nomen hæredis, *l. gerit, vbi Doct. ff. de acquir. hæred.* Alex. *cons.* 32. *num.* 1. *lib.* 3.

Non obstat, quòd aliqui ex istis filiis erant minores, aliqui verò maiores; quia maiores interuenerunt in pluribus ex dictis actibus. Pro minoribus verò interuenit mater,† 2 quæ potuit tanquam tutrix sola adire hæreditatem nomine pupilli infantis, *l. si infantis* §. 1. *C. de iur. delib.* glos. fin. *in l. potuit, eod. tit.* Et ad hoc sufficit, quòd tutor nomine infantis gerat se pro hærede, Bald. *in d. l. potuit num.* 20.

An autem competat restitutio in integrum minoribus, & quatenùs sic, an etiam suffragetur maioribus, Domini reseruarunt particulariter videndum.

AGRIGENTINA S. Angeli.

Ven. 30. *Aprilis* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Auditor Cameræ in beneficialibus nullam habet iurisdictionem.*

2 *Causa dicitur beneficialis, quæ est super titulo beneficij.*

3 *AC. est exequutor literarum Apostolicarum, etiam si datus sit certus exequutor, cumulatiuè tamen, num.* 5.

4 *Citatio ad dicendum contra commissionem est necessaria, alias omnia sunt nulla.*

6 *Vna constitutio derogat alteri, quoad expressa.*

7 *Citatio non est necessaria ad dicendum contra commissionem, quando vtraque pars illa vtitur. Item quãdo commissio est excitatoria iurisdictionis.*

8 *Procurator generalis alicuius Ordinis non habet facultatem comparendi pro monaſterio particulari. Quod non procedit in procuratore generali Ordinis Prædicatorum,& Carmelitarum,& num.9.*

10 *Sententia eſt nulla, ſtante proteſtatione, neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato, ſi mandatum non producatur.*

11 *A dicta proteſtatione videtur receſſum, quotieſcumque in aliis actibus non repetitur, & ideo mandatum poteſt quandocumque produci.*

Decisio CLXIX.

COntra ſententiam A C. duæ opponebantur nullitates, iuriſdictionis ſcilicèt,& mandati,quæ non placuerunt Dominis. Et quan-
1 tùm attinet ad primam, † licèt Auditor Cameræ in beneficialibus non habeat iuriſdictionem. Achil. *deciſ.* 28. *de appell.* Et fuit reſolutum in cauſa Caſertana beneficij, 5. Maij 1595.coram Illuſtriſſimo Blanchetto,& in alia Oritana parochialis 12. Decembris 1597. coram bo.me. Peregrino, & in alia Gerunden.beneficij 13. Octobris anno Iubilei coră R.P.D. meo Penia; Tamen cauſa
2 non erat beneficialis, † cùm non ageretur ſuper titulo beneficij, ſed ſuper validitate vnionis. Achil.*deciſ.* 4.*num.* 4.*& deciſ.*5.*num.*6. *de penſ.* Put.*deciſ.*496.*nu.*2.*lib.*2. Verall.*deciſ.* 99. *p.* 1. Et fuit latè deductum coram me in cauſa Terdonen. Præpoſituræ 3.Febr.& 26. Octobris 1601.
3 Sed vtcúmque ſit, † AC. eſt exequutor literarum Apoſtolicarum,& ideo potuit procedere ad exequutionem Breuis, tam vigore ſuarum facultatum, quàm commiſſionis in actis præſentatæ, quia illi committitur cauſa ſuper exequutione literarum Apoſtolicarũ in forma Breuis, firma remanente cauſa iuriſpatronatus in Rota.

Nec eſt verum, quòd AC. non potuit procedere ad exequutionem literarum Apoſtolicarum cùm eſſet datus certus exequutor in literis; nec minùs vigore cõmiſſionis, cùm alia pars non fuiſſet citata ad dicendum contra commiſſionem. † Quæ 4
quidem citatio eſt neceſſaria ad firmandam iuriſdictionem, alioquin omnia geſta ſunt nulla. Caſſad.*deciſ.* 7.*in fin.de reſt. ſpol.*& fuit pluriès reſolutum.

Nam fuit reſponſum, quòd licèt 5
in facultatibus antiquis AC. prohibeatur ne procedat ad exequutionem literarum Apoſtolicarum,quãdo eſt datus certus exequutor, tamen poſteà nouis facultatibus tam fælic.rec.Gregorij 14.quàm S.D.N. Clementis 8. datur facultas, quando eſt datus certus exequutor,accumulatiuè cum illo exequendi.

Nec facit, quòd in fine dictarum facultatum Gregorij, & S.D.N. dicatur, quòd non intelligant derogare conſtitutionibus antiquis Pij IV. & Pij V. † quia hæc verba non 6
intelliguntur, niſi quoàd expreſſa. Iaſ.*in l.doli clauſula,* 119. *num.*2.*ff.de verb.oblig.*

Vigore etiam commiſſionis AC. 7
potuit procedere; nam cùm vtraque pars fuiſſet vſa commiſſione præſentata, & ſic propterea fuiſſet effecta de actis, non erat neceſſaria alia citatio ad dicẽdum contra cõmiſſionem.quia cõmiſſio non eratſpecialis tribuẽs iuriſdictionem,ſed excitatoria iuriſdictionis, vt fuit reſolutum in cauſa Romana Caſtri Feliciani, 12.Martij 1557.corã bo.me. de Rubeis,quæ eſt *ſub nu.*212.*in manuſcript. diuerſ.*

Quantùm attinet ad aliam nullitatem ex defectu mandati, minùs etiam

etiam placuit, quia in actis conſtat de mandato Mutij, qui fuit ſubſtitutus.

8 Nec facit, quòd Mutius fuerit ſubſtitutus à procuratore generali, qui non habet facultatem comparendi pro monaſterio particulari. Faſtol. *dub.* 23. Felin. *in c. eam te, num.* 14. *& in cap. cùm dilecta, num.* 6. *ante verſ. amplia primò, de reſcript.* Dec. *conſ.* 61. *num.* 3. Et tenuit Rota corã me in cauſa Montis Regalis iuriſdictionis.

9 Nam fuit reſponſum, quòd Bonifacius 9. conceſſit priuilegium Ordini Prædicatorum, quòd vigore communicationis, extenditur etiam ad Carmelitas, quòd procurator generalis poſſit comparere pro quocumque monaſterio particulari, & cauſas per ſe, vel per alium tractare. Et ſic tollitur huiuſmodi obiectum.

10 Non obſtat, quòd in actis non conſtat de mandato procuratoris generalis, & tamen fuit proteſtatum, neminẽ audiri, niſi docto de legitimo mandato, & ideo ſententia eſt nulla. Rot. *deciſ.* 1. *de procurat. in antiq.* Aym. *conſ.* 108. *num.* 1. quia fuit proteſtatum, non audiri Mutium, niſi docto de legitimo mandato, qui dixit, iam ſuum mandatum produxiſſe, & pars poſteà nullam aliam fecit proteſtationem, immò citauit Mutium tanquam procuratorem.

11 Vnde ceſſat omnis difficultas, †quia proteſtatio non fuit repetita in quolibet actu, & ideo cenſendum eſt, ab ea fuiſſe receſſum. Mohed. *deciſ.* 2. *de iud.* Et fuit reſolutum in cauſa Romana nullitatis ſubhaſtationis 15. Nouembris 1577. coram Braun, & aliàs ſæpiùs; ideò poteſt quandocumque mandatum produci. Rot. *deciſ.* 19. *de procurat. in antiq.* Quam ſeruari teſtatur Rot. *deciſ.* 383. *num.* 8. *lib.* 2. Aym. *d. conſ.* 108. *num.* 1.

An autem AC. exceſſerit in pronunciando, reſeruarunt DD. Particulariter videndum.

PAMPILONENSIS
Parochialis de Ianſi.

Ven. 30. *Aprilis* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Ponens poteſt reuocare poſitionem, & vti reſponſione facta à parte ad illam.*

2 *Requiſita ad hoc vt ponens poſſit reuocare poſitionem, & numer.* 3. *&* 8.

3 *Res incontinenti fieri intelligitur, ſi fiat re integra.*

4 *Correctio poſitionum fieri non poteſt poſtquàm ſcriptum eſt à notario, ſecùs reuocatio totalis.*

6 *Poſitiones datæ per procuratorem poſſunt quandocumque reuocari per principalem, etiam non docto de errore, ſecùs ſi principalis fuit præſens in iudicio, nu.* 7.

8 *Confeſſio facta ad poſitiones præiudicat cõfitenti reſpectu perſonæ tantum quæ interrogauit, & probat ſemiplenè.*

9 *Semiplena probatio ſufficit ad iuſtificandum valorem beneficij.*

10 *Confeſſio extraiudicialis de æquitate Canonica plenè probat.*

Decisio CLXX.

FVerat reſolutum, Ferdinandum 1
poſſe reuocare confeſſionem factam in poſitione, & vti confeſſione Antonij in reſponſione ad dictã poſitionem, per Doctrinam Bartoli, *in l. poſt legatum, num.* 15. *ff. de his quibus vt indig.* gloſ. magna, *in c. fin. in fin. de iureiur.* Fuit tamen reſeruatum videre, an poſſint concurrere

2 in dicta reuocatione requisita, † de quibus per Alexan. ibi, *in addit.* Ant. Gabr. *de reg. iur. conc.* 1. Et Domini affirmatiuè resoluerunt.

3 Quòd enim reuocatio fiat incontinenti, hoc ita intelligitur, si sit facta re integra. Franc. *in c. fin. nu. 6. vers. tu dic, de iureiur.* in 6. Rom. *in l. 1. §. si quis simpliciter, nu. 13. in princ. ff. de verb. oblig.* Gabr. *de reg. iur. d. concl. 1. nu. 24.* Quo casu iidem Doctores tenent, quòd possit reuocari, etiam non docto de errore, & præsertim Franch. benè declarat. Et hoc est quod sentit Bart. *in d. l. post legatum*, dum dicit, quòd reuocare volens, dicat, se errasse.

4 Nec resistit Ias. *in l. error, num. 9. vers. & diceretur C. de iur. & fact. ignor.* vbi dicit, quòd reuocatio non dicitur incõtinenti facta, postquàm fuit scriptum à notario; quia Ias. non loquitur in his terminis, sed in correctione positionum; hìc autem versamur in totali reuocatione, quę potuit fieri, vt per glos. & Bart. alleg.

5 Alia verò duo requisita, scilicèt, quòd reuocare volens, commodum minimè consequatur ex reuocatione, & quòd teneatur probare errorem, non placuerunt Dominis; quia sic destrueretur doctrina Bart. qui vult, quòd ad effectum, vt quis possit vti negatione, alleget errorem, quem tunc dicebant DD. esse probandum, cùm re non integra quis vellet reuocare confessionem, vt per Franc. & Rom. *in locis præcitatis.* Et hoc sentit ipsemet Alex. *in d. addit. ad Bart.* dum vult, debere concurrere aliud requisitum, scilicèt, quòd acceptatio fiat ante probationem confessionis.

6 Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, scilicèt, quòd positiones fuerũt datæ per procuratorem, & ideo quandocumque possunt per principalem reuocari, etiam non docto de errore. Felin. *in c. 1. nu. 16. vt lit. non contest.* Caputaqu. *decis.* 198. *p. 1.*

Nec facit, quòd principalis erat 7
in Curia, quia ad hoc vt confessio procuratoris præiudicet, necesse est, quòd principalis sit præsens in iudicio, & intelligatur, *l. 1. iuncta glos. in verb. præsen. C. de error. aduoc.*

Nec est verum, quòd si reuocare- 8
tur positio, confessio non obesset Antonio respectu Ferdinandi, cùm confessio præiudicet tantùm confitenti, respectu personæ, quæ interrogauit, *l. fin. ff. de interrog. act.* Abb. *in c. quamuis, num. 4. de re iud.* quia negari non potest, quin hæc confessio faciat semiplenam probationem. Bart. *in l. admonendi, num. 48. ff. de iureiur.* vbi Ias. *num. 188.* qui dicit, opinionem Bart. communem. Afflict. *decis. 375. num. 3. vers. tamen communis opinio*, vbi pariter dicitur, communem opinionem esse cum Bart. † Et 9
hæc quidem probatio semiplena sufficit, cùm agatur de probando valore ad effectum iustificationis. Verall. *decis. 277. p. 1.* Et denique cessat omnis difficultas, quia huiusmodi cõfessio in omnem euentum erit extraiudicialis, † quæ de æquitate 10
canonica plenè probat. Felin. *in c. si cautio, num. 27. de fid. instr.* cum aliis latè cumulatis per Gabr. *de confess. concl. 1. num. 46.* Put. *decis. 11. num. 3. lib. 2.* Et fuit dictum in causa Hispalen. iuris votandi, 16. Martij 1575. coram Cantuccio, in quibus locis habetur, hanc sententiam semper fuisse solitam seruare Rotam. Quare minimè dubitari potest, seruandam esse in hoc casu, cùm agatur in foro Ecclesiastico, & inter personas Ecclesiasticas, & de re Ecclesiastica.

COL

COLLENSIS PENsionis.

Merc. 5. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio Rotæ, siue iusta, siue iniusta, timenda est.*
2 *Attentatis potest quis cedere in aliis.*

DECISIO CLXXI.

1 DOmini non dubitarunt, quin constaret de attentatis, & pars D. Nerei non repugnabat, quia decretum iudicis fuit factum post inhibitionem Rotalem, quæ siue iusta, siue iniusta, est timenda. Achil. *decis. 29. de appell.* Lancell. *de attent. post inhibitionem, ampliat. 11.* Sed quia
2 non constabat, decretum fuisse exequutioni mãdatum, ideò Dom. mãdarunt, vt D. Nereus cederet in actis dictis attentatis, quod sufficit, iux. *cons.* Alex. *27. nu. 6. vers. & est verum, quod illud lib. 1.*

NOVARIENSIS Beneficij.

Ven. 7. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Prior in data est præferendus posteriori.*
2 *Regula de triennali requirit titulum coloratum, & possessionẽ triennalem pacificam.*
3 *Possessio triennalis interrumpitur per solam citationem; item per litem super possessione beneficij, nu. 5. & per controuersias extraiudiciales, & de facto, num. 6.*
4 *Lis super possessione beneficij non facit beneficium litigiosum.*

DECISIO CLXXII.

FVit resolutum, parte etiã agnoscente bonam fidem, gratiam Octauij Ranzij esse præferendam, cùm sit anterior in data, *c. quia sæpè, de præben. in 6. c. duobus, & cap. tibi, qui* glos. fin. *in c. susceptum, de rescript. in 6. cap. qui prior, de reg. iur. eod. lib. c. eam te,* vbi Felin. *vers. tempus datæ, de rescript.* 1

Nec Tentono suffragatur regula de triennali; quia illa requirit titulum coloratum, & possessionem triennalem pacificam. Sarnen. *in reg. de trienn. q. 26. & 53.* Cassad. *decis. 7. super regul. cum vulg.* Quæ quidem possessio triennalis pacifica non interuenit, † nam Tentonus fuit citatus infra biennium, & sic non fuit pacificus possessor. 2 3

Non obstat, quòd lis esset super possessione beneficij, quæ non facit beneficium litigiosum; quia hæc procedunt ad alios effectus, † secùs autem ad effectum impediendi cursum regulæ de triennali, † quia ad illius interruptionem sufficiunt cõtrouersiæ etiam extraiudiciales, & de facto. Cassad. *decis. 6. num. 7. super regul. add. ad decis. 3. de præben. in nou.* Sarnen. *super regul. de trienn. q. 83. in fin.* Ant. Aug. *decis. 333. lib. 2.* vbi quòd sufficit lis mota in partibus coram iudicibus laicis, & de lite in Concilio regio fuit resolutum coram bo. me. Orano in Pampilonensis beneficij sancti Petri. 10. Febr. 1591. 4 5 6

FIRMANA RESTITVtionis Dotis.

Veneris 7. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Testis habens notam manum scribentis, potest recognoscere scripturas.*

2 *De*

2 *De iure communi teſtis recognoſcēs ſcripturam neceſſe eſt, vt illam viderit ſcribi.*

3 *Limita de ſtylo Rotæ in recognitione ſcripturæ, quæ teſtibus non egeat, vel aliàs ſit adminiculata, tunc enim ſufficiunt teſtes habentes notam manum.*

4 *Teſtes nulliter examinati faciunt adminiculum.*

DECISIO CLXXIII.

DOmini reſoluerunt, apocham confeſſionis dotis factam à Ioanne Franciſco Mariotto fuiſſe
1 bene recognitam per teſtes,† qui habent notam manum, ex quo vide-
2 runt aliàs D. Franciſcum ſcribere.† Nam quamuis de iure communi requiratur, quòd teſtes viderint ſcribere ſcripturam de qua quæritur, & fuerint præſentes, *§. ſi quis igitur, in auth. de inſtrum. caut. & fid. collat. 6.* Alex. *conſ. 76. num. 4. lib. 3.* Afflict. *deciſ.* 181. *num.* 8. cum aliis latè deductis in cauſa Romana hæreditatis de Mazzochis, 9. Martij 1580. coram
3 bo.me. Lauretano,† tamen de ſtylo, quando verſamur in ſcriptura quæ teſtibus non egeat, vel aliàs ſit adminiculata, ſufficiunt teſtes qui habent notam manum, vt in dicta cauſa Romana, coram Lauretano, vbi aliæ deciſiones allegantur.

In præſenti verò caſu plura concurrunt adminicula, nempe confeſſio Mariotti, vigore monitorialiū, & depoſitiones teſtium, qui licèt dicantur nulliter examinati,† nega-
4 ri tamen non poteſt, quin faciant adminiculum. Verall. *deciſ.* 206. *p.* 2. Et fuit pluriès reſolutum.

Non obſtat, quòd apocha fuit ſubſcripta tantummodò à Sebaſtiano, qui illam ſcripſit, & à Io. Franciſco, & non ab aliis qui enunciantur in apocha; quia ex hoc non tollitur fides apochæ, nec quòd illa fuerit ſcripta à dicto Sebaſtiano, & ſubſcripta à Ioanne Franciſco.

Quid autem releuet huiuſmodi confeſſio Ioānis Franciſci, erit particulariter videndum.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Veneris 7. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus probatur ex deſcriptione facta in libro antiquiſſimo, tanquam de iure patronatus alicuius.*

2 *Item probatur ex teſtibus de publica voce & fama, cum poſſeſſione quadragenaria præſentandi.*

3 *Præſentatio de beneficio per reſignationem facta, idem operatur ac ſi eſſet facta de vacanti per obitū, quoad effectum quaſi poſſeſſionis præſentandi.*

4 *Prouiſio Apoſtolica non mutat ſtatum beneficij.*

5 *Ad probandum ius patronatus ex ſolis præſentationibus, requiruntur præſentationes ſpatio 100. annorum effectum ſortitæ.*

DECISIO CLXXIV.

VIſum fuit, conſtare de iure patronatus familiæ de Antelminellis. Primò, ex deſcriptione facta 1
ante annos 600. in libro nuncupato Martyrologium Eccleſiæ Lucanæ, ad trad. per Bald. *in conſ.* 310. *lib.* 5. Dec. *conſ.* 135. *num.* 2. Rip. *in cap. cum Eccleſia Sutrina, num.* 97. *de cauſ. poſſ. & propriet.* Feret. *conſ.* 293. *num.* 9. *lib.* 2.

Secundò ex teſtibus deponenti- 2
bus de publica voce, & fama 1. ſcilicèt & 4. quæ in antiquis cum poſſeſſione quadragenaria præſentandi,

randii probat iuſpatronatus. Caſſad. *deciſ. 2. num. 4. cum ſeqq. de probat.* dicēs, Rotam tenere opinionem Bald. *in l. cùm ſuper C. de rei vendic.* Achil. *deciſ. 6. de iurep.* Put. *deciſ. 60. in fin. lib.* 1. Et fuit dictum in cauſa Barchinonenſi vniouis, 5. Decembris 1597. coram bo.me. Giptio.

Hîc autem cum præſuppoſito quòd hæc prima preſentatio habuerit effectum, interuenit huiuſmodi quaſi poſſeſſio quadragenaria. Nam de anno 1499. fuit præſentatus Io. Nicolaus Thomes.

3 Et quamuis huiuſmodi quaſi poſſeſſio ſit de beneficio vacante per reſignationem, tamen dubitari non poteſt, quin ſuffragetur, ac ſi eſſet præſentatio de vacante per obitum, vt reprobata opinione Dec. *in conſ. 149. nu. 4.* tenet Rot. Mohed. *deciſ. 10. de iurepatr. num. 3. & 4.* Abb. *in c. 1. de relig. dom.*

Et adeſt alia præſentatio de anno 1577. in perſonam Benedicti Leonardi, quæ habuit effectum, cùm per eius obitum fuerit prouiſus de anno 1583. Ioannes de Ciortis vltimo loco defunctus.

Et mouit etiam Dominos, quòd medio tēpore vſque ad annum 1577. adſunt duæ prouiſiones Apoſtolicę, in quibus derogatur iuripatronatus; & adeſt quoque alia præſentatio, & inſtantia de anno 1525. licèt non doceatur, effectum ſortitam fuiſſe. Quæ omnia dant magnum fumum continuationis præſentationum.

Nec prouiſiones Apoſtolicæ eli-4 dunt intētionem patronorum; quia clarum eſt, illas non mutare ſtatum beneficij. Ægid. *deciſ. 107.* Achill. *deciſ. 13. incip. ſtatus beneficij, de iurepatr.*

5 Non obſtat, quòd requiruntur præſentationes effectum ſortitæ ſpatio 100. annorum, prout declarauit Congregatio Concilij, & tenuit Rota in dicta cauſa Barchinonenſi; quia hæc procederent, ſi ex ſolis præſentationibus iuſpatronatus probari deberet, ſed in præſenti caſu adeſt deſcriptio in libro, item fama cum quadragenaria quaſi poſſeſſione præſentandi, quæ ſufficiunt per ſupradicta.

An autem iuſpatronatus ſpectet ad D. Lucretiam, erit particulariter videndum.

ROMANA SANCTI Thomæ.

Lunæ 10. Maij 1604.

SVMMARIVM.

An requiratur citatio in exequutione, quando poſt rem iudicatam non variatur perſona, nec res.

DECISIO CLXXV.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ex rationibus aliàs deductis. Aliqui tamen ex eis inclinabāt, quòd particulariter videretur de veritate illius quæſtionis, an quando poſt rem iudicatam non variatur res, nec perſona, requiratur in exequutione citatio, de qua per Gabr. qui refert DD. *de cit. concl. 1. nu. 131.* De qua veritate ſi opus erit, conſultis DD. poterit particulariter videri.

NARNIEN. CONfinium.

Lunæ 10. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Omiſſio interrogatoriorum non vitiat examen.*

2 *Productio interrogatoriorū in actis,*

& proteſtatio requiritur ad hoc, vt examen factum ſine interrogatoriis ſit nullum.

3 *Parte non reclamante, poteſt iudex teſtes examinare cum interrogatoriis partis. Et ſine interrogatoriis partis, ipſo tamen interrogante.*

DECISIO CLXXVI.

1 DOmini reſoluerunt, teſtes fuiſſe validè examinatos, quia omiſſio interrogatoriorum non vitiat examen. Specul. *in tit. de teſte, §. iam de interrogatoriis, num. 21. verſ. item cautè.* Alex. *conſ. 172. num. 9. lib. 2.* Ruin. *conſ. 35. num. 4. lib. 4.* Gabr. *conſ. 118. num. 69. lib. 2.* Put. *deciſ. 427. lib. 1.*

Non obſtat, quòd interrogatoria per partem fuerunt data, quia non fuerunt producta in actis, & aliqua proteſtatio nõ reperitur facta, quòd
2 aliàs examen eſſet nullum, † quæ requiruntur ad inualidandum examen. Barbat. *conſ. 3. num. 24. & 25. lib. 3.* Accorombon. *deciſ. 49. lib. 1.* Et fuit dictum in cauſa Parmen. ſtatus, 11. Ianuarij 1602. coram R.P.D. meo Millino.

Nec facit, quòd hodie reperiantur in actis, quia cùm non eſſent eo tempore regiſtrata, non erant de actis, Sarnen. *in reg. de annal. quæſt. 4. nu. 5.* Cott. *deciſ. 91.*

3 Nec facit, quòd primus teſtis fuit examinatus cum interrogatoriis, quia ſufficit, quòd iudex reſpuerit interrogatoria, & perfecerit examen ipſe interrogando, abſque eo quòd pars reclamaſſet, quòd in actis conſtaret de productione interrogatoriorum, per ſupradicta.

Non obſtat, quòd teſtes poſſunt repeti. Specul. Alex. & alij, quia hoc non tollit, quòd ſint validè examinati.

CELSONEN. PRÆCEPTORIÆ.

Ven. 14. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Poſt exequutionem factam, non eſt ampliùs locus arbitrio ad retardandam exequutionem, quod tamen fallit, ſi iudex nulliter, & iniuſtè proceſſerit. num. 2. Et quando dicatur ad hunc effectum valdè grauaſſe, num. 3.*

DECISIO CLXXVII.

QVamuis poſt excquutionem 1
factam non ſit ampliùs locus arbitrio ad retardandum exequutionem Breuis, vt in cauſa Aquilana Beneficij 28. Maij coram R.P.D. meo Lancelloto, & in alia Treden. parochialis, 3. Decembris 1601. coram R.P.D. Sacrato, † tamen ſi iudex 2
nulliter, vel iniuſtè proceſſit, eſt locus arbitrio ad retardandum vlteriorem exequutionem Breuis, vt nouiſſimè fuit reſolutum in cauſa Tarraconen. parochialis, 4. Febr. hoc anno, coram R.P.D. Litta. In præſenti verò caſu Domini cenſuerunt, iudicem iniuſtè proceſſiſſe, & ideo ſuperſedendum in vlteriori exequutione. Breue enim fuit datum cum clauſula, *conſtito, quòd Præceptoria vacaret per obitum Franciſci, & quòd Franciſcus in poſſeſſione obierit, & quòd Præceptoria dignitas cenuentualis eſſet.* † Quæ omnia requirunt cauſæ co- 3
gnitionem. Innoc. *in c. fin. in fin.* & ibi Bald. *num. 11. verſ. de illa clauſula, & ſub nu. 19.* Card. *ad fin. de præſump.* Lap. *alleg. 60. num. 2. verſ. ſecus ſi fuiſſet, & num. ſeq. & alleg. 15. num. 7.* Ægid. *deciſ. 68.* Et fuit latè deductum in cauſa Tiraſonen. Capellaniæ, 7. Maij 1601. coram Reuerendiſſimo

dissimo D.meo Decano. Et ideo cùm iudex noluerit admittere oppositiones Honufrij contra falsitates, & rasuram literarum, nec non iura, & articulos ad probandum, quòd præceptoria non erat dignitas conuentualis, multùm grauauit, vt fuit dictum in causa Gerunden. beneficij. 31. Maij 1600. coram Reuerendissimo D. Episcopo Pacen.

Nec facit, quòd hæc requirant altiorem indaginem; quia satis est, quòd Honufrius deberet admitti ad opponendum, ad effectum vt dicatur iudex grauasse, ita vt sit supersedendum in vlteriori exequutione.

NEAPOLITANA S. Iacobi de Chiaia.

Lunæ 17. *Maij* 1604.

SVMMARIVM.

Vnica collatione effectum sortita acquiritur vltimus status beneficij.

Decisio CLXXVIII.

DOmini perstiterunt in resolutis, scilicèt, vltimum statum fuisse ad fauorem Ordinarij. Omissis enim prouisionibus factis de anno 1575. quia vtraque est in lite, & neutra potest firmare statum, adest collatio facta per Ordinarium, de anno 1542. quæ sufficit pro vltimo statu. Calder. *cons.* 23. *de præben.* Oldrad. *cons.* 112. *num.* 3. cum aliis pluribus latè deductis in hac causa, coram R.P.D. meo Litta, 16. Decembris, 1602.

Nec releuat, quòd ad acquirendum vltimum statum, requiritur effectuatio; quia de ea satis constat, tam ex visitatione Episcopi, quam ex confessione ipsiusmet hospitalis, in prouisione facta de anno 1574. siue 1575. in qua dicitur, quòd iste Prioratus fuit detentus per Clericos successores, sine sua dispensatione, & propterea nō potest negari, quin vltimus status sit ad fauorem Ordinarij.

MONTIS REGALIS Iurisdictionis.

Lunæ 14. *Maij* 1604.

Epitome.

Episcopus qui habet facultatem minuendi, & addendi, &c. non potest in totum tollere, & alterare, nec statum prædecessorum à Pontifice cōfirmatum potest immutare.

SVMMARIVM.

1 *Verbum* debeat *importat necessitatem.*
2 *Quilibet debet se conformare moribus Ecclesiæ in qua conuersatur.*
3 *Monachi iuxta ritum, & morem suæ regulæ debent officia diuina celebrare.*
4 *Archiepiscopus non potest immutare statutum à Papa confirmatum, & nu.* 8. *&* 9.
5 *Qui habet facultatem addendi & minuendi, &c. non potest in totum tollere, vel alterare, & nu.* 7.
6 *Diminutio eiusdem est iuris, cuius est augmentum.*

Decisio CLXXIX.

FVit per Dominos vnanimiter resolutum, clericos sæculares teneri interesse diuinis officiis, & Monachis se conformare, per verba Bullæ Pauli Tertij, ibi, *quodque clerici & presbiteri seculares cum superpelliceis in inferioribus stallis dextri &*

Vide Decc. 52

ſiniſtri Chori ſedere, ac omnibus, & ſingulis diuinis officiis vnà cum dictis Priore, Decano, & monachis intereſſe, & cum eiſdem ſe conformare debeant. Et ideo omninò teneantur intereſſe, & ſe conformare monachis. † Verbum enim *debeant*, importat neceſſitatem, *l.1. §. 1. ff. quod quiſque iur.* Bart. *in repet. l.3. num.3. C. de pignor.* Et eſt propria ſignificatio huius verbi. Bar. *vbi ſuprà*, gloſ. *in Clemen. attendentes, in verbo, debeant, de ſtat. monach.* Et quoàd conformationem, non modò monachi habent verba Bullæ, verùm etiam diſpoſitionem iuris communis, vt per Vitalini, *in Clem. fin. num.52. & 53. de celebrat. miſſ.* & bene facit tex. *in cap. fin. prope fin. in verſ. præcipimus*, ibi, *opportunè obſequia in monaſteriis fideliter impendentes*, & ibi gloſ. *vlt. de ſtat. monach.* Et hæc ſententia fulcitur ex regula generali, quòd quilibet debet ſe conformare moribus Eccleſiæ in qua conuerſatur, *c. illa, verſ. ſic etiam tu, 12. diſt. c. recolentes, verſ. cæterùm domus*, & ibi gloſ. *in verò. coaptent, de ſtat. monach.* Card. *in d. Clem. fin. num.1. verſ.4. not.* Vital. *num.82.* Alber. de Ferrar. *in tract. de horis can. num.36.*

Et huiuſmodi conformatio eſt, vt diuina officia celebrentur ſecundùm regulam B.P. Benedicti. Habẽr enim monachi pro ſe tam diſpoſitionem Bullæ Pauli tertij, vbi *in §. deniq. quod Prioris* expreſsè hoc præcipitur, quàm etiam diſpoſitionem iuris communis. † Nam cùm Eccleſia Montis Regalis ſit Cathedralis regularis, monachi iuxta ritum & morem ſuæ regulæ debent officiare; ad tex. *in c. de iis, §. Abbatibus, & c. fin. ibi neq. monachorum conſtitutiones, 12. diſt.* Archid. *in d. c. de iis, num. 1.* Ægid. *in princ.* Card. *de Turrecrem. num.1.* Vital. *in d. Clem. fin. in princ. de celebr. miſſ.* Tabien. *in verb. horæ canonicæ, num.11.* Et ſunt etiam in hac poſſeſſione, pro qua eis per DD. fuit conceſſa manutentio.

Nec eſt verùm, quòd D. Archiepiſcopus poſſit immutare huiuſmodi ſtatutum. Licèt enim *in d. c. de iis* dicatur, quòd debent celebrare ſecundùm ritum ſuæ regulæ iuxta voluntatem ſui Epiſcopi, tamen verba illa, *iuxta voluntatem ſui Epiſcopi*, intelliguntur, quia Epiſcopus hoc etiam velle debet. Nam quòd formam huius rei dare debeat, vel ſecundùm voluntatem requiſitam, & ſi non habitam. Archid. *ibidem, nu. 5. verſ. ſecundùm voluntatem*, de Turrecrem. *num.2. verſ. hic eſt caſus.*

Nec minùs verba Bullæ poſſunt ad hunc effectum ſuffragari D. Archiepiſcopo, in qua datur facultas pro tempore Archiepiſcopis, minuendi & addendi, quia per talem facultatem non poteſt in totum tollere, & alterare. † Additio enim nõ importat mutationem præcedentis ſtatus, ſed potiùs continuationem, ad tex. *in l. ſi proprietate, ff. de iur. dot. l. etiam C. eod. tit.* cum aliis per Decian. *reſp.11. num.23. lib.1.* Imò ſecundùm præcedentem ſtatum regulatur, *d. l. etiam*, vbi Doct. *l. inter ſocerum, §. cùm inter, de pact. dotal.* Socin. ſen. *conſ.296. num.5. in princ. lib.2.* † Et idem dicendum eſt de diminutione, quæ eiuſdem iuris eſt cuius augmentum, ad tex. *in l. ſcribit, ff. ad Trebell.* † Et conceſſa facultate minuendi, non cenſetur conceſſa facultas in totum tollendi, quæ difficiliùs conceditur, *l. iuriſgentium*, §. *adeo. ff. de pact. lib.2. C. de prec. Imp. offeren.* Fulgoſ. *conſ.210. in fin.*

Eóque magis procedunt prædicta, quia cùm monachi habeant diſpoſitionem iuris pro ſe, non poteſt D. Archiepiſcopus in contrariũ

diſpo

diſponere Felin. *in cap. ſuper his, nu. 4. in prima fallen. & nu. 11. dixit etiam mirabiliter, de maior. & obed.*

9 Non obſtat, quòd prædicta ſint diſpoſita particulari ſtatuto Archiepiſcoporum, quod non ligat ſucceſſores; quia ſumus in ſtatuto cõfirmato à ſede Apoſtolica, & inſerto in Bulla, vnde non eſt ampliùs ſtatutum Epiſcopale, ſed Papale, quod ligat etiam ſucceſſores, vt fuit reſolutum in cauſa Vicen. iuriſdictionis, 28. Maij 1601. corã R.P.D. meo Sacrato, & in omnem euentum remanet diſpoſitio iuris cõmunis pro monachis.

Non intelligunt tamen DD. propterea impedire quo minùs Vicarius poſſit facere officium in diebus Reſurrectionis, Natiuitatis, & aliis ſolemnitatibus, de quibus in eadem Bulla, *in §. quòd nullus.*

FELTREN. PRÆbendæ.

Veneris 28. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Omnia beneficia præſumuntur collatiua, & 3.*

2 *Teſtes duo in omni negocio ſufficiunt.*

3 *In antiquis admittuntur teſtes de auditu.*

4 *Ex eo quòd quis obtinet, & poſſidet beneficium incompatibile, infertur, aliud prius beneficium incompatibile renunciaſſe.*

5 *Poſſeſſio iurefamiliaritatis tũc præſumitur, quando alius titulus excogitari non poteſt.*

6 *Enunciatiua æquiuoca non probat, & nu. 8.*

7 *Veniens contra præſumptiones iuris, debet vti fortioribus probationibus.*

8 *Ad nominationem beneficij principalis, venit nominatio beneficij ſubiecti.*

DECISIO CLXXX.

DOmini reſoluerunt, beneficiũ S. Marguaritæ eſſe ſeparatum, & liberum à Canonicatu. † Nam, 1
vltra quòd habet præſumptionem iuris pro ſe, quia omnia beneficia præſumuntur collatiua, vt fuit reſolutum in cauſa Parmen. Prioratus, 14. Aprilis 1600. coram R.P.D. meo Pegna, & in cauſa Teruſina S. Theoniſti 27. Nouembris. 1602. coram R. P. D. meo Ludouiſio, concurrunt etiam dicta nouem teſtium deponentium, hoc beneficium eſſe ſolitum conferri clerico ſæculari, in titulum perpetui beneficij, & quòd eius rector curã exercebat. Qui teſtes beneprobant, cùm ſint plures. † & duo ſufficerent, *c. in* 2
omni negotio, & c. licèt 1. de teſt. l. vbi numerus, ff. eod. tit. Et tantò magis probant, cùm eorum depoſitio ſit conformis diſpoſitioni iuris communis, quia, vt dictum eſt, beneficia præſumuntur collatiua. Aret. *conſ. 44. in fin.* Gabr. *de teſt. concl. 4. num. 23. verſ. 6. infertur.* Et ideo etiam ex iſta cauſa, & quia ſunt plures, debent præponi teſtibus in cõtrarium examinatis.

Non obſtat, quòd iſti teſtes deponant de iis quæ ſunt iuris, nempe beneficium eſſe collatiuum, abſque eo quòd reddant ſufficientem rationem, quia deponunt, eſſe ſolitum conferri, quod eſt quid facti, & reddunt bonam rationem, quia ſunt vicini oriundi, & de auditu à maioribus. † Et in antiquis admittuntur 3
teſtes de auditu. Dec. *conſ. 321. ſub num. 7. verſ. vnde primò.*

Minùs obſtat, quòd aliqui dicũt, Pindellum & Peregrinum qui poſ-

ſederunt, fuiſſe canonicos, quia non ideò ſequitur, quòd poſſederint hãc Eccleſiam ſanctæ Margaritæ tanquam canonici.

Et quòd plus eſt, tertiùs teſtis ſuper ſecundo & quartus ſuper tertio dicunt, aliquando Eccleſiam fuiſſe poſſeſſam à non canonicis. Et hoc etiam colligitur ex dictis aliorum teſtium, & Pindellus, vt dicunt iidẽ teſtes tertius, ſextus, & octauus ſuper vndecimũ, & quartus ad tertiũ poſt publicationẽ Sacroſancti Concilij Tridentini, dicebat, non poſſe retinere vtrumque beneficium, ſcilicèt Eccleſiam ſanctæ Margaritæ, & canonicatum, & ideo domũ quærebat, vbi habitare poſſet.

Peregrinus verò vltimus poſſeſſor, qui fuit canonicus, poſt reſignationem canonicatus retinuit vſque ad obitum Eccleſiam ſanctæ Margaritæ, vt dicti teſtes deponunt. Nec poteſt dubitari, quin reſignatio dicti canonicatus habuerit effectum,
4 † cùm ipſe poſteà obtinuerit alium canonicatum, & poſſeſſionem fuerit aſſequutus, ad conſ. Oldrad. 229. pluriès canonizatum.

Non obſtat, quòd reſignatio fuit facta ad fauorem fratris, & ideo Peregrinus potuit remanere in poſſeſſione iure familiaritatis; quia hæc procederent, ſi doceretur, de reſignatione huius beneficij ſanctæ Margaritæ. Cephal. *conſ.* 4. *num.* 37. *& ſeqq.* Et ideo illa poſſeſſio cenſetur
5 potiùs iure proprio. † Poſſeſſio enim iure familiaritatis tunc præſumitur, quando alius titulus excogitari non poteſt. Socin. ſen. *conſ.* 131. *num.* 4. *lib.* 1. *& conſ.* 13. *num.* 17. *lib.* 4. Cur. iun. *conſ.* 168. *num.* 33. *&* 34. cum aliis per Menoch. *de arbitr. iud. caſ.* 160. *numer.* 20.

6 Non obſtant enunciatiuæ antiquæ de anno 1480. quia earum vna eſt æquiuoca, & turbida; nam denũciatio non probat concludenter, quòd iſta Eccleſia eſſet membrum canonicatus, quia potuit eſſe, quòd de eo tẽpore canonicus etiam eſſet beneficiatus, & ſic poſſideret ex alio titulo, quàm ex canonicatu.

Nec obſtat, quòd inſtrumentum optionis de dicto anno 1480. multùm ſeruiat pro tollenda iſta æquiuocatione, maximè concurrentibus actibus de anno 1570. & 1571. vt benè conſideratur in deciſione; quia hæc fortaſsè procederent ſi nihil doceretur in cõtrarium. Vltrà quòd, Cordubius, † qui venit contra præ- 7
ſumptionem iuris, grauatur fortioribus probationibus, gloſ. & DD. *in l. tranſactione, C. de tranſact.* Abb. *in c. qui in veriſimile, in* 2. *not. de præſumpt.* cum aliis per Surd. *conſ.* 60. *num.* 22. Eóque magis, cùm iſta præſumptio iuris habeat etiam probationes pro ſe, vt ſuprà oſtenſum fuit.

Non obſtant iura de nouo producta, ex quibus apparet, quòd in libris taxæ annotatur, præbenda S. Margaritæ; quia non inde ſequitur, quòd Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Lugano ſit vnita huic præbendæ; tum quia hæc denunciatio poteſt verificari in aliis Eccleſiis, cũ plures ſint ſub hac inuocatione in diœceſi Feltren. tum etiã quia ab origine hæc præbenda potuit hoc modo denominari. † Et ideo hæc 8
probatio tanquam dubia non releuat, *cap. in præſentia, de probat. cum vulg.*

Non obſtat, quòd in libris taxæ non eſt annotata huiuſmodi Eccleſia S. Margaritæ de Lugano; quia ſufficit, quòd ſit annotata Eccleſia de Ledico, quæ vt deponunt teſtes, eſt matrix huius Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ. Nam ad nominationem 9

beneſi

beneficij principalis venit nominatio beneficij ſubiecti. Rot. *deciſ. 46. de reſcript. in antiq.*

ROMANA LIBERAtionis à fideiuſſione.

Lunæ 31. Maij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Qui diu ſtetit in obligatione, debet liberari. Quando autem dicatur diu ſtetiſſe relinquitur arbitrio iudicis.*

2 *Hæres cenſetur vna, & eadem perſona cum defuncto, & illius perſonam repræſentat in iure creato, & formato tempore obitus actiuè & paſſiuè.*

DECISIO CLXXXI.

1 SEntentiam Rotalem quæ condemnat Suinarios ad liberādum hæredes bo.me. Vincentij Vecchiarelli à fideiuſſione, viſum fuit Dominis, eſſe confirmandam; cùm diu ſteterint in obligatione, nempe vltra 12. annos. Et hoc tempus relinquatur arbitrio iudicis. gloſ. *in l. Laicus, in verb. condemnetur, ff. mand.* Aret. *in §. ſi quid autem, num. 3. inſtit. de fideiuſſ.* Afflict. *deciſ. 240. ante numer. 4.*

2 Non obſtat, quòd D. Vincentius ſtetit in obligatione, & non eius hæredes, quia hæredes cenſentur vna, & eadem perſona cum defuncto, §. 1. *auth. de iureiur. à moriente præſtito, col. 5.* & repræſentant perſonam defuncti in iure creato, & formato actiuè & paſſiuè tempore mortis in perſona illius, quale erat iſtud ius agendi, ex quo diù ſteterat in obligatione: licèt ſecus ſit in non formato, ex eo quòd nunquam penes defunctum fuit, Aret. *conſ. 123. num. 4.* Cagnol. *in l. hæredem 59. num. 17. ff. de reg. iur.* Rol. *conſ. 50. num. 8. lib. 2. & conſ. 6. num. 15. lib. 3.*

Et ita fuit reſolutum in cõtumaciam alterius partis comparere negligentis.

ARETINA SPOLII

Mercurij 9. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Subſtantia depoſitionis teſtis conſiſtit in iuramento.*

2 *Stylus reſpiciens deciſoria, debet concludenter probari.*

3 *Stylus contrarius introduci non poteſt à iudicibus ſine conſuetudine.*

4 *Teſtis qui à notario aſſeritur enunciatiuè, & non diſpoſitiuè iuratus, non probat, & nu. 5.*

6 *Teſtis examinatus coram notario ſine mandato iudicis, non probat.*

7 *Examen vtriuſque partis perperàm factum circa ea quæ reſpiciunt ordinationem iudicij, poteſt ſuſtineri, dummòdo non ſit contra ius.*

DECISIO CLXXXII.

DOmini receſſerunt à reſolutis, & dixerunt, examen fuiſſe nullum; quia deficit citatio ad videndum iurare teſtes, quæ omnino requiritur, cùm ſubſtantia depoſitionis teſtis conſiſtat in iuramento, *l. iuris-jurandi C. de teſt.* Quare ſi pars non citetur, vel aliàs ſit præſens, depoſitio nihil valet, *c. 2.* & ibi Abb. *ſub num. 6. & ſeq. de teſt. l. ſi quando,* vbi Bald. *num. 5. C. eod.* Lanfranc. *in tract. de teſt. num. 8. verſ. quæro 6.* Caputaq. *deciſ. 274. num. 7. & deciſ. 285. part. 3.* Achill. *deciſ. 1. de teſt.* Rot. *deciſ. 15. eod. tit. & deciſ. 1. de fid. inſtr. num. 3. & 4. in nou.* 1

Non

Non obſtat, quòd ex ſtylo illarũ partium, pars citatur ſolùm ad videndum induci, & produci capitula, & non ad videndum iurare teſtes,
2 † quia huiuſmodi ſtylus eſt contra ius, *d.l.iuriſiurandi*, & reſpicit deciſoria, & non ordinatoria. Deciſio enim cauſæ, & victoria pendet ex probatione. Dec. *in c.2. num.103. de probat.* Alex. *conſ.16.nu.7.lib.5.* Ruin. *conſ.69.num.7.lib.4.* latè Aſin. *in prax. §.19.num.3.* Quare cùm iſte ſtylus ſit contra ius, & reſpiciat deciſoria, debet concludenter probari, nec ſufficit extraiudicialis informatio ex fide aduocatorum illarum partium. Bart. *in l. de quibus, num.22. ff. de leg.* Socin. ſen. *conſ.36. num.11. circa medium, lib.4.* Dec *conſ.402. num.12.* Oſaſch. *deciſ.22.num.3.* Cæſ. de Graſſ.
3 *deciſ.7. num.1. de probat.* † Et cùm iſte ſtylus contra ius non potuit introduci à iudicibus de partibus, ad ius reddendum. Alex. *conſ.36. nu.10. lib.2.* Aym. *de antiq. temp. par.4. in princ. num.36. verſ. ideò magiſtratus*, cum allegatis in cauſa Rauenatenſi Caſalis 1. Iunij 1584. vbi ſubditur, quòd non ſufficit ſtylus, ſed requiritur conſuetudo. Et ſic probari debent tot, & tales actus, vt deuenerint ad notitiam populi, vel maioris partis. Alex. *d. conſ.36. num.11.* Aym *d.nu.36.circa medium, verſ.2.intellige.*

4 Placuit etiam Dominis alia nullitas, ſcilicèt, quòd notarius enunciatiuè dicit, *teſtis iuratus, &c.* & non diſpoſitiuè, *tactis ſcripturis, &c.* Quo caſu Rota non ſolet adhibere fidem teſtibus. Verall. *deciſ.123. & 246.p.2.* & Dec. 295. vbi dicit, quòd ita ſeruat Rota, *p.3. in impreſſ. & 111. lib. 11. in manuſcript.* in qua etiam dicit, ita Rotam ſeruare.

5 Nec obſtat, quòd hoc non reſpicit deciſionem, ſed ordinationem iudicis, nec eſt contra ius, vt per Verall. *deciſ.207. lib.1. in manuſcript.* Et ideo ſufficit fides extraiudicialis. Bart. & alij ſuperiùs allegati, quia nihilominùs non ſufficit fides data ad hunc effectum. Non enim ſatis eſt dicere, ita fuiſſe ſeruatum, niſi etiam dicatur, fuiſſe oppoſitum de nullitate & ipſa oppoſitione non obſtãte fuiſſe iudicatum pro validitate, vt per Verall. *deciſ. prædicta 211. lib.1. in manuſcript.*

Adeſt & tertia nullitas, quia te- 6
ſtes fuerunt examinati coram notario, & non coram iudice; nec conſtat de deputatione notarij, gloſ. vlt. *in l. iubemus, C. de lib. cauſ.* gloſ. antepenult. *in l. hac conſultiſſima, § pen.* vbi Bald. *num.1. C. de teſtam.* idem Bald. *conſ.481. col. fin. num.3. lib.4.* Crot. *in tract. de teſt. num.257.*

Non obſtat, quòd iſte modus, 7
quoàd omnia prædicta fuerit ſeruatus ab vtraque parte; & ideo intrat deciſio in cauſa Aleximana tutelæ, 16. Febr. 1582. coram Domino de Rubeis. Quia dixerunt Domini, quòd huiuſmodi deciſio in omnem euentum non erit intelligenda, quoàd ea quæ ſunt contra ius.

COLLEN. PENſionis.

Mercurij 9. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Sententia à qua intra decendium non appellatur, tranſit in iudicatũ, & num.3.*

2 *Intimatio ſententiæ non requiritur, quando pars eſt præſens, & tempus appellationis incipit currere ſtatim à tempore ſententiæ.*

4 *Iudex poteſt præfigere terminum ad proſequendam appellationem.*

5 *Alle*

5 *Allegans impedimenta, debet illa probare, ad hoc vt excuſetur.*

6 *Cedula ſententiæ debet eſſe in actis, antequàm pronuncietur, aliàs ſententia eſt nulla.*

7 *Notario non creditur, cùm agitur de condemnando iudicem.*

8 *Rota non exequitur ſententias aliorum tribunalium, niſi docto de iuſtitia.*

9 *Beneficium quod vacat ex alterius aſſequutione, non poteſt reſignari.*

10 *Beneficium ſemel vacans ex perſona vnius, non poteſt ampliùs ex eadem perſona vacare ſine nouo titulo.*

11 *Penſio reſeruata ex falſa cauſa, eſt nulla.*

12 *Subrogatio gratioſa litiganti conceditur, ne detur nouus collitigans.*

Decisio CLXXXIII.

DVbitaui, an conſtaret de re iudicata, vt eſſet locus exequutioni. Et Domini affirmatiuè reſpó-
1 derunt, † quia Leander nó interpoſuit appellationem infra decẽdium, *c. quòd ad conſultationem, de ſent. & re iud. lib. 1. C. ſi ſæpius in integr. reſt.* Rot. *deciſ. 5. de ſent. excom. in nou.* Aym. *conſ.* 103. *num.* 1. Gail. *pract. obſer. lib. 1. obſer.* 139. *nu.* 2.

Non obſtat, quòd partes ſint in confeſſo, quòd in illis partibus tempus ad appellandum incipiat curre-
2 re à die intimationis ſententiæ, † quia cùm ſententia fuerit lata partibus præſentibus, talis intimatio non requirebatur; & tempus incipit currere ſtatim à tempore ſententiæ, *l. 1. §. vlt.* & Bar. *ff. quando appell. ſit c. biduum, §. ſi aduersùs 2. q. 6.* Rot. *deciſ. 22. de appell. in nou.* Afflict. *deciſ.* 344. cum aliis latè congeſtis per Tiraq. *de retract. lignag. §. 35. gloſ. 4. num.* 10.

Et inſuper intimatio fuit facta die 16. Ianuarij 1603. & appellatio interpoſita die 21. quæ fuit admiſſa cum præfixione duorum menſium ad proſequendum cauſam appellationis, & faciendum iudici fidem de proſequutione. † Quare cùm infra 3
hoc tempus non fuerit doctum de appellationis proſequutione, ſententia tranſitum fecit in iudicatum. Rot. *deciſ. 85. de appellat. in antiq.* Et fuit reſolutum in cauſa Venetiarum legitimitatis de Maurocenis, 13. Ianuarij 1603. coram Reuerendiſſimo D. Pamphilio Decano, & in alia Abulen. Capellaniæ 17. Decembris 1599. coram Reuerendiſſimo D. Seraphino Patriarcha Alexandrino, qui ambo fuerunt hoc manè à S. D. N. Clement. VIII. S. R. E. Cardinales creati. † Et hanc quidẽ 4
præfixionem termini potuit iudex decernere, tam ex conſtitutione cõciliari partium illarum, quàm etiam ex diſpoſitione iuris, *c. perſonas, c. cùm ſit Romana, & c. reprehẽſibilis, de appell.* Rot. *deciſ. 25. de appell. in nou.* Modern. *de attent. app. pend. cap. 12 limit. 13. num. 1. & 3. & limit. 14. num. 1. & 8.*

Nec facit, quòd in omnem euentum dictus Leander venit excuſandus, ſi intra tempus præfixum non docuit de tali proſequutione, ſtantibus impedimentis ſibi præſtitis à D. Nereo, Adden. *add. deciſ. 25. in fin. verſ. quod intelligo verum, de appell. in nou.* Lancell. *de atten. d. limit. 14. num. 6.* Et fuit dictum in allegata cauſa Abulen. Capellaniæ coram Cardinali Seraphino, † quia hæc im- 5
pedimenta ſolùm allegantur, non autem probantur, & cùm ſint quid facti; probari debent iuribus vulgaribus.

Nec obſtat, quòd cedula non 6
fuit data in actis eadem die 16.

Ianuarij 1600. qua fuit pronunciatum, prout in cedula, & ideo ſententia fuit nulla, vt fuit reſolutum in cauſa Fauentina ſucceſſionis. 12. Nouembris 1601. coram Reuerendiſſimo D.Pacen.quia neque de hoc conſtat,niſi per atteſtationem notarij poſteà factam,† cui non creditur, 7 cùm agatur de condemnando iudicem. Caſtren. *in l. Seia, num.2.ff.ad Velleian.* Iaſ.*in l iuſiurandum, §.procuratorem, num. 26. ff. de iureiur. cum aliis.*

8 Non obſtat,quòd Rota non exequitur ſententias aliorum Tribunalium, niſi docto de iuſtitia. Put. *deciſ.*401.*lib.*1. Chiſaren.*deciſ.*179.& eſt vulgatum; quia ſatis apparet de iuſtitia, cùm iudex cõdemnet Leandrum ad reſtituẽdas penſiones,quas D.Nereus indebitè ſoluerat,*tot.tit.ff. de condict.indeb.* Penſio enim nõ fuit validè reſeruata; quia Leander poſt aſſequutionem Eccleſiæ S. Agnetis non poterat reſignare Eccleſiam 9 ſanct. Fidelis, † quæ vacabat per alterius aſſequutionem, *c. de multa*, & ibi Abb.*num.*16. Anchar.*nu.*3.& alij communiter, *de præben.& in extrauag. Ioan.*22. *incip.execrabilis, eod. tit. Clemen. gratiæ*, & ibi Vital. *num.*43. *de reſcript.*Et fuit pluriès reſolutum.

10 † Data enim ſemel vacatione ex perſona vnius, non poteſt iterum ex eadem perſona beneficium vacare,niſi nouus titulus ſuperueniat. Felin.*in c.*21.*num.*23.*de reſcript.* Rot. 11 *conſ.* 342. *num.* 1. † Et ideo penſio ex hoc capite reſeruata,tanquam ex falſa cauſa,fuit nulla. Caputaq.*deciſ.* 298.*nu.*2.*p.*2. Gig. *de penſ.q.*22.*nu.*8. *& 9.& q.*5.*nu.*5.

Non obſtat, quòd Dominus Nereus ſit ſubrogatus in ius reſignata- 12 rij, † quia huiuſmodi ſubrogatio conceditur ne detur nouus collitigans, & eſt conditionalis, ſcilicèt ad ius quod habet, vel, ſi quod habet. Rebuf.*in prax.tit.de ſubrog. nu.* 44. Vnde cùm non conſtet de iure reſignatarij, hæc conditio nihil ponit in eſſe, Rebuf. *loco præcit.* Achil. *deciſ 9.nu.*3.*& 4.de pen.* Put.*deciſ.*197. *nu.*17. *& ſeqq.lib.*1.

BONONIENSIS FIDEICOMMISSI de Mangiolis.

Lunæ 14. *Iunij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio defuncti nocet hæredi, & habenti cauſam ab ipſo mediatè, vel immediatè.*

2 *Duo confinia probant identitatem.*

DECISIO CLXXXIV.

PRoſequendo diſputationem iam cœptam, dubitaui, an poſſeſſio S.Nicolai de Villula, molendinum ſancti Martini, & poſſeſſio de Baſabo, eſſent de bonis ſubiectis fideicommiſſo Comitis Melchioris ſenioris.Et Domini affirmatiuè reſoluerũt; nam hæc omnia bona enunciantur in teſtamento ipſiuſmet fideicommittentis, de quo in ſummario, *num.* 1. *&* 5. Et quoàd duo vltima corpora concurrit etiam laudum latum per fælic. re. Gregorium 13. tunc Cardinalem. † Quæ 1 aſſertiones, & maximè illa teſtatoris, ſicuti probant contra hæredes, ita quoque contra habentes cauſam ab ipſis non ſolum immediatè, verùm etiam mediatè; ex deductis in cauſa Montisfaliſci fideicommiſſi 12. Maij 1603. coram Illuſtriſſimo D. Cardinale Pamphilio,

Quantum attinet ad identitatẽ, de ea quoque conſtat, licèt non ſit agendum de molendino; quia poſſidetur ab ipſismet fideicõmiſſariis, nam

nam in inuentario dantur pro confinibus possessiones de Villula, via publica, & flumen. Quæ duo confinia concurrunt etiam in assignatione facta Fasantino,† & sufficiùt, 2
vt pluriès fuit firmatum in hac causa. Non obstat, quòd fuit derogatum fideicommisso respectu huius possessionis, quia de hac derogatione hodie non agitur, & si opus erit, de ea particulariter agetur, sed satis est firmare, quòd bona sint supposita fideicommisso.

Identitas possessionis de Basabo probatur. Concurrunt enim denominatio, & aliqua confinia, de quibus in instrumento assignationis factæ Comiti Herculi, de qua in summario, *num.* 9. cum denominatione, & aliquibus confinibus, de quibus in venditione, *num.* 12.

NEBIEN. RECTORIÆ.

Mercurij 17. *Iunij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Possessio instrumentalis, alio non existente in possessione, est manutenibilis, & præsumitur continuata vsque ad tempus litis motæ, numer.* 2.

2 *Sententia non secuuta exequutione non priuat possessione.*

DECISIO CLXXXV.

PRo informante scilicèt Mannono dandum esse mandatum de manutenendo. De eius enim possessione constat per instrumentum, *l.* 1 *prædia*, & ibi DD. *ff. de acq. poss.*† Quæ possessio instrumentalis, non docto de possessione alterius, est manutenibilis. Caputaq. *decis.* 334. *nu.* 6. *p.* 2. Et fuit resolutum in causa Hipporigien. Capellaniæ, vltima Aprilis 1574. coram Illustrissimo Domino Cardinali Blanchetto, & in alia Piscien. seu Nullius Capellaniæ 21. Februarij 1578. coram sanctissimo Domino nostro.† Et hæc quidem 2
possessio ad effectum manutentionis præsumitur continuata vsque ad tempus litis motæ. Aretin. *in* §. *retinen. num.* 2. *instit. de interd.* Cyn. *in l.* 1. *num.* 16. *circa med. vers. sed qualiter, C. vti possid.* Afflict. *decis.* 394. *num.* 2. cum aliis pluribus allegatis in causa Romana Palatij 10. Octobris 1578. coram bo. me Lauretano.

Non obstat, quòd fuerit lata sententia criminalis contra Mannonũ; † quia sententia, non facta exequu- 3
tione non priuat. Adden. ad Rot. *decis.* 3. *num.* 6. *de rest. spoliat. in nou.* Vltra quòd illa sententia fuit suspensa per appellationem, & ideo non impedit, quominùs Mannonus sit manutenendus. Butr. *in c. cùm dilectus, in fin. de caus. poss. & propr.* Menoch. *de retin. poss. remed.* 3. *num.* 849. *& seq.* Et fuit pluriès resolutum, eóque magis prædicta procedunt in hoc casu, quia Mannonus obtinuit reuocationem illius sententiæ.

PARMEN. PENSIONIS.

Lunæ 21. *Iunij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Confessio procuratoris potest reuocari à principali, etiam non docto de errore.*

2 *Posteriora prioribus derogant.*

DECISIO CLXXXVI.

DOmini recesserunt à resolutis, & dixerunt, Brunorum non esse manutenendum in exactione pensionis scut. 180. quia de possessione non constabat nisi per confessionem procuratoris in responsione

ad poſitiones, quæ poſteà fuit reuo-
1 cata,† quod potuit fieri, non docto de errore. Felin. *in c.1. num.16. vt lit. non conteſt.* Caputaq. *deciſ.198. p.1.* Put. *deciſ.16.lib.3.* Et fuit reſolutum in cauſa Aſten. feudi 16. Aprilis 1584. coram bo.me. Bubalo, & aliàs ſæpiùs.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum, quòd Brunorus facto ſuo cecidit à poſſeſſione, Lata enim ſententia ſuper reductione, licèt priùs recuſauerit recipere penſionem, & proteſtatus fuerit cum clau-
2 ſula, *Saluo iure recipiendi reſiduum*, † tamen poſteà liberè, & abſque alia proteſtatione quietauit, quare ſibi præiudicauit, *§. poſteriore, inſtit. quib. mod. teſtam. infirm. l. pacta nouiſſima, C. de pact.*

Ex quibus cõcluſum, Brunorum eſſe manutenendum ſolùm in exactione pẽſionis ſcutorum 112. iuxta tenorem ſententiæ reductionis; quã ſummam ipſe recepit, ſine tamen præiudicio agendi in petitorio ad totam ſummam.

PACEN. DECIMARVM del Hebrero.

Lunæ 21. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Solus parochus habet intentionem fundatam in decimis prædialibus, & Epiſcopus quando eſt parochus vniuerſalis.*

2 *Extenſio non fit de loco ad locum, vel de perſona ad perſonam.*

3 *Capitulum quando recipit fomentum ab Epiſcopo, habet intentionem fundatam in decimis.*

DECISIO CLXXXVII.

DVbitaui; an Capitulum Pacen. haberet intentionem fundatã percipiendi medietatem decimarũ in locis in quibus Epiſcopus percepit, in caſu, & ad effectum de quo agitur, qui eſt, vt Capitulum poſſit percipere in loco del' Hebrero. Et Domini negatiuè reſoluerũt,† quia 1
cùm agatur de decimis prædialibus, ſolus Parochus habet intentionem fundatam, *c. fin. de paroch. c. cùm ſint, de decim.* vel Epiſcopus, vbi nulli ſunt parochi, *c. quoniam de decimis*, vbi Doct. Butr. *num.2.* Anchar. *nu.4.* Card. *in 4. oppoſ.* Abb. *num.2.* Henric. Boich. *in c. peruenit, num.2. in fin. eod. tit.* Rebuf. *de decimis q.7. num.8.* Et meritò, quia vbi parochiæ non ſunt diſtinctę, Epiſcopus eſt parochus, & cura penes eum reſidet, *c. nullus, de paroch.* Oldrad. *conſ.67. num.3. verſ. & dicimus in talibus Eccleſiis*, & fuit dictum in cauſa Carthaginen. decimarum 28. Iunij, 1593. coram Orano.

Non obſtat conſuetudo allegata per Capitulum, quia, quicquid teſtes dicant de aliis locis de quibus hodie non agitur, non probant, eam eſſe in loco del' Hebrero, † nec de 2
iure fit extenſio de loco ad locum, nec de perſona ad perſonam. Aret. *conſ.44. num.1. & conſ.132. num.4.* Bald. *conſ.257. lib.2.* Aym. *de antiq. temp. 4. par. in princ. nu.42.*

Nõ obſtat deciſio in cauſa Oſcen. decimarum de la Predia, 21. Martij 1564. coram D. de Rubeis, † quia 3
ideo in illo caſu Capitulum recipiebat fomentum ab Epiſcopo, quia Epiſcopus erat in cauſa vnà cum Capitulo.

Nec prædictis reſiſtit Caputaq. *deciſ.306. p.3.* quia ibi beneficiati agebant ſpolio, & probauerant conſuetudinem 70. annorum percipiendi decimas.

Et ita fuit reſolutum, Capitulum non habere intentionem fundatam.

PAM

PAMPILONENSIS DE Ianſi.

Lunæ 21. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Exprimens duos modos vacandi alternatiuè, debet in iuſtificatione gratiæ proſequi certam vacationem.*

2 *Succeſſor non tenetur docere de titulo prædeceſſoris, tenetur tamen probare, quòd longo tempore poſſederit per obitum.*

3 *Poſſeſſio nulla, & attentata non cõſumit vacationem per obitum.*

4 *Gratia, ſi neutri, non conceditur contra prouiſum Apoſtolicum.*

5 *Si in gratia plures cauſæ exprimãtur, ſufficit, eſſe veram illam, per quam Papa mouetur, licèt aliæ ſint falſæ.*

Decisio CLXXXVIII.

FVerat reſolutum coram me prima Decembris præteriti, gratiam, *ſi neutri*, Ferdinandi, eſſe iuſtificatã, quoad modum vacandi, ſcilicèt, quòd ſufficiebat oſtendere, quòd Ioannes prætendebat habere ius in parochiali, quia alternatiuè fuerat narratum, vacare per obitum Ioannis vltimi poſſeſſoris, ſeu ius in illa,
1 vel ad illam habere prætendentis.† Sed quia nihilominùs Ferdinandus tenetur proſequi certam vacationẽ, & elegit ſibi vacationem per obitũ Sanctij de Vruttia, ideo dubitaui, an intraret huiuſmodi vacatio. Et Domini affirmatiuè reſoluerunt; quia, vt conſtat ex teſtibus, Sanctius fuit prouiſus de anno 1512. & deceſſit de anno 1563. & toto eo tempore poſſederat. Et ideo intrat alleg. Lapi 89.
2 † quòd ſucceſſor non tenetur docere de titulo anteceſſoris, per cuius mortem beneficium impetrauit, ſed ſufficit probare, quòd longo tempore prædeceſſor poſſederit beneficium, & quòd communi opinione Rector reputabatur. Idem tenet Rot. *deciſ.* 10. *in fin. de rer. permut. in antiq. & eod. tit. in nou. dec.* 4. Ægid. *deciſ.* 593. *incip. licèt poſſeſſio, &* 644. *incip. non obſtan.* Anchar. *conſ.* 117. vbi loquitur in anteceſſore, qui poſſederat 17. annis. Et erat in viridi obſeruãtia tempore Caſſadori, vbi refert, *in deciſ.* 2. *&* 3. *de cauſ. poſſ. & prop.* & trad. Gemin. & Franc. *in c. ſuſceptum, de reſcript. in* 6. Boër. *deciſ.* 42. *num.* 30. Sarnen. *in reg. de trien. q.* 16. *& q.* 49. *in fin.*

Non obſtat, dum dicitur, illam vacationem fuiſſe conſumptam per prouiſionem Martini, & Petri Bullani, † quia cùm illæ prouiſiones 3
fuerint nullæ, & attentatæ, vt fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Cardinali Mantica, 2. Martij 1592. non cõſumpſerunt vacationem per obitum Sanctij.

Quantum ad ſecundã partem dubij, pariter Domini cenſuerunt, gratiam Ferdinandi non eſſe ſubreptitiam. Licèt enim fuerit narratum, Antonium & Ferdinandum fuiſſe prouiſos per obitum Petri, iſta narratiua non vitiat gratiam, quia ſatis eſt, quòd ſit verum, quòd neutri ius competebat, † & quòd gratia non 4
conceditur contra prouiſum Apoſtolicum. Ad hunc enim effectum narratur per cuius obitum altera pars fuerit prouiſa. † Quare ſufficit, 5
quòd cauſa quæ mouit Papam ad concedendum ſit vera, licèt aliæ non verificentur. Put. *deciſ.* 69. *lib.* 2. & fuit latè deductum in cauſa Biſuntina, ſeu Baſilien. vnionis, 10. Maij 162. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Seraphino.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 21. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis non admittit exceptiones extrinſecas à contractu, & altiorem indaginem requirentes.*

2 *Sententia ad hoc vt vulneret obligationem Cameralem, debet ad hũc effectum ferri inter eaſdem perſonas, & in eadem cauſa.*

DECISIO CLXXXIX.

FVit per Dominos reſolutum, D. Alexandrum teneri exequutiuè liberare Altouitum, ſtante eius clara obligatione in forma Cameræ, † 1
quæ non admittit exceptiones extrinſecas à contractu, & requirentes altiorem indaginem. Caſſad. *deciſ. vnic. de mut. pet.* Galleſ. *ad quartam par. oblig. Cameral. q.* 1. & fuit dictum in cauſa Tiburtina Caſtri S. Poli 17. Martij 1564. coram Cotta, & aliàs ſæpiùs.

Nec eſt verùm, quòd obligatio Cameralis fuerit vulnerata per ſententias Rotales; quia D. Alexander vigore reconuentionis egit contra Altonitum, & licèt obtinuerit ſententias fauorabiles, tamen cùm ſint latæ ſuper alia cauſa, non vulnera- 2
runt obligationem Cameralem, † cùm id requiratur, vt ſententia ſit lata ad effectum vulnerandi, vt in cauſa Romana pecuniaria de Columbis. 10. Nouembris 1595. coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio.

ROMANA CENSVS.

Veneris 25. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio pro vna cauſa non extenditur ad aliam, & nu. 2.*

3 *Confideiuſſoris ſolutione, liberatur confideiuſſor, ita vt principalis non poſſit contra illum agere, ſi totam ſummam ſoluit, ſecùs, ſi partem, num. 4.*

DECISIO CXC.

DOmini reſoluerunt, Maluicinum fuiſſe liberatum, quia D. Alexandro non oſtendit, aliquod damnum ſe fuiſſe paſſum, ita vt intret illius obligatio, *l. ſi vltra, C. de fideiuſſ.* §. *fideiuſſores, inſtit. eod.* Non enim damnum aliquod obuenit pro ſumma ſcut. 1500 quæ remanſit in depoſito penes Altouitum, quia dominium non fuit abdicatum à D. Alexandro; & ſi aliquod damnum fuit paſſus occaſione iſtius depoſiti, non tenetur Maluicinus qui ſe obligauit intuitu Venturinorum, quorum cauſa damnum non fecit D. Alexander, ſed quòd Altouitus noluit reſtituere depoſitum. † Et 1
ideo obligatio Maluicini non debet extendi ad hanc cauſam diuerſam. Bald. *conſ.* 106. *lib.* 2. cum aliis alleg. in diſcurſu.

Nec facit, quòd D. Alexander depoſuit cum hoc, quòd pecuniæ ſoluerentur Claudio Venturino, ſequuta ratificatione Antonij, quia propterea non fuit abdicatum dominium à D. Alexandro, vt in aliis deciſionibus oſtenſum fuit. Et licèt huiuſmodi pecuniæ periiſſent Venturinis, hoc non prouenirſet ob tranſlationem dominij, ſed ob moram non ſequutæ ratificationis, cùm non eſſet conueniens, quòd D. Alexander pateretur damnum ob moram Venturinorum non ratificantium. Et ita loquitur tex. *in l. ſi ſo-*

lum

luturus, ff. de solut. & liber. vbi Bart. *num.* 4. & alij in contrarium allegati.

2 Nec quoàd istam summam potest petere aliquod damnum occasione fructuum census ; quia Altouitus semper soluit fructus. Vltra quòd huiusmodi damnum non proueniss-set culpa Venturini, cuius intuitu fideiussit Maluicinus, sed Altouiti nolentis restituere depositum, vt dictum fuit.

Non obstat, quòd Altouitus deposuit hanc summam, quam nondũ habuit D. Alexander, & deponere non est soluere ; quia ipse D. Alexander est in culpa, quòd non recipiat.

3 Quoàd aliã summam scut. 1500. solutam Venturino, pariter est liberatus Maluicinus. Nam alij duo cõfideiussores soluerunt vltra istam summam ; quare hodie D. Alexander non potest agere contra Maluicinum. glos. *in l. si stipulatus, §. fin. in vers. exceptione, ver. & ideo si is qui conuentus est, ff. de fideiuss.* ponderata in discursu.

Nec resistit tex. *in d. l. si stipulatus*, cum alleg. in discursu, vbi liberatio vnius fideiussoris non prodest aliis; quia hæc intelliguntur ad effectum solutionis residui, vt per gloss. allegat.

4 Nec minùs potest petere aliquod damnum pro fructibus illius summæ; quia Mutianus soluit scut. 400. pro fructibus, quæ excedunt fructus istius portionis census, & post solutiones factas à Mutiano & Rodulpho, non potest D. Alexander, aliquid prætendere damni, ratione fructuum, cùm fuerit soluta sors principalis.

Alia sunt sublata ex discursu.

REGIEN. PRIORATUS.

Veneris 25. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiatus ad instantiam Ordinarij & patroni, quando sumus in possessione recenti, tenetur ostendere titulum suum, nu. 3.*

2 *Limita quando semel exhibuit, vel patronus per impetrationem fecit se partem formalem contra beneficiatum.*

4 *Quid requiratur ad hoc, vt beneficiatus non teneatur exhibere.*

5 *Episcopus quando dicatur esse aduersarius alicuius.*

DECISIO CXCI.

QVamuis beneficiatus ad instantiam Ordinarij & patroni, quando sumus in possessione de recenti, teneatur ostendere titulum suum, vt de Ordinario Gemin. *in c. Ordinatis, nu. 1.* Franc. *nu. 5. de off. ord. in 6.* Abb. *in c. licèt Heli, num. 22.* Io. de Anan. *num. 27. & seqq.* Felin. *num. 7. & seq.* Simon Siluan. *de benef. p. 3. q. 25. num. 2. & seq.* Et de patrono dicit Abb. *in d. c. licèt Heli, in fin.* Io. de Anan. *num. 29. vers. & idem dicas*, Prob. *ad Monach. in d. cap. ordinary, num. 22.* Franc. *num. 5. vers. quid autem sit in patronis.*

In casu tamen de quo agitur, di- 3
xerunt Domini, Camillum non teneri exhibere ad instantiam patronorum titulum suum; tum quia iam exhibuit, tum quia Achilles vnus ex patronis per impetrationem fecit se partem formalem contra dictum Camillum ; quo casu liberatur à productione tituli. Felin. *in d. c. licèt Heli*, qui alios alleg. *nu. 9.* Anchar. *in c. 1. q. 8. de reg. iur. in 6.* DD. communiter, *in d. c. licèt Heli.* Non

3 Non obſtat, quòd iſti DD. loquantur in Epiſcopo; quia eadem regula militat in patrono, vt per Felin. *in d. cap. licet Heli, num.* 15. Io. de Ann. *num.* 34. *verſ. ſecundo caſu.* Abb. *in fin.* Anchar. *in d. c.* 1. *q.* 8. *prope fin. de reg. iur. in* 6.

4 Nec eſt verum, quòd neceſſe ſit ad liberandum beneficiatum, quòd Epiſcopus agat iniuſtè, & de facto poſſeſſorem ſpoliando; quia ſatis eſt, quòd conſtituat ſe aduerſarium,

5 † & tunc dicitur aduerſarium ſe cõſtituere, quando agit cum eo coram ſuperiore, vel ipſum ſpoliat, iuris ordine non ſeruato, vti per Io. de Anan. *in d. c. licèt Heli, num.* 33. *in fin.* Et quamuis Felin. *in d. c. licèt Heli, num.* 9. dicat, quòd tunc dicitur cõſtituere ſe aduerſarium, quando agit de facto, loquitur tamen, vt non includat caſum quando agit de iure ſcilicet quando beneficiatus qui tenebatur exhibere titulum Ordinario recuſauit, tunc enim licèt Ordinarius ſit aduerſarius, tamẽ, vt dicit Io. de Anan. allegatus per Felin. *loco ſuprà citat. num.* 34. beneficiatus tenetur coram ſuperiore exhibere titulum in cauſa appellationis, ſicut tenebatur in cauſa principali.

Ex quibus ceſſant ea quæ dicebantur in contrarium, ſcilicèt poſſeſſionem Camilli eſſe recentem, & fuiſſe captam clandeſtinè, nec ipſum fuiſſe inſtitutum, & ideo poſſe cogi ad exhibendum titulum; quia, quicquid ſit de prædictis, ſatis eſt, quòd in caſu de quo agitur, ad inſtantiã procuratorum non teneatur exhibere titulum.

ANCONITANA Aſſecurationis.

Lunæ 28. *Iunij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Stylus diſponens de modo probandi eſt deciſorius, & ideo firmiter probari debet.*

2 *Diſpoſitio ſequens clara debet attendi, & non antecedens.*

Decisio CXCII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt non probari deprædationem; quia teſtes fuerunt nulliter examinati, vt fuit latè deductum 17. Iunij præteriti.

Non obſtant ea quæ de nouo deducuntur, ſcilicèt quòd partes in apocha remittunt ſe ad ſtylum ciuitatis Florentiæ, † quia huiuſmodi 1
ſtylus cùm diſponat de modo probandi, reſpicit deciſionem iudicij. Ruin. qui de communi. *conſ.* 69. *nu.* 6. *lib.* 4. latè Aſin. *in prax.* §. 19. *c.* 3. Et propterea eſſet firmiter probandus. Socin. *conſ.* 39. *num.* 28. *& ſeqq. lib.* 4. Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 7. *num.* 1. *de probat.* Et fuit latè deductum coram me 9. huius in cauſa Aretina ſpolij. Sed in hoc caſu nullo modo eſt probatus, quia illi qui ſe ſubſcripſerunt, non deponunt de aliquo ſtylo, ſed tantùm de ſuo iudicio.

Nec facit, quòd in folio habea- 2
tur mentio de ſtylo; quia cùm ſubſcriptio ſit certa, nempe de eorum iudicio, non debet attendi, quid dicat folium, ad trad. per Iaſ. *in l.* 1. *num.* 6. vbi Rip. *ſub num.* 15. *ff. ſi cert. pet.* Corn. *conſ.* 314. *lib.* 4. Gabr. *conſ.* 12. *lib.* 1.

PAMPILONEN. DE Stella.

Lunæ 28. *Iunij* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Tertius non poteſt impedire exequutio*

quutionem rei iudicatæ, quando est præsumptio, quòd calumniosè se opponat.

Decisio CXCIII.

DOmini dixerunt, beneficiatos non posse impedire exequutionem sententiæ contra parochianos.† Tertius enim non potest impedire exequutionem rei iudicatæ, quando est præsumptio, quòd per calumniam se opponat, ad impediẽdum exequutionem sentẽtiæ. Felin. *in c. veniens, 2. nu. 10. vers. quod autem, de test.* 1

Et hæc quidem calumnia videtur plusquàm manifesta; quia beneficiati sciebant, causam tractari, & citati responderunt, ex cepta assistentia in aliis, nihil ad eos spectare, vt fuit consideratum in hac causa, coram me, 8. Nouembris 1602.

CÆSARAVGVSTANA de Maëlla.

Lunæ 28. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Confessio probat contra confitentem.*

2 *Confessio præiudicialis confitenti, est verisimilis.*

3 *Bulla Pij V. de..... annullat. prouisiones factas extra illius formam, ita vt possessor nullum ius, neque titulum coloratum habeat.*

4 *Transactio facta ob timorem litis, est valida.*

Decisio CXCIV.

DVbitaui, an decretum Sanctissimi positum in supplicatione concordiæ inter Ioannem, & Ludouicum, scilicèt, *dũmodò dicti fructus, & expensæ ascendant ad ducat. 1200.* esset iustificatum. Et Domini affirmatiuè responderunt, quia etiam omissis expensis litis, quæ verisimiliter ascendunt ad notabilem summam, satis constat, fructus ascendere vltra dictam summam, ex quo Ioannes vigore clausulæ augendi positæ in supplicatione, narrauit, fructus ascendere ad duc. 1050. † Quæ quidem confessio probat contra ipsum Ioannem, *l. cùm precum, C. de lib. caus.* cum vulg. Et maximè quia concurrunt dicta testium de auditu ab ipso Ioanne, & 45. testis qui deponit de publica voce, & fama in loco de Maella; imo, & de maiori summa. Et tertius de auditu non modò à Ioanne, verùm etiam ab aliis. Ex quibus confessio Ioannis videtur etiam benè adminiculata. Quare cùm à die prouisionis Ioannis de mense Aprilis 1597. vsque ad diem concordiæ de mense Februarij 1600. quasi effluxerint tres anni, vtique Ioannes habuit vltra dictam summam contentam in decreto. 1

Non obstat, quòd Papa noluit stare assertioni Ioannis, stante clausula, *dummodo fructus*, &c. posita in supplicatione. Et ideo non est attenden. quòd posteà Ioannes expresserit in literis, sed probatio est haben. aliunde; quia in supplicatione fuit narratum, valorem parochialis ascendere ad duc. 900. cum clausula augendi, & posteà in expeditione literarum fuit narratum, ascendere ad duc. 1050. Quare ista narratiua in literis visa fuit satis probare, † cùm non sit verisimile, Ioannem voluisse soluere annatam, & alias expensas facere occasione ipsius expressionis, ad trad. per Verall. *decis. 190. num. 4. p. 1.* Et hæc eò magis procedunt, cùm agatur in præiudicium solùm ipsius confitentis. Aym. *cons. 93. nu. 5. vers. 3. respondeo.* 2

Put. *decis.36. lib.3.* concurrentibus maximè adminiculis, vt dictum est.

Non obstat, quòd fructus intelliguntur deductis oneribus, & non probatur quanta sint onera, & ideo Ludouicus non potest iuuari hac confessione Ioannis, quia cùm Ioannes narrauit, fructus ascendere ad prædictam summam, dicendum venit, si fructus intelligantur deductis oneribus, illis deductis narrasse valorem beneficij, cùm non sit præsumendum, ipsum voluisse excedere in narratiua valoris, & soluere annatas, & facere expensas pro fructibus, qui non percipiuntur, *l. cùm de indebito, ff. de probat.* cum vulg.

Nec est verum, quòd fructus sint excomputandi pro anno litis motæ tantùm, & non à principio temporis impetrationis Ioannis; quia Ludouicus impetrauit ob non seruatam
3 formam Bullæ Pij V. † quæ annullat prouisiones factas extra illius formam, ita vt possessor nullum ius neque titulum coloratum habeat. Quare secundùm prætensiones Ludouici, Ioannes vsque ab initio fuit intrusus, & fructus ipsi Ludouico erant debiti, propterea dicta clausula venit intelligenda de toto triennio quo Ioannes fuit in possessione, & non de solo anno quo lis durauit. Et hoc euidèter apparet, cùm dicatur, Ioannem vigore prouisionis Ordinarij extitisse in possessione, & subdatur, quòd fructus hactenùs decursi, &c. nam cũ hæc dictio *hactenus*, secũdùm grammaticos sit cõposita ex *hac* & *tenus*, significat ab illo tempore vsque in præsens. Vnde cùm sit narrata prouisio, & possessio Ioannis, & subdatur, *hactenus*, debet intelligi à die prouisionis, & possessionis vsque ad tempus præsens.

4 Nec est agendum de validitate impetrationis Ludouici; quia ad effectum validitatis transactionis sufficit timor litis, *l. 2. C. de transact.*

ALERIEN. BENEficij.

Lunæ 28. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua circumscripta loco, probatur per inspectionem loci, seu scripturæ.*

2 *Deuolutio debet probari de gradu in gradum, donec ad Papam perueniat, si Papa prouidit.*

3 *Tempus sex mensium ad conferendum, currit à die scientiæ.*

DECISIO CXCV.

FVit per Dominos resolutum, 1
gratiam *si neutri*, D. Lanfranchi esse iustificatam quoàd nõ ius Vincentij, † quia de eo ex reuolutione actorum non constat. Et iste est modus probandi hanc negatiuam. Et fuit in his terminis resolutum in causa Fesulana Præceptoriæ 27. Ianuarij 1563. coram bo.me. Oriolen. & meis temporibus in causa Bracharen. parochialis, 11. Ianuarij 1602. coram R.P.D. Iusto. Negatiua enim circumscripta loco probatur per inspectionem loci, seu scripturæ, *l. Titia textores*, vbi Bart. *in 2. not. de leg. 1. l. fin. C. de reb. cred.* Aym. *cons. 138. num. 5.* Dec. *in l. iustum, nu. 3. C. de eden.* Verall. *decis. 192. num. 9. p. 3.*

Ex dicta autem inspectione in nihilo apparet, gratiam Vincentij iustificatam, & præsertim, quia cùm ipse impetrauerit ob deuolutionem, † nõ probatur, prout requiritur de- 2
uolutio gradatim de inferiore ad proximiorem superiorem, donec bene

beneficium perueniat ad Papam, ex aliorum negligentia, quorum quilibet habet ſex menſes ad cõferendum, *c.1.& c. licèt, de ſupplen. neglig. Prælat. c.2. de conceſſ. præben.* gloſ. *in Clem.vnica in verb.locorum, de ſupplen. neg. prælat.* & not. Abb. *in c. cùm in cunctis,§.clerici, num.5.de elect. & in c. cùm noſtris, num.2. de conceſſ. præben.* vbi dicit, hoc bene eſſe notandum. Rebuf. *in prax.de deuolut. num.39.* Et ita fuit reſolutum in cauſa Spoletana beneficiorum 31. Ianuarij 1594. coram Illuſtriſſimo Mantica, & per priùs in cauſa Calciaten. dimidiæ portionis, 12. Decembris 1582. coram bo.me.Orano.

3 Neque etiam labitur tempus ſex menſium præſtitutum ad conferen. à die vacationis, ſed ſolùm à die ſcientiæ, quia ante ſcientiam vacationis non poteſt cuiquam negatiua imputari, *cap.quia diuerſitatem, in fin.de conceſſ.præben.d.c.licèt, de ſupplen. neglig. prælat.* Rebuff. *in prax.in tit. de deuolut. num.10.* Et fuit reſolutum in dicta Spoletana Calciaten. & in alia Salamantina portionis 23. Iunij 1586. coram bo me. Bubalo.

Et de prædictis omnibus nihil conſtat, & nihil probauit Vincentius. Vnde meritò fuit reſolutum, gratiam, *ſi neutri*, fuiſſe iuſtificatam quoàd non ius Vincentij.

CELSONEN. PRÆceptoriæ.

Lunæ 28. Iunij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Ab exequutore mixto datur appellatio, & ideo poſſeſſio capta lite pendente, eſt attentata, & venit ſequeſtranda,*

DECISIO CXCVI.

FVit concluſum pro ſequeſtro, Quia cùm exequutor eſſet mixtus, ab eo dabatur appellatio, & ideo exequutio, & poſſeſſio capta lite pendente fuit attentata, *tot.tit.vt lit. pend.* Vnde meritò venit ponenda ſub ſequeſtro, Verall. *dec.157. par.3. de reſtit. ſpoliat. in 6.*

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Diſpoſitum in vno cenſetur diſpoſitum in alio.*

2 *Dictio,* vnà cum, *denotat ſimultaneam congregationem.*

3 *Antiquus eſt mos Eccleſiæ, vt clerici conueniant in vnum ad porrigendas laudes Deo.*

4 *Chorus dicitur quaſi coænorum cantus.*

5 *Clerici ſæculares habentes exercitiũ curæ populi, poſſunt iungi monachis in Eccleſia Cathedrali.*

6 *Archiepiſcopus non poteſt diſponere contra iuris diſpoſitionem in ſua Eccleſia Cathedrali, vel immutare ſtatutum Papale, nu.12.*

7 *Contra ſtatutum confirmatum à Papa poteſt Archiepiſcopus diſponere cum conſenſu illorum ad quorum fauorem eſt confirmatum, & numer.8. Item contra ſtatutum, ex cuius confirmatione tertio eſt ius quæſitum, diſponere non poteſt, numer.9.*

10 *Taciturnitas in præiudicialibus non habetur pro conſenſu.*

11 *Confirmatio cum clauſula,* de nouo, & perpetuò ſtatuimus, &c. *habet vim nouæ conceſſionis, & ſimplicis diſpoſitionis.*

13 *Facultas addendi, vel minuendi, non extenditur ad ea quæ sunt contra ius, vel ad totalem ablationem, numer.* 15. *nec diuersificat speciem, num.* 16.

14 *In generali concessione non veniunt ea quæ de facili concedi non solent.*

Decisio CXCVII.

Vid. Occ. 52: 92:

Pari voto per omnes Dominos fuit resolutum, Reuerendissimũ D. Archiepiscopum non potuisse separare clericos à monachis ipsis, chorum separatum à choro monachorum statuendo. Nam expressè habetur in Bulla Pauli tertij, quòd *in ista Cathedrali regulari, clerici, & presbyteri sæculares, quibus cura Sacramentorum omnium administrandorum, ac parochianorum, & aliarum personarum imminet animarum, cum superpelliceis in inferioribus stallis dexteri, & sinistri chori subtus Priorem, Decanum, & Monachos, &c. sedere ac omnibus, & singulis diuinis officiis vnà cum dictis Priore, Decano, & monachis interesse, ac cum iisdem se cõformare debeant.* Quare, sicuti propter verbum illud, *debeant*, quod importat necessitatem, fuit iam resolutum, Clericos teneri se conformare monachis in diuinis officiis, ita quoque debent interuenire in eodem choro, stantibus verbis dictæ Bullæ, *ac omnibus, & singulis, &c.* cùm vtraque dispositio
1 reguletur à verbo, *debeant*, † & ideo dispositum in vno censeatur dispositum in alio. Bart. *in l. Prætor*, 2. §. *eritque, in principio ff. de vi bon. rap.*
2 † Quod etiam suadetur ex clausula illa, *vnà cum*, quæ denotat simultaneam congregationem, *l. final.* vbi Bald. *nu.* 11. *in 6. oppos. C. de impub. & aliis substit. l. fin.* vbi gloss. *in verb. vna, ff. ad l. Aquiliam.* Alberic. *in l. Lucius* 90. §. *quisquis, in princ. de leg.* 2. Bene Paris. *cons.* 79. *num.* 21. *lib.* 3.

Attenta etiam dispositione iuris communis, Reuerẽdissimus D. Episcopus non potuit facere hanc mutationem. † Est enim antiquus mos 3
Ecclesiæ, clericos conuenire in vnũ ad laudes Deo porrigendas, ex Cõcil. Mogunt. de quo *in cap.* 1. *de vit. & honest. cler.* Conc. Turon. 2. *can.* 4. *relat. in cap. Sacerdotum de consecrat. dist.* 2. Iuo, *p.* 2. *c.* 137. iuxta modum scilicèt alternatim canendi à Flauiano & Diodoro institutum. Histor. Tripar. *lib.* 5. *c.* 32. Gugliel. Duran. *in ration. diu. offic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 18. Silua. *de benef. q.* 5. *num.* 44. Et propterea locus in quo conueniunt, denominatur chorus, à multitudine scilicèt simul canentium, † quæ Chorus ap- 4
pellatur, quasi coæuorum cantus, Strob. *in exod. cap.* 15. super illis verbis, *cum tympanis & choris*, & fuit inuentus, vt hymnis & canticis nomen Dei reuerenter, deuotéque laudetur. Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *vers. omnes verò de reformat.* Et ideo in eo nulla debet esse dispersio, sed carissima vnitas. Cassiod. *in Psal.* 149. *super illis verbis, in Choro* latè ad materiam Io. Stephan. Duran. *de ritib. Eccles. Cathol. lib.* 1. *c.* 17. *per tot.*

Nec est verùm, quòd Reuerendissimus D. Archiepiscopus potuerit facere prædictam separationem, *ex tex. in Clemen.* 1. *de elect.* quia ille tex. non loquitur in terminis nostris, sed dicit, quòd rationi non cõgruit, quòd homines disparis professionis, vel habitus, simul in iisdem monasteriis socientur. Et quamuis prædicta procedant etiam in clerico sæculari, per rationem literæ. † Non 5
tamen prohibetur, ne clerici sęculares iungantur monachis, si habeant exercitium curæ populi, prout isti habent. Butr. qui reperitur manuscript. *in dicta Clemen.* 1. *in verbo, dispa*

disparis,Bened. Capr.*ibidem in repet. num.*28. Quo casu clerici sæculares debent se conformare monachis, vt per Vitalin. *in Clem.fin.nu.*52. *& 53. de celebrat. miss.* Et fuit latè deductũ in decisione in hac causa facta 24. Maij præteriti.Nec etiam iuri repugnat,quòd monachi, & alij religiosi simul cum clericis diuina solemniter celebrent. Anchar. *in cap.* 1. *num.* 15. *de celebrat. miss.* vbi Butr. *num.*11. Card.*num.*4.Hort.*nu.*17.Io. Andr.*nu.*5.

Non obstat, quòd statutum confirmatum à Papa potest per Episcopum reuocari,quia vltra quòd adest dispositio iuris communis, quòd Clerus in vnum conueniat ad psallendum,quæ,etiamsi sublatum esset statutum, adhuc nihilominùs remaneret, † & contra eam Dominus Archiepiscopus non potest disponere, Felin. *in c.quod super his,num.*4. *in prima fallen.& num.*11. *vers. dixit etiam mirabiliter, de maior. & obed.* Rom. *cons.*325.*num.*5. † Hæc conclusio procederet, si interueniret consensus legitimus monachorum, qui in hoc casu non aderant. Et ita loquitur Dec. *in cap. cùm accepissent, nu.*8.*& seqq.de constit.* Præsupponit enim,quòd statuentes possint reuocare statutum.

Quare aut consideramus monachos tanquam personas quæ interuenerunt, & authorizarunt huiusmodi statutum, ex tradit. per glos. *in c.*1.*in verb.constitutum,de his quæ fi. à maior.par.Cap.* Imol. *in d.cap.cùm accessissent, in fin. vers.vlt.potes addere, de const.* latè Ruin. *cons.*130. *num.*5. *& 6. vol.*5. Et Reuerendissimus Archiepiscopus non potuit illud sine ipsorum legitimo consensu reuocare. † Aut consideramus monachos tanquam tertios, quibus ex dicta confirmatione sit ius quæsitum, & hoc casu, dato etiam quòd aliàs Dominus Archiepiscopus potuisset per se solus reuocare,tamen stante iure quæsito monachis, cessat illius potestas. Felin.latè *in d.cap.cùm accessissent, num.*4.*de const.* Et fuit latè deductum in Vicentina iurisdictionis, 28. Maij 1601. coram R.P.D. meo Sacrato,& priùs in causa Gerunden. anniuersariorum. 5.Nouẽbris 1582. coram Illustrissimo D.Cardinali Seraphino.

Nec placuit, quòd monachi videntur consensisse ob taciturnitatẽ, † quia taciturnitas quoàd alicuius iuris diminutionem, seu actionis competentis ublationem, pro consensu non habetur, *l. inuitum, ff. de seruit. vrban. prad. l. in eo, §. penult. ff.de rit.nupt.*

Et cessat omnis difficultas; tum quia agentes Reuerendissimi Domini Archiepiscopi vsi sunt huiusmodi statuto, non modò ad corroborandam, & tuendam, sed probandam illius iurisdictionem; tum etiam quia non sumus in statuto simpliciter confirmato à Papa, sed inserto etiam in Bulla cum clausula,*de nouo & perpetuò statuimus,& ordinamus*, † quæ habet vim nouæ concessionis, ac meræ & simplicis dispositionis Papalis. Bart. *in l. more maiorum,num.*5. vbi Ias. *num.*33.*ff.de iurisd. omn. iud.* † Quare D. Archiepiscopus non potest immutare huiusmodi statutum,cùm ipse sit inferior Papa, *cap.inferior,* 21. *dist.c.quod super his, de maior. & obed.* cum vulg.

Non obstat, quòd DD. Archiepiscopi pro tempore habeãt in Bulla facultatem addendi vel minuendi;† quia ista generalis facultas non debet extendi ad ea quæ sunt contra ius, prout est diuidere Chorum. Butr. *cons.*19. *num.*9. † Et quòd in

generali concessione non veniunt ea quæ de facili concedi non solent, fuit resolutum coram R.P.D. meo Lancellotto in causa Valentina decimarum 28. Nouembris præteriti.

Vltra quòd cùm monachi & clerici etiam vigore Bullæ, simul con-
15 uenire debeãt ad psallendum,† Reuerendissimus D. Archiepiscopus non potuit propter dictam facultatem sibi concessam, in totum tollere, & alterare, vt fuit latè deductum in hac causa, 24.Maij præteriti. Nam ex diminutione debet remanere salua forma rei. Brun. *de diminut.& deteriorat.concl.1.num.2.* In hac verò totali immutatione non est inuenire diminutionem;imò differunt substantia, & natura, vt per Angel. *cons.271. incip.visis,& examinatis,num.3.* Brun.*loco præcitato,nu.3.*
16 † Et cùm ista facultas addendi & diminuendi importet idem,& plus,& minus, non debet diuersificare speciem. Bart. *in l.1. num.9. in fin.ff.de acq.poss.*

Et ita fuit resolutum, Reuerendissimum D. Archiepiscopum non potuisse separare clericos à monachis.

ROMANA TRANSactionis.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Contraueniens contractui non potest iuuari contractu vltrò, citroq; obligatorio.*

2 *Promittens de non faciendo, nunquam potest adimplere ex parte sua.*

3 *Contraueniens contractui potest admitti ad vtendum illo refectis damno & interesse. Quod non procedit pro quærenda actione, nu.4.*

5 *Non adimplens præstando interesse dicitur adimpleuisse. Quod declara, vt num. 6.*

DECISIO CXCVIII.

FVit per Dominos resolutum, sententiam Rotalem, in qua pronunciatur, D. Catalonum non teneri ad obseruationem transactionis, esse confirmandam. De illius enim iustitia constat ex decisionibus factis coram R.P.D. meo Litta, Maroldus enim fuit primus contrauentor.† Et ideò non potest iuuari 1
contractu vltrò citróque obligatorio, *l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt.*

Nec facit,quòd promissio Maroldi erat de non faciendo, & ideo 2
nunquam poterat adimpleri ex parte sua, Bar. *in d. §.offerri, num.3.* quia satis est, quòd contrauenerit, ad effectum quòd non possit vti dicta transactione.

Nec placuit, quòd si sumus in contrauentione,versemur in terminis, *l.si qui maior, C.de transact.* à cuius pœnis Maroldus fuit excusatus, non autem in terminis *d. §. offerri*, quia non propterea Maroldus potest agere. Non adimplementum enim potest ex contrauentione cõsiderari, & stant simul,quòd cecederit à commodo contractus,vt in *dicto §.offerri*,& quòd excusetur à pœnis periurij, & infamiæ, de quibus *in d.l. si quis maior.*

Nec officit, quòd Maroldus præ- 3
stando damna & interesse, debeat admitti ad vtendum concordia, Gozzad. *cons.171.num.18.*Corn.*cons. 37.in fin.vol.2.* quia fuit respõsum, huiusmodi conclusionem non procedere,quando quis vult admitti ad purgationem moræ pro quærenda actione, prout vult admitti Maroldus,

dus, ſed ſolùm ad euitandam pœnam, *l. Thais, §. Stichus, verſ. intra, ff. de fideic. libert.* Bart. *in l. ſi inſulari*, qui diſtinguit, *num. 27. ff. de verb. obligat.* Caſtren. *conſ. 228. num. 2. verſ. 30. aduertendum, vol. 2.* Cror. *conſ. 352. nu. 8. lib. 3.* Siluan. *conſ. 85. num. 12.* Et tenuit Rota in cauſa Tiburtina compromiſſi, 16. Iunij 1595. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Seraphino.

5 Non obſtat, quòd in euentum contrauentionis fuerit poſita clauſula, *aliàs, &c.* quæ extenditur, *aliàs ad damna, & intereſſe*, & ideo Maroldus præſtando intereſſe, dicitur adimpleuiſſe, vt in cauſa Romana Cãbiorum de Ruſpolis, 26. Octobris 1602. & 12. Ianuarij prædicti, coram
6 R.P.D. meo Lancellotto, † quia deciſiones prædictæ loquuntur, quando intereſſe eſt idem cum facto, & ideo per talem promiſſionem non cenſetur receſſum à prima obligatione, *l. quod auore C. de leg.* Et fuit dictum in allegata cauſa Tiburtina.

ROMANA EMPHYTEUSIS.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Finita locatione datur immiſſio dominis directis ex pacto, etiam capiendi poſſeſſionem propria authoritate.*

2 *Contra tertium poſſeſſorem poteſt agi exequutiuè.*

3 *Quando requiratur ſententia declaratoria quando linea eſt finita.*

4 *Qui poteſt capere poſſeſſionem propria authoritate, multò magis poteſt officium iudicis implorare.*

5 *Ex eo quòd linea ſit finita, non ideo ſequitur, quòd dominus directus poſſit capere poſſeſſionem propria authoritate.*

6 *Tertius ſucceſſor etiam mediatè poteſt dare de iure illius à quo mediatè habet cauſam.*

7 *An, & quando alienatio rei locatæ dicatur facta comprehenſis in locatione, vt comprehenſis, an verò vt tertiis.*

8 *Res locata facta duobus in ſolidum, finita linea vnius, accreſcit alteri, ſecùs ſi non eſt facta in ſolidum.*

9 *Enunciatiua non probat cùm principaliter agitur de enunciato, probat tamen circa factum proprium enunciatum, & circa ea quæ præſumuntur ſciuiſſe enunciantes, & circa actum, qui à partium voluntate pendebat, num. 10.*

DECISIO CXCIX.

CVm locatio ſit finita per obi- 1
tum Fontanæ, & filij, domus eſt deuoluta ad dominos directos, ſecundùm gloſ. *in l. vltima, §. fin. C. de iur. emphyt.* Et ideo refectis melioramentis, iuxta tenorem inueſtituræ danda eſt immiſſio, ſtante facultate capiendi poſſeſſionem, de qua in dicto inſtrumento inueſtituræ; vbi habetur, quòd finita locatione, liceat Dominis directis, refectis melioramentis, capere poſſeſſionem domus, & pro ſe ipſis retinere, vt fuit reſolutum in cauſa Piſana domus, 19. Iunij, coram bo.me. Orano, in qua in fortioribus terminis dicitur, quòd poſſeſſio poteſt capi propria auctoritate.

Non obſtat, quòd non poteſt agi 2
exequutiuè cõtra Thomatum tertiũ poſſeſſorem cum titulo; quia cùm Thomatus non habeat titulum à Dominis directis, ſed ab illis qui habent cauſam à dictis Dominis, nõ poteſt in plus iuuarij quàm ipſi.

Non

3 Non obstat, quòd requiritur sententia declaratoria super eo quòd linea sit finita, vt per Gabr. *cons.* 88. *in fin. lib.* 1. quia Gabriel loquitur in puris terminis, quando prætenditur, lineã esse finitam, & dubitatur, an requiratur declaratoria, vt dominus possit ingredi propria auctoritate, & iste articulus est controuersus, vt per Asin. *in prax.* §. 7. *limit.* 48. *num.* 3. In præsenti verò casu, vt dictum est, partes conuenerũt, quòd finita locatione, liceat Dominis directis, refectis melioramentis, possessionem domus accipere, & pro seipsis retinere, & de ea disponere ad eorum libitum. † Quare sicuti potuissent capere propria auctoritate, absque vitio, vt fuit resolutum in dicta causa Pisana, ita multò magis possunt implorare officiũ iudicis, quod non est denegandum, per supradicta. Et tanto magis procedunt prædicta, quia in hoc casu cessat ratio Gabrielis, qui dicit, difficiliùs probari lineam finitã, quàm canonem non solutum, quod non est in casu isto, cùm concessio fuerit facta Fontanæ, & filio, & de obitu vtriusque apertissimè constet.

4

Nec prædictis resistit Fabius, *decis.* 33. *lib.* 1. *in manuscript.* quem allegat Gabr. quia solùm in illa decisione dicitur, linea est finita, † non ideo

5 sequitur, quòd Dominus directus possit ingredi propria auctoritate; quæ ratio cessat, cùm hîc sit data facultas capiendi possessionem, refectis melioramentis.

Non obstat, quòd locatio duret, quoàd reficiantur melioramenta, vt in instrumento concessionis appa-

6 ret, & Thomatus tanquam tertius existens in possessione, † & habens causam, licèt mediatè, à Fontana, possit dare de iure Fontanæ, vt per Ias. *in l. indebitè*, §. *sed si nummi*, qui loquitur in fortioribus terminis, *num.* 11. *de condict. indeb.* vbi testatur de communi, & per Socin. *in l.* 2. *nu.* 16. *ff. de excep. rei iud.*

Nam respondetur, quòd Sulpitia est parata soluere melioramenta, computatis canonibus non solutis à die subhastationis dictæ domus, saluis tamen iuribus quæ prætendit super huiusmodi melioramentis, & aliis de quibus in actis, & data cautione de restituendo ad omne mandatum Domini.

Non obstat, quòd huiusmodi do- 7
mus fuerit vendita Lælio, & Fabricio comprehensis in inuestitura, & portio Fabritij peruenerit ad Lælium eius hæredem, quare filij Lælij non possunt venire contra factum patris ex regula, Quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *l. vendicantem, ff. de euict.* quia filij Lælij sunt hæredes cum beneficio legis, & inuentarij. Vltra quòd venditio facta Lælio & Fabricio, non fuit facta vigore pacti in instrumento concessionis appositi, sed tanquam tertiis, quod apparet ex eo quòd alienatio est facta in ipsosmet de consensu ipsorum, & remittitur solutio laudimij, quæ non erat necessaria, si domus fuisset recuperata vigore instrumenti concessionis. Et ideò cùm hodie linea sit finita, absque eo quòd filij Lælij contraueniant facto patris, possunt agere ad recuperationem domorum, solutis melioramentis.

Nec facit, quòd durat linea 8
Lampodij, & ideo per ius accrescendi, vel non decrescendi ius Fontanæ, fuit acquisitum lineæ Lampodij, vt in causa Veliterna affictus, 20. Iunij 1599. coram Reuerendissimo D. Episcopo Pacen. quia, vltra quòd in præsenti casu locatio est facta ad meliorandum, &

quili

quilibet expendit portionem ſuam, ſufficit, quòd deciſio & DD. in ea allegati loquantur de locatione facta in ſolidum, qualis non eſt locatio de qua agitur, & propterea minùs reſiſtit tex. *in l. codicillis, ff. de vſufruct. legat.* quia ibi fideicommiſſum ab vltimo tantùm moriente cenſetur eſſe relictum.

9 Non obſtat, quòd non conſtet, meliorameuta fuiſſe æſtimata, niſi per enunciatiuas inſtrumentorum, † quæ non probant, cùm principaliter agatur de ipſo enunciato. Alex. *conſ.* 136. *num.* 11. *lib.* 1. Dec. *conſ.* 348. *in fin.* & tamen vigore pacti debebant æſtimari. quare non poteſt dari immiſſio, niſi priùs liquidatis melioramentis quæ ſunt reficienda.

10 Nam fuit reſponſum, quòd ceſſat huiuſmodi obiectum, quia enunciatiua ſatis probat circa factum proprium enunciatum. Decia. *reſponſ.* 23. *num.* 82. *lib.* 2. Surd. *deciſ.* 83. *num.* 13. Imò etiam circa ea quæ præſumuntur ſciuiſſe enunciantes, Ruin. *conſ.* 141. *num.* 10. *lib.* 5. Cephal. *conſ.* 192. *num.* 38. Et ceſſat difficultas, quia agebatur circa actum qui à partium voluntate pendebat, & ideo enunciatiua probat. Aym. *conſ.* 217. *num.* 7. Et fuit latè deductum in cauſa Mediolanen. ſimulationis contractus, 10. Decembris 1603. coram R.P.D. Ottembergho.

ROMANA OFFICII.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Subrogatus ſapit naturam eius in cuius locum ſubrogatur.*

2 *Pari paſſu ambulant datio fideiuſſorum, & hypothecatio bonorum.*

3 *Subrogatus in locum Cameræ, quæ hypothecauerat bona, tenetur dare fideiuſſores, ſi non eſt ita idoneus.*

4 *Hypotheca non cadit ſuper officiis.*

DECISIO CC.

DOmini reſoluerunt, non ſufficere cautionem datam per Spadam, de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, quia cùm fuerit ſubrogatus in locum Cameræ, quoàd ſcuta quatuor millia, ſicuti Camera tenebatur ſecurum facere Lauretum, † 1 ita quoque Spada tenetur, per regulam, quòd ſubrogatus ſapit naturã eius in cuius locum fuit ſubrogatus; vt traditur, *in l. ſi eum, §. quo iniuriarum, ff. ſi quis caut. §. fuerat, inſtit. de act. cum vulgar.*

Non obſtat, quòd Camera non ſit obligata dare fideiuſſorem, ſed tantùm ſint obligata & hypothecata bona Cameræ, & ideo Spada nõ debet in plus teneri, quàm teneatur Camera, † quia cùm militet eadem 2 ratio, quòd dentur fideiuſſores, & quòd bona hypothecentur, vt per Bart. *in l. cùm ex pluribus, numer.* 4. *de ſolut.* Neguz. *de pign. in primo mem. 5. part. num.* 1. † meritò cùm Spada non ſit ita idoneus, prout Camera debet, ſicut Camera hypothecauit bona ſua, ita ipſe dare fideiuſſorem.

Non obſtat, quòd Laurentius ſit ſecurus, cùm ſuper officiis non cadat hypotheca, quia licèt hoc ſit verum, tamen non applicatur, cùm verſemur in emptione facta à tertio, qui ſe cautelauit, & Camera dedit cautelas.

ROMANA AMOTIONIS inſignium.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Quod fit de facto, debet reuocari.*
2 *Pars anterior Eccleſiæ dicitur facies.*
3 *Inſignia retinẽtur ad oſtendendum dominium.*
4 *Obſeruantia eſt optima interpres intentionis contrahentium.*

DECISIO CCI.

VIſum fuit Dominis, ſententiam extra Rotam latam, eſſe confirmandam. † Vult enim, quòd inſignia poſita de facto, debeant amoueri, quod eſt conforme diſpoſitioni iuris communis, *l. vnica, C. ne quis in ſua cauſa.*

Nec facit conuentio, quòd Societas teneatur retinere in facie Eccleſiæ perpetuò inſignia Baſilicæ ſancti Petri, † quia ſatis retinuit in parte anteriori diſcooperta, hæc enim eſt facies Eccleſiæ. Baldus, *in rubr. C. de vindic. liber. num.* 2. & facit tex. cum gloſ. *in l. ſi quis metallum*, vbi etiam Bald. & Ang. *C. de pœn.* idem Ang. *in l.* 21. *num.* 14. *ff. de pub. iud.* Aret. *in tract. de malef. num.* 1 *in verb. in facie.* Felin. *in c. cùm non liceat, num.* 2. *de præſcript.* Et tantò magis ſatisfecit conuentioni, quia ad alium effectũ huiuſmodi inſignia non retinentur, quàm ad oſtendendum dominium. Bart. *in l. ſtigmata, C. de fabric. lib.* 11. Cagnol. *in l.* 1. *num.* 177. *ff. ſi cert. pet.* Et ideò cùm huiuſmodi inſignia ſint poſita in facie, & non ſit conuentum de certa parte, ſatis habetur effectus, nempe, quòd oſtendat dominium.

Et ceſſat omnis difficultas, quia inſignia per 60. annos fuerunt retenta in loco antiquo, in quo etiam hodie retinentur. † Quæ obſeruantia eſt interpres intentionis contrahentium, *l. ſi de interpretatione, ff. de leg.* Gabr. *conſ.* 89. *num.* 18. *lib.* 1.

Non obſtat Bulla Pij V. quia loquitur de ædificiis, in quibus non adſunt inſignia.

PAMPILONEN. DE Ianſi.

Lunæ 5. Iulij 1604.

SVMMARIVM.

1 *Non ius vnius probatur ex eo quòd contra ipſum adſunt tres ſententiæ conformes. Item probatur ex reuolutione actorum, num.* 3.
2 *Res iudicata retardatur per reſtitutionem in integrum.*

DECISIO CCII.

DOmini reſoluerunt, gratiam, *ſi neutri*, Ferdinandi, eſſe iuſtificatam quoàd non ius D. Antonij; quia ipſe D. Antonius reportauit contra ſe tres ſententias Rotales, ex quibus ſatis apparet, de non iure ſuo. † Res enim iudicata pro veritate habetur, *l. res iudicata, ff. de regul. iur. l. ingenuum, ff. de ſtat. hom.*

Non obſtat, quòd ſit commiſſa cauſa reſtitutionis in integrum, & ideo res iudicata poteſt retractari, *l.* 1. *circa fin. ff. de quæſt.* Abb. *in cap. ſuborta, num.* 16. *& ſeqq. de re iud.* cum alleg. per Antonium Gabr. *tit. de reſt. in integr. concl.* 2. *num.* 6. Nam ex deciſione iam facta, ſatis cõſtat, D. Antonio nó competere reſtitutionem, quia adhuc manent firmæ deciſiones factæ coram Illuſtriſſimo Mantica, in quibus fuit reſolutum, non conſtare dei urepatronatus Communitatis, ſuper quibus deciſionibus ſunt fundatæ ſententiæ Rotales.

Ex quibus ſatis apparet, gratiam, *ſi ne u*

si neutri, Ferdinandi esse iustificatam, quòd non ius D. Antonij, † quia ex
3 reuolutione actorum, probatur huiusmodi negatiua, vt fuit nouissimè resolutum coram me in causa Alerien. beneficij 28. Iunij præteriti.

MONTIS REGALIS Iurisdictionis.

Lunæ 15. Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *A verbis claris non est recedendum.*
2 *Singula officia singulis sunt committenda, maximè si dentur in titulũ, & num. 4.*
3 *Ordo in Sacris celebrandis est seruandus.*
5 *Sacristia, nomen est iuris, continens curam de iis quæ ad Thesaurum Ecclesiæ pertinent.*
6 *Bulla procedens per viam legis futura complectitur.*
7 *Quod debetur certo generi personarum, extra illud dari non potest.*
8 *Non prohibitus facere aliquem actum, potest illum pro suo arbitrio facere, dummodo alter non habeat priuilegium, vel consuetudinem præscriptam, num. 9.*
10 *Genus comprehendit omnes suas species, & idem operatur quoad species, quod species quoad indiuidua, num. 12.*
13 *Quilibet in re sua est moderator, & arbiter.*
14 *Quælibet Ecclesia vnam habet Sacristiam pro seruitio Ecclesiæ, secùs pro capellis, vel aliis.*
15 *Obseruantia non attenditur, quando verba dispositionis sunt clara.*
16 *Probatio dubia non releuat.*
17 *Facultas augendi, & minuendi, non operatur, vt possit substantiam immutare.*

DECISIO CCIII.

MAior pars Dominorum censuit, Reuerendissimum D. Archiepiscopum, non potuisse constituere nouam Sacristiam pro presbyteris, & illius exercitium committere clerico sæculari; quia Bulla Pauli tertij in indiuiduo præcipit, quòd Sacristia exerceatur per vnum ex ipsius Ecclesiæ monachis, vtens dicto verbo imperatiuo. Bart. *in l. 3. in princ. C. de transact.* † Et pro- 1
pterea, cùm huiusmodi verba sint clara, ab illis non est recedendum, *l. non aliter, de leg. 3.* Bart. *in l. quod constitutum, ff. de milit. testam.* & reiiciunt omnem interpretationem, *l. 3. C. de lib. præt.* Curt. sen. *cons. 29. num. 7.* Aym. *cons. 294. sub num. 6. vers. 3. principaliter.*

Et hæc dispositio, quòd per vnicum Sacristia custodiatur, videtur conformis dispositioni iuris communis, † per quam singula officia 2
singulis sunt cómittenda personis, *c. cum singula, in princ. de præben. in 6.* Et deputatio vnius capitis pariter correspondet omni iuri, & in apibus vnus etiam Princeps, grues vnã sequuntur, Imperator vnus, & Roma ipsa ab initio duos reges habere non potuit, & in vtero Rebeccæ Esau & Iacob bella gesserunt, *cap. in apibus, 7. q. 1.* Barbat. *cons. 40. num. 68. & 72. vol. 4.* Et quando Sacristia datur in titulum, est tex. *in cap. vnico, de offic. Sacrist.* Nec adest ratio diuersitatis, quando Sacrista est manualis, & tantò magis, quia aliàs subuerteretur ordo in Sacris celebrandis, † 5
qui alioquin seruandus est, ad tex. *in l. prolatam. C. de sent. l. 2. §. priùs, ff. de vulg.* vbi Bart. Pont. Imolens. *cons. 171. nu. 12. & 13.*

Vide Dec. 52 Dic. notatu

4 Et cum prædictis concurrit etiã generalis cõsuetudo; quælibet enim Sacristia habet vnicum Sacristam, & in Ecclesiis Cathedralibus vbi officium Sacristiæ nõ datur in titulum, solet deputari Canonicus, qui curã Sacristiæ exerceat per custodem, & alios officiales. Vnde meritò in Ecclesia Montis Regalis deputatur monachus, nam cùm ista Ecclesia sit Cathedralis regularis, monachi sunt loco Canonicorum, vt in specie, de Ecclesia Montis Regalis dicit Abb. *in cap. causam quæ, num. 8. & seqq. de iudic.* vbi Doct. communiter. Et fuit firmatum in hac causa 8. Martij præteriti.

Nec placuit Dominis, quòd debeat intelligi Bulla de Sacristia tunc existente, & quòd cùm monachus sit amouibilis ad nutum Archiepiscopi, cura resideat penès ipsum, & non penès monachum qui exercet. Et ideo potest ad libitum suum aliũ
5 deputare, etiam sæcularem, † quia Sacristia ibi est nomen iuris, vt *in cap. vnic. de offic. Sacrist.* continens scilicèt curam de iis quæ ad thesaurum Ecclesiæ pertinent. Et cessat
6 difficultas, † quia cùm Bulla procedat per viam legis, futura amplectitur, *cap. fin. de constit.* Bar. *in l. si ita nu. 2. ff. de aur. & arg. leg.* Imol. *in Clemen. fin. num. 21. de script.* Et licèt quoàd deputationem sit liberum D. Archiepiscopo, eligere quem maluerit ex monachis, non potest tamen
7 eligere extraneum, † cùm vigore Bullæ Sacristia sit debita certo generi personarum. Put. *decis. 164. lib. 2.* Verall. *decis. 313. lib. 1. in manuscript.* Et fuit resolutum in causa Vlixibonen. prioratus, 1. Februarij 1602. coram Illustrissimo D. meo Cardinali Seraphino. Et ista prætensio nec etiam placuit Dominis, qui contra decisionem sentiebant.

Prout nec iisdem placebat, quòd Bulla pro parte monachorum inducat necessitatem, ex quo ipsi coguntur subire onus Sacristiam exercendi, ex parte verò Domini Archiepiscopi facultatem, quia ex tenore Bullæ apparet, quòd dat formam; cùm aliqua denegentur monachis, & aliqua eis tribuantur, & ideo non debet esse in potestate D. Archiepiscopi, eis auferre quod in Bulla conceditur.

Non obstat, quòd monachi in Bulla non habent ius prohibendi, ne alia Sacristia confici possit. † 8
Quare D. Archiepiscopus ad sui libitum aliam construere potuit, vt per Ias. *in l. quominùs num. 85. ff. de flumin.* quia vltra superiùs deducta, quæ in hoc casu obstant, idem Ias. *loco præcit.* limitat conclusionem: † 9
nisi alius habeat priuilegium, vel consuetudinem præsumptam; quæ limitatio bene applicatur in puncto, quia monachi ex Bulla officiũ Sacristiæ exercere debent, & propterea non potest alius quàm monachus exercere, & custodire illa quæ ad hoc Sacristiæ munus, scilicèt ad thesaurum Ecclesiæ spectãt. † 10
Illud enim genus, *Sacristia*, comprehendit omnes species spectantes ad illam, *l. omnes*, vbi nor. Angel. *C. de præscript. 30. annorum.* † Et qui gene- 11
raliter loquitur, comprehendit directè omnia particularia, & nullum excludit. Feder. de Sen. *cons. 85. nu. 2. in fin. & num. 3.* Et generaliter non minùs operatur, quàm singulorum expressio, *l. si duo, in fine. ff. de admin. tut.* Socin. & Doct. *in l. 1. ff. de vulg.* † 12
Et genus idem operatur quoàd species, quod species, quoàd individua, *l. si chorus, de leg. 3.*

Nec officit, quòd D. Archiepiscopus non possit impediri, quominùs habeat locum pro suis paramentis,

quia

quia quicquid dicendum sit, an paramenta, quæ hodie reperiuntur in Sacristia noua, sint acquisita Ecclesiæ, & an possit donare Ecclesiæ paramenta, & demandare custodiã alteri quàm monacho Sacristiæ, non impeditur Reuerendissimus D. Archiepiscopus, ne habeat locum pro custodia suorum paramentorum, & custodiam etiam committat perso-
13 næ sibi beneuisæ, † quia quilibet in re sua est moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mand.* Sed non propterea potest construere nouam Sacristiam, & committere exercitium clerico sæculari in præiudicium monachorum, & facere, quòd clerici sæculares sumant paramenta in Sacristia per ipsum confecta, ne hoc modo Ordo Ecclesiæ peruertatur, & dispositio Bullæ Pauli tertij eludatur.

14 Nec releuat, quòd non implicat, quòd plures Sacristiæ sint in eadem Ecclesia, prout in multis Ecclesiis Vrbis videtur, & etiam in Ecclesia Lauretana. Quia implicat quidem ex prædictis, quòd pro seruitio eiusdemmet corporis Ecclesiæ sint plures Sacristiæ, stante confusione quæ oriretur in celebrando, & plures Sacristiæ quæ sunt in Vrbe, & in Lauretana Ecclesia non sunt pro seruitio Corporis Ecclesiæ, & totius Ecclesiæ, sed certæ Capellæ particularis.

Nec subsistit allegata obseruantia, quòd clericus sæcularis exerceat
15 officium Sacristiæ; † quia vltra quòd obseruantia non attenditur, vbi verba sunt clara. Aret. *cons. 115. num. 2.* Natt. *cons. 318. num. 1.* Surd. *cons. 426. num. 44.* Et esset contrauentio, non obseruantia, testes non deponunt, an ante, vel post Bullam Pauli tertij fuerit deputatus talis Sacrista sæcu-
16 laris, † & ideo ista probatio tanquam dubia non releuat, *c. in præsentia, de probat.*

Neque ad hunc effectum suffragatur Reuerendissimo D. Archiepiscopo facultas quã habet in Bulla, addendi, vel minuendi; quia vltra responsiones aliàs datas, † hæc fa- 17
cultas non operatur, quòd D. Archiepiscopus possit immutare statum, aut substantiam eius quod in Bulla fuit ordinatum, vt in terminis huius facultatis, licèt in alio casu, dicit Bart. *in l. edita, num. 8. C. de eden.* Intelligitur enim, quòd possit addere, vel minuere id quod potest secundùm leges, non secundùm voluntatem suam. Dec. *cons. 146. nu. 9.*

ROMANA TRANSactionis.

Ven. 19. Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Non adimplens transactionem, non potest illa vti, sicut contrauenies contractui, non potest illo iuuari.*

2 *Promittens non facere, nunquam potest adimplere.*

3 *Promittens non facere, si facit implicitè, non adimplet.*

4 *Mora committitur per contrafactum, vel non licitè factum, sicut per non factum.*

5 *Contrauenire quis non potest iis quæ adhuc non existunt.*

6 *Vtraque parte concordiæ contrauenie nte, censetur à concordia recessum.*

7 *Productio iurium non acceptata à parte, producenti non præiudicat.*

8 *Mora quæ committitur propter factum, est impurgabilis.*

Decisio CCIV.

DOmini perstiterunt in resolutis, scilicèt sententiam Rotalem esse iustam. Maroldus enim cótrauenit transactioni, & sic implicitè non adimpleuit, † quare ea vti 1 non potest, *l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt.* Et quòd contraueniens contractui non possit ex eo iuuari, ex multis regulis iuris fuit resolutum in causa Vrbeuetana Castrorũ, 11. Ianuarij 1572. coram bo. me. Oradino.

Non obstat, quòd si Maroldus contrauenit, versamur in dispositione, *l. si quis maior, C. de transact.* à cuius pœnis fuit excusatus, & non in terminis, *l. Iulianus, §. offerri*, quæ loquitur, quando quis non adim- 2 pleuit. † Ex quo Maroldus ad implementum nunquam præstare poterat, cùm promisisset nõ facere. Bart. *in d. §. offerri, num.* 3. Nam respondetur, quòd Bart. dicit, quòd promittens non facere, nunquam potest adimplere, si verò fecerit, & contrauenerit, non propterea dicit, quòd non censeatur non adimpleuisse, ad effectum, vt intret dispositio, *§. of-* 3 *ferri*, † quia qui promittit non facere, & facit, implicitè non adimplet, 4 *l. qui non facit, ff. de reg. iur.* † Et mora ista committitur per contra factum, vel malè factum, seu non licitè factum, sicut per non factum. Aret. *cons. 156. in fin.* Et propterea cùm Maroldus implicitè non adimpleuerit, & per consequens fuerit in mora, intrat dispositio, *d. §. offerri.*

Nec est verum, quòd Q. Iacobus fuit primus contrauentor, ex quo in concordia assignauit Maroldo 5 creditum iam exactum, † quia contrauentio non potest considerari ex iis quæ erant antequàm concordia fuissent deducta in esse, ad tex. *in l. eius qui in Prouincia, ff. si cert. pet.* Vltra quòd in fine concordiæ dictus Iacobus promiserat de euictione. † 6 Et tandem si vtraque pars contrauenit, censetur concordia rupta, & ab ea mutuo consensu recessum. Paul. de Castr. *cons. 70. num. 8. vers. secundò, quia postquàm Rex, lib. 1.*

Non obstat, quòd Iacobus fuerit vsus huiusmodi transactione, eam producendo in iudicio criminali contra Maroldum; quia cùm Maroldus contrauenerit dictæ transactioni, criminaliter agendo, & ipse Iacobus produxerit hanc transactionem ad repellendum Maroldum, qui propterea non acquieuit, † non 7 ideò sequitur, quòd huiusmodi productio non acceptata per Maroldũ, Iacobo præiudicet. Paris. *cons. 115. num. 31. vol. 1.* Osasch. *decis. 39. nu. 8.* Surd. *cons. 51. num. 94. lib. 2.* Vltra quòd etiam post dictam productionem Maroldus contrauenit, post sententiam enim inquietauit dictum Iacobum coram illo iudice criminali.

Nec prædictis resistit decisio Put. 340. *lib. 1.* quia in illo casu pars in totum non adimpleuerat, & ideo fuit actum pro adimplemento, & pars obtulit adimplere, & ideò postmodùm actor non poterat negare se velle stare transactioni. Vnde termini sunt longè diuersi.

Nec obstat quòd Maroldus hodie vult præstare interesse Iacobo; quia vltra respõsiones datas in alia decisione, quæ placuerunt Dominis, cùm contrauentio Maroldi sit non adimplementum, & mora, vt suprà ostensum fuit, non debet admitti præstando interesse, ex quo peccauit in faciendo. † Et ideo hæc 8 mora est impurgabilis. Grat. qui de communi, *cons. 93. nu. 63. & 77.*

THEA

THEANEN. CENSVS.

Veneris 19. Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Census reseruatiuus est licitus, & per eum transfertur dominium vtile, & directum.*

2 *Bulla Pij V. de Censibus, non loquitur de censu reseruatiuo.*

DECISIO CCV.

1 ABsque difficultate fuit resolutum pro validitate census. Contractus enim iste, per quem habens dominium rei eam alteri tradit, quoàd dominium vtile, & directum pro certa quantitate annuatim soluenda est licitus, vt not. *in c. Constitutus, de relig. dom. c. quæsitum* 1. *q.* 3. Bart. *in l.* 1. *§.* 1. *num.* 4. *ff. de publican.* Imol. *in c. ad audien. col.* 2. *num.* 4. *de reb. Eccl. non alien.* Couar. *var. resol. lib.* 3. *c.* 7. *num.* 1. *vers. sic & census.* Et tradũt omnes summistæ *in verb. Census.*

Non obstant ea quæ opponuntur contra dominium D. Forcellati, quia tendunt ad infringendam transactionem, de cuius validitate suo tempore videbitur.

Neque hîc est agendum de formula Bullæ sanctæ mem. Pij V. † quia Bulla non loquitur in censu reseruato in translatione rei, sed in emptione & venditione censuum, mediante pecunia. Vnde termini sunt longè diuersi.

2

PAMPILONEN. Parochialis de Stella.

Mercurij 24. Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Parte opponente, nullitates in primis sunt reuocandæ, & num.* 3. *secùs parte non opponente, nu.* 2.

4 *Innocentiana habet locum, quando sententia est nulla ex inordinato processu, vel omissione iuramenti super perhorrescentia, non autem procedit quoàd alias nullitates.*

5 *Mandatum generale sufficit ad ratificanda omnia gesta, contra, num.* 6.

DECISIO CCVI.

DOmini dixerunt, quòd nisi Abbas cedat nullitatibus, debet proferri sententia reuocatoria, † quia parte opponente, in primis nullitates sunt reuocandæ. Bart. *in l. cùm quærebatur, num.* 4. *ff. de re iud.* Rot. *decis.* 2. *de lit. contest. in antiq. &* 8. *in fine de rest. spoliat. in nou.* Cæs. de Graff. *decis.* 9. *de caus. poss. & propr.* Put. *decis.* 27. *lib.* 6. cum aliis per Vant. *de nullit. tit. quod, & infra quod tempus, num.* 11. 1

Non obstat, quòd cùm ex decisionibus factis coram Illustrissimis Dominis meis Cardinali Seraphino & Pamphilio constet de iustitia sententiarum, potest simul pronunciari super nullitatibus, & iustitia, vt per Ægid. *decis.* 295. † Quia hæc cõclusio procedit, parte non opponente, secùs autem parte opponente, Cæs. de Graff *decis.* 9. *num.* 8. *&* 12. qui aliàs decisiones refert, *de caus. poss. & propr. &* 11. *num.* 3. *de sent. & re iudic.* Verall. *decis.* 264. *lib.* 1. *in manuscript.* Put. *decis.* 7. *num.* 1. *&* 2. *lib.* 3. Ferret. *cons.* 265. *num.* 4. Et fuit resolutum in causa Viterbien. rescissionis contractus, prima Iulij 1569. coram Finetto & aliàs sæpiùs. 2 3

Nec ad hunc effectum Innocentiana aliquid suffragatur, † quia procedit quando sententia est nulla ex inordinato processu, vel omissione iuramenti super perhorrescentia, 4

scentia, non autem comprehendit alias nullitates, maximè ex tribus, prout est ista, nempe ex defectu mandati, &c.

Non obstat, quòd posteà fuerit datum per partem mandatum in personam D. Caparossi, cum clausula, *cum ratificatione gestorum.* † Et ideo per tale mandatum censentur ratificata omnia gesta per D. Caparossũ, antequàm haberet mandatum. Castren. *in l. Iulianus. nu. 7. ff. qui satisd. cog.* quia verba mandati sonant in futurum, non autem in præteritum. † Vltra quòd aliqui ex Dominis dicebant, requiri speciale mandatũ, vt per Ruin. *cons. 62. nu. 27. lib. 5.*

PATAVINA DECIMETTÆ.

Lunæ 29. Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Agens remedio*, l. conductores, C. locat. *debet probare, in locatione cõtineri totum id quod petit.*
2 *Indefinita in materia probatoria nõ æquipollet vniuersali, secùs quando omnium particularium est eadem ratio, & conditio, nu. 3.*
4 *Dec.* in cons. 146. nu. 15. *declaratur.*
5 *Aliud est decimare locum, aliud in loco.*
6 *Sequentia declarant præcedentia.*
7 *Indefinita habetur pro particulari, quando non est eadem ratio, & conditio quoad totum & partem, & num. 20.*
8 *Denominatio sumitur à natura rei denominatæ.*
9 *Locatio non probat verum annuum valorem.*
10 *Nemo præsumitur iactare suum.*
11 L. conductores, *non est locus, quando constat de non iure agentis.*
12 *Parochus habet assistentiam iuris communis in decimis.*
13 *Conductor negans rem conductam restituere, dicitur spoliare.*
14 *Ecclesia non potest agere spolio contra parochialem Ecclesiam, pro decimis existentibus in ipsa parochia.*
15 Amplum *idem significat quòd palus exsiccata.*
16 *Dictio*, eisdem *est demonstratiua, & relatiua ad superius nominata, & nu. 18.*
17 *Sicut dictio* infrà scriptis.
19 *Verba quæ stant consequutiuè, non ampliant antecedentem dispositionem.*

DECISIO CCVII.

VNanimi Dominorum consensu fuit resolutum, prout alias etiam sub die 23. Ianuarij 1602. Reuerendissimo Abbati Carcerum nõ competere remedium, *l. conductoris, C. locat.* super tota & integra decima villæ Baonis. † Agens enim huiusmodi remedio debet probare, in locatione contineri id quod petit. Barbat. *cons. 50. col. 10. sub num. 3. vers. in contrarium, lib. 1.* Afflict. *decis. 12.* Conrad. *lib. 3. Miscel. iur. c. 2. num. 10.* Doct. communiter, *in l. si quis conductionis*, vbi Bart. *in fin. vers. vltimò oppono, C. locat.* Modern. *de recuper. remed. 11. num. 31. & 38.* In præsenti verò casu Abbas non docet, se locasse totam & integram decimam villæ Baonis, sed decimam seu ius decimandi in loco Baonis, *detta la Decimetta*, † quæ verba decimam, seu ius decimandi, cùm sint indefinita in materia probatoria, non æquipollent vniuersali, vt post Innoc. Alex. & alios Aym. *cons. 33. num. 16.* latè Surd. *cons. 431. num. 68.*

vbi

vbi id concludit etiam in probatione quæ fit ex instrumento.

3 Nec applicatur conclusio, quòd quando omnium particularium est eadem ratio & conditio, tunc indefinita affirmatiuè prolata æquipollet vniuersali; & per Dyn. *in proœm. reg. in 2. quæst. vers. sed dicendũ est.* Dec. *cons.* 30. Bald. 384. *nu.* 4. *vol.* 5. Et dicitur esse in puncto *cons.* Dec. 146. *num.* 15.

4 *vers. vltimò non obstat.* † Nam Dec. loquitur in casu quo vinea fuerat, non indefinita, sed particulari appellatione denominata, & sic bene intelligebatur solutum pro tota vinea. In præsente verò casu locatio non comprehendit decimam villæ Baonis, vt fortè dici possit intrare conclusionem prædictam, sed decimam, seu ius decimãdi in loco Baonis. † Et aliud est decimare locum, aliud verò in loco, ad tex. *in cap. fin. & ibi* Abb. *in princ. & num.* 2. *de præben.* Cassad. *decis.* 11. *in princ. eod. tit.* Maximè stante restrictione sequenti, nempe *detta la Decimetta.* † Sequentia enim declarant præcedentia, *l. si seruus plurium, §. fin. & l. qui filiabus, de legat.* 1. Et quantitate pensionis librarum trium, videlicèt, bol. 45. quæ censetur conformis fructibus locatis, vt per glos. & alios in prima decis. alleg. Et prædicta etiam corroborantur ex licentia data fratri Federico, finita locatione, vbi dicitur, de certa decimetta in villa Baonis.

7 Vltra quòd in hoc casu visum fuit, vt infrà dicitur, non esse eandem rationem, & conditionem ad totam decimam, quæ ad partem. Et sic etiã indefinita habetur pro particulari. Alex. *cons.* 55. *num.* 16. *vol.* 4. Gabr. *cons.* 84. *num.* 45. cum aliis per Surd. *d. cons.* 431. *nu.* 67.

Nec placuit Dominis, quòd illa denominatio, *decimetta* sit ad differentiam aliarum decimarum maiorum, quas habet Abbas; quia cùm hæc denominatio correspondeat quantitati pensionis, † non debet 8 sumi ab extra, sed ab eo quod in ipsa re denominata plurimùm pollet, & in ipsa est potius. Alex. *cons.* 7. *num.* 3. *& seqq. vol.* 7. Ioann. de Monte Sperell. *cons.* 273. *nu.* 16. Port. Imol. *cons.* 165. *num.* 20. Osasch. *decis.* 105. *num.* 10.

Nec facit, quòd secundùm opi- 9 nionem quam Rota seruat, ex locatione non probatur verus valor annuus rei, vt per Cassad. *decis.* 20. *super regul.* Ruin. *cons.* 55. *num.* 36. *lib.* 1. quia hîc non agitur de probando vero annuo valore, sed ad inducendam solam præsumptionem, quòd pensio censeatur correspondere fructibus locatis; quia non est verisimile, quòd decima villæ Baonis, quæ respondet vltra scuta 300. fuerit locata pro bolon. 45. † cùm nemo 10 præsumatur iactare suum, *l. cùm de indebito, ff. de probat.*

Remanet quoque solidum aliud fundamentum decisionis, nempe, † 11 quòd cùm notoriè constet de non iure Abbatis, vt infrà dicetur, dato etiam quòd tota decima fuisset locata, non est locus dispositioni *d. l. conductores*, vt per Modern. qui alios refert, *de recup. poss. remed.* 11. *num.* 44. cóque magis, quia ante huiusmodi locationem factam fratri Federico, vti gubernatori Ecclesiæ Sancti Fidentij vnitæ Conuentui Atrestis, cõstat, priorem dicti Conuentus, vltra assistentiam iuris, † quam ha- 12 bet vti parochus, *cap. cùm contingat, de decimis*, fuisse in possessione decimarum, vt in summario, *num.* 6. 9. 12. *& seq.* Et ideo videtur cessare hoc remedium. Alex. *in l. prima, §. si vir, num.* 6. *ff. de acq. poss.* Grat. *cons.* 90. *nu.* 16. *& seqq. vol.* 1. Curt. sen. *cons.* 70.

num. 2. Et ceſſat difficultas, quia cùm conductor reſtituere negat, ſpoliare dicitur, *l. colonus, ff. de vi, & vi armat.* Alex. *conſ.* 33. *num.* 3. *lib.* 6.
14 Cephal. *conſ.* 47. *num.* 40. *lib.* 1. † Eccleſia autem non poteſt agere ſpolio contra parochialem Eccleſiam, pro decimis exiſtentibus in ipſa parochia, *cap. ad decimas*, vbi gloſ. *in verbo, præſumantur, de reſt. ſpoliat. in* 6. niſi probet vtcumque immemorialem, vt per Ægid. *deciſ.* 455 vel habeat titulum coloratum. Verall. *deciſ.* 306. *par.* 3. in præſenti verò caſu nec immemorialis, nec titulus coloratus adeſt, quia donationes factæ Conuentui Carcerum de anno 1180. & 1189. non loquuntur de tota, & integra decima villæ Baonis.

Nec iura producta pro parte Abbatis ei ſuffragantur. Nam, vt reſolutum fuit 14. Nouembris 1603. omnia illa iura loquuntur de decimis noualium Paludis.

Nec minùs ei ſuffragatur ceſſio ſibi facta à presbyteris Baonis, vt in ſummario Abbatis, *num.* 5. quia vt ex lectura patet, presbyteri Eccleſiæ ſancti Fidentij Baonis prætendebãt decimas amplorum, ſiue noualium, quæ Prior Carcerum poſſidebat, & tenebat in curia, & finibus Baonis, hoc eſt, terrarum Conuentus Carcerum poſitarum in palude Baonis.
15 † *Amplum* enim idem eſt, quod palus exſiccata, vt in dicta deciſione 14. Nouembris fuit firmatum. Non tamen dicti presbyteri prætendebãt decimas terrarum, & vinearum, quas Prior Carcerum propriis manibus, & ſumptibus laborabat, ſeu excolebat. Et ſuper hac prætenſione, mediante ſolutione facta presbyteris librarum 16. monetæ Venetæ, ipſi refutarunt, dederunt, & conceſſerunt decimas, & ius decimationis & omne ius quod in eiſdem decimis, ſiue in iure decimationis pro ſua Eccleſia de Baone habebant. Et ſic iſta tranſactio loquitur de iure presbyterorum ſuper decimis bonorum poſſeſſorum per Priorem Carcerum in Palude Baonis. Et cùm presbyteri remittant ius quod in eiſdem decimis habebant, intelligitur de dictis decimis bonorũ Prioris Carcerum in Palude. † Dictio 16
enim *eiſdem* eſt demonſtratiua, & relatiua ad ſuperiùs nominata. Dec. *conſ.* 262. *in princ. verſ.* 2. *facit.* Ruin. *conſ.* 101. *num.* 9. *vol.* 2. & refertur ſolùm ad ea quæ corporeis oculis legi poſſunt. Et perinde habendum eſt, ac ſi fuiſſet dictum, eiſdem decimis ſuper bonis Prioris Carcerum in Palude Baonis, † vt de dictione, 17
infrà ſcriptis, dixit Bart. *in l. qui liberis, §. hæc verba, in fin. ff. de vulg.* Imol. *in l. ſi quis filium fam. §. fin. ff. de acq. hæred.* vbi Aret. hanc deciſionem ait veriſſimam eſſe. Ruin. *conſ.* 29. *num.* 4. *& ſeq. vol.* 2. † Et in puncto huius di- 18
ctionis, *eiſdem*, Surd. *deciſ.* 125. *num.* 1. *verſ. facit etiam.*

Nec obſtat, quòd poſt verba, *in eiſdem*, ſequuntur verba, *ſiue in iure decimationis*, † quia ſtant conſequu- 19
tiuè ad verba, *eiſdem decimis*, nec ampliant vltra id quod actum eſt in tranſactione. Caſtren. *conſ.* 30. *circa fin. verſ. ſed certè iura ſupradicta, vol.* 1. Ruin. *conſ.* 88. *nu.* 10. *& ſeq. vol.* 3. Rol. *conſ.* 89. *nu.* 48. *vol.* 1.

Ex prædictis remanet quoque 20
probatum id quod dicebatur in primo fundamento, non eſſe eandem rationem, & conditionem, ad totum quæ ad partem. Et ſic indefinita non æquipollet vniuerſali, cùm tituli Abbatis non comprehendant totam decimam villæ Baonis.

Alia vel ſunt ſublata ex alia deciſione, vel non egent reſponſione.

ASSE

ASSISIENSIS CENsus.

Lunæ 29 Nouembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Notarius attestans, aliquem manualiter & in constanti recepisse, & ad se traxisse pecuniam, &c. probat numerationem, & num. 30. etiam si non adsit verbum,* numerauit, *nu. 2. Admittitur tamen probatio in contrarium, num. 4.*

5 *Simulatio non præsumitur, nisi probetur.*

6 *Census non potest imponi super quantitate incerta in individuo, & loco.*

7 *Protestatio quòd quis intendit in omnibus censum constituere iuxta bullam Pij V. operatur, vt census sit validus, non obstante aliquo defectu.*

8 *Interpretatio ita debet fieri, vt excludatur contractus illicitus.*

9 *Pereunte in parte re super qua census est impositus, si altera pars quæ remanet, est capax in totum, census sustinetur in totum.*

Hypotheca non potest constitui super re aliena, quæ tamen potest vendi sed venditio non tenet in domini præiudicium.

DECISIO CCVIII.

DOmini resoluerunt, censum esse validum. Fuit enim impositus super rebus certis designatis, mediante pecunia numerata, † de 1
qua numeratione constat ex attestatione notarij, quòd recepit incontanti, in sui & testium præsentia, & pecuniam ad se traxit, in tot Paulis argenteis, & scutis auri in auro. Quæ quidem attestatio probat numerationem, Bart. *in l. si ex cautione, num. 14. C. de non numer. pecun. & in l. singularia, num. 22. ff. si cert. pet.* vbi Ias. *num. 48.* & Dec. 33. Et fuit resolutum in causa Bononien. census 24. Aprilis 1600. coram Illustrissimo Domino Cardinali Pamphilio, & postea anno sequenti Decembris coram me in causa Romana depositi de Altouitis.

Nec facit quòd in ista attestatione notarij non adsit verbum *numerauit*, iuxta doctr. Bart. *in l. singularia, num. 23. si cert. pet.* vbi dat cautelam, quòd notarius non ponat verbum, *numerauit*, nisi interuenerit realis numeratio; quem sequitur Ias. *ibidē, num. 25.* Alex. *cons. 179. num. 4. in fin. & num. 6. lib. 2.* † Nam fuit responsum, sufficere, quòd adsint verba illa, *recepit incontanti, & pecunias ad se traxit in tot Paulis argenteis*, &c. quæ excludunt simplicem confessionem de recepto, & denotant realem numerationem, & veram traditionem, Bald. *in d. l. si ex cautione, num. 14. C. de non num. pec.* Bart. *in l. si ita stipulatus, §. Chrysogonus*, Alex. *num. 14. vers. quia quando notarius, ff. de verb. oblig.* Et fuit resolutum coram R.P.D. meo Millino in causa Florentina bonorum, 17. Aprilis 1592. & postea de anno 1599. in causa Bononien. census, 15. Febr. coram R.P.D. meo Penia Decano. 2 3

Non obstat, quòd huiusmodi attestatio notarij admittat probationem in contrarium, vt fuit resolutum in causa Senogalien. census 26. Aprilis 1591. corā R.P.D. meo Decano, & hīc videatur satis constare de simulatione huius numerationis, cùm antea fuerit venditus census pretio scutorum 1500. absque eo quòd interuenerit pecunia numerata, & post paucos dies redemptus, & postmodùm emptus census de quo agitur, quia retrouenditio potuit ex 4

eo fieri, quòd primus cenſus non fuerat validus; ſed non inde ſequitur, quòd prerij ſecundi cenſus numeratio fuerit ſimulata, cùm de ea
5 conſtet ex atteſtatione notarij. † Et ſimulatio non præſumatur, *l. quamuis*, vbi Bal. *C. ſi quis alteri, vel ſibi* Dec. *conſ.* 491. *num.* 4. Surd. *conſ.* 425. *num.* 54.

6 Nec releuat, quòd cenſus fuerit impoſitus ſuper rebus certis finibus deſignatis, & ſuper tanta quantitate dictorum bonorum, quanta ſuppetat ad reddendum annuum fructum cenſus, quæ pactio repugnat conſtitutioni Pij V. ex quo iſta quantitas remanet incerta, cùm non appareat quanta in indiuiduo, & in quo loco ſit. Bertran. *conſ.* 337. *num.* 4. & 5. *lib.* 1. *p.* 1. Ruin. *conſ.* 136. *ante fin. lib.* 1. latè Rimin. iun. *conſ.* 295. *num.* 43. & *ſeqq.* Nam fuit reſponſum, quòd in inſtrumento adeſt proteſtatio, quòd cenſus intelligatur in omnibus, iux-
7 ta formam dictæ conſtitutionis. † Et ideò cùm ſit impoſitus ſuper rebus certis finibus deſignatis, hæc proteſtatio operatur, vt, non obſtante dicta pactione, cenſus remaneat validus ſuper dictis rebus. Bart. *in l. non ſolùm*, §. *morte*, *num.* 24. Alex. *num.* 13. & 14 *ff. de nou. oper. nunc.* Gabr. *conſ.* 47. *num.* 8. *lib.* 2. Et fuit reſolutum in cauſa Beneuentana cenſus, 29. Martij 1593. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Pamphilio, & coram eodem in hac cauſa 9. Iunij huius anni, qua diè S. R. E. Cardinalis creatus fuit. Sed ceſſat omnis
8 difficultas, † quia illa verba, *& ſuper tanta quantitate*, debent applicari ad intellectum ſanum, bonum, ciuilẽ, & vitio carentem. Rot. *deciſ.* 10. *nu.* 4. & 5. *de teſtamen. in antiq.* & vt excludatur contractus illicitus. Alex. *conſ.* 191. *num.* 6. *lib.* 2. Et ideo debent intelligi in caſu quo res ſuper qua impoſitur cenſus periret, vel infructuoſa remaneret pro parte, & tamen pars quæ remaneret eſſet capax pro ſolutione cenſus. † Quo caſu 9
cenſus in ea parte remanente ſuſtinetur, vt fuit reſolutum in cauſa Romana cenſus, 30. Octobris 1602. coram R. P. D. meo Millino, & priùs in ſimili cauſa 14. Ianuarij eiuſdem anni coram R. P. D. meo Sacrato.

Nec officit, quòd cenſus fuit impoſitus ſuper rebus cõmunibus inter Andræam, & Cæſarem, & ideo remanet inualidus; † quia licèt res 10
aliena poſſit vendi, non tamen poteſt in ea conſtitui hypotheca, *l. rem alienam*, *ff. de pign.* 3. *mem.* 2. *par. nu.* 52. Et etiam ipſa venditio in domini præiudicium non tenet, *l. alienum*, *C. de furt.* vbi Bald. Rol. *conſ.* 60. *nu.* 56. & *ſeqq. lib.* 4. Quia ceſſat hæc difficultas, cùm bona fuerint donata per Cæſarem Andreæ fratri, & ideo tanquam ſuper bonis propriis ipſius Andrææ, poterat cenſus imponi.

An autem hæc donatio fuerit valida, ita vt per eam fuerit tranſlatum dominium in Andræam, ad effectum quòd impoſitio huius cenſus ſuſtineatur, erit particulariter videndum.

AGRIGENTINA Sancti Angeli.

Veneris 3. *Decembris* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Conceſſio ſemper intelligitur, ſine præiudicio obtinentis.*

2 *Tertius non poteſt dare de iure tertij.*

3 *Iuſpatronatus probatur per teſtes de publica voce, & fama, cùm præſentationibus ſpatio* 50. *annorum effectum ſortitis, vel ex ſolis præſenta*

ſentationibus ſpatio 100. *annorum effectum ſortitis.*

4 *Epiſcopus non poteſt concedere priuilegium cõtra diſpoſitionem Conc. Trid.* ſeſſ.25.cap.9.de reformat.

5 *Non eſt facienda mentio in gratia, de iis quæ Papam non retrahunt à concedendo.*

Decisio CCIX.

NOn obſtantibus nouiter deductis, adhuc Domini cenſuerũt, Breuia non eſſe ſubreptitia. De poſſeſſione enim Franciſci Cæleſtis nõ
1 erat facienda mentio, † quia conceſſio ſemper intelligitur facta ſine præiudicio obtinentis, *cap. conſultationibus, de donat.* † Vltra quòd,cùm Franciſcus iam ſit defunctus, non poteſt Confraternitas dare de iure ipſius ad impediendum exequutionem Breuis. Abb. *in c.diuerſis fallaciis, num.*4. *verſ. potes addere,de cler. coniug.* Ruin.*conſ.*35. *num.*30. *in fine, &* 31. *lib.* 1. Nullitas enim reſpiciẽs tertium ab illo,& non ab aliis, allegari debet.Bart.*in l.*2.*ff. de except. rei iud.*Bald.*in auth. qui rem, num.*8.*C.de ſacroſanct.Eccl.* Crot.*conſ.*119.*nu.*8.

Non obſtat, quòd non fuerit facta mentio poſſeſſionis præſentandi Confraternitatis;quia iam fuit reſponſum in alia deciſione,in 2.Breui fuiſſe factam mentionem. Vltra quòd, cùm non conſtet de iurepatronatus Confraternitatis ex aliquo
3 titulo, nec ex aliis documentis, † quia ad minus requiruntur teſtes de publica voce, & fama, & præſentationes effectum ſortitæ ſpatio 50. annorum, & ceſſantibus teſtibus præſentationes effectũ ſortitæ ſpatio centum annorum,& fuit reſolutum in cauſa Barchinonen. vnionis 5. Decembris 1597. coram bo. me. D. Giptio iuſpatronatus præſumitur ex vſurpatione. Et ſi Confraternitas vult vti titulo qui eſt in actis,ei non ſuffragatur,quia ex ipſo apparet, quòd de anno 1575. fuit conceſſum Confraternitati priuilegium præſentandi ab Epiſcopo,cum aſſertione quòd anteà nullum ius habebant præſentandi. † Quod pri- 4
uilegium nihil valet, ſtante diſpoſitione Concilij Tridentini,*ſeſſ.*25.*c.*9. *de reformat.*quæ procedit in vtroque caſu,cùm habeat decretum irritans, inficiens titulum, & poſſeſſionem. Nulla fuit propterea poſſeſſio Confraternitatis.† Et ideo cùm hæc non 5
retraxiſſent Papam à conceſſione, nulla erat facienda mentio, Ægid. *deciſ.*4.

ESINA FIDEICOMmiſſi.

Veneris 3.*Decembris* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Confraternitas non eſt locus pius.*

2 *Ad effectum quòd cenſeatur prohibita Trebellianica, non eſt neceſſe, quòd ſit locus pius,ſed ſufficit, quòd opera pietatis exerceat.*

3 *Item ad effectum, quòd cenſeatur prohibita Trebellianica, neceſſe eſt, quòd pia cauſa ſit immediatè ſubſtituta, vel fideicommiſſarius, mediatè,modò ſit purè,vel in diem certum grauatus reſtituere, ſecùs ſi ſub conditione*, ſi ſine filiis, *quod tamen declara,vt nu.*4.

Decisio CCX.

DVbitaui, an eſſet locus detractioni Trebellianicæ,cùm fuerit factus locus fideicommiſſo ad fauorem Societatis ſanctiſſimi Corporis Chriſti, per obitum Marchegianæ filiæ Teſtatoris,abſq;filiis,cui Societas in talem caſum fuerat ſubſtituta.Et Domini cũ præſuppoſito,

quòd Societas ſit ſolita conuertere relicta in opera pia, negatiuè reſol-
1 uerunt.† Nam licèt Confraternitas non ſit locus pius, Bald. *in l. ſi quis ad declinandum, §. in omnibus, nu. 19. C. de Epiſc. & cler.* Abb. *conſ. 31. num. 2. lib. 1.* Imol. *in c. officij, nu. 20. & ſeq. de teſtam.* Alex. *in rubric. de noui oper. nunc. num. 25.* Ant. Gabr. qui de magis cõmunis de pia cauſa, *concl. 1.* Hier. Gabr. *conſ.*
2 *162. lib. 1.* † tamen ad effectum quòd cenſeatur prohibita detractio Trebellianicæ, non eſt neceſſe, quòd locus ſit pius, ſed ſufficit quòd opera pietatis exerceat, quia priuilegium non datur loco, ſed cauſæ, cui relinquitur. Caſtren. *conſ. 167. num. 2. lib. 2.* Card. Mantic. qui alios refert, *de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 6. nu. 5.* Gabr. *de pia cauſa, concl. 2. num. 15.* Peregr. *de fideic. ar. 3. num. 63. verſ. & nota.*

3 Nec obſtat, quòd ad effectum, quòd cenſeatur prohibita Trebellianica, neceſſe eſt, quòd pia cauſa ſit immediatè ſubſtituta, vel mediatè, modò fideicommiſſarius ſit purè vel in diem certam grauatus reſtituere. Secùs autem ſi ſub conditione, ſi ſine filiis, vt per Craſſ. qui alios refert, *in §. Trebellianica, q. 6. num. 9.* Et ratio differentiæ eſt, quia in primo caſu eſt certum, quòd Eccleſia eſt ſucceſſura, in ſecundo verò caſu ſubſtitutus primo hæredi non poteſt impedire detractionem, quia non eſt priuilegiatus. Et minùs etiam pia cauſa, quia eſt incertum, an ſit ſucceſſura. Quas rationes in ſpecie ponderat Roman. *conſ. 206. num. 7.* Eman. Coſta, *in c. ſi pater, verſ. Trebellianica, num. 27. de teſtam. in 6.* Peregr. *de fideicom. loco ſuperiùs allegato, num. 55.* † Nam in caſu de quo
4 agitur, licèt Confraternitas ſit ſubſtituta ſub conditione ſi ſine filiis, tamen Marchegiana nunquam habuit filios, & ideo ſemper Confraternitas fuit certa, quòd erat ſucceſſura. Quare cùm hæc ratio Doctorum ſit generalis, & adaptetur ad punctum de quo agitur, bene illud determinat. gloſ. *in l. milites agrum, de re milit. l. his ſolis, de reuoc. donat.* Iaſ. *in l. Marcellus, nu. 46. ff. ad Trebell. & in auth. non licèt, C. de lib. præter.* Rim. Iun. *conſ. 4. num. 8. & ſeqq. lib. 1.*

Non obſtat deciſio in cauſa Fauentina fideicommiſſi, 13. Nouembris 1595. coram R. P. D. meo Litta, quia iſte articulus non fuit ibi ex profeſſo tractatus, ſed aliquid perfunctoriè dictum, & ibi detractio Trebellianicæ expreſsè reperiebatur prohibita.

INTERAMNEN. Compromiſſi.

Ven. 10. Decembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Quietantiæ probant in præiudicium quietantis.*
2 *Aſſignatio facta inter partes, habet vim veræ ſolutionis.*
3 *Solutione eius quod debetur, tollitur obligatio.*

DECISIO CCXI.

DVbitaui, an Marcutio fuerit ſatisfactum de fructibus cenſus venditi per Fatiolum decurſis vſque ad diem ceſſionis factæ 27. Maij 1590. Et Domini affirmatiuè reſoluerunt, quia iſti fructus, ad rationem ſcut. 48. quolibet anno aſcendunt à die impoſitionis, quæ fuit de anno 1586. 2. Ianuarij, vſque ad dictam diem ceſſionis, ad ſummã ſcut. 203. 34. & tamen Marcutius habuit in vna manu ſcut. 91. & 30. vt conſtat ex quietantiis factis per ipſum Marcutium, † quæ probant 1
in præ

in præiudicium ipsius. Alex. *cons.*90. *num.*3.*lib.*3. Aym.*cons.*619.*num.*8. Et posteà cùm hæredes Ceuoni agerẽt contra Fatiolum pro fructibus census, hoc est pro scutis 133.60.& obtinuissent mandatum, Marcutius voluit assumere onus soluendi pro Fatiolo, & excomputare cum dictis
2 hæredibus Ceuoni. † Quæ assignatio facta inter partes, habet vim veræ solutionis. Castr. *in l.singularia, prope fin.ff.si cert. petat.* Afflict.*decis.* 353. *numer.* 1. Et sic cùm Marcutius habuerit scuta 224. 90. vtique habuit etiam vltra suum creditum.
3 † Quare solutione eius quod debebatur fuit sublata omnis obligatio. inst.*quib.mod.toll. oblig.in princ.*

Sed hæc dicta sunt ex abundanti, quia Marcutius agnouit bonam fidem, & cessit dubio.

CALCIATEN. ET Legionen. Præstimoniorum.

*Ven.*10. *Decembris* 1604.

SVMMARIVM.

1 *In beneficialibus, cùm petitur restitutio, requiritur titulus coloratus, ne detur vitiosus ingressus.*

2 *Agens ad restitutionem, probare debet, se possedisse per prius, & partem aduersam nunc possidere.*

3 *Capitulũ Ecclesiæ Cathedralis habet intentionem fundatam in conferendo Archidiaconatum, exempli gratia, qui vacat in mense Ordinarij.*

4 *Collatio beneficij quod est simultaneæ collationis, facta ab vno, tenet, altero non contradicente.*

5 *Possessio tradita ab illis qui habent potestatem conferendi, habet vim collationis.*

6 *Possessio probatur per instrumentum, non existente alio in possessione.*

7 *Possessio in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, debet capi Capitulariter.*

8 *Per possessionem Ecclesiæ, alio non existente in possessione, censetur capta possessio etiam bonorum.*

9 *Restitutio non conceditur, quando notoriè constat de non iure petentis.*

10 *Secundum extremum in spolio probatur ex sustentatione litis, concurrentibus adminiculis.*

DECISIO CXXII.

DOmini resoluerunt, Ioannem esse restituendũ. Constat enim de titulo colorato, † qui in benefi- 1
cialibus requiritur, quando petitur restitutio, ne detur vitiosus ingressus. Rot.*decis.*2.*de rest. spol. in nou. &* 20.*eod.tit.in antiq.&* 7.*num.*2. *de probat.in nou.* Cassad. *decis.*8. *num.*1. *de rest.spoliat.* Put. *decis.*99. *num.*5. *lib.*1. Achill.*decis.*8.*num.*3.*de trienn.* Et pariter constat de antiquiori sua possessione,& iuniori partis aduersæ. † 2
Quæ duo extrema requiruntur, & probari debent ab agente spolio, Innoc.& DD.communiter, *in cap.sæpè, de rest. spol.* Abb. *in c.si diligenti, de præscript.* Dec.*cons.*252.*num.*1.*vers.est ergo solùm videndum,* Alex. *cons.*6. *nu.* 5.*lib.*3. Grat.*cons.*70.*nu.*22.*lib.*2 Natt. *cons.*562. *num.*1.*lib.*3. Rol.*cons.*50.*nu.* 4.*& seqq.lib.*2.

Nec obstat, quòd de titulo colorato constat ex prouisione Capituli, & tamen petens restitutionem debet probare, se habere titulum ab habẽte potestatem instituendi. Rot. *decis.*5. *de restit. spol. in antiq.* † quia 3
cùm iste Archidiaconatus vacauerit in mense Ordinarij, & sit in Ecclesiæ Cathedrali, Capitulum habet intentionem fundatam de iure com

communi Cassad. *decis.22.de præben.* Put.*decis.*135.*lib.*1.

4 Nec refert, quòd collatio sit simultanea Episcopi, & Capituli, quia cùm vterque habeat potestatem conferendi insolidum, tenet collatio facta ab altero tantùm,quãdo de alterius contradictione non constat. Achill. *decis.*4.*num.*13.*&* 14. *de præben.* Put. *decis.* 190. *num.*4. *lib.*3.

Minùs facit,quòd instrumentum quòd datur, contineat solam electionem Capituli, & non collationem, quia cùm statim vigore illius electionis fuerit tradita possessio 5 per eosdemmet Canonicos, † illa possessio tradita ab illis qui habent potestatem conferendi, habet vim collationis. Rot. *decis.*16. *de conces. præben.in nou.*Put.*decis.*120.*&* 125.*lib.* 3.Achill.*d.decis.*4.*de præben.num.*3.*& seqq.*

Nec etiam placuerunt ea quæ contra primum extremum deducebantur,† quia de eo dictum fuit sufficienter, constare ex instrumento adeptionis possessionis, *per l.prædia,* vbi Bart. *num.*1.*ff.de ac.poss. l.non id circo,* & ibi Bald. *C.de fid.instr.* Put. *decis.*360.*num.*8.*lib.*1. Et hæc possessio licèt instrumentalis prodest Ioãni,cùm alius in possessione non existeret. Put.*d.decis.*360. *num.*8. Rot. 7 *decis.*21.*de rest.spol.in antiq.* † Et fuit etiam capta Capitulariter,prout requiritur, quando præbenda est in Cathedrali, vel Collegiata. Cassad. *decis.*8. *nu.*1. *de caus.poss.& propr. & decis.*5.*nu.*3.*de iurep.*Paleot.*decis.*295. Et fuit pluriès resolutum.

Et ideo non obstat quod dicebatur, non constare,fuisse captam possessionem præstimoniorum de quibus agitur, quia cùm sint vnita Ecclesiæ, vt constat ex vnionibus, & fuerint tanquam talia, vt deponunt testes, possessa ab antecessore Ioannis, † per adeptionem possessionis Ecclesiæ, alio non existente in possessione,censetur quoque capta possessio bonorum.Anchar.*in reg. beneficium,ante num.*12.*de reg.iur. in* 6.*& in reg.sine possessione,num.*20.*in fin.eod. tit.*Aret.*in l.possideri,nu.*8.*& in l.cùm hæredes, num.*5.*ff. de acq.poss.* Couar. *var.resol.lib.*7.....16.*nu.*13.Et fuit pluriès resolutum.

Nec officiunt ea quæ deducuntur contra vnionem, quia, vltrà quòd super simili restitutione ad præstimonia de quibus agitur,adest res iudicata Rotalis, cuius vigore etiam fuerunt relaxatæ exequutoriales, illa requirunt altiorem indaginen. † Et ad impediendam re- 9 stitutionem debet notoriè constare de non iure petentis. Rot.*decis.* 2.*vt lit. pend. in nou. & ibi adden. & decis.* 2.*de rest.spol. pariter in nou.* Cassad.*decis.*3.*eod.tit.*

Quantum attinet ad secundum extremum, controuerti non potest. † Probatur enim ex sustẽtatione li- 10 tis,cõcurrentibus adminiculis,nẽpe prouisione Ordinarij, & aliis.Cæs. de Grass. *decis.*4. *num.*2. *de rest. spol.* A.A.*in epit.tit.de vtroque extremo,*§.1. Et fuit nouissimè resolutum in causa Bononien. præceptoriæ, 24.Nouembris præteriti, coram R.P.D. Litta.

CESENATEN. LVCRI Dotis.

*Merc.*15. *Decembris* 1604.

SVMMARIVM.

1 *Dotem scienter recipiens super bonis Emphyteoticis lucrum dotale ex illis consequi non potest,secus si adsit pactum,quòd lucrum dotale sit saluum, quo casu lucrum dotale,saltem aliũde consequetur.*

Decisio CCXIII.

FVit resolutum, D. Herculem teneri assecurare per se ipsum lucrum dotale D. Francisco, quatenus illud consequi non potest super bonis emphyteoticis. Adest enim in capitulis pactum clarum, quòd lucrum dotale sit saluũ D. Francisco, quod est seruandum, *l. 1. ff. de pact.*

1 Non obstat, quòd dos fuit scienter recepta super prædio emphyteotico, & ideo sibi imputare debet D. Franciscus, si rem accepit super qua lucrum dotis consequi non potest. Alex. *cons. 176. num. 9. lib. 7.* Castren. *cons. 59. num. 3. lib. 1.* Phan. *de lucr. dot. gloss. 10. num. 58. circa fin.* quia ideo D. Franciscus, quia dos erat super bonis emphyteoticis, voluit sibi cauere de lucro dotali, per dictam reseruationem quæ ei suffragatur, *l. 4. §. 1.* vbi Bart. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. sõlua.* glos. *in l. item Labeo, in ver. punct. ff. fam. ercisc.* Castren. *in l. 1. nu. 7. ff. ad leg. Falcid.* Dec. *cons. 42. in fin.*

Minùs etiam obstat, quòd ista bona emphyteotica sint hæreditaria, ex statuto Cesenæ. Quia nihilominùs potest dari aliquis casus, quo super eis Franciscus non posset habere lucrum, & ideo D. Hercules tenetur per seipsum obligationem facere, quòd lucrum dotale erit saluum prædicto D. Francisco.

ROMANA SANCTI Thomæ.

Veneris 17. Decembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *In relaxatione mãdati vigore sententiæ inter easdem personas inter quas fuerat iudicatum, requiritur citatio, secundùm æquiorem opinionem.*

2 *Communior opinio non est seruanda, quando conuincitur per rationes concludentes.*

Decisio CCXIIII.

QVia post rem iudicatam, ob nõ interpositam appellationem, fuerat facta exequutio absque alia citatione super eadem re super qua fuerat iudicatum, & inter easdem partes inter quas fuerat pronunciatum, ideo dubitaui an huiusmodi exequutio fuisset valida. Et Domini negatiuè resoluerunt, quia licèt articulus sit dubius, & controuersus, vt per Gabr. *de citat. concl. 1. num. 129. & seqq.* † tamen æquior est, 1
& humanior sententia, quòd requiratur talis citatio. Alex. *in l. à diuo Pio, §. in venditione, nu. 30. & seq. ff. de re iud.* Cassad. *decis. 6. num. 2. de cauſ. poſſ.* Et in hac opinione magis incalescunt iura, vt per Alex. *loco citato,* Franc. *in c. ex parte, num. 90. de appell.* benè Duenn. *reg. 94. in 2. ampliat.*

Nec facit, quòd contraria sententia videatur magis communis, vt per Gabr. Cassad. & Alex. quia, quicquid dicendum esset hodiè, stante quòd multi superuenerunt scriptores nõ mediocris auctoritatis, qui prædictam opinionem sequuti sunt, † ta- 2
men à communi opinione receditur quando cõuincitur per concludentem rationem. Felin. *in cap. 1. nu. 54. de constit.* Gabr. *cons. 100. num. 45. & seqq. & cons. 101. nu. 1. vol. 2.*

Non obstat, quòd Rot. *decis. 25. nu. 3. de appellat. in nou.* videatur dicere contrarium, quia decisio nihil tale dicit, sed solùm additio, quæ allegat Innocentium, qui tenet contrariam sententiam, nec mouetur alia concludenti ratione.

Minùs facit decisio Accoromb.

7.p.2. quia in casu illius decisionis præcesserat mandatum, & postmodùm fuerat datus quidam merus exequutor.

BVRGEN. ADMISSIONIS ad habitum.

Lunæ 20. Decembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Statutum, quòd sufficiat probatio per famam est validum.*
2. *Testes pro probanda fama, quomodo debeant deponere.*
3 *Actore non probante reus absoluitur.*
4 *Statutum, quòd credatur saltuario, intelligitur nisi subsit causa in contrarium, vt ei non credatur.*
5 *In concursu magis creditur testibus deponentibus de bona fama, quàm de mala.*
6 *Probationi factæ contra statutum, magis creditur, quàm probationi factæ requisitæ à statuto.*
7 *Decisio Doctoris ex vnica etiam ratione sustinetur, licèt aliæ non applicentur.*
8 *Verbum* (aliqua) *intelligitur secundùm subiectam materiam.*
9 *Statutum factum lite pendente, non potest in causa allegari.*
10 *Adstringens se ad duo probanda, debet vtrumque probare, alias reo dari debet absolutoria, nu. 11.*
12 *Promittens factum alienum, faciendo quod in se fuit, vel adimplens per æquipollens, liberatur.*
13 *In arbitrio Religionis est, recipere aliquem in Religionem, & retinere durante anno probationis.*
14 *Quod tamen non procedit, in anno probationis, in quo cessante legitima causa non potest eiici, nec pariter eiici potest postquàm quis admissus fuit ad faciendas suas probationes in Religione Hierosolymitana.*

DECISIO CCXV.

DVbitaui, an statutum vltimo loco productum, per quod cauetur, quòd non recipiantur in milites, qui originem aliquam ab impuris, nedum probabilem, sed nec etiam aliqua fama auditam, quoquo modo traxerint, obstaret D. Fráciſco de Paez. in casu, & ad effectum de quo agitur hoc est, vt probationes per ipsum factæ ei non suffragarentur. Et non obstare, vtraque parte informante, vnanimiter per Dominos fuit resolutum. Depuritate enim ipsius D. Francisci ex quarto de Turre cremata apertissimè constat ex depositione 84. testium, & ex aliis iuribus ponderatis in decisione R.P.D. mei Lancellotti 26. Ianuarij huius anni, cui non est quod addatur.

Nec obstat, quòd vigore huius statuti sufficit probatio per famam. Nam licèt huiusmodi statutum sit validum, vt per Dec. *in c. dilecti, num.* 48. *de appellat.* nihilominùs, vltra quòd testes in contrarium adducti, qui sunt tantummodò quatuor, huiusmodi famam minimè probant. † Nullus enim adest, qui dicat, esse publicum, & notorium, vel esse publicam vocem, & famam, vel saltem publicè audiuisse, iuxta opinionem quam Rota seruat. Verall. *dec.* 7. *lib.* 2. & multa requirantur ad effectum, quòd ista probatio intret, vt per eundem Dec. *d. loco & à dicto, nu.* 48. *vsque ad numer.* 60. de quibus nō est modò agendum, tamen dato etiam, quòd dicti testes probarent famam, non releuaret, quia in contrarium adsunt 84. testes, & aliæ probationes póderatæ in decisione D.M. Lancellotti, ex quibus optimè

1

2

puri

puritatis fama probatur, & proinde de contraria fama non liquet. † 3
Et ideò quod non apparet, obesse non debet, vt in puncto similis statuti dicit eleganter Bald. *in l. Diuus, num. 3. vers. similiter si statutum*, idem Bald. *in l. qui accusare, num. 4. vers. 2. C. de eden. & in l. item si statutum, in fin. C. de pericul. tut. & in l. fin. nu. 15. vers. ex hoc deciditur*, vbi quòd ita seruatur in practica, *ff. de eden. & in l. Sacrosanctæ, num. 7.* vbi quòd ita se habet veritas. Dec. *in d. cap. dilecti, num. 60. de appell.* Et bene facit in puncto 4
quod dicit Ang. *loco præcitato*, † quòd si adsit statutum, quòd credatur saltuario, intelligitur, nisi subsit causa in contrarium, vt ei non credatur. Et corroborantur prædicta ex Bart. *in l. de minore*, §. *plurimus, num. 32. ff. de quæst.* vbi in terminis similis statuti dicit, quòd intelligitur de fama legitima. In casu verò de quo agitur, dato etiam quòd quatuor testes in contrarium adducti probarent famam. Et adest ratio cur huic famæ non credatur, quia legitima ea censenda non est, cùm adsit fama in 5
contrarium. † Et in concursu magis credatur testibus deponentibus de bona fama, etiã paucioribus, quàm deponentibus de malafama; ex allegatis coram me in causa Legionen. Canonicatus 3. Iunij 1604. & in indiuiduo Dec. *loco præcitato, num. 61.* Quantò igitur magis est standum istis testibus deponentibus de bona fama, cùm excedant in tanto numero, & adsint aliæ quam plures probationes, vt dictum est.

Dec. 68

Nec prædictis resistit, quòd Bald. 6
in d. l. accusare, videatur dicere, † quòd ex eo magis credatur famæ probatæ contra statutum, quàm famæ requisitæ à statuto; quia probationes sunt pares, & iura partium obscura, & propterea fauendum est reo. Nam licèt hæc sit bona ratio in casu illo ponderata per Bald. non propterea tollitur alia ratio, quòd cùm fama sit in contrarium, non liquet de fama requisita à statuto, & vtramque rationem per se in decisione similis casus ponderat Bald. *in d. l. fin. ff. de eden.* † Et sufficit, quòd 7
decisio Doctoris sustineatur ex vnica ratione, licèt aliæ non applicentur, §. *affinitatis, instit. de nupt. l. si non lex Ælia Sentia, ff. de hæred. instit.* Alex. *in l. 1. num. 43. ff. de offic. eius*, Pur. *decis. 69. lib. 2.*

Nec facit, quòd statutum loquatur per verbum *aliquâ fama*, & per verbum, *quoquo modo traxerint*. Quia verbum, † *aliqua* intelligitur secun- 8
dùm subiectam materiam, vt per Dec. *cons. 581. num. 2.* Tiraq. *in l. si vnquam, in ver. omnia vel partem aliquã C. de reuocand. donat. num. 14. & seqq.* & ideo debet intelligi de fama apta ad excluden. D. Franciscum, qualis non est ista, per supradicta. Vltra quòd deberet habere ortum à personis fide dignis, & ex causis probabilibus quæ populum ad sic credendum induxerint. Dec. *loco citato, num. 56.* Alia verba, *quoquo modo*, intelliguntur scilicèt aliquo ex ascendentibus; habent enim relationem ad verbum *traxerint*, quod refertur ad dd. ascendentes.

Et denique huiusmodi statutum 9
est factum longè post hanc litem motam, & ideo ad decisionem huius causæ allegari non potest, *auth. in medio litis non fieri sacras form. coll. 8. l. leges & constitutiones*, & ibi Bald. *num. 4. C. de leg.* Bart. *in l. omnes populi, num. 4. vers. aut sunt negatiua, de iust. & iur.*

Nec facit, quòd nihilominùs sententia de partibus contra Franciscũ remanet iusta, cũ ipse se adstrinxerit ad faciendas nouas probationes;

& habendum fides ſanctiſſimæ Inquiſitionis Toleti, & Logrognio, quibus conſtaret, Didaco Lopez de Ariaz, & Ioanni Lopez de Salazar non ex eo fuiſſe denegatam familiàritatem, quòd eſſent impuri
10 ex quarto de Turrecremata, † & ideo vtrumque tenebatur adimplere, etiam quòd vnũ ſufficeret. Abb. *in c.licèt cauſam.num.*8. Imo. *num.*23. Felin.*num.*43.*de probat.* idem.Fel. *in c.2.num.*38.*de reſcr.* quia dato etiam quòd Dominus Franciſcus non probauiſſet promiſſa, nihilominùs ſententia de partibus non remanet iuſta, quia in hoc caſu ſi vnum ex præmiſſis ſufficit ad victoriã actori,
11 tamen quia ille vtrumque promiſit probare, & non probauit, † fuiſſet tantũmodò danda abſolutoria Reo, vt dicunt Abb.Imol.Fel.& alij præcitati. Sed dicta ſententia excedit fines abſolutoriæ, quia in ea non modò habetur,quòd Franciſcus non ſatisfecit promiſſioni, ſed etiam dicitur, probationes eſſe inualidas & tamen Frãciſcus, quoàd nouas probationes ad vnguem adimpleuit, vt in deciſione domini mei Lancell. alleg.

Sed ceſſat omnis difficultas,quia etiam quoàd fidem Inquiſitionis, cùm fuerit promiſſio facti alieni,
12 ſatisfecit,† tum faciendo quod in ſe fuit, tum adimplendo per æquipollens, vt fuit firmatum 4. Iunij præteriti coram eodem D.meo Lancellotto.

13 Nec tandem releuat, quòd ſit in arbitrio Religionis, aliquem recipere,vel non recipere, prout eſt in arbitrio retinere durante anno probationis. Hoſt.*in cap.ad Apoſtolicam, num.*4.Anchar.*num.*2.Abb.*num.*3. *de reg.* quia, quicquid dicendum eſſet
14 ab initio,† in caſu tamẽ de quo agitur,ſcilicèt poſtquàm Religio admiſit ad probationes faciendas,non eſt in eius libertate, abſque eius legitima cauſa petentem reiicere,† prout 15
nec poteſt durãte anno probationis, vt dicit Collectarius, *in d.c.ad Apoſtolicam, num.*19. & admittunt Hoſti. Anchar.& alij allegati,dum volunt, quòd durãte anno probationis receptus,ſi mores non placent,poſſit repelli. Hoc enim eſt intelligendũ arbitrio boni viri,&ideo quatenùs adſit legitima cauſa, Bart. *in extrauag. ad reprimendum,in verbo,videbitur,nu.* 8.Pariſ.*conſ.*65.*nu.*5.*lib.*1.*&conſ.*8.*nu.* 21.*li.*4.Et propterea cùm liqueat de nobilitate, & puritate D. Franciſci ex elegantiſſimis deciſionibus Domini mei Lancellotti, nec conſtet, ipſum teneri aliquo ex impedimentis ob quæ quis non eſt capax Religionis, de quibus per Summiſtas *in verb.Religioſus*,conſtat,iudices Sacræ Religionis grauaſſe Frãciſcum. Nec poteſt dubitari, quin S. D. N. poſſit prouidere huic incõuenienti, prout poteſt etiam Epiſcopus,quoàd Religioſos ſibi ſubditos,vt per Calder. *conſ.*14.*nu.*24. *de regul.*

ROMANA VINEÆ DE Fabris.

Luna 20. *Decembris* 1604.

EPITOME.

In hac deciſione tractatur, an ſententia lata contra principalem,exequenda contra fideiuſſores, ipſis non citatis, ſit nulla, & multa de liquidatione.

SVMMARIVM.

1 *Sententia à qua non appellatur infra decem dies, tranſit in iudicatum*

catum, & exequi debet, num.2. & 6.

3 *Clauſula, ſi quid* exequendum, *ſuſpendit exequutionem, donec de iuſtitia ſententiæ cognoſcatur.*

4 *Sententia lata contra principalem, eſt valida, fideiuſſore, contra quem fieri debet exequutio, non citato.*

5 *Fideiuſſor fingitur vnà cùm principali condemnatus.*

7 *Fideiuſſor in forma depoſiti, non eſt fideiuſſor facti alieni, & ideo obligatur, &c. maximè ſi ſe obligauit vti principalis, principaliter, & in ſolidum, nu.8.*

9 *Fideiuſſor iudicij, mutata actione, re, vel iudice, non tenetur. Et quando dicatur mutata res, nu.10.*

11 *Fructus qui ſeruando ſeruari non poſſunt, non præſumuntur durare vltra triennium, & ideo poſt triennium poteſt fieri condemnatio ad æſtimationem, num.12.*

13 *Procurator non poteſt principali præiudicare, ſine principalis ratificatione, num.14.*

15 *Deciſio 1165. Seraphini declaratur.*

16 *Principalis non poteſt ratificare ſpolium poſt factam reſtitutionem.*

17 *Dictio, ſupràdictis, eſt repetitiua omnium præcedentium.*

18 *Vendens cum reſeruatione dominij, donec de pretio fuerit ſatisfactus, ante pretium ſolutum, dominium non transfert, & emptores cenſentur ex pacto conductores, & apud dominum remanet poſſeſſio ciuilis, nu.19.*

20 *Conductor alienãdo interuertit poſſeſſionem domini, & quando non.*

21 *Teſtis iurans extra terminum, dicitur nulliter examinatus.*

22 *Citatio ad videndum iurare teſtes, debet eſſe perſonallis; fallit quando quis ſemel fuit citatus perſonaliter, ad cauſam, & poſteà domi dimiſſa copia, nu.23.*

24 *Electio domicilij facta ex eo quòd quis non habet ſedem permanentem, & reperiri non poteſt, facit, vt quis citatus domi, dimiſſa copia, habeatur tanquam perſonaliter citatus.*

25 *Citatus in aliqua habitatione, & poſt citationem comparens in iudicio, videtur illam habitationem approbare pro domicilio.*

26 *Comparitio partis validat citationem, nulliter exequutam.*

27 *Liber rationum priuatus non probat.*

Decisio CCXVI.

DVbitaui, an ſententia Rotalis liquidatoria fructuum eſſet exequenda. Et Domini affirmatiuè reſoluerunt. † Quia cùm conſtet de re iudicata ob non interpoſitam appellationem infra decem dies, *auth. hodie, C. de appellat. cap. Romana, §. ſi verò, de appellat. in 6.* † & de iuſtitia dictæ ſententiæ, eſt locus exequutioni, *l.2.C. de exequut. rei iudicat.* † Clauſula enim, *ſi quid exequendum*, cum qua fuit cõmiſſa cauſa, ſuſpendit ſolùm, donec de iuſtitia ſententiæ exequendæ cognoſcatur. Paleot. *dec.*133. Verall. *deciſ.*180. *in fin. lib.*1. *in manuſcript.* 1 2 3

Nec eſt verum, quòd cùm agatur de exequutione facienda contra fideiũſſores qui ſe obligarunt de reſtituendo fructus perceptos ad omne mandatum Dominorum, ſententia, ipſis non citatis, remanet nulla, quia cùm iſti ſint fideiuſſores iudicij, (fideiuſſio enim fuit facta coram iudice, & in loco iudicij, & apud acta.) Bart. *in l.1. ff. iud. ſolu.* Ruin. *conſ.*98. *num.*4. *vol.*5. Surd. *conſ.* 326. *num.*25. *lib.*3. & *conſ.*277. *nu.*39. & 46. *lib.*2.) ideo ſententia lata cõtra 4

principalem, ipſis quoq; etiam non
5 citatis, nocet; † finguntur enim vnà cum principali condemnati. Bart. & alij *in locis præcitatis.* Alex. *in l. ſæpè, ſub num. 17. ff. de iud.* Guido Pap. *deciſ. 26.* Surd. *d. conſ. 271. num. 3. & ſeqq. & conſ. 326. num. 25.* Et fuit reſolutum coram me in cauſa Romana fideiuſſionis 20 Nouembris 1602.

Non obſtat, quòd fideiuſſores potuerunt appellare ab huiuſmodi ſententia, quia cùm nec principalis, nec fideiuſſores appellauerint in
7 tempore, † meritò ſententia poteſt exequutioni mandari, vt in puncto Surd. *alleg. conſ. 271. nu. 32.*

Nec placuit, quòd cùm promiſerint factum alienum, nempe quòd Ioannes reſtitueret fructus, debebāt citari, ad effectum, quòd facerent quantum in ſe eſſet, quòd reſtitueret, & quòd inde conſequerentur liberationem, quia hæc non eſt promiſſio facti alieni ſimpliciter, ſed eſt fideiuſſio in forma depoſiti,
8 † & ideo fideiuſſores omninò tenentur. Cagnol. *in l. impoſſibilium, nu. 4. ff. de reg. iur.* Hermanoctius Detus, *in l. 4. §. Cato, num. 378. ff. de verb. oblig.* Maran. *in ſpecul. diſput. 7. num. 23. cum*
9 *ſeqq.* † Eóque magis, cùm fideiuſſores ſe obligauerint, vti principales principaliter, & in ſolidum, quia reſpectu illorū de Fabris ſunt principales. Alex. *conſ. 32. num. 10. in fin. lib. 4. & conſ. 29. num. 36. lib. 7.* Aym. *conſ. 272. ſub num. 13.* Mohed. *deciſ. 2. de fideiuſſ.*

Non obſtat, quòd dicti fideiuſſores fuerūt condemnati ad reſtituendum æſtimationem fructuum quam non promiſerunt, † & quotieſcumque mutatur iudex, res, vel actio, fideiuſſores non tenentur, *l. non à iudice, §.*
10 *1.* vbi gloſſ. & DD. *ff. de iud.* † Quia reſp. quòd res tunc mutatur, quando de vna re acturus ſtipulatus eſt iudicatum ſolui, & poſteà egit de alia, & tunc fideiuſſor non tenetur, quia eius obligatio alteratur; ſed in caſu iſto non militāt prædicta, quia cùm fideiuſſio fuerit de reſtituendo fructus, † qui, ex quo ſeruando ſeruari 11
non poſſunt, non præſumūtur vltra triennium durare, gloſ. *in l. 1.* & ibi omnes, *C. ſi aduerſ. vſucap.* Corn. *conſ. 104 num. 26.* vbi de communi, *lib. 2.* Et ideò cùm de tempore condemnationis iſti fructus extare non poſſent, † meritò fuit facta condemna- 12
tio ad æſtimationem. Bart. *in l. eum qui, num. 1. ff. de his quib. vt indig. & in l. ex diuerſo, §. 1. in fin. ff. de rei vendic. & in l. diuortio, §. ob donationem, num. 4.* & ibi Iaſ. *in fin. ff. ſol. matr.* Abb. *in cap. grauis, num. 22. de reſt. ſpol.* Ang. Aret. *in §. ſi quis à non dominos, ſub num. 6. de rer. diu. inſt.* Et fuit reſolutum in cauſa Tarraconen. liquidationis fructuum, 17. Maij 1593. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Seraphino. Et ceſſat omnis difficultas, quia expreſsè ſe obligarunt ſoluere fructus, vel æſtimationem.

Nec minùs placuit alia nullitas, ex quo non fuit citatus Ioannes Ochoa, † qui tanquam procurator 13
generalis ad lites non poterat præiudicare principali, ſpoliando Fabros. Ægid. *deciſ. 550.* Rot. *in nou. dec. 7. vt lit. pend.* Et ideo omnino erat citandus. Quia ceſſat hoc fundamentum, cùm Petrus principalis habuerit notitiam ſpolij, illud defendendo, † & ideo per cōparitionem 14
cenſetur rata habuiſſe geſta per procuratorem, Lancell. *de attent. par. 1. c. 1. num. 56.* Et ideo bene potuit agi contra principalem, non citato Ioanne de Ochoa.

Nec eſt verum, quòd Petrus prin- 15
cipalis non potuerit ratificare dictū ſpolium, poſtquàm Fabri fuerunt reſtituti, vt in cauſa Collen. parochialis

chialis 11. Decembris 1595. coram Illustrissimo D. Cardinali Seraphino; quia illa decisio loquitur ad effectum, vt spoliatus non possit agere spolio. Nam si ille qui fecit expensas, non docet de mandato, vel ratificatione illius cuius nomine possidebat ante dictum spolium,
16 † post eiectionem, ratificatio non valet. Et ita loquitur, *decis. 9. de rest. spol. in nou.* quæ in dicta Collensi allegatur.

Nec releuat, quòd cùm de tempore obligationis Petrus non spoliasset, sed Ochoa, ratificatio subsequens non potest nocere fideiussoribus, ad effectum, quòd Ochoa non deberet citari, cuius intuitu fideiussores se obligauerant, & ad eorum fauorem est facienda strictissima interpretatio *l. blanditus, C. de fideiuss. l. stipulationum alia, §. satis acceptio, ff. de verb. oblig. l. fideiussor magistratuũ, §. pro Aurelio, ff. de fideiuss.* Nam fuit responsum, quòd Ioannes Ochoa semper egit nomine Petri, & fideiussores se obligarunt intuitu Ioannis Ochoa procuratoris, & non Ioannis simpliciter; & ideo quamuis fuisset in facultate Petri, ratificare, vel non ratificare spolium, tamen acta facta per Ochoam implicitè afficiebant dictum Petrum, scilicèt quatenùs vellet ratificare, & ideo sibi imputent fideiussores, si voluerunt intercedere pro eo qui gessit procuratorio nomine, absque legitimo mandato, & subiacere huic futuro euentui ex voluntate Petri principalis.

Minùs etiam subsistit iniustitia sententiæ, ex quo condemnatio ad fructus non poterat fieri ad fauorem illorum de Fabris, cùm sententia in spolio non fuerit lata ad illorum fauorem; quia in sententia dicitur, Petrum Matthæum, & alios supradictos esse restituendos, inter quos, cùm esset nominatus Petrus Faber, meritò & ipse comprehenditur in hac restitutione. † Dictio 17
enim *supradictis*, est repetitiua omnium præcedentium. Surd. *decis. 125. nu. 1. vers. facit etiam.*

Nec releuat, quòd Petrus Faber vendiderit vineam P. Matthæo Varino, & Paulo Bellono, quia nihilominùs dictus Petrus Faber sibi reseruauit dominium, † donec de pretio 18
integrè esset satisfactum, & interim fuit conuentum, quòd vinea censeretur locata pro certa responsione, ne emptores retinerent rem, & pretium. Quare cùm non constet, Petrum fuisse satisfactum de pretio, nunquam dominium fuit translatũ in emptores, sed remansit penes ipsum. Bald. *in rubr. de contrah. empt. num. 23. q. 13.* Abb. *cons. 66. num. 2. p. 1.* Dec. *cons. 440. in princ.* Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. glos. 2. num. 39.* Et fuit resolutum in causa Romana notariatus Rotæ, 21. Maij 1604. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio. Et idem dicendũ est de possessione, quòd semper remanserit penes Fabros, cùm locatio fuerit facta pro certa responsione, donec ipsi retinebant dominium. Et ideò cùm donec pretium solueretur emptores essent conductores meritò non sibi, sed domino possidebant, *l. si quis antè, & l. quod meo, in princ. & in l. si aliquam rem, & l. quamuis, ff. de acq. poss.* Corn. *cons. 40. num. 6. vol. 4.* Alber. *cons. 305. num. 3.*

Nec etiam releuat, quòd in instrumento Faber reseruat, in euentum non solutionis facultatem capiendi possessionem propria auctoritate, † quia cùm reseruasset sibi 19
dominium, & locasset, hæc facultas intelligitur de possessione naturali, non autem de ciuili, ad trad. per Put.

decis.

*decis.*419.*num.*4.*lib.*2.Mohed.*decis.*11. *num.*1.*de cauſ.poſſ.& propr.* Implicat enim, quòd locet fructus vineæ, & non retineat poſſeſſionem ciuilem.

Non obſtat, quòd poſteà Paulus Bellonus vendidit portionem ſuam Benedicto Marifico, & P.Matthæus Varinus vẽdidit certam portionem Bernardino Zeffiro.† Et ita vti conductores potuerunt alienando rem ſibi locatam, & tradendo realem poſſeſſionẽ alteri, interuertere poſſeſſionem Petri Fabri. Bart.*in l.quãuis,*§.*ſi conductor, nu.*3.*ff. de acq.poſſ.* cum aliis per Surd.407. *nu.*21. *lib.*3. Vnde cùm Petrus non haberet poſſeſſionem de tempore ſpolij,meritò ſententia lata in ſpolio ad ſui fauorem, vel non ſuſtinetur, vel eſt intelligenda ad fauorem Petri,tanquã neceſſarij defenſoris, vbi talis enim venit ad cauſam. Nam reſpondetur quòd Bellonus expreſsè in venditione Marifico facta cõuenit, quòd ſolueret pretium Fabro, & interim ſolueret affictus, prout ipſe Bellonus ſoluebat. P. Matthæus verò expreſsè conuenit, quòd Zeffirus ſolueret affictus, donec integrè illi fuiſſet ſatisfactum.Ex quibus apparet, quòd iſti noluerunt interuertere poſſeſſionem Fabri,ſed ſubrogare emptores in locum ipſorum venditorum, ita vt nullum præiudicium inferretur Fabro. Et ideo quamuis Faber veniſſet ad cauſam defendẽdo prædictos, tamen cùm defenderit poſſidentes nomine ſuo, implicitè defendit ſuam poſſeſſionem.

Non officiunt ea quæ contra liquidationem deducuntur. Quòd enim teſtes fuerint nulliter examinati,ex quo non fuit citatus Ochoa, ſed Petrus, ceſſat ex prædictis. † Quòd verò fuerint examinati nulliter, partim quia iurarunt extra territorium. Felin. *in cap. licèt cauſam, num.*18.*de probat.*Caputaq.*deciſ.*285. *num.*1.*par.*3. † partim quia citatio ad videndum iurare teſtes non fuit facta perſonaliter, ſed domi dimiſſa copia, gloſſ. *in cap.cauſam,in verb.ad domum,de dol.& contum.*Innoc.*in cap. ſignificauit, in ver.denunciando, de teſt.* Abb. *conſ.* 84. *lib.*2. cum aliis per Vant. *de nullit. ex defectu citationis, num.*9. non ſubſiſtit.Nam quantùm attinet ad primum,citatio fuit facta ad primam diem,& 30.dies ſequentes iuxta ſtylum Curiæ, infra quod tempus ſufficit quòd teſtes iurauerint. Secundum verò de citatione facta domi dimiſſa copia,minùs obſtat, quia fuit facta in loco, in quo Petrus elegerat ſibi domicilium ad omnes actus.

Nec facit,quòd aliqui ex teſtibus fuerint examinati præuia citatione, domi dimiſſa copia ad videndum iurare teſtes, quia licèt regula ſit, quòd citatio debeat eſſe perſonalis, Innoc. *in d. c.ſignificauit, de teſtibus,* cum aliis ſupra citatis, tamen fallit, quando quis ſemel fuit citatus perſonaliter ad cauſam, & poſteà vel non reperitur, vel difficulter poteſt citari,tunc enim ſufficit citatio,domi dimiſſa copia, Bart. *in l.*4.*prætor ait,num.*4.& Alex.*num.*18.*ff.de damn. infect.*Rot.*deciſ.*1.*de dol.& contum. in nou.* Put. *deciſ.*279.*lib.*2. Verall.*deciſ.* 117.*num.*1.*p.*1.Et fuit reſolutum coram bo. me. Cardinali Lancellotto in cauſa Papien. bonorum 10. Ianuarij 1578.& meis temporibus in cauſa Papien. Archipreſbyteratus 10. Maij 1600. coram Illuſtriſſimo D.Cardinali Pamphilio.Et ideòcùm ab initio Petrus Luzar fuiſſet perſonaliter citatus,& eſſet alienigena, nec haberet domum permanentem, & ob id Rota voluiſſet,quòd eligeret domicilium, prout ipſe elegit, citatio

citatio facta in isto domicilio sufficit, etiam quòd requireretur citatio personalis, cùm fuerit electum, ex quo ipse tanquam forensis, & non habens domum permanentem, reperiri non poterat.

24 Nec placuit Dominis, quòd ista electio debuit intelligi pro citationibus quæ poterant fieri domi dimissa copia, quia hoc procederet, si electio domicilij fuisset facta, ex quo ipse non habet sedem permanentem, nec propterea poterat reperiri. Et ita etiam docuit observantia subsequuta; nam semper citatus in isto domicilio comparuit.

Nec refert, quòd istud domicilium fuerit electum in alia causa; quia cùm in illa causa etiam Fabri fuissent citati, & postea introducta hæc causa Petrus Lozar approba-

25 uerit istud domicilium, † cùm in eo citatus semper comparuerit, & denique in ista causa citatis Fabris reuocauerit hoc domicilium, manifestè apparet, quòd habuit illam electionem domicilij, etiam pro ista causa.

Vltra quòd dicti testes deponunt de valore aquati, & certæ quantitatis vuæ venditæ tantùm, respectu verò aliorum fructuum, & præsertim vini, testes fuerunt validè exa-

26 minati. † Nam Petrus post citationem domi dimissa copia, comparuit in actis, & ideo conualidauit dictam citationem. Rot. *dicta decis.* 11. *de dol. & contum. in nou.* Ruin. *cons.* 61. *nu.* 33. *lib.* 5.

Denique nec constat de excessiuitate in liquidatione. Fuit enim facta æstimatio, deductis deducendis electaque media via circa pretium, iuxta dispositionem testium, vt in decisione D. mei Littæ, 14. Nouembris 1603. cui non est quod addatur.

Nec facit, quòd quamplures expensæ non fuerunt deductæ; quia de expensis doliorum, cellæ vinariæ, & similibus, non erat habenda ratio, cùm æstimatio vini fuerit facta pro pretio, quod ad Vascam venditum fuit.

De expensis verò factis in torculari minùs etiam erat habenda ratio, quia ex inuétatio apparet, quòd in vinea aderant duo torcularia, & in omnem euentum torcular esset restituendum, & vsus pro duobus annis posset compensari cum torcularibus antiquis, quæ nec restituta fuerunt.

Nec est vetum, quòd fuerint factæ expensæ in vasca, quæ erant deducendæ, quia de huiusmodi expensis non constat, & quietantiæ quæ dantur, vltra quòd non sunt in actis, non loquuntur de expensis factis in vasca, sed in vinea.

Nec est habēda ratio libri Ochoæ, 27 nisi partitæ iustificentur, cùm fuerit pars formalis in ista causa, *l. exemplo, C. de probat.* Bart. *in l. admonendi, num.* 26. & ibi Rip. *num.* 121. *de iur. iur.* Et fuit dictum in hac causa 29. Maij 1589. coram Reuerendissimo Perusino.

Minúsque releuat, quòd non fuerit taxatum salarium vinitoris, & tamen constat, plures pecunias illi fuisse solutas, quia pretium vini, & fructuum fuit æstimatum deductis expensis, in quibus comprehenditur etiam expensa vinitoris.

Quòd Fabri alias habuerint scuta 300. non releuat, quia non probatur, quòd sint pro fructibus anni 1588. & 1589. pro quibus hodie agitur.

ROMANA TRANSACTIONIS.

Marcurij 22. Decembris 1604.

SVMMARIVM.

1 *Iura posita ad partes non dicuntur de actis.*
2 *Iura producta, si pars non acceptet, non præiudicant producenti.*
3 *Morosus præstando interesse potest moram purgare si consistit in non faciendo quæ est impurgabilis, numer. 4.*

DECISIO CCXVII.

IN resolutionibus causarum feci verbum super expeditione huius causæ, quam expediendam esse Domini censuerunt; non obstantibus deductis. Fueruut enim sublata ex decisionibus factis.

Primum enim, quòd Iacobus fuerat vsus concordia in iudicio, verum est, si quidem post sententiam latam à Concha iudice criminali, ad instigationem Maroldi, qui propterea contrauenit; Iacobus in causa appellationis corã Moscato produxit transactionem, sed iudex mã-
1 dauit poni ad partem. † Et sic non fuit effecta de actis. Vestr. *in prax. lib. 6. c. 7. in fin. sub num. 24.* Surd. *cons.*
2 *311. num. 74. lib. 3.* † Nec ipse Maroldus hanc productionem acceptauit, sed iudicium continuauit, & ideo per talem productionem non fuit illatum præiudicium Iacobo, vt per Paris. Osasch. & alios, *in vltima decis.* allegatos.

Nec obstat, quòd in causa coram Moscato Iacobus fecit citare Maroldum ad sententiam, quia ista sententia non tollit contrauentionem Maroldi, & adest alia citatio ad sententiam, instante fisco, scripta manu ipsiusmet Maroldi, & Iacobus fuit condemnatus ad pœnam scutorum 300. & non est dubium, quin cessante instigatione Maroldi, potuisset minori dispendio componere res suas cum fisco, vt fuit consideratum in prima instantia coram R. P. D. meo Litta 11. Ianuarij 1602.

Non obstat, quòd hodie Mar- 3
oldus sit paratus soluere interesse, & ideo potest admitti ad purgationem moræ, vt per Corn. *cons. 37. in fin.* cum alleg. per Setaph. *de priuil. iur. priu. 48. num. 12. vers. est tamen obseruandum*, quia DD. prædicti sunt intelligendi, quando mora ex sui natura est purgabilis, secùs autem in mora, † quæ committitur in faciendo, quæ de sui natura est impurgabilis, vt per Grat. qui de communi testatur, *in cons. 93. num. 63. & 78. vol. 1.* in vltima decisione allegatum.

BONONIEN. DE Mangiolis.

Lunæ 10. Ianuarij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Duo confinia probant identitatem.*
2 *Bona subiecta fideicommisso possunt alienari tam pro constituenda, quàm restituenda dote.*
3 *Vnum confine concurrente qualitate, & demonstratione, rei probat identitatem.*

DECISIO CCXVIII.

POstquàm fuit firmatum fideicommissum Comitis Melchionis senioris, & dictum, plura bona sub illo esse comprehensa, prosequendo disputationem, idem fuit resolutũ quoàd possessionem olim

possef

poſſeſſam per moniales ſancti Petri Martyris. De ea enim ſatis conſtat ex laudo lato inter fideicõmiſſarios per Fœlic.record. Gregorium decimumtertium tunc Cardinalem. Et quòd hæc ſit illamet poſſeſſio, patet ex confinibus; quia in laudo inter alia datur pro confinibus flumen Tenæ, & bona ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ confinia nedum concordant cum poſitis in mandato relaxato ad fauorem monialium, ſed etiam cum nominatis in inſtrumento reſtitutionis. Et licèt ſint generalia, tamen reſtringuntur in Communi Minerbij. † Vnde clarum eſt, quòd cùm ſint duo, probant identitatem. Bart. *in l. demonſtratio, num. 20. ff. de cond. & demon.*

Idem viſum eſt reſoluendum, de prato, della Tena, nam in diuiſione facta cum Domina Cõſtantia fideicommiſſaria, hoc pratum obuenit in portione domini de Mangiolis, in qua diuiſione dantur pro confinibus bona dominorum de Barzellinis, & Iſolanis, quæ, vltra denominationem prati della Tena, concordant cum confinibus poſitis in inſtrumento aſſignationis factæ per Comitem Alexandrum D. Liuiæ Caldarinæ eius cognatæ. Quæ bona reperiuntur hodie penes filios dictæ Lauiniæ.

2 Nec facit, quòd hęc bona fuerint aſſignata pro ſua dote D. Lauiniæ, & ſicuti bona ſuppoſita fideicommiſſo poſſunt pro dotibus conſtituendis alienari, ita etiam poſſunt pro reſtituendis. Quia hodie non verſamur in quæſtione, an licuerit alienare bona de quibus agitur, ſed ſolùm an cõprehendantur ſub fideicommiſſo Comitis Melchioris ſenioris.

Simili voto fuit reſolutum de tertio prædio terræ pratiuæ, & buſchiuæ in communi ſancti Martini in Souerzano, *detto li Pradetti*, quod poſſidetur per eoſdemmet Dominos de Mangiolis: nam ex dicta diuiſione facta cum D. Conſtantia, conſtat eſſe ſuppoſitum fideicommiſſo, & in dicta diuiſione nominantur pro confinibus Benſiuolis, & Campo Bruno. Et quamuis teſtes deponant ſolùm de confinio Campi bruni, † tamen ſufficit, cùm vltra 3 dictum confine concurrat qualitas prati, & demonſtratio in communi Sancti Martini, vt per Corn. *conſ.* 280. *num.* 5. *vol.* 3. Et fuit reſolutum in cauſa Bononien. de Felicinis 10. Maij 1596. coram R.P.D. meo Decano.

Eiſdem rationibus moti Domini idem cenſuerunt quoàd petium terræ nuncupatum *il ſerraglio de Boui*. De eo enim habetur mẽtio in diuiſione facta inter filios teſtatoris, & in laudo Gregorij 13. vbi ei dantur pro confinibus foueæ Caſtri, prata Campibruni, & etiam hodie hoc prædium poſſideatur per Comites. Vnicus teſtis nominat eademmet confinia, & alius teſtis ſolùm *Campo bruno*, ſed inſuper cõcurrit denominatio *il ſerraglio de Boui*, quæ omnia ſimul videntur ſufficere per ſupradicta.

VITERBIEN. FIDEIcommiſſi.

Mercurij 19. Ianuarij 1605.

EPITOME.

Maioribus, & minoribus ſimul petẽtibus reſtitutionem in integrum, ſi materia eſt indiuidua, maioribus etiam propter minores datur reſtitutio in integrum aduersùs aditionem

nem hæreditatis, ſecùs ſi materia eſt diuidua.

SVMMARIVM.

1 *Minoribus datur reſtitutio in integrum aduersùs additionē hæreditatis, probata minoritate, num.2.& læſione, num.3.*

4 *Deputatio curatoris non probat, quem eſſe minorem.*

5 *Fides baptiſmi concurrentibus adminiculis probat deſcendētiam, ætatem, & ſimilia.*

6 *Scriptura extracta lite pendente à notario in locum defuncti ſubrogato, probat.*

7 *Reſtitutio quæ conceditur minoribus, prodeſt maioribus in materia indiuidua, ſecùs autem in materia diuidua, vt nu.8.& 11.*

9 *Non poteſt quis decedere pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, fallit, vt nu.10.*

12 *Poſt quadriennium non competit reſtitutio in integrum aduersùs aditam hæreditatem.*

DECISIO CCXIX.

DVbitaui an minoribus fratribus de Diuitia eſſet concedenda reſtitutio in integrum aduersùs aditionem hæreditatis, quæ prodeſſet etiam maioribus. † Et quàntùm attinet ad primam partem dubij, non controuertebatur, minoribus competere reſtitutionem in integrum, §. *pupillis*, & ibi gloſ. *in authen. de hæred.& falc.* Bart. *in l. ait prætor, in princ. ff. de minor.* Bald. *conſ.71. num.2. lib.4.* latè Rolan. *de inuen. p.2. q.5.* Phanuc. *de inuent. p.2. nu.24. q.4.* cum aliis latè congeſtis per Modern. Peruſin. *de reſtitut. in integr. q.89. art.7. num.51.* Sed ad hunc effectum duo copulatiuè debent probari, ſcilicèt primum aſſumptum: † nempe minor ætas, Bart. *in l. de ætate, in 3.q.nu. 12. ff. de minor.* Abb. *in c. in præſentia, num.32. de probat.* † & læſio, ſine qua nulla datur reſtitutio, *l. nam & poſteà*, §. *ſi minor, ff. de iur. iur.* Bart. *in l. denique* §. 1. *ff. de minor.* cum aliis.

Quantum attinet ad primum requiſitum, minor ætas non videbatur probata in perſona Marci; quia datur ſolùm deputatio curatoris, † quæ non probat minorem ætatem in præiudicium tertij. Alex. *conſ.27. col.1. lib.1.* Et aliud inſtrumentum, quod fuit productum à Dominico per compulſum, & ideo non præiudicat producenti. Sed ſolùm probata videbatur in perſonam Octauij, pro qua datur fides baptiſmi, † quæ, concurrentibus adminiculis, probat deſcendentiam, ætatem, & ſimilia, vt fuit reſolutum in cauſa Regienſis Prioratus, 29. Aprilis, 1592. coram R.P.D. Millino, & in cauſa Aretina Capellaniæ, 10. Maij 1591. coram Reuetendiſſimo D. Peruſino, hìc autem adeſt deputatio curatoris, quæ licèt non probet, negari tamen non poteſt, quin faciat adminiculum.

Nec facit, quòd iſta fides baptiſmi ſit extracta lite pendente; quia ſatis eſt, quòd fuerit data à ſucceſſore in officio, vt de notario ſubrogato dicit Dec. *in auth. ſi quis in aliquo, num.26. C. de eden.* Verall. *deciſ. 351. p.2.* & in terminis ſimilis fidei fuit dictum coram me in cauſa Mōtis regalis iuriſdictionis, 10. Decembris 1602.

Quantum attinet ad ſecundum requiſitum, nempe læſionem; Domini non fuerunt concordes, ſed dixerunt, quòd in hoc coadiuuaretur probatio.

Circa ſecundam partem dubij, an reſtitutio in integrum conceſſa mino

minoribus profit maioribus, placuit distinctio facta per D. Cobellutium; an scilicèt materia sit diuidua, vel
7 indiuidua, † quia si materia est indiuidua, restitutio prodest etiam maioribus, secùs si diuidua glos. *in l. vnica, in verbo, patrocinari*, vbi Doct. *C. si in com. ead. caus.* Bald. *in d. l. denique*, §. *sed vtrum, num. 5. ff. de minor.* Aflict. *decis. 219.* latè Modernus Perusinus, *in dicto tractatu, quæst. 46. art.*
8 *4. num. 10.* † Sed in casu de quo agitur, ex quo restitutio petitur à minore post aditam hæreditatem, materia est diuidua, vt est tex. apertus, *in l. si minor, ff. de acq. hæred.* vbi portio minoris restituti aduersùs aditionem hæreditatis, non accreuit maioribus inuitis. Roman. *in l. cùm hæreditate, sub num. 5. vers. & hanc legem*, vbi Imol. *sub num. 3. vers. si verò, ff. de acq. hæred.*

9 Non obstat, quòd hoc modo quis decederet pro parte testatus, & pro parte intestatus contra dispositio-
10 nem iuris, *l. qui ex duobus, §. qui semel ff. eod. tit.* quia cùm agatur de restitutione obtenta post aditam hæreditatem, iste est casus specialis, & benè respondet Bald. *in d. l. cùm hæreditate.*

11 Nec obstat, quòd Paris. *cons. 65. num. 59. lib. 3.* teneat, quòd in his terminis materia sit indiuidua, quẽ sequitur Modernus Perusin. *de restit. in integr. p. 2. q. 46. art. 5. num. 21.* quia Paris. loquitur in casu minùs dubitabili, nempe confectionis inuentarij, cuius materia est diuidua, vt per Phanut. qui Parisium reprehẽdit, *de inuent. par. 2. num. 31.* Præsupponit enim id de quo quæritur, nempe materiam esse indiuiduam, & ideo dicit, quòd maior consequitur ex persona minoris, quod ex propria persona consequi non potest. Quæ regula non procedit, quando materia est diuidua, vt per Roman. *cons. 195. nu. 5.*

Non obstat, quòd de anno 1594. fuerit petita à maioribus tunc minoribus, restitutio in integrum; quia quicquid dicendum esset, an illa petitio suffragetur, & an de illo tempore maiores essent minores, † tamen sufficit ad hoc, vt non competat, quòd non fuerint illam prosequuti postquàm fuerunt facti maiores post quadriennium, *l. fin. C. de temp. in integr. restit. cap. 1. de restit. in integr. in 6.*

INTERAMNEN. COMpromissi.

Mercurij 19. Ianuarij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Solutio probatur ex libris mercatoris, ex quietantiis, num. 2. & ex instrumento quod facit ius clarum & manifestum, nu. 3.*

Decisio CCXX.

DOmini resoluerunt, partitas de 1 quibus in dubio, fuisse exactas per Marcutium, & primam scutorum 100. exactam ab eo fuisse à Peculo sub die 14. Iulij, constat ex libris ipsius Pauli ad quos Marcutius in suo examine habet relationem, vt *in summario, num. 2.* Et hanc partitam Marcutius expressè in sua depositione confitetur.

Quantum attinet ad aliam par- 2 titam, scutorum 365. cõstat ex quietantia Marcutij, fuisse ab ipso exactam, 24. Martij 1596. à Peculo de Ordine Ceuoni, quæ quietantia probat cõtra Marcutium, iuxta vulgares regulas.

Quo verò ad aliam partitam scu- 3 torum 406. apparet ex publico instrumento celebrato sub die 5. Maij

1597. in quo habentur hæc verba, *dictus D. Ioannes Baptiſta pro vltimo, & finali pagamento fuit confeſſus, & palàm dixit, ſatisfactum à dicto Iulio de ſcutis* 406. *debitis vigore cuiuſdam apochæ ſcriptæ manu dicti Ioannis Baptiſtæ Peculi ſub die, &c.* Quod inſtrumentum facit ius clarum, & manifeſtum, *l. cum precibus. C. de probat. l. deſiderium, C. depoſiti.* Tiraq. *de retract. lignag. §. 2. gloſ. 1. nu. 20.* cum alleg. per Cephal. *conſ.* 448. *nu. 1. lib. 3.*

Vnde cùm de huiuſmodi exactionibus clarè conſtet, meritò Marcutius agnoſcens bonam fidem ceſſit dubio.

ROMANA BONORVM de Ceulis.

Veneris 28. Ianuarij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Debitor in pecunia non poteſt inuito creditore tradere bona.*

2 *Facultas data ad tempus, elapſo tempore non prodeſt.*

DECISIO CCXXI.

IN hac cauſa Romana bonorum de Ceulis Rota aliàs decreuit, quòd aut D. Tiberius deponeret ſcuta ſedecim millia aut ſolueret ſcuta 100. menſtrua pro alimentis, & ſumptibus litis. D. Claricis, quam ſummam pluriès fuit reſolutum ei fuiſſe debitam. Quare cùm D. Tiberius nouiſſimè per inſtrumentum declarauerit, quòd intendebat inueſtire, prout realiter inueſtiebat, ſuper certis ſuis bonis ſtabilibus dicta ſcuta ſedecim millia, ideo dubitaui, an ſtante huiuſmodi inueſtimento, D. Tiberius eſſet exemptus à dicta ſolutione ſcutorum. 100. quolibet menſe. Et Domini, omiſſis quæ contra dictum inueſtimentum opponi poterant, negatiuè reſoluerunt; quia decretum loquitur de depoſito faciendo, & non de inueſtitione. Vnde non fuit ſatisfactum dicto decreto, cùm aliud ſit deponere, aliud verò inueſtire, & huiuſmodi decretũ fuit factum iuxta obligationem Domini Tiberij; nam cùm ipſe vendiderit loca Montium, nec propterea inueſtiuerit fructus, vtique cum D. Clarix agat ad recuperationem pecuniarum redactarum ex dictis locis Montium, & ad fructus qui ex iiſdẽ locis percipi potuiſſent, prout agere poteſt, iuxta reſolutiones factas, † meritò pecuniæ ei debentur, 1
& non bona, & ſic D. Tiberius non ſatisfecit, *l. 1. §. mutui datio. ff. ſi cert. pet. l. ſi ſe non obtulit, §. ait prætor, ff. de re iud. l. promiſſor Stichi, §. fin. ff. de conſt. pecun.*

Nec facit, quòd in donatione eſt 2
data facultas D. Tiberio vendendi loca Montium, & inueſtiendi in bonis ſtabilibus; quia hæc facultas eſt limitata pro tempore adminiſtrationis, donec matrimonium ſequatur. Quare non poteſt ſuffragari poſt matrimonium, *l. in agris, ff. de acq. rer. dom. l. ſtatu liberum, §. Stichum, de leg.* 2. Caſtren. *conſ.* 436. *numer. 1. in fin. lib. 2.*

Non obſtat, quòd huiuſmodi pecuniæ ſint ponendæ in loco tuto pro fideicommiſſo; quia D. Clarix inſtat pro depoſito, iuxta ordinem Rotæ, nec repugnat dare poſteà debitas cautiones.

Alia de exceſſiuitate horum alimentorum, & de non adimplemento D. Claricis, non merentur reſponſionem, cùm ſint ſublata ex quàm plurimis deciſionibus Rotalibus tã coram ſanctiſſimo Domino noſtro tunc Rotæ auditore, quàm coram bo. me. Orano, & denique coram R. P. D. Decano.

FAVEN

FAVENTINA DE Paſiis.

Ven. 28. *Ianuarij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Reductio ad arbitrium boni viri cõpetit læſo.*
2 *Iudex iniuſtè procedendo non priuat poſſeſſione.*
3 *In donatione ob cauſam cadit læſio.*
4 *Quod verè fit, non quod ſimulatè agitur, eſt attendendum.*
5 *Clauſula conſtituti in contractu ſimulato nihil operatur.*

DECISIO CCXXII.

CVm fuiſſet factum cõpromiſſum in certos arbitros, & eis donata bona cum clauſula conſtituti, qui poſtmodùm retrodonando ceſſerunt illa D. Alphonſo; dubitaui, an dicto D. Alphonſo, ad cuius fauorem ceſſerunt arbitri, vel potiùs D. Iulio, qui donauerat dictis Arbitris, eſſet concedenda manutentio. Et cùm multa copiosè hinc inde deducerẽtur, Domini dixerunt, materiam eſſe reſtringendam ad iuſtitiã huius laudi, † quia ſi Iulius probat læſionem, competit petitio reductionis ad arbitrium boni viri. Bald. *in l. cùm anteà, nu. 3. C. de arbitr.* Gabr. *eod. tit. concl. 3.* Rebuf. *ſuper conſt. Regn. lib. 3. tit. eod. gloſ. 8. num. 14.* Et pendente cauſa, cùm non habuerit ſe pro ſpoliato, ſi arbitri iniuſtè proceſſiſſent, debet manuteneri, † quia iudex iniuſtè procedendo, non priuat poſſeſſione. Angel. *in l. clam poſſidere, §. qui ad nundinas, ſub num. 2.* vbi Alexand. Socin. & alij, *ff. de acq. poſſeſſ.*

Nec releuat, quòd D. Iulius donauit arbitris, & in donatione non cadit læſio, † quia etiam in donatione ob cauſam conſideratur læſio, & ob illam reſcinditur. Aym. *conſ. 192. num. 1. & ſeqq.* De cauſa verò ſatis apparet, cùm donatio fuerit facta arbitris, ad effectum laudi ferendi, non ad effectum, quòd dicta bona obtinerent. Et ſic hæc fuit donatio ſimulata, & compromiſſum palliatum, † ideo attendendum eſt, quod verè actum fuit, non quod ſimulatè conceptum, *tot. tit. C. plus valere quod agitur.* Dec. *conſ. 682. nu. 12.* Rip. *in l. ſi vnquam, num. 19. & 26. C. de reuoc. donat.*

Neque facit dicta clauſula conſtituti, quia in contractu ſimulato nihil operatur. Bald. *in l. 3. C. plus val. quod agit.* Et in his terminis, & per prædictas rationes fuit aliàs hæc materia reſoluta in cauſa Rauenaten. bonorum, 20. Octobris 1581. & 19. Ianuarij 1582. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Blanchetto.

TOLETANA DECImarum.

Lunæ 31. *Ianuarij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Quietantiæ probant realem, & veram numerationem, & præſumuntur factæ vigore præcedentis obligationis, nu. 2.*
3 *Probatio quæ data inſtãtia corruit, nihil concludit.*
4 *Exequutio quando dicatur verbalis.*

DECISIO CCXXIII.

CVm fuiſſet lata ſententia in partibus ad fauorem Prioris, & Conuentus ſancti Iacobi de Spata, contra moniales ſanctæ Fidei, ſuper eo quòd moniales tenerentur ſoluere decimas de herbis non arrendatis

datis, quibus paſcebantur earum animalia, *vt in proceſſu, fol.* 397. ac vigore illius fuiſſent factæ plures exequutiones, dubitaui, an illæ eſſent verbales, vel reales, in caſu ad effectum de quo agitur, qui erat, vt conſtaret de attentatis, vel non. Et Domini, circumſcripto effectu de quo erit particulariter agendum, ad dubium reſponderunt, conſtare, de exequutione reali; nam ſub die 11. Iunij 1584. fuerunt relaxatæ exequutoriales, quæ fuerunt 5. Nouembris eiuſdem anni ſubexequutori præſentatæ, qui exequutioni mandari iuſſit, pro ducentis, & decem millibus, & ducentis & triginta duobus morapetinis, pro decimis paſcuorum quatuor annorum decurſorum, cuius decreti vigore, vndecima eiuſdem menſis fuit factum ſequeſtrum penes Franciſcum Martinum Tenazero collectorem arrendamentorum, qui reſpondit, eſſe debitorem trium millium morapetinorum, ac penes iudices oppidi de Valentia, qui dicebant habere in manibus octingentos octingenta morapetinos, vt *in ſummario à nu. 1. vſque ad num. 4.* Et tam dictus Franciſcus, quàm iudices ſe obligauerũt ſoluere Priori, *vt in ſummario, num. 5.* Et vigore iſtarum obligationum tã à dicto Franciſco, quàm ab Agentibus Cõmunitatis fuerunt exactæ plures pecuniarum ſummæ, vt conſtat ex quietantiis factis per agentes Prioris. † Quæ quidem quietantiæ probant realem, & veram ſolutionem, *l. pecuniæ*, & ibi Bald. *C. de ſolut.* 1

Nec eſt verum, quòd huiuſmodi quietantiæ non fuerint factæ vigore prædicti ſequeſtri, † quia vltra præſumptionem, quòd videantur factæ vigore præcedentis obligationis. Aym. *conſ.* 10. *num.* 9. Dec. *conſ.* 618. *num.* 2. concurrit, quòd licèt alia lis penderet vſque de anno 1581. tamen nunquam pecuniæ fuerunt ſequeſtratę in manibus D. Franciſci, & iudicum, ſed aliorum, vt patet etiam ex quietantiis datis in nouo ſummariolo Prioris. 2

Nec releuat, dum dicitur, quòd ſi exequutiones fuiſſent reales, Prior de anno 1584. & 1585. non obtinuiſſet alias exequutiones pro tota ſumma ſuper animalibus; quia non implicat, quòd exequutiones fuiſſent reales, & quòd Prior vellet exequi mandatum pro reſiduo. † Et ſic iſta probatio nihil concludit, cùm data inſtantia corruat, §. *pauonum, inſt. de rer. diu.* 3

Quantum attinet ad alias exequutiones factas ſuper animalibus, Domini cenſuerunt, fuiſſe verbales, quia iterum, & ſecundò fuit facta exequutio ſuper iiſdem animalibus, & vltimò de anno 1592. poſt factam exequutionem ſuper iiſdem animalibus, ſuperuenit inhibitio Nuntij, & exequutor habuit ſe pro inhibitio. Ex quibus apparet, exequutiones fuiſſe verbales.

REGIEN. PRIORATUS.

Ven. 4. February 1605.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiatus poſſeſſor de recenti tenetur exhibere titulum ad inſtantiam Ordinarij, vel patroni.*

2 *Limita quando agitur de ſpoliando facto, vel coram ſuperiore ad effectum priuationis.*

3 *Tertius veniens ad cauſam in ſtatu, & terminis facit omnia acta ſua.*

DECI

Decisio CCXXIV.

DOmini perstiterunt in resolutis, scilicèt D.Camillum non
1 teneri exhibere titulum suum, † quia regula,quòd beneficiatus,si est possessor de recenti,tenetur exhibere titulum ad instantiam Ordinarij, vel patroni, de qua per Doctores
2 *in c.licèt Heli,de Symoni.*† non habet locum quotiescumque agitur de spoliando de facto,vel etiam de iure, coram superiore, non ad effectū,vt videatur, si quis est bene,vel malè institutus, sed ad effectum vt beneficiatus priuetur,& sibi beneficium conferatur. Felin. *in d. c.licèt Heli,num.9.* Io. de Anan. *num.34. in fin.*Anchar.*in cap.1.q.8.de reg.iur.in 6.* Et ideo, cùm Achilles constituerit se aduersarium de iure,petendo collationem beneficij,D.Camillus non tenetur exhibere gratiam suam.

3 Nec facit, quòd alij patroni sint in causa, quia venerant ad causam in statu & terminis,& ideo fecerunt sua omnia acta facta cum Achille; not.*in c.2.vt lit. pend.in 6.* Put. *decis.* 71.*lib.3.*Et fuit resolutum in Corduben. statutorum 24. Ianuarij 1590. coram Illustrissimo D. meo Cardinali Seraphino,& ideo eis obstat eadem exceptio quæ Achilli.

CELSONEN. PRÆceptoriæ.

Ven.4. Februarij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Sequestrum apponitur, si possessio est attentata.*

2 *Exequutor literarum Apostolicarum cum clausula,* constito, *est mixtus, & ab eo datur appellatio, nu.6. purificata verò conditione est merus.*

3 *In exequutione Breuis Apostolici, quæ regulatur secundùm terminos l.fin.C.de edict. Diu. Adr.tollen.non admittuntur exceptiones altiorem indaginem requirentes,nisi probentur incontinenti, nu.4.*

5 *Exceptio dominij probata incontinenti opponi potest contra agentem remedio l. fin.C.de edict. Diu.Adr. tollen.*

7 *Signatura de stylo quando iudex grauauit, solet committere causam appellationis à sententia super exequutione Breuis simpliciter,vel cum clausula,* arbitrio Rotæ.

8 *Actio spolij competit illi qui à possessione cecidit facto iudicis, si clausula,*constito,&c. *apposita in Breui non fuit iustificata.*

9 *Clausula:* appellatione remota, *posita in clausula,*contradictores, *intelligitur quoàd contradictores de facto, non de iure.*

10 *Clausula,*citra vitium spolij,*si est accessoria,recipit conditiones dispositionis principalis.*

11 *Consentiens exequutioni non potest dare de attentatis.*

Decisio CCXXV.

DOmini dixerunt, esse locum sequestro quod ex officio iudicis apponitur,†quotiescumque pos- 1
sessio est attentata. Rot. *decis.*10. *vt lit.pend.in nou.*Cassad. *decis.*3. *num.*6. *de rest.spol.*Put.*decis.*414.*lib.*3. Verall. *decis.*157.*p.*3.† Nam cùm exequutor 2
literarum, vigore Breuis fuisset datus cum clausula,*constito quòd Franciscus in possessione Rectoriæ obierit,eademque dignitas conuentualis sit, Ferdinandum in possessionem inducas,*propterea iste exequutor in cognoscendo erat mixtus, & iurisdictio sub conditione ei concessa, deducenda erat in exercitium post purificationem clausulæ,ita vt merus exequu-

tor fieret, Anchar. *conſ.297.nu.8.incipien. efficacibus, verſ. item attenditur in iſtis literis,* & latè Modern. Cornetan. *in prax. aud. Cam.lib.3. c.6.nu.* 17. Et propterea cùm in purificatione dictæ clauſulæ eſſet mixtus, grauauit Honofrium, ipſum non admittendo, vt poſſet probare, præceptoriam eſſe manualem, & non eſſe dignitatem conuentualem, ſtante maximè, quòd reſeruatio, in qua conſiſtit fundamentum Breuis, non eſt omninò clara, cùm vſque de anno 1578. 10. Ianuarij coram Cardinali Lancellotto Rota cenſuit in cauſa Bracharen. præceptoriæ, huiuſmodi, præceptorias eſſe manuales.

3 Non obſtat, quòd cùm huiuſmodi materia reguletur ſecundùm terminos *l. fin. C. de edict. Diu. Adria. tollen.* Bald. *in l.2.num.65. C.de ſeruit. & aqua,* Abb. *in c. conſtitutus 2. ante num.15.de appell.* Mohed. *deciſ.13. vt lit. pend.* non debent admitti exceptiones requirentes altiorem indaginem, vt per Doct. *in d.l.fin.* Neuiz. 4 *conſ.56.num.3.*† quia Honofrius obtulit ſe incontinenti probare iſtam exceptionem, quæ erat neceſſariò admittenda, quia ſicuti exequutor aſſumpſit partes iudicis in admittendo probationem ſuper reſeruatione, ita debebat aſſumere in admittendo probationem, quæ offerebatur in continenti ſuper excluſione reſeruationis, & ſubreptione Breuis; quia intentio Papæ in iſtis Breuibus eſt, quòd Iudex cognoſcat plenè, an adſit reſeruatio, & non vult ligare manus partis, quòd non poſſit excludere reſeruationem, dicendo, quòd beneficium non cadat 5 ſub regula,† vt videmus, quòd exceptio dominij incontinenti probanda, opponi poteſt contra agentem remedio *d.l.fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen.* & impedit immiſſionem; quia excludit intentionem actoris. Bart. *in d.l.vltima, num.21.* & ibi Dec. *num.* 43. Put. *deciſ.316.lib.1.* Et fuit reſolutum in cauſa Ariminen. 27. Octobris 1586. coram bo.me. Bubalo. Et propterea cùm exequutor grauauerit, reſpectu clauſulæ *conſtito,* † ab 6 eius ſententia dabatur appellatio, licèt materia aliàs eſſet inappellabilis, ex alleg. per Modern. *in l. vnica limit.3.per tot.C.ſi de mqmen.poſſeſſ.* Et in tali caſu appellatio operatur effectum ſuſpenſiuum. Aufrer. *ad Capell.Toloſ.deciſ.vlt.* Oſaſch. *deciſ.25.nu.* 22. Lancellot. *de attent.p.2.limit.25. num.15.* Et ideo geſta appellatione pendente, cauſant attentata, *tot. tit. vt lit.pend.* † Et iſte eſt etiam ſenſus 7 & ſtylus ſignaturæ, quæ quando iudex, grauauit ſolet committere cauſam appellationis à ſententia ſuper exequutione Breuis ſimpliciter, vel cum clauſula *arbitrio Rotæ.* † 8 Hinc etiam videmus, quòd datur actio ſpolij ei qui cecidit à poſſeſſione facto iudicis, ſi clauſula *conſtito,* appoſita in Breui, non fuit iuſtificata, vt fuit reſolutum in cauſa Corduben. portionis 15. Nouembris 1557. coram Domino de Rubeis, quæ non daretur, ſi materia eſſet inappellabilis, etiam quando iudex grauat in non verificatione clauſulæ *conſtito.*

Nec releuat, quòd in Breui adſit 9 clauſula *appellatione poſtpoſita,* quia hæc clauſula eſt poſita in alia clauſula, *contradictores, &c.* & ideo intelligitur, quoàd contradictores de facto, ſecùs quoàd cõtradictores de iure, qualis erat Honofrius. *Franc.in c.1.ad fin.princ.verſ.& poterit, de conceſſ.præben.in 6.* Put. *deciſ.271.num.6. lib.3.* Achill. *deciſ.4.num.11. de ſent. excomm.* Et fuit pluriès reſolutum, & nouiſſimè in cauſa Calaguritana

de

de Maëstu, 18. Aprilis 1603. coram R.P.D. Lancellotto.

10 Nec facit alia clausula, *citra vitium spolij*, quia tanquam accessoria recipit conditiones Breuis, & intelligitur, quatenùs Breue sit iustificatum. Put. *decis.* 1. *lib.* 1. Et fuit resolutum in causa Vicen. beneficij sancti Martini 20. Februarij 1600. coram Illustrissimo D. meo Cardinali Pāphilio, vbi aliæ decisiones allegantur.

11 Minùs etiam facit, quòd quando pars consensit exequutioni, non potest dare de attentatis. Lancellott. *de attent. par.* 2. *cap.* 4. *limit.* 16. quia Honofrius non consensit exequutioni, & contrarium constat ex instrumento dato per notarium rogatum, quicquid dicat aliud instrumentum, quia, vt fatetur ipsemet notarius, fuit deceptus ab illo qui instrumentum exemplauit.

NARNIEN. CONFInium.

Lunæ 7. Febr. 1605.

SVMMARIVM.

1 *Testis examinatus sine interrogatoriis est validè examinatus, si interrogatoria non sunt in actis producta, & nulla adest protestatio.*

2 *Notario actuario magis in concursu creditur, quàm ipsius coadiutori.*

3 *Notarius habet pro se præsumptionem bonæ fidei.*

DECISIO CCXXVI.

DOmini steterunt in decisis, scilicèt, testes fuisse validè exa-
1 minatos absque interrogatoriis, † cùm non fuerint in actis producta cum protestatione, prout requiritur ad inualidandum examen, vt dicitur in alia decisione.

Nec releuat protestatio 8. Iunij, quia in ea Procurator non protestatur, quòd testes examinētur cum interrogatoriis existentibus penes acta, sed penes ipsum interpretem. Quare cùm interrogatoria non fuissent in actis vnà cum protestatione, meritò examen fuit validum. Accoramb. *decis.* 49. *lib.* 1. Barbat. *cons.* 3. *num.* 24. & 25. cum allegatis in alia decisione.

Non obstat, quòd coadiutor notarij actuarij deponat, quòd interrogatoria fuerunt producta in actis, quia contrarium deponit notarius ipse actuarius, † cui in cōcursu ma- 2
gis creditur, ex alleg. per Gabr. *de test. concl.* 4. *num.* 39. Et cùm cuius depositione concurrit etiam broliardum, in quo hæc productio non reperitur annotata. Et tamen credendum est, quòd si interrogatoria fuissent producta, in eo repiretur productio annotata, † cùm notarius ha- 3
beat pro se præsumptionem bonæ fidei, *l. cùm precibus, C. de probat. l.* 2. *in verb. non arbitramur, C. de offic. ciuil. iud.* quem tex. dicit in hoc notabilem Bald. *in l. errore, C. de testam. sub num.* 2.

Nec facit, quòd primus testis fuit examinatus cum interrogatoriis, & stylus est, quòd post examen primi testis, interrogatoria dimittuntur apud acta; quia contrarium hîc apparet fuisse seruatum, nec stylus inducit necessitatem dimittendi.

SABINEN. DECImarum.

Veneris 11. *Februarij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Indefinita in materia probatoria non æquipollet vniuerſali.*
2 *Fides non facit fidem.*

DECISIO CCXXVII.

DOmini, reſeruato vt videatur ad partes, an probetur præſcriptio, vel conſuetudo particularis, quæ ſuffragetur excellentiſſimo. D. Duci, reſoluerunt, non probari conſuetudinem generalem totius prouinciæ Sabinæ, non ſoluendi decimas Eccleſiis parochialibus, & aliis ex herbis, & fructibus, ſi ceſſetur in totum à ſemine, & alij fructus percipiantur; quia maior pars teſtium, quatenus aliquid probet, eorum dicta ſunt reſtricta ad loca particularia, alij verò indefinitè deponunt. † Et indefinita in hac materia probatoria non æquipollet vniuerſali. Aym. *conſ.* 33. *nu.* 16. Surd. *conſ.* 431. *nu.* 68. Couar. *var. reſol. lib.* 1. *c.* 13. *nu.* 10. *verſ.* 11. *ex his.* 1

2 Nec officit fides Communitatis Farfen. quia fides non facit fidem; teſtibus enim, & non teſtimoniis creditur, *l.* 3. §. 1. *ff. de teſt.* & attenta ſubſcriptione ipſius, nihil concludit ad generalem conſuetudinem totius prouinciæ. Vltra quòd Communitas tractat de ſe exonerando.

De allegata fide parochorum nõ fuit habita ratio, cùm nec iudicialiter, nec extraiudicialiter fuerit oſtenſa.

ROMANA PECVniaria.

Lunæ 14. *Februarij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Creditor habens omnia bona hypothecata, poteſt vnum ex pignoribus quod voluerit eligere.*
2 *Adminiſtrator hæreditatis tenetur compenſare ſuum creditum cum eo quod accipit ex hæreditate, etiamſi illud eſſet maioris quantitatis.*
3 *An creditor poſſit cogi partem crediti accipere, vel aliud pro alio.*
4 *Bona litigioſa non poſſunt alienari.*
5 *Hæres cum beneficio legis, & inuentarij poteſt alienare bona hæreditaria litigioſa, nulla præcedente ſubhaſtatione pro ſoluendis debitis teſtatoris.*

DECISIO CCXXVIII.

PLacuit Reuerendiſſimo D. Aluaro Archiepiſcopo Raguſino viro etiam doctiſſimo, conſulere Rotam, an pretium mercium aromatariæ, & artis albæ per Helenam Queriam tãquam hæredem ſui viri cum beneficio legis, & inuentarij venditarum Hyppolito Ceuarello debeat cedere in extinctionem eius crediti dotalis, in caſu, & ad effectum de quo agitur, qui eſt, vt teneatur reſtituere vineam quam habuit pro ſua dote. Et me proponente, negatiuè fuit reſolutum, † quia cùm Helena haberet pro dicta dote omnia bona viri hypothecata, potuit pro ſuo credito vnum ex pignoribus quod voluerit eligere, *l. creditoris, ff. de diſtract. pign. l. qui generaliter, ff. qui pot. in pign. hab.* Aret. *conſ.* 155. *nu.* 10. latè Surd. *deciſ.* 44. *lib.* 6. 1

Nec facit, quòd cùm Helena eſſet hæres viri, tenebatur compenſare dictum pretium cum ſuo credito, vt in creditore adminiſtratore hæreditatis dicit tex. *in l. debitor, ff. de neg. geſt.* Etiam quòd ſuum creditum eſſet maioris quantitatis, † cùm regula quòd creditor inuitus non cogatur recipere partem crediti, ſicuti 2 3

nec

nec aliud pro alio, non habeat locũ in compenſatione, *l.etiam, C.de compenſat.* Iaſ. *in l.mutuum damus, §.mutui datio, in 2. limit. cum duabus ſeqq. ff. ſi cert.pet.* Et tenuit Rot. coram Cotta in cauſa Romana vineæ 30. Aprilis, & 21. Iunij 1574. *impreſſ. par. 1. diuerſ. deciſ. 53.* Nam fuit reſponſum, quòd, quicquid ſit de veritate huius quæſtionis, tex. *in d.l.debitor, ff.de neg. geſt.* habet limitationem in ventre, ſcilicèt, niſi ſubſit iuſta cauſa non compenſandi, prout in caſu iſto. Aderant enim alij creditores, qui vrgebant, & propterea Helena ſoluit Lucæ de Caualcantibus creditori, ex cauſa appaltus aluminis, vt in ſummario, *num.2.* & ſcuta 153. ſoluit Equiti Petro Franciſco Parauicino, alteri ex appaltatoribus, & alia ſcuta 400. fuerunt depoſitata penes Montem Pietatis, per Hyppolitum Ceuarellum emptorem, vt ſoluerentur Ioannæ & Domitillæ ſororibus creditricibus hæreditatis, ex cauſa dotium maternarum. Et hoc depoſitum fuit factũ, intimatis dictis ſororibus, vt in ſummario, *nu.4.*

Nec obſtat, quòd dictis ſororibus fuiſſet ſatisfactum de earum credito per adiudicationem factam per bo. me. D. Lambertinum, quia de tali adiudicatione non apparet, & ſi appareret, poſtquàm Helena intimauit depoſitum, debebat Ioanna notificare Helenæ hanc ſatisfactionem, ad effectum illam conſtituendi in mala fide. Cùm verò intimatio non fuerit facta, non poteſt conſiderari aliqua culpa Helenæ.

4 Non obſtat, quòd dicta bona erãt litigioſa, & ideo non poterant ven-
5 di, † quia cùm Helena eſſet hæres cum beneficio legis, & inuentarij, potuit alienare bona, etiam nulla præcedente ſubhaſtatione, pro ſoluendis debitis teſtatoris, *l.fin. §.etiã ſi præfatam*, vbi Bald. *in primo not. C. de iur. delib.* Et potuit facere hanc alienationem, etiam pendente iudicio hæreditatis; quia interim non poteſt ſua poſſeſſione priuari. Poterat enim omnia exercere quæ ad hæredem ſpectant, *l. non ſolùm* vbi gloſ. & Angel. *ff.de pet. hæred.* Lancell. *de attent.* latè *p. 2.cap.4. lim.26.*

Non obſtat inhibitio facta à iudice, quia venditio fuerat facta ante diem 6. Iunij, quo fuit facta inhibitio. Et fuit etiam conceſſa à iudice poſt interpoſitam ab eo appellationem, & ſic eius iuriſdictione ceſſante. Lancell. *de attent. poſt inhibit. limit. 1.*

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Lunæ 14. Februarij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertio Epiſcopi facta in viſitatione, multùm confert ad probandum iuſpatronatus.*

DECISIO CCXXIX.

DOmini perſtiterunt in deciſione, quia præſuppoſitum factũ in alia deciſione, nempe quòd præſentatio facta de anno 1498. de perſona Io. Nicolai Thomei habuerit effectum, hodie deducitur in eſſe ex iuribus productis. Nam de anno 1501. Benedictus Frater Ioannis Nicolai, tanquam procurator fratris, locauit bona Eccleſiæ, vt in ſummario nouiter dato, *num.11.* & adeſt quoque Breue Alexandri vi. de eodem anno 1501. directum D. Ioanni Nicolao tanquam rectori Eccleſiæ, de qua agitur. Et in eo creatur operarius ad quinquennium dictæ Eccleſiæ.

Et vltra deducta in alia deciſione, adeſt alia præſentatio vſque de anno 1434. cum collatione inde ſequuta, vt in ſummario, *num.6.& 7.* de perſona Nicolai Antonij Bartholomei, quæ quidem præſentatio habuit effectum, cũ d. Nicolaus fuerit ab hac Eccleſia S. Stephani in Tuſſignano de qua agitur, tranſlatus ad aliam Eccleſiam.

1 Adſunt inſuper multæ aſſertiones Epiſcopi tam in viſitatione, vt in ſummario, *num.21.* quæ multùm conferunt ad probandum iuſpatronatus. Et fuit dictum in cauſa Aquilana Capellaniæ, 7.Maij 1590. corã Reuerendiſſimo Perufino, & in cauſa Gerunden. beneficij, 20.Iunij 1597.coram bo.me. Orano, & nouiſſimè in cauſa Auximana iuriſpatronatus, 8.Decembris 1604.coram R.P.D. Lancellotto, quàm etiam in præſentationibus pluribus, & collationibus, quas tamen non conſtat habuiſſe effectum vſque de anno 1401. 1444. 1525. vt in ſummario, *num.4.8. & 14.* quibus aſſertionibus multum deferendum eſt, quia Ordinarij ſolent cum difficultate approbare iuſpatronatus. Ror. *deciſ. 11.de iurepat. in nou.* Put. *deciſ.243. lib.2.*

TIBVRTINA CAPELLANIÆ.

Ven. 22. Aprilis 1605.

SVMMARIVM.

1 *Inſignia & inſcriptio poſita in capella, exempli gratia, probat capellam eſſe iuriſpatronatus, quando alia ratio aſſignari non poteſt.*

2 *Vacatio per obitum probat effectuationem collationis.*

3 *Aſſertioni Epiſcopi factæ in prouiſionibus, & in probatione iuriſpatronatus multùm defertur.*

4 *Non cenſetur quis eſſe ſalutis æternæ immemor.*

5 *Iuſpatronatus fundatum à clerico, relictum laico, in dubio præſumitur laicale.*

6 *Prouiſio Apoſtolica non mutat ſtatum beneficij.*

DECISIO CCXXX.

IN contumaciam partis aduerſæ dubitaui, an conſtaret de iurepatronatus. Et circumſcripto pro nũc, an ſpectet ad d. Sicinium Sebaſtianum, qui vltimo loco præſentauit, Domini affirmatiuè reſoluerunt. Nã in Capella de qua agitur, adſunt inſignia Ioannis Pauli Canonici Eccleſiæ Cathedralis fundatoris, quibus vtitur familia de Paulis, & adeſt inſuper in eadem Capella huiuſmodi inſcriptio, videlicèt conſecrata per D.Epiſcopum Humanum oratorem Regis Franciæ, 1467. 4.Decembris, & fundata per D.Ioannem Paulum Canonicum, ad honorem glorioſæ Virginis, & S. Laurentij, ſedente Paulo 11.cuius Capellanus ſecretus viuẽs fuit. † Quæ inſignia, & inſcriptio probant iuſpatronatus, vt de inſigniis Anchar. *conſ.113. num.4.* Anan. *conſ.86.* Rip. *in c. cùm Eccleſia Sutrina, num.97. de cauſ. poſſ. & propr.* Lambert. *de iurep. lib.3.q.5. art.4.num.2.* Et fuit reſolutum in cauſa Imolen. iuriſpatronatus, 26. Martij 1593. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio, & aliàs ſæpiùs. Et quamuis hæc concluſio procedat, quando alia ratio aſſignari non poteſt, vt fuit dictum in cauſa Calaguritana præeminentiarum 17 Maij 1591.coram bo.me. Gyptio, tamen hîc, adeſt deſcriptio, & præſentationes, vt infrà dicetur. De inſcriptione verò in marmore, vel in muro, quòd probet iuſpatronatus, tenet

tenet glos. & Doct. *in c. cùm causam de probat.* Bart. *in l. monumentorum, C. de relig. & sumpt. funer.* Castren. *in l. si sepulchrum, num. 6. eod. tit.* Lambert. *de iurepatronatus, lib. 2. p. 2. q. 10. art. 9. num. 3. & 4.* Et fuit resolutum in causa Hispalen. iurispatronatus, 26. Martij 1590. & 22. Martij 1591. & 31. Maij 1593. coram Pamphilio.

Prædictis adstipulantur tres præsentationes effectum sortitæ, videlicèt prima de anno 1502. vt in summario, *num. 5.* in qua constat, per obitum Andreæ fuisse præsentatum Angelum Stephani Bartholomei Pauli, quæ præsentatio habuit effectum, cùm ad titulum huius Capellaniæ fuerit promotus ad Ordines Sacros de anno 1510. vt in summario, *num. 6.* Deinde per eius obitum in Curia, fuit prouisus Cæsar Costa, & præsentatus in partibus Dominicus de Sebastianis, licèt non constet, hanc præsentationem
2 habuisse effectum. † Quæ vacatio per obitum probat effectuationem præsentationis, iuxta vulgare conf. Oldrad. 229. Et cùm postea peruenisset beneficium ad Ioannem Baptistam Costam, per eius obitum de anno 1591. fuit præsentatus Prosper de Sebastianis. Et hæc præsentatio habuit pariter effectum, vt in summario, *nu. 9.* Ac denique cùm hęc Capellania peruenisset ad quendam Marium de Sebastianis, ipse liberè illam resignauit in manibus Ordinarij, qui de anno 1593. ad præsentationem patronorum, eandem contulit Protonotario Zappo, per cuius obitum hodie vacat, vt in summario, *num. 10.*

3 Concurrunt etiam assertiones Ordinariorum in prouisionibus. Et in probatione iurispatronatus solet Rota multùm deferre enunciatiuis Ordinariorum, quia præsumuntur scire qualitates beneficiorum, & vt plurimum se reddunt difficiles ad instituendum. Rip. *resp. 1. num. 6. & 7. de cauf. poss. & propr.* Lambert. *de iurep. lib. 2. p. 2. q. 10. art. 7. num. 11.* Rot. *decis. 11. de iurep. in nou.* Put. *decis. 243. lib. 2.*

Facit etiam testamentum ipsius 4 testatoris, & codicilli in quibus relinquitur dos Capellæ, nam in illis habetur mentio de fundatione. Et non est censendum, testatorem salutis æternæ fuisse immemorem, vt bene per Crot. *cons.* 332. *num. 10. lib. 3.*

Non obstat, quòd iuspatronatus 5 fuerit fundatum à clerico; quia cùm sit relictum laico, nec constet an ex bonis acquisitis ante, vel post promotionem fuerit fundatum, laicali dicitur. Achil. *decis. 1. de iurep.* Crescen. *decis. 9. eod. tit.* Mohed. pariter, *decis. 9. eod. tit.* Put. *decis. 228. lib. 2. & decis. 90. lib. 3.*

Denique non officiunt prouisio- 6 nes Apostolicæ, quia, vt notum est, non mutant statum beneficij. Achil. *decis. 13. de iurepatr.* Ægid. *decis. 107.*

BONONIEN. FIDEIcommissi de Mangiolis.

Ven. 22. Aprilis 1605.

SVMMARIVM.

1 *Duo consinia probant identitatem, & nu. 3.*

2 *Plures demõstrationes probant identitatem.*

DECISIO CCXXXI.

DVbitaui die 20. Iunij 1603. an bona adiudicata Dominis de Maluetiis, essent supposita fideicõmisso Comitis Melchioris. Et Domini,

mini,quoàd duas poſſeſſiones affirmatiuè reſoluerunt, reſeruato, vt videretur de aliis quatuor, de quibus hodie dubitatur.Et cùm iam ſit firmatum fideicommiſſum, difficultas reſtringitur, vt videatur, an bona de quibus agitur comprehendantur ſub illo, & identitas ipſorũ probetur. Et quantum attinet ad primam, & quartam poſſeſſionem, ſecundùm diſputationem hodiernam, vel tertiam, & ſextam, ſecundùm diſputationem antiquam,difficultas conſiſtit in eo, quòd bona ſunt emphyteotica,& propterea eſt conſiderandum teſtamentum, inueſtitura, & qualitas fideicommiſſariorum.

Quantum verò attinet ad identitatem iſtarum poſſeſſionum, circa primam in communi ſancti Ioannis in Vriano, quæ diuiditur in duo prædia, vt patet ex inſtrumento adiudicationis, quorum vni hærent bona Comitis Iulij Cæſaris Bargellini, & Paſſarati: de identitate pro
1 hac parte conſtat, † cùm hæc duo confinia concordent cum confinibus nominatis in tranſactione facta cum fratribus ſancti Dominici. Et ſufficiunt, vt in aliis deciſionibus fuit firmatum.Circa verò aliud prędium, ſiue aliam partem poſſeſſionis huius,de identitate non conſtat, quia in inſtrumento tranſactionis nihil habetur ex quo identitas colligi poſſit.

Nec facit, quòd in inſtrumento adiudicationis deſcribatur prædium terræ aratiuæ,arboratæ,& vitatæ,& in inſtrumento tranſactionis dicatur prædium pratiuum; quia poſt annum 1585. fuit redactum ad culturam, vt deponunt teſtes in ſummario,*num.*3. iuxta theoricam Bart. *in l. prima C. ſi vnus ex plur. appell.* Dec. *conſ.* 109. *num.*2. Menoch.*conſ.* 21. *num.* 33. *lib.* 1.

Quantum verò attinet ad quartum, ſiue ſextum prædium poſitum in Communi ſancti Ioannis concordant confinia, nempe Felicini, & via publica, quæ quamuis videãtur ſatis generica,nihilominùs ſunt in eodem Cõmuni. Concurrit etiã, quòd prædium eſt aratiuũ cum domo,area,puteo, & fumo,† quæ de- 2
monſtrationes ſufficiunt ad probandam identitatem, vt per Corn. *conſ.* 280.*num.*5. *vol.*3. Et fuit conſideratum in hac cauſa 10. Ianuarij præteriti.

Et prædicta quantum ad bona emphyteotica. Quantum verò ad alia bona, identitas quarti, ſiue ſecundùm hanc diſputationem identitas ſecundi prædij patet, ex quo in adiudicatione dantur pro confinibus flumen Tenæ, & Rodulphus de Iſolanis, † quæ duo confinia con- 3
cordant eum confinibus datis in tranſactione facta inter ipſos fideicommiſſarios.

Nec releuat, quòd in inſtrumento tranſactionis non enuncietur domus, quia vt deponunt teſtes in ſummario, *num.*3. fuit poſteà ædificata.

De identitate tertij prædij ſecundùm hanc diſputationem,& quinti, ſecundùm antiquam ſatis apparet, cùm confinia data in inſtrumento adiudicationis concordent cum cõfinibus datis in inſtrumento tranſactionis inter fideicõmiſſarios, nempe illos de Paſſarottis, & Bargellinis.

Nec dubitari poteſt,quòd tertia, & ſexta poſſeſſio emphyteotica fuerit in bonis fideicommittentis, & ſimiliter alia duo prædia ſubiecta fideicommiſſo, cùm adſint confeſſiones authorum. DD. de Maluaticiis, in dictis tranſactionibus, quæ

ſuſti

ſufficiunt, vt in aliis deciſionibus fuit conſideratum.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Mercurij 27. Aprilis 1605.

SVMMARIVM.

1 *Iuſpatronatus non comprehenditur in confiſcatione bonorum facta à iudice laico.*

2 *Poteſt tamen iudex Eccleſiaſticus declarare delictum, & applicare iuſpatronatus fiſco Eccleſiæ. Declara, vt nu. 3.*

3 *Delictum patris non nocet filio in iis quæ filius non conſequitur ex perſona patris.*

4 *Iuſpatronatus regulatur ſecundùm terminos feudi, & emphyteoſis.*

DECISIO CCXXXII.

DOmini in contumaciam alterius partis cenſuerunt, Eccleſiam ſancti Stephani de Toſſignano non acquiſiuiſſe ſtatum libertatis, quia licèt bona Bernardini fuerint
1 confiſcata, † tamen iuſpatronatus (quicquid dicendum eſſet ſi ſpectaretur ratione Villæ, vel Caſtri) ſub illa confiſcatione non comprehenditur, cùm fuerit facta à iudice laico; ſecundùm veriorem ſententiam gloſ. *in Clem. Paſtoralis, verbo, ſententia*, vbi Imol. *num. 70. & 71. de re iud. & collect. in cap. quibuſdam, num. 10. verſ. ſed numquid, de pœnis, & in c. fin. num. 4. verſ. quid ſi patronus, de iurepatr.* Et fuit reſolutum in cauſa Agathen. iuriſpatronatus, 4. Martij 1602. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio.

2 Nec obſtaret ſi diceretur, quòd licèt iuſpatronatus non veniat in confiſcatione facta à iudice laico, nihilominùs poteſt iudex Eccleſiaſticus declarare delictum, & confiſcare bona fiſco Eccleſiæ; & effectus erit, quòd iuſpatronatus extinguetur, & Eccleſia remanebit libera ſub Epiſcopi poteſtate. Imol. *in Clem. Paſtoralis, num. 72. in fin. de re iud.* † Nam reſpondetur, quòd 3
cùm delictum non ſit commiſſum in Eccleſiam, nec iuſpatronatus ſpectet ad Lucretiam ex perſona patris, ei nocere non debet, ſecundùm diſtinctionem doctorum, de qua per Igneum *in repetit. l. neceſſarios, §. non aliàs, in prima par. num. 438. verſ. vel melius, & nu. 482. verſ. ſimiliter, iuſpatronatus, ff. ad Senat. conſul. Syllan.* Et ſentit Roch. *de iurepatr. in ver. ipſe, vel is num. 72.* Sylueſt. licèt indiſtinctè loquatur, prout & alij Summiſtæ *in ver. iuſpatronatus, q. 5. verſ. ſextum.* Ang. *num. 36.* & Tabien. *num. 25.* † 4
Et his adſtipulatur, quòd huiuſmodi materia regulatur ſecundùm terminos feudi, & emphyteoſis. Roch. *loc. alleg.* Card. *in Clemen. plures, col. fin. num. 8. de iurep.* Et in feudo, & emphyteoſi Domini admittũt prædictam diſtinctionem. Cyn. *in l. 2. in fin. C. de lib. & eor. liber.* Bart. *in l. 1. nu. 2. C. de interd. & relegat.* Iaſ. *in l. 2. num. 192. C. de iur. emphyt.* Molin. *de primog. Hiſp. lib. 4. c. 11. nu. 36.*

Denique non officit ceſſio Reipublicæ, quia cùm ex confiſcatione nihil haberet, non potuit aliquod ius transferre, iuxta vulgares concluſiones.

FAVENTINA DE Paſſis,

Mercurij 27. Aprilis 1605.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio probatur ex inſtrumento adeptæ poſſeſſionis, & nu. 6.*

2 *Iudex nulliter, vel iniuſtè procedens non priuat poſſeſſione.*

3 *Declara, niſi priuatus habeat ſe pro ſpoliato.*

4 *Clauſula,* parito iudicato, *operatur, vt reſtituantur fructus percepti, reficiantur expenſæ, vt dimittatur poſſeſſio.*

5 *Rota non exequitur ſententias aliorum Tribunalium niſi docto de iuſtitia.*

DECISIO CCXXXIII.

FVit reſolutum, conſtare de poſſeſſione D. Iulij ante laudum vl-
1 timo loco latum. † Cùm enim poſſeſſio ſit quid facti, probatur ex inſtrumento adeptionis. Abb. *in c. cùm nobis, num. 5. verſ. item per inſtrumenta, de præſcript.* Oldrad. *conſ.* 199. *num.* 6. Aym. *conſ.* 54. *numer.* 11. *verſ. amplius.*

2 Nec releuat, quòd iſta poſſeſſio fuit capta de mandato iudicis, qui nulliter, & iniuſtè procedendo, non potuit priuare D. Alphonſum, vt per DD. *in l. clàm poſſidere, §. qui ad nundinas, ff. de acq. poſſ.* Et adſunt plures
3 reſolutiones, † quia, quicquid ſit de veritate facti, fuit reſponſum, hanc concluſionem procedere, quando ille contra quem fertur ſententia, non habet ſe pro ſpoliato, & ad hunc effectum ſufficit animus, cùm ſolo animo perdatur poſſeſſio, *l.* 3. *§. in amittenda, ff. de acq. poſſ.* hîc verò de animo Alphonſi ſatis, aperté-que conſtat. Nam cùm obtinuiſſet commiſſionem cum facultate abſoluendi à iuramento, in qua aderat clauſula, *parito iudicato,* ad docendũ de paritione, produxit inſtrumentũ dictæ poſſeſſionis D. Iulij, ex qua productione declarauit animum ſuum, *ad l. cùm precum. C. de liber. cauſ.*

Nec placuit, quòd ex productione dicti inſtrumenti non ſequitur, D. Alphonſum cõſenſiſſe immiſſioni D. Iulij, ſed oſtendere voluiſſe laudum fuiſſe exequutum; quia contrarium eſt verius. † Nam cùm clau- 4
ſula, *parito iudicato,* importet, vt orator dimittat poſſeſſionem, reſtituat fructus perceptos, & ſoluat expenſas, ad not. *in c. fin. de reſt. ſpol.* Staphil. *de lit. inſt. §. quando patitur, num. 9. fol. mihi* 310. Et fuit dictum in cauſa Toletana decimarum de Capilla 19. Febr. 1593. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio, ideo cũ productio eſſet facta, vt oſtenderetur fuiſſe paritum, neceſſe eſt dicere, quòd D. Alphonſus voluit oſtendere, ſe dimiſiſſe poſſeſſionem, cùm dimiſſio, vt dictum eſt, requiratur ad effectum, quòd clauſula *parito,* non obſtet, ad tex. *in c. cùm ſuper,* vbi Dec. *in 3. not. de offic. deleg. & in l. ſi duo,* vbi Bald. *num. 2. ff. de acq. hæred.* Aym. *conſ.* 91. *num.* 8. Surd. *conſ.* 198. *numer.* 14.

Non obſtat, quòd Rota non exe- 5
quatur ſententias aliorum Tribunalium niſi docto de iuſtitia; quia hîc non agitur ad effectum exequutionis ſententiæ, ſed vt ſolùm videatur, quis ſit poſſeſſor, ad effectum manutentionis. † Quare in puncto ſufficit, quòd cõſtet de poſſeſſione, & quòd alia pars acquieuerit, vt in terminis fuit reſolutum in cauſa Camerinen. penſionis 22. Iunij 1592. coram bo. me. Giptio.

BVRGEN. PRÆEMINENTIARUM.

Ven. 3. Iunij 1601.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio in integrum cõceditur propter læſionem.*

2 *Appel-*

2 *Appellatio facta in voce, & non in ſcriptis eſt nulla.*

3 *Appellatio debet interponi coram iudice, non coram notario.*

4 *Patiens, cauſam agitari poſt rem iudicatam, cenſetur renunciare rei iudicatæ, dummodò detegatur iniuſtitia rei iudicatæ.*

5 *Confirmatio Apoſtolica non validat actum nullum.*

6 *Tranſactio aliàs nulla ſuſtinetur in vim pacti, ſtante iuramento, quod tamen non obligat ſucceſſores.*

7 *Sententia nulla non poteſt tranſire in iudicatum.*

8 *Nullitas poſt rem iudicatam poteſt aliquando deduci.*

Decisio CCXXXIV.

PRætendebant dimidij Portionarij, ſibi competere reſtitutionem in integrum aduersùs ſententiam Rotalem vltimo loco latam, quæ canonizat tranſactionem factam de anno 1574. inter ipſos, & Capitulum; poſtquàm de anno 1553. ad eorum fauorem ſententiam ab Epiſcopo Conchen. obtinuerunt, quæ
1 tranſitum fecerat in iudicatum. † Ex quo dicebant, colligi læſionem, propter quam datur reſtitutio, *l. nam & poſteà, §. ſi minor, ff. de iureiur.* Nam poſt rem iudicatam non poteſt ampliùs tranſigi, *l. ſi cauſa cognita, C. de tranſact. l. eleganter, §. 1. ſi poſt rem iudicatam, ff. de condict. indeb.*

Capitulum ad effugien. prædicta dicebat, cauſam appellationis fuiſſe commiſſam in Rota bo. me. Dezza, atque etiam pluriès fuiſſe prorogata
2 fatalia. † Sed hæc non placuerũt Dominis; quia appellatio fuit nulla. Cùm enim non fuiſſet appellatũ in contrinenti, non poterat appellari in voce, prout fuit factum, ſed erat appellandum in ſcriptis, *l. ſi litigatoribus*, vbi Bart. Bald. Ang. & alij *C. de appell.* Veſtr. *in prax. lib. 7. cap. 3. num. 28.* † Et appellatio debebat in- 3
terponi coram iudice, & non coram notario, *l. omnem honorem, C. quando prouoc. non eſt neceſſ. cap. vt debitus, de appell.*

Secundò dicebatur pro parte Ca- 4
pituli, quòd dimidij Portionarij fuerunt paſſi, cauſam agitari coram Dezza, & iura produci, & ideo cenſentur renunciaſſe res iudicatæ. Put. *deciſ. 202. lib. 2.* Peregr. *deciſ. 114. lib. 1.* Mohed. *deciſ. 4. de re iud.* Sed nec prædicta placuerunt, quia ad hunc effectum requiritur, quòd ex proſequutione detegatur iniuſtitia rei iudicatæ. Put. *d. deciſ. 202.* Verall. *deciſ. 87. lib. 1. in manuſcript.* quam Rota ſeruat, vt dicitur in cauſa Veneta legitimitatis, prima Iulij 1602. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio.

Tertio dicebat Capitulum, huiuſmodi trãſactionem ſuſtineri propter confirmationem Apoſtolicam.
† Sed nec huiuſmodi reſponſio pla- 5
cuit, cùm non fuerit expoſitum Papæ, quòd tranſactio erat nulla propter rem iudicatam. Dec. *in rubr. de confirm. vtil. vel inutil. num. 12. & ſeqq. & in c. cùm inter, in 8. not. de except.* Felin. *in c. cùm inter dilectos, num. 6. de fid. inſtrum.* Caputaq. *deciſ. 203. p. 1.* Et propterea licèt hæc tranſactio poſſet ſuſtineri in vim pacti, ſtante iuramento, Iaſ. *in l. eleganter, num. 8.* 6
in fin. ff. de cond. indeb. tamen cùm cõfirmatio Apoſtolica corruat, dictum pactum non egreditur ſuos authores, & ſucceſſores non ligat, *c. veniẽs*, & ibi gloſ. *in verb. confirmatum, de tranſact.*

Vltimo loco Capitulum dicebat, 7
ſententiam Epiſcopi Conchen. ſubiacere vitio nullitatis ex pluribus cauſis, quæ fuerunt ponderatæ in folio particulari, & ideo non po-

tuiſſe tranſire in iudicatum, *l. ſi expreſſim*, vbi Iaſ.& Bart. *ff. de appell.* Marant. *de ord.iud.p.6.tit. de ſent.nu.* 153. Sed quia dictum folium præter ſtylum non fuerat datum parti, vt reſponderet, cum præſuppoſito iſtarum nullitatum de quibus particulariter erit agendum, Domini dixerunt, non competere reſtitutionem in integrum. Et ſic tranſa-
8 ctionem obſtare, † quia etiam poſt rem iudicatam nullitates poſſunt deduci, & probant cauſam tranſigendi. Bart. *in l. poſt rem indicatam, ſub num.3.*& ibi Caſtren. *num.2.ff.de tranſact.* Angel. *conſ.* 249. *num.3.* & probat tex.*in d.l.eleganter*,ibi,*vel hoc ipſum incertis*,& ibi, *cùm de ſententia indubitata.*

FELTREN. PRÆbendæ.

Lunæ 6. Iunij 1605.

EPITOME.

Immemorialis aut quadragenaria cum titulo & bona fide requiritur ad immutationem ſubſtantiæ beneficij.

SVMMARIVM.

1 *Iura producta probant contra producentem.*

2 *Immemorialis, aut quadragenaria cum titulo, & bona fide requiritur ad immutandam ſubſtantiam beneficij, & nu.3.*

4 *Bona fides,eo ipſo quòd allegatur, præſumitur.*

5 *Duæ enunciatiuæ vltra centum annos probant titulum aptum ad immutandum ſtatum beneficij.*

6 *Ad effectum vt enunciatiuæ probent, requiritur quòd ſint duorum inſtrumentorum,& quòd non emanarint à perſonis ſuſpectis, & ſi emanarunt à perſonis ſuſpectis concurrere debent adminicula.*

7 *Non eſt probanda qualitas tituli, cùm titulus non diſcutitur.*

8 *Titulus inualidus, & putatiuus, ſufficit ad præſcriptionem.*

9 *Optio non cadit niſi inter Canonicos.*

10 *Vna ſcriptura aliam declarat, numer.18.*

11 *Poſſeſſio Canonicatus capi debet Capitulariter.Sufficit tamen quòd Canonicus, habita poſſeſſione fecerit actus Canonicales de conſenſu Capituli.*

12 *Beneficium eſſe Canonicale vel præbendale quomodo probetur,& num.* 13.14.15.16.

13 *Probatio per auditum ſufficit in antiquis.*

16 *Beneficia ſeparata debent per ſe in cenſum referri.*

17 *Probatio per ſcripturas præualet probationi factæ per teſtes.*

DECISIO CCXXXV.

VIſum fuit Dominis,hodie non eſſe agendum ſimpliciter, an beneficium ſanctæ Margaritæ ſit liberum, & ſeparatum à Canonicatu, cùm conſtet de eius anteriori ſtatu ex productione inſtrumẽti facta per Cadubrium, de quo in ſummario, *num.2.* † quod ideo contra ipſum 2
probat,*l.cùm precum,C.de liberal.cauſ.* Sed an conſtet, quòd de beneficio libero ſit effecta præbenda Canonicalis,ita vt recedendum ſit à deciſis. Et affirmatiuè fuit reſolutum. Nam hic adeſt quadragenaria cum titulo, & bona fide. † Talis autem quadra- 3
genaria, aut immemorabilis requiritur, quando agitur de mutatione ſubſtantiæ beneficij, vt ex tradit.per Philipp. de Peruſ. in conſ. quod eſt inter conſ. Felin.2.*num.2.*& 3. dicit

Rebuf.

Rebuf, *in tit.de vnion.num.35.in fine*, Rota in antiq.*dec.9.& 10.de reb.Eccl. non alien.*Ioan.Andr.*in reg.qui contra, nu.11.verſ.mihi videtur,de reg.iur. in 6.* Oldrad. *conſ.* 296. *num.* 3. Hoied. *de incompat.benef.p.2.c.3.num.13.*Et fuit dictum in cauſa Peruſina ſancti Beneueniatis, 13. Martij 1588. coram
3 Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio.† Et regula eſt, quòd quotieſcumque agitur de inducenda præſcriptione contra ius, requiritur vel immemorabilis,vel quadragenaria cum titulo, *cap.1. de præſcript. in* 6. vbi DD. omnes.

4 Et quantum attinet ad bonam fidem, ſufficit quòd allegetur ; quia præſumitur, *l. penult. C.de euict. l.ſi adult. cum inceſt. §. idem ff.ad l.Iul.de adult.* Bar. *in l.1.§.hoc interdicto,num.*
5 12.*ff.de itin. actuque priu.* † De titulo autem conſtat ex duabus enunciatiuis antiquiſſimis vltra centum annos,quæ probant, Bald. *in l.cùm aliquis,num.*4. & ibi Iaſ. *num.*4. *& ſeqq. C.de iur. delib.* Alex. *conſ.*75. *num.*3. *lib.*4.Caſſad.*deciſ.*3.*num.*3.*de procurat.* Put. *deciſ.*209. *lib.*2. Quarum altera eſt in inſtrumento confecto de anno 1468. de quo in ſummario,*num.* 2.in quo apparet,Canonicos, ſtante clauſula : *accedente conſenſu Canonicorum*,fuiſſe contentos,vt gratia Apoſtolica haberet effectum , per quam indulgebatur Franciſco de Mazzonatis , vt poſſet ex dicto beneficio ſanctæ Margaritæ de Longano eligere vnam præbendam Canonicalem pro Bartholomæo de Coquis eius nepote , quem Canonici ex tunc , in fratrem & Canonicum receperunt , cum traditione poſſeſſionis , & aſſignatione ſtalli in Choro. Altera verò eſt in inſtrumento optionis de anno 1476. vt in ſummario, *num.*4. in quo enunciatur erectio huius beneficij in præbendam Canonicalem. Et quamuis prima enunciatiua emanauerit à Franciſco,ſecunda verò à Bartholomæo, & ſic à perſonis ſuſpectis,† & tamé 6 ad effectum quòd enunciatiuæ antiquæ probent,requiritur quòd ſint duorum inſtrumentorum , & quòd emanauerint à perſonis non ſuſpectis. Aret. *in c.cum cauſam, num.*21. *cum ſeq.*& ibi Felin. *num.*4.*de probat.* Aym.*de antiq.temp.p.*1.*ſect.*4.*num.*14. 19.*& ſeqq.* Put. *deciſ.*209.*lib.*2. Nihilominùs quando concurrunt adminicula , vt concurrere in hoc caſu ex infradicendis apparebit,enunciatinæ etiamſi emanauerint à perſonis ſuſpectis probant. Achill. *deciſ.*1. *de confeſſ.*Put.*deciſ.*149.*lib.*3. Et fuit reſolutum in cauſa Bononien. præceptorię 5.Aprilis 1604.coram R.P.D. meo Litta.

Neque ad hunc effectum neceſſe 7 eſt , vt conſtet de qualitate tituli. Abb.*in c.cùm veniſſent,nu.*8.per illum tex. *de inſtit.* Capic. *deciſ.*189.*nu.*10. cùm nõ ſit diſcutiendus,vt per gloſ. *in d.c.in verb.cauſam,de præſcript. in* 6. & ſufficiat titulus inualidus & putatiuus,*l.cellas*,& ibi gloſ.& Doct.*ff.de* 8 *vſucap.* gloſ. *in c. de quarto, de præſcr.* modò ſi validus eſſet,tribueret ius, gloſ. fin.*in c. ſi diligenti , de præſcript.* Philip. de Peruſ. *loco alleg. num.*14. Verall.*deciſ.*361.*num.*4.*p.*2. Et quòd huiuſmodi erectio , & acceptatio habuerit effectum , ita vt adſit quadragenatia, & longè vltra , euidentiſſimè patet, cùm poſteà Bartholomæus de Coquis, ad cuius fauorem fuit facta erectio, ſoluerit pro inſtrumento authentico erectionis dicti Canonicatus, certam pecuniarum ſummam,vt in ſummario,*num.* 13. Et adeſt inſuper optio de qua ſupradictum eſt. Vlteriùs præbenda facta de anno 1476. vt in ſummario, *num.* 4. in qua apparet quòd

dictus Bartholomeus ob tenuitatẽ præbendæ ſanctæ Margaritæ de Lógano, optat præbendam Canonicatus ſancti Iacobi vacantem, & pro inſtrumento authẽtico dictæ optionis certum quid fuit ſolutum, vt in eodem ſummario, *num.* 3. Et de eodem anno 1476. conſtituit Franciſcum de Mazzonatis ſuum procuratorem, ad defendendam optionem dictæ præbendæ, qui Canonicatus ſancti Iacobi cum præbenda ſanctæ Margaritæ de eodem anno 1476. fuit collatus per Capitulum Petro Baffo, *nu.* 5. qui cepit poſſeſſionem, & præſtitit iuramentum in manibus Capituli, vt in ſummario, *nu.* 6. & 7. Et quamuis huiuſmodi ſcripturæ continentes prouiſionem Baffi fuerint reprobatæ in ſententia Vicarij Patriarchæ Venetiarum, ex quo non fuerant rectè compulſatæ, tamen hodie ceſſat hoc obiectum, per productionem originalium. Ex quibus iuribus bene probatur obſeruantia, & qualitas beneficij. Nam ex optione alterius præbendæ denotatur
9 qualitas præbendæ relictæ, † cùm optio non niſi inter Canonicos cadat. Rot. *deciſ.* 6. *de conſuet. in nou.* & *deciſ.* 8. *num.* 5. *de ſent. in excomm. in antiq.*

Accedit etiam, quòd de anno 1477. per reſignationem cuiuſdam Carpedonis fuit prouiſus de huiuſmodi præbenda Chriſtopborus de Sarraualle, & facta fuit permutatio dictæ præbendæ S. Margaritæ de Longano, & habuit poſſeſſionem, vt in ſummario, *num.* 8. Et hodie ceſſat obiectum compulſationis contra huiuſmodi inſtrumentum, cùm originale ſit productum. Et poſteà de anno 1480. vt in ſummario, *num.* 11. ad inſtantiam dicti Chriſtophori omnes de villa Longani denunciauerint Poteſtati Belluni omnes terras dictæ Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ.

Nec obſtat, quòd enunciatiua in huiuſmodi inſtrumento videatur æquiuoca, vt dicitur in alia deciſione, cùm non dicat, huiuſmodi Eccleſiã ſanctæ Margaritæ eſſe membrum Canonicatus; quia hodie ceſſat hoc obiectum, ſtantibus aliis ſcripturis, de quibus ſupràdictum fuit, & infrà dicetur, † cùm vna ſcri- 10
ptura aliam declaret. Aym. *conſ.* 231. *num.* 12. & actus ſubſequens declaretur ſecundùm ſuum titulum, & cauſam. Oſaſch. *deciſ.* 167. *num.* 25. & *ſeqq.*

Prædictis addendum eſt, quòd de anno 1482. quidam manſionarius Eccleſiæ Feltrenſis tradidit poſſeſſionem Canonicatus, & præbendæ ſanctæ Margaritæ de Longano Benedicto Bonuiagio prouiſo Apoſtolico, vt in ſummario, *num.* 12. qui de anno 1484. optauit præbendam ſancti Matthæi, demiſſa præbenda ſanctæ Margaritæ, vt in ſummario, *nu.* 14. Et hæc quidem iura oſtendunt effectuationem. † Licèt enim poſ- 11
ſeſſio Canonicatus debuerit capi Capitulariter, nihilominùs ſufficit quòd poſt poſſeſſionem ſimpliciter captam Canonicus fecerit Canonicales actus de conſenſu Capituli. Caſſad. *deciſ.* 8. *de cauſ. poſſ.* & *propr.* prout in caſu iſto præſumitur feciſſe, cùm poſteà de conſenſu Capituli optauerit aliam præbendam.

Et ceſſat omnis difficultas. Nam 12
ab anno 1543. vſque ad litem motam, & ſic per tempus ferè 50. annorum fuerunt Canonici, Ioannes Baptiſta Pinadellus, Firmus de Suſinis, & Peregrinus Maſtorgius, vt conſtat in proceſſu, qui omnes, vt deponunt teſtes, poſſederunt bona ſanctæ Margaritæ vti Canonici. Et reddunt cauſam ſcientiæ, quia alij

depo

deponunt de notorietate, alij de publica voce, & fama, alij quia tanquam maſſarij exigebant decimam in primo anno pro fabrica, alij quia erant coniuncti, & exactores Canonicorum, & vnus dicit; quia Pinadellus non habebat aliud beneficium, alij quia ſemper vnus Canonicus poſt alium poſſedit. Oldrad. *in conſ.* 296. *num.* 1. *& ſeqq.* Et quod plus eſt, dicti teſtes concludunt de auditu, ab anno 1539. quo tempore erat Canonicus Franciſcus à turre,
13 cui ſucceſſit D. Pinadellus. † Et hæc probatio per auditum in antiquis ſufficit, *c. licèt ex quadam*, vbi Butr. Ioan. Andr. Abb. & alij, *de teſtibus.*

14 Et ne quid intactum relinquatur, accedunt pro obſeruantia alia iura producta ab anno 1570. vſque ad annum 1592. de quibus in ſummario à *num.* 23. vſque ad fin. quæ continent locationes, viſitationes, decreta, & alia ſimilia pertinentia ad huiuſmodi præbendas ſanctæ Margaritæ. Et ſic clarè oſtendunt obſeruãtiam, vt vnionem beneficij, Oldrad. *conſ.* 296.

15 Denique prædicta corroborãtur, cùm in libris taxæ non reperiatur annotata Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Longano, vt in ſummario, *num.* 16. ſed ſolùm Canonicatus ſanctæ Margaritæ, quod veriſimiliter non eſſet, ſi Canonicatus eſſet diuerſus
16 à dicta Eccleſia. † Vtrumque enim beneficium debuiſſet per ſe in cenſum referri, *l. forma, ff. de cenſ.* Oldrad. *d. conſ.* 296. *num.* 2. *verſ. & vna tantùm datur decima.* Et hoc euidenter ſuadetur, ex quo Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Longano, poſt impetrationem de ea factam, vti de beneficio ſeparato, fuit de anno 1593. 9. Februarij annotata in prædicto libro taxæ, tanquam beneficium de nouo repertum. Ex hac enim annotatione clarè conſtat, quòd anteà in dictis libris non erat deſcripta.

Non obſtant teſtes in cõtrarium examinati, ſuper quibus eſt fundata alia deciſio; quia cùm hodie ex ſcripturis de nouo productis conuincatur, non eſt de eis habenda ratio.
† Probatio enim facta per ſcriptu- 17
ras prævalet probationi factæ per teſtes. Innoc. *in cap. cùm Ioannes, nu.* 6. *de fid. inſtr.* Aym. *conſ.* 54. *num.* 15.

Vltimo loco non officit, quòd adſint plures Eccleſiæ ſub inuocatione ſanctæ Margaritæ; quia inde non poteſt oriri æquiuocum, cùm denominentur, de Formegano, de Sartena & de Longano; & iura producta loquantur de Eccleſia ſanctæ Margaritæ, & ſi aliqua ſimpliciter loquantur recipiunt interpretationem ab iſtis, † cùm, vt dictum eſt, 18
vna ſcriptura aliam declaret.

VALLISOLETANA iuriſnominandi.

Mercurij 8. *Iunij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula in medio diſpoſitionis poſita, ſatis eſt quòd verificetur in parte diſpoſitionis.*

2 *Intentio teſtatoris probatur ex eius teſtamento.*

3 *Narratiua quæ non mouit Papam, nec eſt iuſtificanda.*

4 *Tranſactionis nomine omnis conuentio comprehenditur,*

5 *Aſſertioni Papæ plena fides adhibetur.*

DECISIO CCXXXVI.

DVbitaui, an gratia Apoſtolica eſſet iuſtificata. Et Domini affirma-

affirmatiuè resoluerunt. Nam licèt non iustificetur præcisè, quòd Rodericus ingenti cum labore, & forsan cum expensis repererit, & detexerit, ius nominandi puellas spectare ad dignitates, hoc non refert; quia subditur, & litigando desuper, in Camera maiori obtinuit sententiam.† Et ideò cùm verba illa *ingenti cum labore, & forsan expensis*, referatur ad totam orationem, sufficit, quòd verificentur in lite, prout verificantur ex depositione testium, ad tradit. per glos. *in l. si negotium, in verb. gestorum, C. de neg. gest.* & per Anchar. *cons.* 80. *num.* 2. *vers. his non obstantibus.* Vltra quòd verba illa (*repererit, & detexerit*) debent intelligi cum effectu. Et sic, postquàm negotium fuit positum in claro, scilicèt post litem. Vnde etiam ex isto capite narratiua remaneret iustificata.† Alia quoque narrata quoàd ordinem fundatoris, probantur ex ipsus testamento. Bart. *in l. 1. num.* 8. *ff. de nou. oper. nunc.* prout non adimplementum exequutoris probatur ex testibus, quorum depositio bene adminiculatur ex testamento ipsius exequutoris. Decretum verò & sententia obtenta iustificantur ex ipsomet decreto canonizante testamentum fundatoris.

Neque obstat, quòd non verificetur, fundatorem reliquisse filios ipsiusmet exequutoris post obitum eius patris, exequutores,† quia cùm hæc narratiua non mouerit Papam, hoc non vitiat. Ægid. *decis.* 4. *num.* 280. Put. *decis.* 69. *lib.* 2. Et fuit pluriès resolutum. Et hac responsione tollitur quod dicebatur, nullam fuisse factam transactionem inter dignitates, & exequutores, cùm lis non præcessisset, sed fuisse potiùs quandam recognitionem; quia neque hoc potuit mouere Papam. Et cessat omnis difficultas, quia sub nomine transactionis potest venire omnis conuentio, *l. cùm hi, §. commune, ff. de transact. c. suscitata, de in integr. restit. l. 1. §. fin. ff. ad Tertull.*

Nec est verum, quòd non fuerit data facultas Roderico nominandi duas puellas pro se, hæredibus, & successoribus; quia licèt in concordia facta per procuratorem, non legatur hæc facultas, tamen ei postèa fuit expressè data per viam nouæ concessionis, in ratificatione facta per Dignitates.

Denique non officit, quòd non constet, literas fuisse impetratas per Dignitates, prout narratur; quia vltra quòd hoc respicit potiùs validitatem, quàm iustificationem gratiæ, *c. nonnulli, §. sunt & alij, de reser.* † cùm hæc sit assertio Papæ, plena ei fides adhibetur. *Clem.* 1. vbi Doct. *de probat. c. cùm à nobis*, vbi Butr. *nu.* 3. Abb. & Felin. *in princ. de test.* Paris. *cons.* 15. *nu.* 19. *lib.* 4.

Alia non egent responsione, cùm respiciat validitatem transactionis, de qua suo loco agetur.

PACENSIS DECIMAmarum del' Hebrero.

Lunæ 13. *Iunij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Tertius habens interesse principale, veniens ad causam vt assistat, si ignorauit, causam tractari, impedit expeditionem causæ, secùs si sciuit. Item non impedit expeditionem causæ, quando tertij assistentia inseruit pro excluſione vtriusque partis, num.* 3. *Vel quando non est admittenda, numer.* 4.

2 *Episcopus habet intentionem fundatam super decimis loci, in quo non est parochus.*

DECI

Decisio CCXXXVII.

PEtebat Capitulum Pacen. medietatem decimarum in loco del' Hebrero, quarum altera medietas percipitur à Reuerendiſſimo D.Epiſcopo.Et Rota cenſuit 21.Junij anni præteriti,neque ex diſpoſitione iuris communis, neque vigore conſuetudinis, huiuſmodi decimas ad ipſum ſpectare. Quare cùm D. Dux Feriæ, contra quem agebatur, peteret abſolutionem, Reuerendiſſimus D. Epiſcopus comparuit in cauſa, aſſiſtendo Capitulo. Vnde contigit dubitari,an comparitio præfata impediret, quominùs abſolutoria daretur. Et Domini ne-
1 gatiuè reſoluerunt, † quia licèt regula ſit,quòd tertius habens principale intereſſe, veniens ad cauſam vt aſſiſtat,ſi ignorauerit,cauſam tractari, poſſit impedire expeditionem, ſecùs verò ſi ſciuerit.Bart. *in l.ſi proluſorio, §.ſed & agere,num.2. & 3.ff.de appell.* Abb.*in c.cum ſuper,nu.30. de re*
2 *iud.* Afflict. *deciſ.235.ſub num.3.* †Tamen, & ſi Epiſcopus habeat intentionem fundatam ſuper decimis loci in quo non adeſt parochus, *cap. quoniam de decimis*,& iſtud ius ſolius Epiſcopi non defendit intentionem intentatam per Capitulum, imò il-
3 lam excludit. † Vnde meritò, ſiue ſciuerit,ſiue ignorauerit Epiſcopus, cauſam tractari, illius aſſiſtentia nõ poteſt impedire expeditionem cauſæ,quia inſeruit pro excluſione Capituli,& Ducis, *l.15.à quo is ff.de rei vendic.* Biſign. *deciſ.4. de re iud.* larè Couar.*pract.quæſt.cap.14.num.4.verſ. non vero contrarium.*

Nõ obſtat deciſio in cauſa Oſcen. *della Piedra* 6. Martij 1564. coram Domino de Rubeis, quia in caſu illius deciſionis, non modò Epiſcopus aſſiſtebat Capitulo, ſed etiam Capitulum erat in quaſi poſſeſſione exigendi decimas.Vnde ſunt termini longè diuerſi.

Neque releuat,quòd Capitulũ po- 4
teſt habere donationẽ, vel alia iura ab Epiſcopo, ex quibus Epiſcopus teneatur illud defendere; quia cùm de iſtis neque apparenter doceatur, meritò iſta aſſiſtentia Epiſcopi non poteſt ſuffragari Capitulo, cùm non ſit admittenda. Innoc.*in cap.veniens, 2. in ver. incontinenti, de reſt.* Ang. *in l. ſi ſuſpecta, num. 2. ff. de inoff. teſtam.* Vrtill. *ad Afflict. deciſ. 135. num.2.*

MONTIS REGALIS
Iuriſdictionis,

Lunæ 20. Junij 1605.

Epitome.

An, & quando duæ Sacriſtiæ poſſint eſſe in eadem Eccleſia.

Summarium.

1 *Verbum* exerceatur, *eſt præciſum, & neceſſitatem inducit.*

2 *Ordo Reipublicæ confunditur, ſi iuriſdictio vnicuique ſua non ſeruatur.*

3 *Nobiliores in honoribus, & adminiſtrationibus Reipublicæ, debent præferri.*

4 *Dualitas ad rei interitum parata eſt, vnitas ad conſeruationem.*

5 *In conſideratione non eſt habendum quod fit de facto.*

6 *Epiſcopus, auctis facultatibus, poteſt augere numerum præbendarum.*

7 *Duo curati in eadem Eccleſia non poſſunt eſſe æquè principaliter.*

8 *Epiſcopus non poteſt mutare ſta-*

tum Eccleſiæ, & facere ea quæ ſunt contra ius, & nu. 10.

9 *Sacriſtiæ nomen, eſt nomen iuris, & continet cuſtodiam theſauri.*

Decisio CCXXXVIII.

Vide Decc. 203 Reuerendiſſimus D. Archiepiſcopus Montis Regalis in ſua Metropolitana Eccleſia, quæ eſt regularis, & in qua monachi ſunt loco Canonicorum, iuxta reſolutiones factas, conſtruxit nouam Sacriſtiam pro preſbiteris ſæcularibus qui dictæ Eccleſiæ inſeruiunt, paramentiſque locupletauit, & eius curam clerico ſæculari commiſit. Vnde ſupradictis menſibus dubitari contigit, an potuiſſet hoc facere. Et negatiuè fuit reſolutum, & repoſito dubio ſupradicta die, Domini non receſſerũt à priori ſuffragio. Bulla enim Pauli tertij eſt ſatis clara, quæ vult, quòd Sacriſtia exerceatur per vnum ex ipſius Eccleſiæ
1 monachis, † quod verbum *(exerceatur)* eſt præciſum, neceſſitatemque inducit, vt dicitur in alia deciſione, & propterea officium iniunctum monachis, alter vſurpare non debet, *l. quicumque*, vbi Luc. de Penna, *C. de exact. & exeq. lib.* 12. *l. conſulta, C.*
2 *de teſtam.* † Si enim vnicuique ſua iuriſdictio non obſeruatur, totus ordo Reipublicæ confunditur, *cap. prouenit*, 11. *q.* 1. Luc. de Penn. *loc. alleg. col.* 2. *circa med. verſ. ſi enim.* Et hæc diſpoſitio eſt iuri communi conformis,
3 † ſecundùm quòd nobiliores, prout ſunt monachi, qui ſunt loco Canonicorum, debẽt in honoribus, & adminiſtrationibus rerum publicarum præferri, *l. ad ſubeunda, C. de decur. lib.* 10. *l. reſcripto, in princ. ff. de muner. & honor. l.* 2. *in fin. C. de præd. decur. lib.* 10. Luc. de Penn. *in l. mulieres, col.* 5. *verſ. in pluribus quippe, C. de dignit. lib.* 12. *& in d. l.* 2. *col. penult. verſ. & ſicut nobiliores, C. de exact. & exequut. eod. lib.* Hinc videmus, quòd in Eccleſiis in quibus Sacriſtia non datur in titulum, quot annis deputatur vnus, vel plures Canonici, qui per miniſtros curam illius exerceãt. Repugnat quoque iuri, & regimini Eccleſiæ, quòd æquè principaliter ſint duo Sacriſtæ, ad tex. *iuncta rubr. in c. vnico, de offic. Sacriſt.* † Dualitas 4
enim ad rei interitũ parata eſt, vnitas verò ad conſeruationem, *cap. in apibus* 7. *q.* 1. *l.* 3. §. *penult. in fin. ff. de admin. tut. l.* 2. §. *nouiſſimè, ff. de orig. iur. c.* 1. 94. *diſt. c. gaudemus*, §. *quia verò, de diuort.* Luc. de Penn. *in d. l. quicumque, col. penult. verſ. nec poſſet.* Heinrichmanus, *conſ.* 2. *num.* 13. *vol.* 1. Regimini etiam Eccleſiæ repugnat, vt dictum eſt, nam diſſenſionis periculum veriſimiliter adeſſet, quia non poteſt eſſe ſocietas affectionum, vbi diſſidet diuerſitas poteſtatum, & hoc modo potiùs aditus ſtipendiis, quàm vtilitatibus referaretur, vt bene conſiderat Luc. de Penn. *loco ſuprà alleg. d. col. pen. verſ. prætereà probatur hoc*, & ſi oſtendatur aliter ſeruari in quibuſdam Eccleſiis. Vltra reſponſiones datas in alia deciſione, ſcilicèt, quòd huiuſmodi Sacriſtiæ ſunt pro ſeruitio Capellarum particularium, non pro ſeruitio corporis Eccleſiæ. Eſt inſuper conſiderandũ, quòd ſubordinatè, & non principaliter Sacriſtæ inſeruiunt, vel plures ſunt loco vnius, ſecundùm gloſ. *in c. nunc autẽ, in verb. Diocletiani, diſt.* 21. vel Eccleſia eſt diuiſa, & regulares & ſeculares cõſtituunt diuerſa Capitula, & ita loquitur Verall. *deciſ.* 87. *p.* 1. † Vltra quòd non debet ha- 5
beri in conſideratione, quòd de facto & non de iure fit, vt in ſimilibus terminis dicit Iaſ. *in l. licèt, nu.* 3. *ff. de leg.* 1.

Nec applicatur, quòd Epiſcopus, 6
auctis

auctis facultatibus, poteſt augere numerum præbendarum, ſi ad inuicem compatiuntur, quod ſecùs eſt in Sacriſtia, attenta Bulla Pauli 3. diſpoſitione iuris communis, & abſurdo quod oriretur in diuinis celebrandis,† ſicuti videmus, quòd nec duo curati in eadem Eccleſia poſſunt eſſe principales, ſeu æquè principaliter, ſed ſemper vnus præeſt aliis qui ſubſunt, vt per Butr. *in c. cùm non ignores, num.4. de præben. & dign.* † Et ex prædictis ceſſat quod dicebatur, Reuerendiſſimum D. Archiepiſcopum habere ius ordinandi Eccleſiam, quia hoc non procedit in iis quæ ſunt contra ius, *cap.2. de relig. dom. cap. ſicut, de exceſſ. Prælat.*

Neque eſt verum, quòd Monachi non habeant ius prohibendi in Bulla; quia ſatis habent, cum ipſis cõcedatur officium Sacriſtiæ, vt dicitur in alia deciſione.† Nec nomen Sacriſtiæ eſt accipiendum pro Sacriſtia materiali, ſed quatenus eſt nomen iuris, ſcilicèt, vt contineat cuſtodiam theſauri Eccleſiæ, vt *in c. 1. de offic. Sacriſt.* Et Iacob de S. Georg. *in ſuo tract. de feud. in verb. & cum molendinis, num.2.* non facit ad punctum, quia loquitur in caſu in quo poteſt dari pluralitas, & tunc requiritur facultas prohibendi, & dicta *num.5.* non applicantur, quia monachi non fundant ſe in præſcriptione, ſed in titulo quem habent.

Denique non officit facultas quã Reuerẽdiſſimus Archiepiſcopus habet in Bulla, addendi, vel minuendi,† quia, vt in aliis deciſionibus reſponſum fuit, non poteſt propterea mutare ſtatum, & facere ea quæ ſunt contra ius. Et hoc expreſsè dicit Felin. qui in contrarium allegatur, *in c.2.num.19. de libell. oblat.* dum dicit, quòd additio, & detractio eſt quid diuerſum à mutatione, & infrà ſubdit, quòd mutatio detractiua, & ſubtractiua, non cenſetur permiſſa.

An autem, & quem locum debeat habere Reuerendiſſimus Archiepiſcopus pro paramentis, & aliis rebus pretioſis per ipſum confectis, & conficiendis, & quibus, & qua ratione poſſit cõmittere cuſtodiam, erit particulariter agendum. Interim tamen non poteſt impedire, quominùs habeat locum priuatum pro ipſis paramentis & rebus pretioſis.

ROMANA VINEÆ.

Merc. 22. Iunij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio etiam inſtrumentalis probatur per teſtes, & eſt manutenibilis, ſi fuit capta, alio non exiſtente in poſſeſſione.*
2 *Poſterior poſſeſſio præſumitur clandeſtina.*
3 *Habens ciuilem poſſeſſionem anteriorem debet præferri habenti naturalem poſteriorem.*
4 *Poſſeſſio præſumitur iure familiaritatis, ſi de altero titulo non cõſtet, & quando quis dicatur poſſidere iure familiaritatis, num.6.*
5 *Poſſeſſio ſubſequens præſumitur ex titulo præambulo.*
7 *Verba curialia non ſunt obligatoria.*

Decisio CCXXXIX.

FVit reſolutum, Pompeio dandũ eſſe mandatum de manutenendo, quia de eius poſſeſſione conſtat ex depoſitione teſtium, ex quibus etiã poſſeſſio ſolet probari. Rebuff. *in prax. de miſſ. in poſſ. num. 41.* Et fuit 1

dictum in cauſa Placentina Capellaniæ, 19. Nouembris, 1603. coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio. Quæ poſſeſſio, licèt inſtrumentalis, cùm fuerit capta alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis, Caſſad. *deciſ.* 20. *de præben.* Put. *deciſ.* 360. *num.* 8. *lib.* 1. & fuit pluriès reſolutum.

2 Neque obſtat poſterior poſſeſſio Orientæ; quia tanquam iunior, & alio exiſtente in poſſeſſione, præſumitur clandeſtina, *cap. licèt cauſam*, vbi Doct. *de probat.* Bart. *in l. ſi duo, in princ. ſub num.* 4. *ff. vti poſſid.* Verall.

3 *deciſ.* 334. *num.* 2. *& deciſ.* 6. *p.* 2. † Et propterea cùm Pompeius non habuerit ſe pro ſpoliato, & ſic animo retinuerit ciuilem, debet præferri, cùm ſit anterior poſteriori naturali, vt reprobata opinione Couar. *pract. quæſt. c.* 17. *num.* 5. tenuit Rota in cauſa ciuitatis Caſtelli de Molionociis, 22. Iunij 1587. coram Illuſtriſſimo Plato, & meis temporibus in cauſa Cuſentina Capellæ, 26. Octobris 1601. coram Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo Coloſen. † Vltra quòd,

4 ſtante titulo, & poſſeſſione Pompei (conſtat enim de titulo & inſtrumento emptionis) ſi Orienta fecit aliquos actus, præſumuntur iure familiaritatis, Angel. *in l. aſſiduis, circa princ. verſ. in tex. ibi, mulier poſſidet, C. qui pot. in pign. hab.* Caſtren. *conſ.* 179. *ſub num.* 4. *verſ. item non obſtat, lib.* 1. Alex. *in l. qui iure familiaritatis*, Angel. *in l. aſſiduis, circa princ. verſ in tex. vbi mulier poſſidet C. qui pot. in pign. hab.* Caſtr. *conſ.* 179. *ſub num.* 4. *verſ. item non obſtat, lib.* 1. Alex. *in l. qui iure familiaritatis, num.* 5. *verſ. per hoc tamen, ff. de acq. poſſ. & conſ.* 88. *ſub nu.* 6. *verſ. nec & his, lib.* 2. Ruin. *conſ.* 34. *num.* 13. *&* 174. *nu.* 4. *in fin. lib.* 1. Corn. *conſ.* 315. *ſub num.* 3. *verſ. & licèt, lib.* 4.

Neque applicatur, quòd poſſeſſio Pompeij fuerit iure familiaritatis, quin imò hæc confeſſio Orientæ ſufficeret, vt daretur mandatum de manutenendo Pompeio, quia titulus præcedens, excludit quòd taliter poſſederit, † ſed poſſeſſio præſumi- 5 tur ex titulo præambulo. Curt. iun. *conſ.* 168. *nu.* 32. *in fin. & ſeqq.* Neuiz. *conſ.* 80. *num.* 21. Rimin. iun. *conſ.* 44. *num.* 69. *in fin.* Tob. *conſ.* 66. *num.* 13. & fuit reſolutum in cauſa Callien. fructuum 28. Febr. 1603. coram R. P. D. Ludouiſio. † Dicitur enim 6 iure familiaritatis quis poſſidere, quando nullum ius poſſidenti cõpetit, ſed ratio conſanguinitatis & amicitiæ hoc ſuadet. Rebuf. *in tract. de mater. poſſ. in præfat. num.* 29. *in fin.* & Doct. *in loco præcit.*

Nec officit mandatum de aſſociando, conceſſum Orientæ; quia illud loquitur de vinea propria ipſius Orientæ contiguæ huic vineæ, quam non prætendit Pompeius. Denique non ſubſiſtit, quòd Pompeius ceciderit facto proprio à poſſeſſione, † quia epiſtola in qua 7 ſe fundat Orienta continet verba ſcripta ad complacentiam per modum liberalitatis, & oblationis vulgariter fieri conſuetæ, quæ ideo non ſunt obligatoria, *c. cùm veniſſent*, vbi Card. & Imol. *de inſtit.* Alex. *in l. ita ſtipulatus, magn. num.* 6. *&* 7. *ff. de verb. oblig.* & ibi Iaſ. *num.* 5. Nam verba per modum curialitatis, ſeu vrbanitatis, & complementi prolata, nugatoria exiſtimãtur, & non obligant. Card. *in Clem. exiui, §. nos igitur, de verb. ſign. & in proëm. Greg. §. ſanè not.* Ang. *in l. ſi cui, ff. de ſeruit.* Apoſtill. ad Abb. *in d. c. cùm veniſſent, de inſtit.*

ASSI

ASSISIEN. CENSVS.

Mercurij 22. Iunij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Vnuſquiſque in re ſua eſt moderator, & arbiter.*
2 *Donatio ob cauſam non eget inſinuatione.*
3 *Sine traditione dominium non acquiritur.*
4 *Clauſula conſtituti transfertur dominium ad quoſcumque effectus.*
5 *Donatio facta vt alimenta præſtentur, non eſt conditionalis, ſed modalis.*
6 *In donatione modali, ſi modus non adimpleatur, dominium rei donatæ ipſo iure reuertitur ad donantem, ſi declaratio donatoris interuenerit.*
7 *Caducitas in re emphyteotica intelligitur ipſo iure, domino tamen volente, & declarante.*

DECISIO CCXL.

DVbitaui, an donatio facta per Cæſarem Andreæ fratri fuiſſet valida, ita vt eſſet tranſlatum dominium in donatarium, ad effectum quòd cenſus impoſitus per Andræã, ſuſtineatur. Et Domini affirmatiuè
1 reſoluerunt, † quia vnuſquiſque in re ſua eſt moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mand.* nec reperitur in iure prohibitum, ne frater, niſi ſit
2 minor, poſſit donare fratri, † & in hoc caſu inſinuatio non videbatur neceſſaria, cùm donatio ſit ob cauſam, vt ſcilicèt alimenta præſtentur, gloſ. 3. *in l. Aquilius, alias Attilius, ff. de donat.* vbi Bart. *num.* 3. Alex. *conſ.* 12. *num.* 1. *vol.* 1. Purpur. *conſ.* 353. *num.* 24. Natt. *conſ.* 609. *num.* 20. & 39. Molin. *de primog. Hiſp. lib.* 2. *c.* 8. *num.*
3 16. † Neque de tranſlatione dominij poteſt dubitari; quia licèt ſine traditione non acquiratur, *l. traditionibus, C. de pact.* † tamen in inſtru- 4
mento adeſt clauſula cõſtituti, quæ operatur tranſlationem poſſeſſionis ad quoſcumque effectus, *l. quadam mulier,* vbi gloſ. Bart. & alij, *ff. de rei vendic. l. quamuis,* §. 1. & *l. quod meo, ff. de acq. poſſ.* Berou. *conſ.* 41. *num.* 12. *l.* 3. Afflict. *deciſ.* 299. latè Tiraq. *de iur. conſtit. poſſ. par.* 1. *num.* 2. & 3. & *p.* 3. *limit.* 11. Et fuit latè deductum in cauſa Sutrina bonorum, 23. Octobris 1595. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Pamphilio. Ex quibus ſequitur, poſſeſſionem cenſus fuiſſe validam, & ſuſtineri.

Non obſtat, quòd iſta donatio 5
fuit facta, vt alimenta præſtarentur; quia non ideo fuit conditionalis, ſed modalis, cùm onus alendi poſt ipſam donationem eſſet adimplendus. Bart. *in l. quibus diebus,* §. *Termilius, num.* 1. & 5. & 6. *ff. de condit. & demon.* Butr. *conſ.* 48. *in princ.* Et fuit dictum in cauſa Cauallicen. Baroniæ, 27. Febr. 1576. coram bo. me. de Rubeis, quæ eſt, *deciſ.* 39. *nu.* 1. *p.* 1. *diu.* † Nec facit, quòd cùm 6
non fuerit adimpletus modus præcedens, (non fuerint ſcilicèt alimenta præſtita) dominium redit ipſo iure in donantem, *l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo,* &c. gloſ. *in d. l. traditionibus,* vbi Curt. iun. *num.* 26. *C. de pact.* quia quicquid ſit de illa quæſtione, cui hac in re onus probandi incumbat, de qua per Surd. *de alimen. tit.* 1. *q.* 48. *num.* 53. & *ſeqq.* Ad effectum tamen reſolutionis cõtractus requiritur voluntas, & declaratio donatoris, quæ non interuenit in hoc caſu, vt ipſo iure dicatur dominium rei donatæ in donantem rediiſſe, *l.* 2. *ff. de leg. commiſſ.* Tiraq. *in l. ſi vnquã, in verò reuertatur, num.* 10. *C. de reuoc. donat.* quo loci plura ſimilia deducit. † Et inter alia, quòd caducitas 7

licèt incurratur ipſo iure, tamen intelligitur, domino rei emphyteoticæ volente,& declarante. Iaſ. *in l. in emphyteoticariis, num. 6. & ſeqq. C. de iur. emphyt.* Et facit deciſ. in cauſa Spoletana terrarum, coram Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo Rhodien. 15. Decembris 1599. vbi, quòd pactum reſolutiuum habet locum, volente eo ad cuius fauorem fuit poſitum.

Neque officit diuiſio facta 14. Octobris 1592. inter dictum donatarium, & donantem; quia per talem diuiſionem nō potuit Andræas præiudicare emptori cenſus, cùm diuiſio fuerit facta voluntate Andreæ, ad hoc directè tendente. Tiraq. qui diſtinguendo poſt alios ſic reſoluit, *de retract. conuent. §. 3. gloſ. vnica, num. 10.*

BONONIEN. FIDEIcommiſſi de Mangiolis.

Mercurij 22. Iunij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium factum à teſtatore, an probet, bona ibi deſcripta fuiſſe in bonis ipſius teſtatoris fideicommittentis.*

2 *Duo confinia ſufficiunt ad probandam identitatem, maximè ſi concurrant aliæ demonſtrationes, numer. 5.*

3 *Bona eſſe ſubiecta fideicommiſſo, probatur ex eo quòd pro talibus fuerint habita in diuiſione, & nu. 4.*

DECISIO CCXLI.

DEnique dubitaui, an bona de quibus in dubio, eſſent ſuppoſita fideicommiſſo Comitis Melchioris ſenioris. Pro cuius dubij reſolutione non ſolùm videndum eſt, an fideicommiſſum comprehendat dicta bona, verùm etiam de illorum identitate, prout in aliis diſputationibus ſeruatum fuit.

Et quantum attinet ad Palatium de Riuardinis vnà cum terrenis eidem contiguis, nullibi probatur, hęc bona fide fuiſſe ſuppoſita dicto fideicommiſſo. † Nec ad hunc effectum ſuffragatur inuentarium quod confecit D. Comes Melchior fideicommittens de bonis ſibi relictis per Bartholomæum auum; quia dictum inuentarium, vltra quòd in eo nō legitur deſcriptum palatium, ſed ſolùm certa poſſeſſio *cum domo*, &c. in loco *detto la Richardina* non reluat; quia inde non ſequitur, quòd hæc bona fuerint in hæreditate dicti Melchioris, cùm medio tempore ea potuerit alienare, ad tex. *in l. neque natales, C. de probat.* Et quamuis poſteà hæc bona fuerint in bonis Comitis Camilli filij d. Melchioris, non inde tamen neceſſariò ſequitur, quòd ad eum peruenerint ex teſtamento patris. 1

Quātum attinet ad poſſeſſionem nuncupatam *di S. Gio:* quæ eſt diuiſa in quatuor peciis, quòd ea ſit de bonis ſubiectis fideicommiſſo, patet ex laudo dato per ſanct. me. Gregorium 13. tunc Cardinalem, vt fuit firmatum in hac cauſa 20. Iunij 1603. Nec de identitate dubitari poteſt. Nam quoàd primam partem huius poſſeſſionis ſuper qua ſunt ædificia, in aſſignatione facta vigore laudi dantur pro confinibus à tribus Felicini, & via publica, cum quibus confinibus concordant confinia nominata in adiudicatione facta creditoribus. Idem dicendum eſt de ſecunda parte, quæ dicitur *incontro la caſa*, quia confinia adiudicationis factæ creditoribus concordant cum confinibus nominatis in aſſignatione vigore laudi, nempe 2

Canale

Canale, & Felicini. Et idem quoque dicendum eſt de tertia & quarta parte; nam quoàd tertiam, confines conueniunt nempe Flumicellum,& via publica. Et quoàd quartam concurrunt via publica, & ſanctucij, quorum loco, vt deponunt teſtes, ſucceſſerunt Fratres ſancti Saluatoris.Et quia in adiudicatione facta creditoribus,nominatur quintum petium *il Colturazzo*, poſi-
3 tum in Communi ſancti Martini, † illud quoque eſt ſubiectum fideicõmiſſo, vt conſtat ex diuiſione facta de anno 1543. quæ fuit ad hunc effectum canonizata in deciſione facta 20. Iunij 1603. Sed difficultas eſt circa identitatem, nam licèt dentur in adiudicatione pro confinibus *Flumicellum*, & illi de Faba, & de his confinibus deponunt teſtes, tamen nulla adeſt probatio quoàd confinia antiqua, & ideò dicendum eſt,non conſtare de identitate.

Quantum verò attinet ad molendinum nuncupatum, *il Molinazzo*, ſuper flumine *Felicis* in Communi *Flexij* cum terra ibi contigua, probatur,quòd ſit ſubiectum fideicommiſſo ex dicto laudo, & diuiſione facta de anno 1545. & identitas huius molendini ſatis probatur ex teſtibus, qui concordant cum dicta diuiſione.

† Nec dubitari poteſt, quin prædicta omnia confinia ſint bene probata;nam licèt aliqua videantur eſſe generalia, tamen concurrunt aliæ particulares denominationes. Ex quibus omnibus iunctis ſatis videbatur probata identitas, vt fuit firmatum in hac cauſa 10. Ianuarij præteriti.

TARRACONEN.
Præpoſiturarum.

Lunæ 27. Iunij 1605.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiuæ antiquiſſimæ à perſonis non ſuſpectis emanatæ probant, & ſi emanarunt à perſonis ſuſpectis, adhuc probant concurrentibus adminiculis,nu.2.*

3 *Enunciatiuæ de recenti circa factum enuntiatum, probant inter partes.*

4 *Actus ſubſequens præſumitur factus ex titulo præambulo.*

5 *Mutatio nominis non mutat ſubſtantiam rei.*

6 *Deputatio adminiſtratoris arguit, bona ſpectare ad deputantem,& de aliis actibus,vide,nu.10.& 11.*

7 *In contractibus factis de bonis in quibus Capitulum habet intereſſe, conſenſus Capituli requiritur, & nu.10.& ſeq.*

8 *Hypotheca ſuper re aliena non poteſt conſtitui.*

9 *Alienatio rei alienæ non poteſt fieri in præiudicium domini.*

11 *Ex redditione computorum arguitur dominium illius cui fit redditio.*

12 *Adminiſtrator tenetur reddere computa, & reſtituere quæ ſuperſunt, & nu. anteced.*

13 *Enunciatiuæ ſuper diuerſa re non probant quando agitur de probando actu contento in hoc, vel illo inſtrumento, ſecus verò ſi agitur de probando effectu qui reſultat ex illis actibus.*

DECISIO CCXLII.

DVbitaui, an Præpoſitus Eccleſiæ Tarraconen. eſſet adminiſtrator bonorum Capituli ante Præpo

Præpoſituræ ſuppreſſionem factam de anno 1411. per Benedictum aſſertum Papam 13. cognomine de Luna, anno 17. ſui aſſerti Pontificatus. Et Domini affirmatiuè reſponderunt. † Hoc enim euidentiſſimè probatur ex quamplurimis enunciatiuis antiquiſſimis, quæ à perſonis non ſuſpectis emanarunt, atque ideo plenè probant. Aret. *in cap. cùm cauſam, num.* 21. *de probat.* Bald. *in l. cùm aliquis, verſ. item quod dicit,* & ibi Salyc. *num.* 3. *verſ. ſi tamen plura.* Caſtren. *num.* 6. Iaſ. *num.* 4. *C. de iur. delib.* Put. *deciſ.* 209. *lib.* 2. † Et ſunt adeò adminiculata, vt ſi aliquæ eorum emanaſſent à perſonis ſuſpectis, nihilominùs probarent. Achill. *deciſ.* 1. *de confeſſ.* Put. *deciſ.* 149. *lib.* 3. Atque ex eo magis; quia ferè omnes ſunt circa factum proprium enunciatum. † Quare, etiamſi eſſent modernæ, probarent inter partes. Surd. *deciſ.* 83. *num.* 13. cum pluribus allegatis per eum *in conſ.* 7. *num.* 46. Et fuit dictum coram R. P. D. meo Ortembergho, in cauſa Mediolanẽſis ſimulationis contractus, 10. Decembris de anno præterito, & corroborantur ex inſtrumento erectionis, & dotationis Capituli, factæ per Archiepiſcopum, vſque de anno 1154. in quo præcipitur, quòd Prior, & alij Canonici clauſtrales deberẽt conſtituere perſonas religioſas extra clauſtra, quæ bona donata adminiſtrarent. † Ex hoc enim titulo poſterior formatur euentus, *l. vnic. C. de impon. lucratiua deſer. lib.* 10. † Et licèt tractu temporis vnicus tantùm fuerit effectus adminiſtrator, qui mutato nomine Præpoſitus dicebatur, & erat prima dignitas Capituli, vt eſt in confeſſo apud partes, non propterea ſequitur, quòd fuerit mutata ſubſtãtia adminiſtrationis, Tib. Decia. *reſp.* 11. *n.* 44. *vol.* 1.

Et deueniendo ad huius rei indiuiduas probationes, conſtat, quòd de anno 1321. vt in ſummario *nu.* 4. Archiepiſcopus mandat cuidam debitori Præpoſituræ, vt ſoluat debitum Bernardo, quem ipſe & Capitulum deputauerunt adminiſtratorem Præpoſituræ. † Quæ deputatio 6 adminiſtratoris, arguit, bona ſpectare ad Capitulum, omnibus enim libera eſt bonorum ſuorum adminiſtratio, *l.* 2. *ff. ſi à pa. quis fuer. manum.* Et hoc idem comprobat adminiſtrationis bonorum Præpoſituræ conceſſio Archiepiſcopo per Prępoſitũ, & Canonicos de anno 1272. ad certum tempus facta, & eiuſdem prorogatio de anno 1274. donec ſibi ſatisfieret de certa pecuniarum ſumma, vt in ſummario, *num.* 2. *&* 3. † 7 Nam ſi bona ſpectaſſent ad Præpoſitum, ipſe ſolus contraxiſſet, licèt conſenſus Capituli fuiſſet neceſſarius. Innoc. *in c. nouit, poſt princ.* ibi, *quia intereſſe cuiuſlibet Canonici,* Ioan. Andr. *ibidem, num.* 3. Butr. *num.* 6. Anchar. *nu.* 6. Abb. *n.* 7. *de his quæ fiunt à Prælat.* atque etiam comprobatur ex eo, quòd non paſſus fuiſſet Præpoſitus, de redditibus propriis ſolui debita Capituli, *ad l. cùm indebito ff. de probat.* cum vulgar. Inde etiam hoc euidenter demonſtratur, quòd de anno 1359. vt in ſummario, *num.* 10. Capitulum obligat nominatim certa bona Præpoſituræ, & præſertim decimam maiorem ciuitatis Tarraconæ, quæ continetur in donatione facta in erectione Berengario Guardiæ, & aliis macellariis, qui promiſerunt ſubminiſtrare carnes, & adminiſtrator Præpoſituræ maior domus Canonicæ, necnon & collector reddituũ Præpoſituræ, ad mãdatum illis factum per Capitulum promiſerunt, & ſe obligarunt, iuxta promiſſionem Capituli,

& de

& de anno 1361. dictus Berengarius fecit quietantiam Collectori Censualium Præpoſituræ, de certis pecuniarum ſummis ſibi ſolutis. Quæ quidem obligationes, ex eo præcipuè oſtendunt, bona ſpectare ad
8 Capitulum, † quia ſuper re aliena hypotheca conſtitui non poteſt, *l.* 1. §. 1. & ibi gloſſ. & DD. *ff. de pign.* Neguſ. *de pign.* 3. *mem.* 2. *p. num.* 52. Et oritur maxima etiã præſumptio ex ſolutione facta, quia ſi bona non ſpectaſſent ad Capitulum, veriſimiliter non fuiſſet ſolutum, cùm nemo præſumatur iactare ſuum. Præterea de anno 1486. vt in ſummario, *num.* 17. Præpoſitus, & Canonici conſtituunt procuratorem ad capiendas pecunias ad Cenſum, ſuper bonis Præpoſituræ, pro ſoluendo ſubſidio D. Papæ, quæ res ſimiliter arguit, quòd bona ſpectant ad Capitulum.
9 † Alienatio enim rei alienæ in præiudicium domini fieri non poteſt, *l. alienum. C. de furt.* vbi Bal. Rol. *conſ.* 60. *num.* 56. *& ſeqq. lib.* 4.
10 Prædictis accedit, quòd de anno 1334. vt in ſummario, *num.* 6. Archiepiſcopus, approbante Capitulo, ſtatuit, quòd per arrendatores Præpoſituræ non fieret ſeruitium, ſed per Præpoſitum, cùm teneat bona communia Capituli Tarraconæ. Qui conſenſus Capituli, iuncta dicta aſſertione, probat, bona ſpectare ad Capitulum. Conſenſus enim Capituli requiritur propter præiudicium Domini, *ad tex. in l. in concedendis, ff. de aqua pluu. arcen.* Et de anno 1350. vt in ſummario *num.* 7. Præpoſitus & Canonici conſtituerunt procuratorem, ad acceptandum caducitates, & concedendum bona in emphyteoſim Cuius mandati vigore, de anno 1351. idem Procurator conceſſit certa bona, vt in ſummario, *num.* 8. & 9. Quæ, abſque dubio, arguunt, bona ſpectare ad Capitulum, ad tex. *in l. in re mandata, C. mand.* Nam ſi bona ſpectaſſent ad Præpoſituram, ſuperfluum fuiſſet, quòd Capitulum daret ſimile mandatum, vt per Innoc. & alios alleg. Adhæc, de anno 1359. & 1361. vt in ſummario, *num.* 12. 13. & 14. Vicarius Archiepiſcopi fecit mandatum ſub certis pœnis procuratori Præpoſituræ, vt ſolueret certas pecuniarum ſummas diuerſis creditoribus Capituli. Vnde ſatis colligitur, bona ſpectare ad Capitulum; quia ſi procurator Præpoſituræ non fuiſſet debitor Capituli, non potuiſſet cogi ad ſoluendum creditori ipſius Capituli, *l. hæredem, iuncta gloſ. C. de hæred. act.*

Denique de anno 1359. vt in ſum- 11
mario, *num.* 15. procurator Præpoſiti exhibuit ſe paratum reddere cõputa expenſarum, & receptorum Præpoſituræ, quæ dominis reddi debent, *l. qui proprio,* §. *procurator, ff. de procurat.* Rationes autem reddere, ad adminiſtratores pertinet, *d.* §. *procurator,* Ang. *conſ.* 286. *num.* 2. & 3. Dec. *conſ.* 110. *num.* 7. cum aliis. Et de anno 1461. vt in ſummario, *num.* 16. Vicarius dedit mandatum contra Præpoſitum, ob non reſtitutionem quarũdam pecuniarum occaſione reſidui computorum. Quod mandatum bene comprobat prædicta. † Nam adminiſtrator non mo- 12
dò tenetur reddere computa, ſed reliqua etiam reſtituere quæ ſuperſunt, *l. tutorem, C. arbitr. tut. l. quod ſeruus, ff. de cond. & demon.* Socin. ſen. *conſ.* 2. *num.* 3. *& conſ.* 46. *num.* 1. *lib.* 1. Et prædicta etiam bene corroborantur ex Bulla ſuppreſſionis Benedicti, in qua expreſsè dicitur, quòd bona Capituli per vnum Præpoſitum erant adminiſtrata. Vnde non

modò attento principio de quo ſuprà dictum eſt, ſed etiam ſuppreſſione, conſtat, quòd bona ſpectant ad Capitulum. Quæ maximè conferūt ad declarandum actus qui medio tempore interuenerunt.

13 Nec facit, quòd dictæ enunciatiuæ, aliæ ſint de vna re, aliæ verò de alia, & in antiquis ad minimum requirantur duæ enunciatiuæ; quia nihilominùs probant. Nam non agitur de probando actu contento in iſto, vel illo inſtrumento, ſed de probando effectu, qui reſultat ex actibus illis, ſcilicèt, quòd conſtet, Præpoſitum adminiſtraſſe bona Capituli; in quo probando concurrūt omnes enunciatiuæ; licèt per diuerſa media, gloſ. *fin. in l. ob carmen, ff. de teſt.* Caſtren. *conſ.* 111. *nu.* 1. *verſ. ſed ad hoc reſpondetur, lib.* 1.

Nec releuat, dum Præpoſiti laborant, vt oſtendant, quòd Præceptoria habebat bona particularia; quia hoc eſt extra dubium. Nam die 14. Aprilis 1602. dum proponebatur hæc cauſa ſuper dominio, fuit diſtincta in quatuor dubia, ſcilicèt, vt primò videretur, An donatio Archiepiſcopi eſſet in forma probanti, ſecundò an Præpoſitus fuiſſet adminiſtrator bonorum Capituli, de quo dubio hodie quæritur, tertiò an Præpoſitura habeat bona particularia. Quartò quæ ſint bona Capituli, & quæ Præpoſituræ, de quibus duobus vltimis dubiis ſuo tempore, & loco agetur.

ALERIENSIS Beneficij.

Lunæ 27. *Iunij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtrum neceſſarium non priuat poſſeſſione, voluntarium priuat. Voluntas verò colligitur ex eo, quòd procurauerit expeditionem ſequeſtri.*

DECISIO CCXLIII.

DOmini dixerūt, non eſſe agendum de manutentione, cùm Vincentius conſenſerit ſequeſtro, & obtinuerit expeditionem. † Licèt 1 enim ſequeſtrum neceſſarium poſſeſſione non priuet, Caſſad. *deciſ.* 14. *num.* 12. *ſuper regul.* Sarnen. *in reg. de annal. q.* 46. *verſ. adde,* Rebuf. *de ſequeſt. gloſ. art.* 1. *num.* 19. quia quod noſtrum eſt, à nobis ſine facto noſtro auferri non poteſt, tamen ſecùs eſt in ſequeſtro voluntario, Rebuff. *loc. alleg. num.* 19. Card. *in Clem.* 1. *num.* 25. *de ſeq. poſſ. & fruct.* Et ad hunc effectum ſufficit, quòd conſenſerit ſequeſtro, procurando expeditionem, Put. *deciſ.* 77. *in fin. lib.* 1. Quis autem ſit habendus pro poſſeſſore, ad effectum probationum, erit particulariter agendum.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 27. *Iunij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Dictio,* niſi, *præcedente negatiua, ponit & determinat affirmatiuam in caſu nominato.*

2 *Facultas alienandi data in caſu dotis, intelligitur etiam pro lucro dotis.*

3 *Cenſus imponi poteſt ſuper rebus ſubiectis fideicommiſſo, pro ea quantitate, pro qua eſt creditor.*

DECISIO CCXLIV.

FVit reſolutum, teſtamētum Paulinæ non obſtare impoſitioni cenſus factæ per Pompeium pro concurrenti quantitate dotium, & lucri

lucri dotalis Liuiæ *della Zecca*, & Hortenſiæ Ruſpolæ ; Paulina enim expreſsè cauit, quòd eius bona non poſſint alienari , niſi pro dotibus
1 dandis,& recipiendis.† Quæ dictio, *Niſi*, cùm præcedat negatiua, ponit & determinat affirmatiuàm , in caſu nominato, *l.actione*,vbi Bart. *num.*1.
2 & Bald.*num.*2.*C.de tranſact.*† Et huiuſmodi facultas alienandi pro dote , intelligitur etiam pro lucro dotis quod datur vigore ſtatuti. Aym. *conſ.* 186.*à num.*4. *ferè vſque ad fin.* vbi concordantes allegat , & poſt eum Phanuc. *de lucro dotis gloſ.* 10.
3 *num.*58. † Et ideo cùm prædictis Liuiæ & Hortenſię ſucceſſerit Pompeius , ac propterea ſit creditor ſuper bonis ſubiectis dicto fideicommiſſo pro dictis dotibus , & lucro dotali , meritò pro illa rata potuit alienare bona nominato fideicommiſſo ſubiecta , imponendo cenſum.

Et hæc intelligebant Domini,niſi doceatur , aliter diſpoſuiſſe dictas Liuiam, & Hortenſiam.

BARENSIS BENEFICIORUM.

Ven. 1. *Iulij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Præſentatio facta ab exiſtēte in quaſi poſſeſſione , eſt valida concurrentibus requiſitis.*

2 *Ex vnica præſentatione acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi.*

3 *Actus certus & clarus ſubſequens declarat dubium præcedentem.*

4 *Ad probandum non ius alterius, requiritur res iudicata , vel partis confeſſio.*

DECISIO CCXLV.

DOmini perſtiterunt in reſolutis,ſcilicèt, ſententiam Rotalem eſſe confirmandam, † quia qui 1
præſentarunt Alphonſum, erant in quaſi poſſeſſione præſentandi , & ideo præſentatio eorum ſuſtinetur, *cap.conſultationibus,de iurep.*Lambert. *de iurep.lib.*2.*p.*1.*art.*1. *qu.*3. Et fuit firmatum in aliis deciſionibus. Et quamuis ad hunc effectum debeant concurrere requiſita per Calder. *in conſ.* 12. *de iurepatr.* pluriès à Rota canonizato , tamen omnia interuenerunt. Et quantum ad caput bonæ fidei , cùm concurrant probabiles coniecturæ iuſtæ poſſeſſionis , vt in deciſione Reuerēdiſſimi D. Archiepiſcopi Colloſen.conſideratur,præſumitur bona fides.† Et ex hac præ- 2
ſentatione acquiritur quaſi poſſeſſio. Abb. *in d. c. conſultationibus, ſub num.*3. Bald. *in l. Celſus, poſt partem ſecundam,verſ.expedita,par.*2. *num.*12. *ff.de vſucap.* Et fuit dictum in cauſa Cremonen. Prioratus 23. Februarij 1586. coram bo. me. Oradino , & ponderatū in hac cauſa, 10.Februarij præteriti,coram Reuerendiſſimo Colloſſenſi.

Nec placuit , quòd in præſentationibus , in quibus ſe fundant qui præſentarunt Alphonſum , omnes promiſcuè vocem dederunt , vnde debent intelligi , vt ſimul ſinguli ad ſingula beneficia ipſis ex tranſactione aſſignata præſentauerint, *l. quoties, C.famil. erciſc.* † quia præſenta- 3
tio facta ad beneficium S. Nicolai, tollit omnem difficultatem, cùm in ea non poſſit intrare tranſactio. Vnde aliæ præſentationes in omnem euentum,quādo dubiæ dici poſſent, recipiunt interpretationem ab iſta, *l. vxori, §. fin.* vbi Bart. *ff. de leg.*3.

Denique non officiunt ea quæ

deducuntur ad oſtendendam validitatem tranſactionis; quia, quicquid ſit de hoc, non propterea dicitur detectum non ius illius qui eſt in poſſeſſione præſentandi, ad effectum quòd præſentatus ab eo non ſit inſtituendus, iuxta doctr. Abb. 4 *in d.cap.conſultationibus, num.9.* † Sed ad hunc effectum requiritur res iudicata, vel partis confeſſio, vt in cauſa Valentina parochialis de Cõſentaina, 26. Ianuarij 1582. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Seraphino, & in hac cauſa, 14. Maij 1604. coram R.P.D. Lancellotto.

CELSONEN. PRÆCEptoriæ.

Ven. 1. *Iulij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria conceditur ad probãdum, non adeſſe attentata, interueniente maximo fumo, non tamen datur poſtquàm liquidiſſimè conſtat de attentatis, num.2.*

3 *Remiſſoria non datur in beneficialibus, niſi in tertia inſtantia, vel aliàs facta obligatione de ſtando vnicæ, & appoſito ſequeſtro.*

Decisio CCXLVI.

1 LIcèt reo ſoleat concedi remiſſoria ad excuſandum ſe ab attentatis, Caſſad. *deciſ.4. de dilat.* Veſtr. *in prax.lib.8. cap.4. num.20.* Lancell. *de attent. par.3. cap.26. num.113.* In caſu tamen de quo agitur, viſum fuit Dominis, eſſe denegandam; tum quia in his terminis non ſolet concedi, niſi maximo interueniente fumo, Put. *deciſ.219. num.3. lib.1.* qui hîc non adeſt, nec poteſt capi ex primo inſtrumento, in quo apparet, Honofrium habuiſſe ſe pro ſpoliato; quia adeſt atteſtatio notarij, quòd fuit deceptus in dando illud exemplum. † Tum etiam quia non 2 datur, poſtquàm liquidiſſimè conſtat de attentatis, quæ per actorem fuerunt probata. Caſſad. *deciſ.4. in fin. cum duabus præcedent. de dilat.* Afflict. *dec.351. num.6.& 7.* Lancell. *loc.præcit.nu.115.& 116.*

Placuit etiã Dominis aliud fun- 3 damentum, quòd in beneficialibus non datur, niſi in tertia inſtantia, vel aliàs facta obligatione de ſtando vnicæ, & appoſito ſequeſtro. Verall. *deciſ.57.p.3.* Vnde cùm ſequeſtrum eſſet de nouo apponendum, remanet irreleuans, ideo concedi non debet, *l.ad probationem, C. de probat. c.cùm contingat, de offic. deleg.* Caſſad. *deciſ.2. de dilat.* Verall. *deciſ.66. p.3.* Et ita concluſum, remiſſoriam eſſe denegandam.

PAMPILONEN. DE Ianſi.

Veneris 1. *Iulij* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Allegatio Lap. 89. quando habeat locum, & num.3. Conc.Trid. ſeſſ.25. c.9. habet locum tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio.*

Decisio CCXLVII.

FVit reſolutum, cõſtare de tali va- 1 catione beneficij de iure, & de facto, per obitum Petri, quæ ſuffragetur Ferdinando, ita vt intret eius gratia *ſi neutri.* Nam cùm Petrus poſſederit beneficium per plures annos, & vſque ad obitum, intrat allegatio Lapi 89. Vnde, ſiue requiratur decennium, vt videtur ſentire Lapus, dum requirit longum tempus, vt per DD. *in cap. illud,* vbi latè Felin. *col.4. verſ.nota 1. de præſumpt.*

ſiue

ſiue ſufficiat poſſeſſio triennalis, vt per Caſſad. *deciſ.2.in fin. de cauſ.poſſ. & propr.* Ferdinandus obtinere poteſt, quia Petrus vltra dictum tempus poſſedit.

Neque officit, quòd, ſi beneficium vacat per obitum Petri, Antonius habeat intentum, ex quo Petrus fuit præſentatus à Communitate, in cuius præſentatione de ſe poſteà facta ſe fundat Antonius; quia cùm iam ſit iudicatum, non conſtare de iurepatronatus Communitatis, non poteſt tali præſentatione iuuari. Nec illius quaſi poſſeſſio præſentandi
2 ipſi ſuffragatur ; † quia decretum Conc. *qu.9.ſeſſ.25.* habet locum tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio, vt fuit reſolutum ex ſententia Illuſtriſſimorum Interpretum in cauſa Romana parochialis de Publicolis, 21. Ianuarij 1600. coram Reuerendiſſimo Domino Pacen. Et ceſſat omnis difficultas ; quia Ferdinandus non vtitur præſentatione Cómunitatis in perſonam Petri , ad oſtendendum titulum illius validũ,
3 ſed nititur ſola allegatione Lapi , † quæ habet locum, etiamſi probaretur, prædeceſſorem habuiſſe ab initio titulum inualidum, quia præſumitur ſuperueniſſe titulus validus. Caſſad. *deciſ.3. num.4.de cauſ.poſſ. & propr.* Sarnen. *de trien.quæſt.10.in fin. & quæſt.26.num.12. pag.mihi 389. in fin.*

TOLETANA DECImarum.

Saturni 5. Nouembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura rectè compulſata, & in actis producta dicitur eſſe in forma probanti , & probat contra producentem.*

2 *Verbum*, folia, *eſt genericum.*

3 *Verbum hiſpanum*, Pliegos, *ſignificat faſciculum ſcripturarum.*

DECISIO CCXLVIII.

FVuit reſolutum, quietantias ſu- 1
per quibus eſt fundata deciſio in hac cauſa facta 31. Ianuarij præteriti, eſſe in forma probanti. Nam fuerunt compulſatæ per Didacum de Cuellar ad inſtantiam Conuentus ſancti Iacobi, vt in ſummario, *num.4.* & compulſatio poſtmodùm per eundem Conuentum fuit producta, vt in ſummario, *num.5.* & ideo ſunt in forma probanti , & contra Conuentum probant , *l. ſi filius, §. fin ff. de interrog. act. l. cùm precum, C. de lib. cauſ.* Abb. *in c. cùm venerabilis, num.31.* Felin. *numer.22. de except.*

Nec placuit Dominis, quòd non conſtet huiuſmodi quietantias fuiſſe productas. Quinimò ſatis conſtat, cùm fuerint producta folia, ex quibus conſtat de ſolutione decimarum, † quod verbum genericũ, 2
folia, eſt aptum cõprehendere etiam iſtas quietantias, & ideo non poteſt dubitari , cùm reperiantur in proceſſu , quin comprehendantur ſub illa productione generali , ad trad. per Bald. & Alciat. *in l. ſub prætextu, ſecunda, nu.2. C. de tranſact.* & per Nat. *conſ.146.nu.20. & ſeqq. lib.3.* Purpur. *conſ.289. lib.1.*

Minùs etiam placuit , quòd in 3
proceſſu Hiſpano non dicatur , *& alia folia*, ſed *otros pliegos*. & productio videatur euacuata in proc. fol. 1916. Vbi habentur huiuſmodi plici. Nam reſpondetur, quòd iſtud nomẽ *pliegos* denotat faſciculũ ſcripturarum, & poteſt verificari tam in dictis quietantiis, quàm etiam in dictis iuribus, fol. 1916.

Denique non officit , quòd pro-

ductio incipiat à folio 1642. vsque ad fol. 2033. & quietantiæ huiusmodi sint in processu fol. 1111. quia huiusmodi processus cõtinet interpretationem processus Hispani, ex quo apparet, iura compulsata ibi nõ haberi per ordinem, & satis est, quòd productio possit verificari modo præfato, vt dictum est.

FELTREN. PRÆbendæ.

Lunæ 14. Nouembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Possessio quadragenaria cum titulo, & bona fide, sufficit ad probandum mutationem substantiæ beneficij.*
2 *Duæ enunciatiuæ probant titulum aptum ad præscriptionem beneficij, etiamsi sint vnius notarij, vel emanauerint à personis suspectis, dummodò concurrant alia adminicula.*
3 *Episcopus non potest vnire beneficia existentia in alterius diœcesi.*
4 *Ex lapsu longi temporis præsumuntur omnia solemniter acta.*
5 *Interpretatio ita est facienda, vt contrarietas euitetur.*
6 *Numerus testium, illorum defectus supplet.*

DECISIO CCXLIX.

PLacuit Dominis decisio, in qua fuit resolutum, constare, Ecclesiam sanctæ Margaritæ de qua agitur, fuisse effectam præbendam Canonicalem, cùm cõcurrat ad id probandum quadragenaria possessio cũ
1 titulo; † quæ hoc modo qualificata requiritur, cessante immemorabili, quando agitur de mutatione substantiæ beneficij. Put. *decis.* 238. *lib.* 1.
2 Verall. *decis.* 344. & 347. *lib.* 3. † Nam de titulo cõstat ex duabus enunciatiuis antiquissimis vltra centum annos. Aretin. *in cap. cùm causam, num.* 21. *vers. sed tamen aduerte, de probat.* qui licèt requirat, quòd enunciatiuæ sint diuersorum notariorum, & emanauerint à personis non suspectis tamen licèt istæ sint vnius notarij, stantibus nihilominùs adminiculis ponderatis in alia decisione, bene probant, vt in fortioribus terminis dicit Io. Andr. *in dicto c. cùm causam, num.* 10. Butr. *num.* 10. Abb. *ante num.* 1. & cæteri Doct. & benè Eugen. in puncto, *cons.* 44. *num.* 47. & 58. Decia. *resp.* 32. *num.* 92. *vers. item non loquuntur lib.* 2. & sentit Rimin. iun. *cons.* 137. *nu.* 30. Et hæc declaratio eo magis procedit in casu isto, quia Delaitus notarius, erat Cãcellarius Capituli, coram quo prædicta fuerunt gesta, prout etiam istæ enũciatiuæ probant, stantibus adminiculis, licèt emanauerint à personis suspectis. Achill. *decis.* 1. *de confess.* & 7. *in fine, de iurepatr.* Put. *decis.* 149. *lib.* 3. Eugen. *loco alleg. num.* 65. Et fuit dictum in causa Hispalen. hospitalis, 26. Martij 1590. & 22. eiusdẽ mensis, anno sequenti coram Illustrissimo D. meo Cardinali Pamphilio. Obseruantia verò non solùm probatur spatio 40. annorum, sed ab anno 1468. quo fuit facta vnio vsque ad hæc tempora, vt latè deducitur in alia decisione, ita vt non sit ambigendi locus.

Neque officit, quòd beneficium de eo tempore esset in diœcesi Bellunen. Et clara est conclusio, quòd Episcopus non potest vnire beneficia alterius diœcesis, *c. sicut vnire, de excess. Prælat.* quia vltra quòd, ex dicto instrumento anni 1468. appareret, vnionem fuisse factam vigore gratiæ Apostolicæ, † tamen stante
4 lapsu tanti temporis, & obseruantia subsequuta, omnia præsumuntur solemniter gesta. Felin. *in c. Albericus, num.* 4.

*num.4.in fin.de test.*Put.*decis.*365.*num.* 3.*& 7. lib.*2. Et fuit pluriès resolutum.

Nec officiunt ea quæ deducuntur circa obseruantiam ; quia licèt Serrauallus inuestitus de anno 1477. posteà dimisit de anno 1478. & ideo videretur dicendum,descriptiones posteà factas fuisse suspectas, nihilominùs cũ de anno 1482. Canonicatus vacasset per eius obitum, dicendum est,dimissionem nõ
5 habuisse effectum. † Et ista interpretatio est sumenda, vt vitetur cõtrarietas, *c.inter dilectos*, §. *quæsitum*, *nu.4.ff.de condict.indeb.* Aym.*cons.*70. *num.5.*

6 Neque officiunt ea quæ dicuntur contra testes ; quia cùm sint plures, supplentur,& declarantur per alios. Bald.*in l.2.num.5.C.de bon.poss.secund. tabul.* Verall. *decis.*206. *p.* 2. Vltra quòd excepto primo teste, contra alios, super quorum dicto decisio facit fundamentum, nihil quòd relucet, opponitur.

TIBVRTINA CAPELlaniæ.

Mercurij 16.*Nouembris* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus testatoris spectat ad hæredem illius.*

2 *Nomine*, hæredum, *ex propria significatione veniunt etiam extranei, maximè quando sumus in re ad hæredes extraneos transitoria.*

3 *Ex confessione facta in testamento, quòd ipsa sit filia,iuncta additione hæreditatis, probatur in sui præiudicium filiatio.*

4 *Cùm alius in successione non concurrit, satis est, quòd volens succedere, ostendat, se esse in gradu successibili.*

Decisio CCL.

POst resolutionem factam circa existentiam iurispatronatus,dubitaui an illud spectaret ad Siciniũ de Sebastianis, qui Felicem Nardinum præsentauit. Et affirmatiuè fuit resolutum. † Ex testibus enim 1
qui dantur in summario,*num.*6.constat,ipsum fuisse hæredem Sebastiani de Sebastianis eius fratris ex latere patris,qui descendit ex Stephano Colepauli, cui, & suis hæredibus, & successoribus Ioannes Paulus fundator reliquerat huiusmodi iuspatronatus *cap.*1.vbi Abb.*num.*2. *de iurepatr.* Bald. *cons.*409.*num.*1.*l.*2. Card.*cons.*122.*num.*1.Et potuit transire in Sicinium hæredem extraneũ, † cùm appellatione hæredum ex 2
propria significatione veniant etiã extranei,*l.sciendum,ff.de verb.sign.l.in annalibus,C.de leg.* Bart.*in l.Gallus*,§. *etiam,ff.de lib.& posth.* Quod procedit sine scrupulo, quando sumus in re ad hæredes extraneos transitoria. Menoch.*cons.*158. *num.*12.*vers.quintus casus*, prout est iuspatronatus. Abb. & Bald. *in loco præcit.* Card. *d. cons.*122.*in princ.* glos.*in c.considerandum*,16.*q.*7. Calder.*cons.*2.*de iurepatr.* Gabr.*cons.*196. *num.*1. *lib.*2. Et fuit dictum in causa Aretina Capellaniæ 1. Iunij 1584.coram Bubalo.

Quòd autem Sebastianus descendat à Stephano Colepauli, cui fuit relictum iuspatronatus per fundatorem , vt in illius testamento in summario,*num.*1.satis constat, cùm idem Stephanus in suo testamento de quo in summario,*num.*2.instituerit hæredes Angelum , & Paulum, nec non & Patricium,si viueret,suos filios, & à Patricio descendat semidea , quæ instituit hæredem prædictum Sebastianum ex filia nepotem, vt in summario, *num.*3. Et quamuis

de

3 de Patricij vita non cóſtet, † tamen ſatis eſt, quòd conſtet ex teſtamento Semideæ confecto de anno 1563. ipſam fuiſſe filiam prædicti Patricij. Quæ aſſertio in teſtamento, cùm ſit facta à moriente, tempore quo de illius præiudicio agebatur, iuncta aditione hæreditatis Angeli fratris dicti Patritij, quam ipſa adiuit tanquam illius neptis, vt cóſtat ex pluribus actibus in ſummario, *num.* 5. ſatis probat filiationem, ad not. per gloſ. & Bart. *in l. ſi quis graui, §. fin. ff. ad Syllan.* Nec opus eſt docere, quòd Semidea fuerit hæres Pauli patrui, & Patritij patris, qui vnà cum dicto Angelo fuerunt inſtituti hæredes à
4 Stephano, † quia ſufficit oſtendiſſe, Semideam fuiſſe in gradu ſucceſſibili, cùm alius ex cóſanguineis non concurrat cum ipſa: ex allegat. per Tiraq. *de retr. lignag. §. 11. gloſ. 1. num.* 5. & 6. Et admiſit Rota in cauſa Aretina Capellaniæ 4. Iulij 1603. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Pamphilio.

Et ita concluſum in cótumaciam alterius partis.

GERVNDEN. PRIORATUS.

Mercurij 16. Nouembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Exequutor cum clauſula* vocatis, *&c. eſt mixtus, & ab eius ſententia datur appellatio, vnde pendente appellatione non poteſt ad exequutionem veniri, ſine vitio attentatorum.*

DECISIO CCLI.

1 FVit reſolutum, conſtare de attentatis, quia cùm exequutio Breuis fuerit commiſſa cum clauſula: *vocatis Petro & aliis qui fuerint vocandi*, exequutor erat mixtus, *cap. exhibita*, vbi Abb. *in vlt. not. de iud.* Card. *conſ.* 63. *in princ.* Dec. *conſ.* 173. *num.* 2. Rot. *deciſ.* 30. *de reſeruat. & deciſ.* 12. *de offic. deleg. in nou.* Et ideo ab eius ſententia dabatur appellatio, Card. *d. conſ.* 63. *num.* 2. quem refert, & ſequitur Felin. *in d. cap. exhibita, num.* 4. *de iud.* Et fuit pluriès reſolutum. Vnde pendente appellatione non poterat deuenire ad exequutionem Breuis abſque vitio attentatorum, *cap. non ſolùm, de appel. in 6. cum vulg.*

TARRACONEN. ATTENTATORUM.

Lunæ 21. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Actus facti in cauſa diuerſa, non cauſant attentata.*

2 *Inhibitio Rotalis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, eſt timenda, & actus poſt eam facti non carent vitio attentatorum.*

3 *Qui continuat, non attentat, & ad hoc vt dicatur continuare, actus ſubſequens debet eſſe conformis actibus antecedentibus ante inhibitionem, verbi gratia.*

4 *Actus præſumitur factus tempore licito, ad illius validitatem, & ad effugiendum vitium attentatorum.*

DECISIO CCLII.

QVamuis cóſiderando primam cómiſſionem cauſæ ſuper augmento directam bo.me. Gyptio de anno 1598. non videatur conſtare de attentatis; † quia ageretur de 1
cauſa diſtincta. Dec. *conſ.* 33. *num.* 4. *verſ. ſecùs ſi articulus, & num.* 5. tamen attenta commiſſione mihi directa de anno 1600. qua fui ſubrogatus in locum D. bo.me. Gyptij, & mihi

inſi

inſimul fuit commiſſa cauſa ad inſtantiam Præpoſitorum ſuper officiis ſingulis Canonicis dari ſolitis, ac ſimul illorum emolumentis, & declaratione inhabilitatis, & priuatione officiorum, cuius vigore inhibitio fuit conceſſa de menſe Maij eiuſdem anni, cùm de menſe Nouembris anni 1603. Capitulum priuauerit Chriſtophorum de Cheralt Archidiaconum, & Paulum Campanam hoſpitalarium officiis quæ habebant, quin & illos inhabilitâuerint ad illa in poſterum obtinenda prætextu quòd contraueniſſent cuidam ordinationi Capituli; Dubitari non poteſt, quin conſtet de attenta-
2 tis, † quia inhibitio Rotalis ſiue iuſta, ſiue iniuſta, eſt timenda. Put. *deciſ.395.lib.2.* Achill. *deciſ.9.de appell.* Verall. *deciſ.129. lib. 1. in manuſcript.*

3 Neque obſtat regula, quòd qui continuat, non attentat; quia hîc non probatur aliqua poſſeſſio relenans Capituli. Nam actus de anno 1548. de quo in ſummario nouiter dato *num. 2.* & alius datus in primo ſummario pariter *num. 2.* in quibus priuantur certi Canonici, & declarantur inhabiles, non oſtenduntur effectuati, & ideo non probant poſſeſſionem. Calder. *conſ. 23. de præben.* Alij verò actus, licèt oſtendantur effectuati, tamen ex his non colligitur poſſeſſio correſpondens priuationi vltimo loco factæ à Capitulo. Quare nec iſti actus poſſunt ſuffragari. Lancell. *de attent. p. 2. c. 4. limit. 1. nu. 70. & cap. 12. limit. 25. nu. 5.*

Attentata ex aliis capitibus non placuerunt Dominis; quia receptio pecuniarum fuit facta de ordine Rotæ, & decretum factum per Capitulum, quòd Dignitates ſoluere deberent Canonicis celebrantibus loco abſentium mortuorum, vel impeditorum, maiorem ſummam pecuniarum, quàm quæ priùs ſoluebatur, non oſtenditur effectuatũ; nec apparet de quo tempore ſit factum. † Vnde in omnem euentum 4
præſumitur factum tempore licito, tam ad validitatem actus, quàm ad effugiendum vitium attentatorum, glol. *in c. non ſolum, in verb. reducendum, circa med. de appellat. in 6.* Achil. *deciſ. 37. eod. tit.*

FVLGINATEN. FIDEI-commiſſi.

Lunæ 5. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Ex prohibitione alienationis, etiam in parte minima, cenſetur prohibita Trebellianica, & num. 4. Contrariũ vide num. 3. etiamſi facta ſit prohibitio alienationis extra familiam, num. 6.*

2 *Diſpoſitum in Falcidia habet locum in Trebellianica.*

3 *Trebellianica in filiis primi gradus poteſt prohiberi.*

Decisio CCLIII.

EX prohibitione alienationis, 1
etiam in parte minima, fuit reſolutum, cenſeri quoque prohibitam detractionem Trebellianicæ, *per tex. in auth. ſed & in ea, C. ad l. falcid. & in auth. vt ſponſ. largit. §. ſi quando, col. 9. vnde ſumitur.* † 2
Qui licèt loquatur in Falcidia, habet etiam locum in Trebellianica, ex identitate rationis, vt per Bald. *ibi*, Aret. *conſ. 37. num. 10. verſ. ad ſecundum*, Card. *conſ. 113. in princ.* Rom. *conſ. 206. nu. 1. & ibidem adden.* Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 12. num. 19.* latè Gabriel alios referens, *de Trebel. concl. 9.* Et dictum eſt, rem eſſe extra difficultatem, cùm prohi-

bitio ſit facta filiis, & deſcendentibus, vt ſunt verba clara teſtamenti. Socin.iun.*conſ.*49.*num.*21.*vol.*3. Decia.*reſp.*120.*num.*24.*in fin.lib.*3. cum aliis per Illuſtriſſimum Manticam, *vbi ſuprà,num.*20. *in fin.& nu.*21.

3 Neque obſtat, quòd ad effectum vt cenſeatur prohibita Falcidia, & ſic ex identitate rationis etiam Trebellianica, requiritur expreſſa prohibitio,& non ex prohibitione alienationis, per tex. *in* §. *ſi verò expreſſim, auth. de hared. & falcid.* quia licèt hæc fuerit opinio Ang. *ibi num.* 40. *verſ. contrarium mihi videtur*, & aliorum quos allegat Neuiz. *conſ.*2.

4 *num.*1. † tamen contraria ſententia, ſcilicèt quòd ſufficiat prohibitio alienationis, eſt communis, & verior, vt dicit ibidem Neuiz.*num.*33. *&* 34.*& per tot.* qui etiam benè reſpondet argumentis contrariæ partis,& fundat hanc ſententiam, & in ea reſidet, *num.* 49. *verſ. quid tenendum.*

5 Neque etiam facit, quòd ſumus in prohibitione alienationis factæ filiis primi gradus; quia nihilominùs ex ipſa reſultat prohibitio Trebellianicæ, cùm clarum ſit, ſecundùm opinionem quam Rota ſeruat, quòd etiam filiis primi gradus Trebellianica poteſt prohiberi. Caſſad. *deciſ.*4.*de teſtam.* Sarn. *deciſ.*94. *incip. Trebellianica*, Simon. *deciſ.*89. *incip.in vna Romana.* Creſcen. *deciſ.*2. *de teſtam.* Et fuit reſolutum in cauſa Anconitana fideicommiſſi, 18.Martij, & 27. Aprilis 1583. coram bo. me.Cardinali Lãcellotto, & in cauſa Nucerina fideicõmiſſi 30. Octobris 1595. coram Illuſtriſſimo Mantica.Quæ deciſio loquitur in terminis probibitionis alienationis factæ filiis. Et hanc etiam opinionem dicit magis communem Bertran. *conſ.* 130. *num.* 5. *lib.* 3. *p.* 2. & ſequitur Molin. *de primog. Hiſpan. lib.*1. *c.*17. *num.*12.*verſ.contrariam tamen.*

Neque etiam obſtat, quòd facta 6 ſit prohibitio alienationis extra familiam,vnde cenſeri debet permiſſa alienatio in familia;quia hæc verba prohibitionis debent operari circa fideicommiſſum,ex allegatis per Illuſtriſſimum Mantic. *in d.tract. lib.* 6.*tit.*14.*à nu.*24. *vſque ad fin.*Peregr. *de fideicom. art.*14.*num.*7.*verſ.at ſecus eſt.* Et cùm ex illis verbis arguatur, quòd factum fuerit fideicommiſſum fauore agnationis, ideo magis cenſeri debet, prohibitam eſſe Trebellianicam etiam ipſis filiis, vt per Dec.*conſ.*295.*circa fin.*Natt.*conſ.*321. *num.*8.*in fin.& num.*9. Sim.de Præt. *de interpret. vlt. vol.lib.*3. *dub.*5.*fol.*6. *num.*33.*fol.*367. Et in puncto quòd ex prohibitione alienationis extra familiã cenſeatur nihilominùs prohibita Trebellianica, conſuluit Alberi. *conſ.*147.*num.*8. Cuius dictum corroborari poteſt ex prædictis, & ex concluſione,quòd prohibita alienatione,cenſeatur prohibitum omne id per quod peruenitur ad illam, *l.codicillis*, §.*morte*, vbi Bart. *de leg.*2. latè Tiraq. *de retr.lignag.*§.1.*glo.*14. *num.*14.

PACEN. DECIMARVM.

Lunæ 5.*Decembris* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus habet intentionem fundatam in decimis quando non adeſt parochus,vel quando debentur Eccleſiæ Cathedrali,nu.*4.

2 *Tertius veniens ad cauſam quando excludit actorem,& reum,non poteſt impedire expeditionem.*

3 *Mandatum eſt ſpecificè obſeruandum.*

4 *Capitulum recipit fomentum ab*

Epiſ

Epiſcopo ſibi aſſiſtente in cauſa decimarum, quando decimæ debentur Eccleſiæ Cathedrali, & conſequenter Capitulo, cùm Epiſcopus de iure communi habeat in illis fundatam intentionem.

Decisio CCLIV.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt aſſiſtentiam Epiſcopi non præſtare tale fomentum Capitulo Cathedrali Pacen. vt non poſſit dari abſolutoria D. Duci de Feria reo circa perceptionem medietatis decimarum in loco del' Hebrero, quia in illa quæſtione de tertio veniente ad cauſam vt aſſiſtat alicui, an impediat expeditionem cauſæ, inter alia præſupponunt Doctores, quòd vterque habeat intereſſe, vnus ſcilicèt principaliter, alter verò per quandam conſequentiam, vt per Bart. *in l. ſi quis prolusorio, §. ſed & agere, lib. 1. ff. de appellat.* Sed in caſu iſto, cùm locus del' Hebrero ſit extra limites Parochiæ, vt reſolutum fuit, nec conſtet, quòd
1 ſit in alicuius parochia, † Epiſcopus ſolus de iure communi habet intentionem fundatam, *cap. quoniam de decimis.* Ipſe enim ſolus hoc caſu eſt Parochus, & penes eum reſidet tota cura, *cap. nullus, 16. q. 7.* Et fuit firmatum in hac cauſa. Et propterea cum ad Capitulum, cui aſſiſtit Epiſcopus, non habeat nec principale intereſſe, nec in conſequentiam, prout etiam fuit reſolutum; meritò prædicta aſſiſtentia ei ſuffragari nõ poteſt, cùm victoria non poſſit obtineri, niſi ad fauorem Epiſcopi, pro
2 quo ſolùm ferri ſententia poteſt. † Vnde bene intrat concluſio firmata in vltima deciſione, quòd quando tertius veniens ad cauſam excludit actorem, & reum, non poteſt impedire expeditionem; iuxta veriorem ſententiam, de qua in deciſione *noſtra 4. de iud. in antiquioribus.*

Nec facit, quòd iuxta diſpoſitionem dicti Capituli, quoniam Epiſcopus poteſt decimas ad opus ſuum retinere, vel aliis Eccleſiis deputare; quia ex aſſiſtentia quam præſtat, non ſequitur, quòd voluerit has decimas donare Capitulo. † Et hoc non di- 3
cit mandatum, quod eſt diligenter attendendum, *l. diligenter. ff. mand.*

Neque obſtat deciſio in cauſa 4
Oſcen. decimarum, coram bo. me. de Rubeis; quia vltra reſponſiones aliàs datas, benè in caſu illius deciſionis Capitulũ recipiebat fomentum ab Epiſcopo, cùm ageretur de decimis intra limites parochiæ Eccleſiæ Cathedralis. Nam quotieſcumque decimæ debentur ex aliquo titulo, Eccleſiæ Cathedrali, Epiſcopus habet intentionem fundatam de iure communi; & ſic habet intereſſe principale, *c. dudum, de decimis*, & Capitulum per quandam cõſequentiam; quia illæ decimæ debent diuidi inter Canonicos, *c. vltimo, de offic. Cuſtod.* Rebuf. *de decimis q. 7. nu. 13.*

ANCONITANA PECUNIARIA.

Ven. 9. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Decretum eſt nullum, ſi fuerit omiſſum iuramentum calumniæ, vel non adſit mandatum procuratoris citati, & ideo non eſt exequendum, numer. 8.*

2 *Lis dicitur mota per comparitionem in actis, & proteſtationem, vt iuretur de calumnia.*

3 *Acta præcedente mandato facta, conualidantur per mandatum procuræ poſteà productum, non tamen*

acta nullo precedente mandato facta, num.4.

5 *Mandatum præsumitur ex productione iurium cum magna impensa.*

6 *Duo mandata ad eandem causam concurrere possunt, nisi vnum excludat aliud, num.7.*

Decisio CCLV.

1 FVit resolutum, mandatum relaxatum per Auditorem Cameræ esse nullum, tam ex omissione petiti iuramenti calumniæ, *cap.1.de iuramento calumniæ, in* 6. vbi Doct. *l.2.* quòd si actor *C.de iur.iur.pro cal.dan.* Put. *decis.398. lib.2.* quàm etiam ex defectu mandati illius qui comparuit pro D.Ruspulo, Vant. *de nullit.tit. de nullit. ex defectu inhabil. seu mand.sub nu.58. & seqq.*

2 Nec est verum, quòd petitio iuramenti fuit facta ante litem motam; quia satis erat mota lis cùm ad instantiam D. de Ruspulis fuisset facta citatio ad soluendum, & aliàs pars comparuisset in actis, & protestata esset de calumnia iurari, *l. 1. C. de lit. contest.* Corn. *cons.* 209. *vol.2.*

3 Neque facit, quòd protestatio, neminem audiri nisi docto de mandato, non fuerit facta, nisi post relaxationem mandati exequutiui; quia licèt, si mandatum anteà extitisset, potuisset post dictã protestationem produci, & gesta etiam ante relaxationem mãdati exequutiui fuissent valida, Aym. *cons.*108. *nu.1. & seqq.* Rot. *decis.*19. *de proc. in antiq.* Put.

4 *decis.*383. *num.8. lib.2.* † Non tamen nullo præcedente mandato potuit D. Ruspulus tunc procuratorem constituere, cum ratificatione gestorum ad validandum ea quæ sine mandato gesta erant. Aym. *d. cons.* 108. *num.1. circa fin.* Rot. *decis.* 1. *de procur. in antiq.* Cassad. *decis.*40. *num.* 2. *super regul.* Put. *dicta decis.* 383. *ad fin. lib.2.*

Minùs releuat, quòd ex productione iurium cum notabili impensa constat de mandato præsumpto procuratoris, quod sufficit, ad decis. Cassad. 1. *num.1. de procurat.* Et fuit resolutum in causa Burgen. de Couarruuias 4. Februarij 1591. coram Illustrissimo Seraphino, † cui non repugnat mandatum postea factum per D.Ruspulum, cùm duo mandata concurrere possint, vt fuit resolutum in causa Firmana iurispatronatus, 28.Ianuarij coram Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio. Quia circa hoc motiuum dubitarunt Domini, an constaret de tali impensa, ex qua dici posset resultare mandatum præsumptum.† Et aliqui ex eis addebant, quòd constitutio procuratoris cum ratificatione gestorum, videtur excludere mandatum præsumptum, quia aliàs nõ fuisset opus constituere, cum ratificatione gestorum. 5 6 7

Ex quibus cùm mandatum relaxatum per Auditorem Cameræ reddatur nullum, non est exequendum. Salic. *in l.1. num.5. C. ne lic. prouoc.* Castren. & Alex. *in l.4. §. condemnatum ff. de re iud.* Innoc. *in c.cùm olim, in glos. canonicè, de dol. & contum.* 8

OVETEN. MERCEdis.

Lunæ 12. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Qui non fecit professionem fidei requisitam a Concilio Trid.* sess. 24.c. 12. *non potest in absentia etiam iusta, lucrari distributiones quotidianas.*

2 *Sala*

2 *Salarium non conuentum non debetur. Fallit tamen regula in ciuitate, qua quis ſolitus eſt locare operas ſuas.*

3 *Taxatio ſalarij relinquitur arbitrio iudicis.*

4 *Intereſſe Cambiorum nõ debetur, niſi probatis requiſitis per Caſtren* in l. 3. ff. de eo quod cert. loc.

5 *Intereſſe damni emergentis debetur propter moram non ſoluentis.*

6 *Mora tam committitur in non faciendo, quàm in contrafaciendo.*

Decisio CCLVI.

PEtebat D. Quinones, pro tempore quo fuit abſens, fructus, & diſtributiones quotidianas ſuæ præbendæ Canonicalis à Capitulo, nec non ſalarium & expenſas, & interuſuria pro pecuniis captis ad cambium pro dictis fructibus, diſtribu-
1 tionibus, ſalario, & expenſis. † Et quantùm attinet ad fructus, & diſtributiones; Domini dixerunt, illas non eſſe debitas, cùm iſta abſentia fuerit, antequàm faceret primã reſidentiam, & emitteret profeſſionem fidei: quapropter non potuit haberi pro præſente, Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 12. verſ. prouiſi autem de Canonicatibus*, quod ita interpretata eſt Sacra Congregatio, vt in declaratione quæ datur *num.* 2. & tenet Nauarr. *conſ. 4. de ſumm. Trinit. & fid. Cathol. vbi num. 3.* quòd fidei profeſſio proficit tantùm in futurũ, & ſic, quòd fructus præteriti non debeantur. Vnde non eſt quærendũ, an haberet talem cauſam abſentiæ, propter quam etiam abſenti debitæ fuiſſent diſtributiones, cùm non adimpleuerit præſcriptum Concilij Tridentini. Et ex prædictis ſequitur, quòd nullum intereſſe poſſit prætendere, neque ratione damni emergentis, nec lucri ceſſantis, reſpectu horum fructuum, & diſtributionum.

Quantum attinet ad ſalarium, & expenſas, Capitulum non renuebat ſoluere vtrumque, ſed dicebat, expenſas debere iuſtificari, quod & Dominis placuit: Salarium verò, quia fuit promiſſum tantummodò in futurum, dicebat deberi dumtaxat à die conſtitutionis illius vſque ad diem reuocationis ipſius procuratoris; Domini tamen ſuper hoc, dimiſſo vt particulariter videatur, an ſalarium debeatur etiam poſt reuocationem, quod pendet ab eo, an fuerit validè, vel nulliter reuocatus, vt in cauſa Placentina nullitatum reuocationis procuratoris 23. Ianuarij 1598. coram R.P.D. meo Litta, dixerũt, ſalarium deberi à die quo fuit ſubſtitutus, & incepit ſeruire; † quia licèt regulariter ſala- 2
rium conuentum non debeatur, tamen regula non procedit in ciuitate in qua quis eſt ſolitus locare operas ſuas, Corn. *conſ. 116. num. 2. in fin. & num. 3. lib. 4.* Put. *deciſ. 44. nu. 2. lib. 2.* Et fuit dictum in cauſa reductionis laudi de Buſchettis 12. Februarij 1582. coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto, prout eſt notorium, quod facit D. Quinones, qui multa cum ſua laude, fidelitate, & diligentia, ſub eius tutela plura habet negotia, & cùm Capitulum promiſerit in futurum ducatos 100. annuos, & non appareat, quòd poſt dictam conſtitutionem aucta fuerint negotia, viſum fuit Dominis, hoc ſalarium cõueniens eſſe, etiam pro tempore præterito, † cùm hoc 3
relinquatur arbitrio iudicis. Bart. *in l. Seio, in fin. princ. ff. de an. legat.* Corn. *d. conſ. 116. num. 4.* Capic. *deciſ. 27. num. 20.*

Circa intereſſe pro pecuniis ca- 4
ptis ad cambium reſpectu ſalarij,

fuit dictum, non deberi niſi probatis requiſitis per Caſtren. *in l. 3. ff. de eo quod cert. loc.* Reſpectu verò expenſarum, viſum eſt, intereſſe deberi ratione damni emergentis; quia procurator geſſit negotium vtile Capituli, quod ſatis fuit in mora, propter quam debetur huiuſmodi intereſſe, gloſ. *in c. conqueſtus, de vſur.* cùm debito tempore non ſubminiſtrauerit pecunias procuratori, † quia mora tam committitur in non faciendo id quod quis facere tenetur, quàm in contra faciendo, *l. qui non facit, ff. de reg. iur.* Aret. *conſ. 156. in fin.* 5 6

ROMANA PECVniaria.

Lunæ 12. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Habens expreſſam hypothecam anteriorem præferri debet non habentibus ſimilem hypothecam anteriorem.*

2 *Conſtante matrimonio, & viro ad inopiam non vergente, dos repeti non poteſt, poteſt tamen agere, vt dos collocetur in tuto, & deſeruiat oneribus matrimonij, & nu. 3. & 5.*

4 *Æſtimatio rei datæ in dotem facit emptionem & venditionem.*

5 *Fundus dotalis qui ſit.*

6 *Pecunia dotalis dicitur illa quæ fuit data in dotem & effecta viri.*

7 *Verbum, dedit, importat dominij tranſlationem.*

Decisio CCLVII.

1 FVit per Dominos reſolutum, pecunias fore cõſignandas D. Franciſcæ, quæ cùm habeat hypothecam expreſſam cum publico inſtrumento, debet præferri aliis creditoribus non habentibus ſimilem hypothecam anteriorem, iux. *l. ſcripturas, C. qui pot. in pign. hab.* Rip. *in l. priuilegio, num. 24. ff. de priuil. credit.* Neguſ. *de pign. 2. mem. 5. par. principalis, num. 47. cum ſeqq.* Gabr. *de probat. concl. 10.*

Neque obſtat, quòd adhuc durat matrimonium, & vir non vergit ad inopiam, vnde D. Franciſca non poteſt repetere dotem, *l. in rebus, §. omnis, C. de iur. dot. l. vnica C. ſi dos conſt. matrim.* † quia hodie D. Franciſca non agit pro reſtitutione dotis, ſed cùm dos fuerit ſoluta Vincẽtio ſocero, qui propterea pro illa obligatus remanſit, *l. ſi cùm dotem, §. tranſgrediamur, ff. ſolut. matr.* agit, vt excludat alios creditores, & ſua dos collocetur in tuto, & deſeruiat oneribus matrimonij, quod facere poteſt, *l. ſi is qui, §. 1. ff. de iur. dot. l. ſi maritus, ff. fam. erciſc.* Bald. *in auth. ei qui, ſub num. 39. C. de bo. auth. iud. poſſ.* & tradunt omnes, *in l. ſi conſtante, ff. ſol. matr.* Et fuit reſolutum in cauſa Romana dotis de Cinciis, 9. Iunij 1600. coram Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo Rhodienſi. 2 3

Nec minùs facit, quòd fuerunt data in dotem loca Montium, & domus; quia hæc omnia fuerunt data æſtimata. Vnde dubitari non poteſt, quin æſtimatio fecerit emptionem, & venditionem, *l. quoties, & l. ſi inter virum,* vbi gloſ. *C. de iur. dot.* Couar. *pract. quæſt. c. 28. num. 1.* † Et ideò, cùm hæc bona fuerint effecta de patrimonio Vincentij, non poteſt impediri dicta Franciſca, quominùs agat ſuper illius bonis ſibi beneuiſis, vt ſua dos collocetur in tuto, cùm omnia ſibi ſint hypothecata, *l. creditores, ff. de diſtract. pign. l. qui generaliter, C. qui pot. in pign. hab.* 4 5

Nec minùs releuat, quòd in dotione domus, fuerit dictum, quòd ſit in 6

ſit in fundum dotalem; quia cùm præceſſerit promiſſio dotis in certa quantitate, & domus quoque fuerit æſtimata pro ſcutis 3000. verba illa, *in fundum dotalem*, non accipiuntur propriè, prout intelligitur fundus dotalis: ſed ita interpretatur, vt domus ſit data in ſolutũ & pagamẽtũ, & fundũ dotalem, ſcilicèt in dotem datum, non tamen, quòd dos in ea domo conſiſteret, *arg. tex. in l. ex pecunia dotali*, vbi Bald. *nu. 1. verſ. in textu, C. de iur. dot.* vbi pecunia dotalis dicitur illa quæ fuit data in dotem, & effecta viri. Bene facit Cephal. *conſ. 351. nu. 37. & ſeqq. lib. 3.* Et fuit latè deductum in cauſa interamnen. ſeu Romana fundi dotalis, 20. Febr. 1589. coram Illuſtriſſimo Plato.

Nec etiam officit, quòd domus valeat vltra dictam ſummam; quia vltra quòd non conſtat, non eſt præciſa via Dominis de Perbenedictis, experiendi de iuribus ſuis contra dictam domum. Et hoc modo reſpondetur ad declarationem factã per D. Franciſcam, quòd vult ſibi ſatisfieri ſuper bonis mobilibus Vincentij. Non enim conſtat, quòd iſta bona ſufficiant, & eſt in confeſſo, quòd nõ excedunt valorem ſcutorum quingentorum.

Denique non ſubſiſtit, quòd bona promiſſa in dotem non fuerint conſignata Rentio, dicitur enim, 7 *dedit, & conceſſit*, † quod verbum *dedit*, importat dominium transferre, & rem accipientis facere, §. *ſic itaque diſcretis, inſtit. de act. l. fin.* vbi not. *ff. de cond. cauſ. dat. l. vbi autem, § fin. ff. de verb. oblig.* Bart. *in l. ex empto, in princ. ff. de act. empt. & in l. 1. C. de rer. permut.*

Quod dicitur circa inſtrumentũ, quòd non ſit in forma probanti, niſi Domini de Perbenedictis acquieſcãt ſimplici copiæ collationatæ, prout alij creditores fecerunt, poterit produci in forma probanti.

FELTREN. PRÆbendæ.

Veneris 16. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Requiſita ad hoc vt iura ſint in forma probanti.*
2 *Iura antiquiſſima non egent recognitione.*
3 *Sola data non probat antiquitatem niſi concurrant alia adminicula.*
4 *Antiquitas ſcripturæ probatur ex viſione ipſius.*
5 *In antiquis ſcripturis non requiritur probatio notariatus.*
6 *Scripturæ antiquæ etiamſi non ſint in archiuio, probant, dummodo reperiantur plura inſtrumenta eiuſdem notarij.*
7 *Rota adhibet fidem inſtrumentis, etiam informibus propter eorum obſeruantiam.*

Decisio CCLVIII.

FVit reſolutum, iura vltimo loco producta, ſuper quibus eſt fundata deciſio in hac cauſa facta 6. Iunij præteriti, eſſe in forma probanti: habent enim indictionem, diem, locum loci, teſtes, & ſubſcriptionem notarij, iuxta gloſ. *in l. generali, in verb. ſeruituti, C. de tabul. lib. 10.* Aym. *conſ. 216. num. 2. & ſeqq.* latè Couar. *pract. qq. c. 20. vſque ad num. 6.* Et fuit dictum in cauſa Lunen. Sarzanen. Capellaniæ, 26. Martij 1601. coram R. P. D. Sacrato, & aliàs ſæpiùs. 1

Nec facit, quòd iſta iura non ſint bene recognita, quia cùm ſint antiquiſſima, nempe vltra 120. annos, non egent aliqua recognitione. Put. *deciſ. 151. lib. 1.* Verall. *deciſ. 5. lib. 3.* 2

Et

3 Et fuit pluriès resolutum.† Et licèt sola data non probet antiquitatem, cessat tamen difficultas concurrentibus adminiculis. Put. *decis.*186. *in fin. lib.*3. Maximum autem adminiculum est obseruantia subsequuta vsque ad hodiernum diem. Aym. *cons.*101.*num.*4. post alios quos allegat. Quam doctrinam pluriès sequuta fuit Rota, & præsertim in dicta causa Lunen. Sarzanen.coram R.P.D. Sacrato, vbi aliæ decisiones
4 allegantur.† Vltra quòd etiam antiquitas probatur ex visione scripturarum, prout admisit Rota in causa Tirasonen. iurisdictionis de Tudella, 26. Aprilis 1602. coram Reuerendissimo D. meo Archiepis-
5 copo Rhodien.† Nec etiam, stante dicta antiquitate, est opus probare notariatum.Dec.*cons.*36.*nu.*30.

6 Minùs facit, quòd hæ scripturæ non fuerint repertæ in aliquo archiuio publico;quia ad effectum quòd probent,hoc non requiritur, modò reperiantur plura instrumenta eiusdem notarij. Et ita loquitur Achill. *decis.*5.*de fid. instr.*Eoque magis hoc dicendum est, cùm fuerint reperta apud Bartholomæum Deleitum nepotem notarij Deleiti,qui etiam recognouit manum ex communi reputatione, & in domo sua, & ex auditu à patre, & istæ scripturæ se inuicem coadiuuant, & vna recipit robur & adminiculum ab alia, vt fuit dictum in causa Mediolanen.de Baradia,21.Aprilis,1589.coram Reuerendissimo D.Perusino.

Quantum attinet ad instrumentum erectionis de anno 1468. licèt contra ipsum multa opponantur,tamen Domini, omissa discussione, dixerunt, illi esse adhibendam fidē, cùm semper vsque ad hæc tempora,& sic vltra 130. annos, vt patet ex dicta decisione in hac causa facta, habuerit obseruantiam.† Quo casu 7
Rota solet adhibere fidem etiam instrumentis informibus, per doctrinam Bart. inter cons.Bald.*cons.*400. *num.*5.& Cyn. *ibidem,sub num.*6.*vers. non obstat, lib.*4. Bald. *cons.*402.*in fin. lib.*5. Aym. *d.cons.*101.*num.*4. Et fuit dictum in causa Aquilana releuationis indemnitatis, 28. Iunij 1577. coram Oriolen.& aliàs sæpiùs.

CELSONEN. PRÆCEptoriæ.

Ven. 16.*Decembris* 1605.

SVMMARIVM.

1 *Qui dicit, beneficium esse reseruatum, tenetur probare reseruationem.*

2 *Iudex iniustè procedens non priuat possessione,sicut nec sequestrum necessarium, nu.*3.

4 *Reus & possessor vincit per non ius alterius.*

5 *Testes etiam non interrogati debent reddere causam suæ scientiæ, in iis quæ pendent à iudicio intellectus.*

6 *Tres sufficiunt ad cōstituendum Collegium,limita vt nu.*8.

7 *Præceptoria habens præeminentiam, & iurisdictionem, est dignitas, nisi adsit statutum in contrarium.*

9 *De iure Communi Ecclesiæ Cathedrales & regulares sunt Collegiatæ.*

DECISIO CCLIX.

FErdinandus qui se fundat in re- 1
seruatione regulæ tertiæ, ex quo narrauit, Præceptoriam esse dignitatem conuentualem, illam tenetur probare. Rom. *cons.*335.*num.*11.& 14.Gemin.*cons.*36. Cassad.*decis.*5.*de præben.* quia Honufrius est reus, & possessor.† Iudex enim, cùm iniustè 2
processe

proceſſerit, illum non priuauit ſua poſſeſſione, vt per Doctores, *in l. cùm poſſidere, §. qui ad nundinas, ff. de*
3 *acq. poſſ.* † Et ſequeſtrum neceſſariũ appoſitum per Rotam, nec illum priuauit. Rebuf. *de ſequeſtr. art. 1.*
4 *gloſ. 1. num. 19.* † Et ideo ſibi ſufficit, vincere per non ius Ferdinandi, *l. fin. C. de rei vendicat. cum vulgaribus*, Et propterea non eſt diſcutiendum, an ille fuerit electus iuxta formam traditam per Abb. *in cap. cùm deputati, nu. 7. de iud.*

Hanc autem reſeruationem non probat Ferdinandus; quia licèt teſtes deponant, quòd Præceptoria ſit dignitas conuentualis, nihil con-
5 cludunt, † cùm non reddant cauſam ſcientiæ. Quam etiam non interrogati, tenerentur reddere, cùm hoc pendeat à iudicio intellectus. Bart. *in l. ſolam, in antiq. lect. in fin. C. de teſt.* Caſſad. *deciſ. 3. nu. 10. de probat.* Surd. *conſ. 89. nu. 4. lib. 1.*

6 Nec Ferdinãdo ſuffragatur, quòd teſtes deponant, quòd cum Præceptore tres Fratres maneant, qui ſufficiunt ad conſtituendum Collegiũ. Ioan. de Anan. poſt gloſ. *in c. nobis, num. 14.* & Anchar. *num. 17. de iure-*
7 *patr.* † Et ideo, cùm Præceptor habeat adminiſtrationem, & iuriſdictionem cum præeminentia, eſt dignitas. Boër. *deciſ. 286. num. 2.* Aret. *conſ. 23. num. 1.* Quia ſtante ſtatuto, quòd præter certas Præceptorias ibi nominatas, aliæ non ſunt Digni-
8 tates Conuentuales, † plures cum Præceptore cohabitantes non conſtituunt collegium. Anchar. *in d. c. nobis, num. 17. verſ. ſi verò conſtat, ibi, & hoc caſu* Abbas *ante num. 9.* Et propterea Præceptor non habet dignitatem. Achil *deciſ. 11. num. 4. de ſent. & re iud.*

9 Minùs etiam ſuffragatur, quòd de iure communi Eccleſiæ Cathedrales, & regulares, ſunt collegiatæ. Hoſtien. *in d. c. nobis, ſub num. 2. col. 2. verſ. quicquid etiam.* Abb. *num. 8. verſ. item Eccleſiæ* Biſignet. *deciſ. 13. num. 3. de præb.* quia hæc fortaſſe procederent, ceſſante dicto ſtatuto Religionis, vt per Anchar. *loco ſæpiùs allegato.* Reſeruarunt tamen Domini, particulariter videre, an hoc ſtatutum ſit validum, & in forma probanti.

ASSISIEN. CENSVS.

Ven. 16. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria conceditur ad probãdam ſimulationem per viam exceptionis, ſi adſit magnus fumus.*

Decisio CCLX.

VIſum fuit Dominis, reſecatis articulis qui ſapiunt criminalitatem, dandam eſſe remiſſoriam, quæ licèt petatur ad probandam ſimulationem, & ſit delictum, † ta- 1
men, cùm ſimulatio deducatur per viam exceptionis, poteſt cõcedi remiſſoria. Felin. *in c. cùm cauſam, num. 23. de teſt.* Socin. iun. *conſ. 60. num. 13. lib. 2.* Menoch. *de recuper. remedio 15. num. 361.*

Neq; officit, quòd ad hunc effectũ requiratur magnus fumus. Caſſad. *deciſ. 4. de dilat.* Caputaq. *deciſ. 62. p. 3.* Put. *deciſ. 219. num. 3. lib. 1.* quia hîc adeſt magnus fumus, cùm cenſus fuerit prima vice malè impoſitus, fuerunt enim aſſignata credita, animalia, & ſimilia, & poſtmodùm fuit extinctus, & poſt ſeptem dies fuit creatus hic nouus cenſus, mediante pecunia numerata. Et hæ videntur ſufficientes coniecturæ, ita vt concedi poſſit remiſſoria, vt benè pro hoc facit deciſio in cauſa Seno-

gallienſi, cenſus, 26. Aprilis 1591. coram R.P.D. meo Decano, in qua ex ſimilibus coniecturis cenſus fuit iudicatus fœneratius.

MEDIOLANEN. DECImarum.

Lunæ 19. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *Parocho non debetur manutentio in perceptione decimarum, ex aſſiſtentia iuris communis, ſi eſt turbida.*
2 *Poſſeſſor de tempore litis motæ eſt manutenendus.*
3 *Quietantiæ probant poſſeſſionem cõcurrentibus adminiculis.*

DECISIO CCLXI.

DOmini, omiſſo, an ex ſola aſſiſtentia iuris communis, debeatur Parocho manutentio in perceptione decimarum, tum quia articulus remanet indeciſus coram
1 R.P.D. meo Decano. † Tum etiam quia in omnem euentum non debetur, quando aſſiſtentia redditur turbida, vt fuit reſolutum in cauſa Montis Regalis iuriſdictionis 20. Decembris 1596. coram eodem Domino meo Decano, prout redditur in caſu iſto ex laudis latis inter mo-
2 nachos, & parochos. † Dixerunt nihilominùs, deberi manutentionem in perceptione lib. 80. ex regula, quòd qui poſſidet tẽpore litis motæ, eſt manutenendus, § *retinendæ, in*
3 *fin. inſtit. de interd.* † Hæc autem poſſeſſio probatur ex quietantiis factis per ipſum parochum, adminiculatis ex ordinibus præcedentibus datis per monachos colonis, & confeſſione monachorum in commiſſione, & ex ſententia per ipſos obtenta, in qua Parochus condemnatur ad reſtitutionem decimarum perceptarum. Dec. *conſ.* 536. *nu.* 10. Grammat. *deciſ.* 109. *num.* 6. Aym. *conſ.* 40. *n.* 4. Et fuit reſolutum coram Reuerendiſſimo Pacen. in cauſa Papien. bonorum, 26. Octobris 1601. Et eſt tritum in Rota, quòd confeſſiones de recepto, concurrentibus adminiculis, probant poſſeſſionem.

Non obſtat, quòd quietãtiæ fuerint factæ poſt litem motam; quia nihilominùs ſunt ex actis ante litem, & in hoc continent veritatem, vt patet ex prædictis, & ex confeſſione facta per ſyndicum in ſolutione facta Parocho vigore mandati de manutenẽdo, obtenti ab A.C. Fatetur enim, decimam fuiſſe ſolitam ſolui per colonos, de ordine monaſterij.

BVRGEN. BENEFICII de Robrero.

Lunæ 19. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

1 *In compulſatione iurium requiritur citatio partis.*
2 *Mandatum procuræ ſine die non eſt in forma probanti.*
3 *Teſtis examinatus ſine articulis, vel de cuius iuramento non conſtat niſi per enunciatiuam notarij, non probat.*
4 *Teſtes plures ſimul omnes examinati non probant.*

DECISIO CCLXII. Alia 361

AD integram portionem de qua agitur multi ſe oppoſuerunt, quatuor verò tantùm proſequuti ſunt oppoſitionem, nempe Petrus Ortiz, Auguſtinus Diaz, Matthæus Penia, & Auguſtinus Fernandez; qui tres vltimi compromiſerunt ad tollen

lendas lites, & fuit latum laudum, per quod dicebatur, quòd iſti tres examinarentur, & habilior prouideretur de dimidia portione, & cæteri duo prouiderentur de duabus quartis: & facto examine, Auguſtinus Fernandez fuit repertus idoneior, & præfixo termino trium menſium Petro Ortiz ad producendas Bullas ſuæ prouiſionis dimidiæ portionis; prætendebat enim integram portionem ſibi deberi tanquã cepto beneficiari, ipſe nihil produxit, † nec etiam in termino poſteà prorogato. Vnde fuit lata ſententia per Prouiſores, in qua fuit dictum, Auguſtino Fernandez deberi dimidiam portionem, Matthæo verò Penniæ, & Auguſtino Diaz deberi duas quartas, Petrum verò Ortiz habendum eſſe pro excluſo, ex quo non produxit titulum prouiſionis dimidiæ portionis.

Ab huiuſmodi ſententia appellauit Petrus, & cauſam introduxit in Rota, in qua agitur per contradictas, ideo Petro ſolo informante, Domini reſtrinxerunt cauſam, ad infrà ſcriptas difficultates:

1 Prima eſt, quòd proceſſus de partibus non videtur ritè compulſatus, cùm in compulſatione non fuerint citati dicti oppoſitores, ſed ſolùm procurator Auguſtini Fernandez. Et quamuis citetur etiam tanquam procurator Auguſtini Diaz, tamen in toto proceſſu non apparet de mandato procuræ, & Matthæus Pennia fuit citatus in ſtratis, & tamen non apparet de eius contumacia, nec de aliqua legitima cauſa, ita vt ſic potuiſſet citari.

Secunda difficultas eſt, quòd pro Petro Ortiz ſe oppoſuit Ioannes de Vrbana, & tamen non conſtat, quòd ipſe Ioannes eſſet procurator Petri, nec poteſt conſtare de mandato præſumpto, cùm non concurrant requiſita, ex quo iſte Ioannes ſe oppoſuit, & nihil aliud fecit.

Tertia. Quamuis adſit mandatum ad lites, in perſona Franciſci Ortiz auunculi Petri, qui ſubſtituit Ioannem Viuaro qui comparuit pro Petro. † Iſtud tamen mandatum non 2
eſt in forma probãti, cùm careat die, & ſic etiam geſta nomine Petri in lite poſteà habita inter oppoſitores, non ſunt habenda in conſideratione, cùm non conſtet de legitimo mandato procuratoris.

Quarta difficultas eſt, quia Petrus Ortiz prætendit, hanc ſententiam eſſe iniuſtam, ex quo ipſe fuit excluſus, cùm tamen vigore conſtitutionum ſynodalium, dimidius beneficiatus debeat aſcendere, & beneficia non poſſint diuidi. Tamen iſtæ conſtitutiones non ita loquuntur prout prætenditur pro parte Petri, nec copia integra fuit data Dominis. Vnde quatenus alia non obſtẽt, erunt conſiderandæ huiuſmodi cõſtitutiones, data etiam copia probationum aliorum oppoſitorum.

Quinta difficultas in eo conſiſtit, quòd ſententia videtur fundata in eo quòd Petrus Ortiz non produxit titulum ſuæ prouiſionis, & tamen cõſtabat, ipſum eſſe dimidium portionarium, ex teſtibus in proc. fol. 67. & fol. 84. † Sed primi teſtes 3
fuerunt examinati abſque eo quòd eſſent dati artticuli, & non conſtat de iuramento ſecundi teſtis, cùm notarius dicat tantùm enunciatiuè, poſtquam iurauit, dixit. Verall. *decis.* 123. *lib.* 1. Et eſt tritum in Rota. †Alij verò teſtes nihil probãt, cùm, 4
vltra quòd non fuerunt dati articuli, omnes ſimul examinati fuerint, Abb. *in c. quia propter, num.* 14. *& 15. de elect.* Nec minùs conſtat, quòd in examine fuerint citati proximiores

dictorum oppoſitorum. Nec etiam poteſt iuuari Petrus ex poſſeſſione capta dimidiæ portionis, cùm detur ſolùm certa atteſtatio notarij cum aſſertione, quòd quidam de cuius mandato non conſtat, cepit poſſeſſionem nomine Petri, & iſta atteſtatio fuit facta longè poſt; ita vt ſit habenda pro ſimplici fide, quæ nec etiam habet relationem ad aliquod inſtrumentum.

PAMPILONEN. DE Ianſi.

Lunæ 19. Decembris 1605.

SVMMARIVM.

2 *Gratia* ſi neutri *ſupponit neutri ex collitigantibus ius competere.*

3 *In narratiua alternatiuè concepta ſufficit vnum ex alternatiuis iuſtificare.*

3 *Vacatio per obitum ſupponit poſſeſſionem de iure, vel de facto.*

4 *Res iudicata pro veritate habetur.*

5 *Reſtitutio in integrum aduersùs rem iudicatam non competit abſque læſione.*

6 *Expeditio literarum non eſt neceſſaria quando non agitur de canonizatione gratiæ.*

7 *Per clauſulã* litis ſtatũ, &c. *cenſetur facta mentio de lite.*

8 *Mentio qualitatis beneficij facta in clauſulis ſufficit ad euitandam obreptionem.*

9 *In impetratione beneficij litigioſi non eſt neceſſaria expreſſio qualitatis beneficij.*

10 *Valor beneficij probatur ex confeſſione partis ad poſitiones.*

Decisio CCLXIII.

FVit reſolutum, gratiam Antonij impedire canonizationem gratiæ, *ſi neutri* Ferdinandi.† quia cùm 1 hæc gratia præſupponat, neutri ex collitigantibus ius competere. Rot. *deciſ. 24. de reſcr. in nou.* Put. *deciſ.* 48. *num.* 4. *Cod.* 1. ceſſat hoc præſuppoſitum, ſtante dicta gratia anteriore Antonij, quæ ideo potior eſt in iure; *c. qui potior, de reg. iur. in 6.*

Neque obſtat, quòd modus vacandi non eſt iuſtificatus, cùm non probetur, Ferdinandum obtinere alia beneficia, quæ non expreſſit in ſua gratia; quia modus vacandi eſt alternatiuè narratus, ſcilicèt ob non expreſſionem obtentorum, vel aliàs gratia nulla, & inualida exiſtente. † 2 Et ideo ſufficit, quòd vnus ex modis narratis iuſtificetur, *c. in alternatiuis, de reg. iur. in 6.* Et fuit in puncto dictum in cauſa Legionenſis præſtimoniorum, 14. Iunij 1593. coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio, prout bene iuſtificat Antonius, † 3 cùm prima gratia Ferdinandi ſit per obitum Ioannis de Zaualetta, quæ vacatio non poteſt verificari, neque de iure, neque de facto, cùm Ioannes nunquam adeptus fuerit poſſeſſionem, neque de iure, neque de facto, vt dicitur in deciſione Illuſtriſſimi Seraphini, in huiuſcemodi cauſa facta. 9. Iunij 1600. † Et adeſt ſuper hoc res iudicata Rotalis, quæ 4 pro veritate haberi debet, *l. ingenuum ff. de ſtat. homin. l. res iudicata, ff. de reg. iur.*

Neque releuat, quòd Ferdinandus obtinuerit reſtitutionem in integrum aduersùs dictam rem iudicatam, † quia huiuſmodi reſti- 5 tutio eſt prout de iure, quæ non competit abſque læſione, *l. Seio, ff. de reſtit. in integr.* Quæ læſio ceſſat ex confeſſione ipſiuſmet Ferdinandi, in gratiæ, *ſi neutri*, cùm fateatur, nec ſibi, nec Antonio ius competere.

Nec minùs ſuffragatur Ferdinando, quòd Antonius non expediuerit literas

teras ſuper huiuſmodi ſua gratia,
6 †quia cũ non agatur de illius canonizatione, ſufficit ſola ſupplicatio. Sarn. *ſuper reg. de non iud. iuxta form. ſupplica. quæſt.* 5. *num.* 4. & ibi Mandoſ. *quæſt.* 19. *num.* 4. Mohed. *deciſ.* 9. *in fin. de reſcript.* & Deci. 2. *de priui.*

Neque placuit, quòd hæc gratia Antonij ſit obreptitia, ex quo non fecit mentionem litis, neque iuriſpatronatus; quia contrarium eſt verius, cùm in clauſulis generalibus ad-
7 ſit clauſula, *litis ſtatum*, † quæ operatur, vt cenſeatur facta ſufficiens mentio litis, Felin. *in ca. ex literis, nu.* 2. *de offic. deleg.* Gemin. *conſ.* 120. *num.* 6. Achill. *deciſ.* 9. *de reſcript.* Put. *dec.* 2. *eod. tit.* Et fuit reſolutum in cauſa Zamorren. fructuum. 12. Nouembris 1584. coram Illuſtriſſimo Seraphi-
8 no, & aliàs ſæpiùs, † prout in eiſdem clauſulis habetur mentio iuriſpatronatus, quæ item ſufficit ad euitandam obreptionem, vt fuit dictum in cauſa Eugubina beneficij ſancti Stephani, 15. Martij 1589.
9 coram Illuſtriſſimo Păphilio. † Imò nec mentio iuriſpatronatus eſt neceſſaria, ſtante lite, *iux. deciſ. Creſcen.* 8. *in fi. de iurep.*

10 Denique non officit, quòd non ſit iuſtificatus valor narratus, quia ſatis iuſtificatur ex reſponſione ipſiuſmet Antonij ad poſitiones Ferdinandi, quam ipſemet Ferdinandus acceptauit, vltra quòd Antonius offert, ſi opus eſt, meliùs iuſtificare.

ALBANEN. FIDEIcommiſſi.

Ven. 13. *Ianuarij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Filij poſiti in conditione ex ſtatuto Vrbis cenſentur vocati.*

2 *Statutum Vrbis, quòd filij poſiti in conditione cenſeãtur vocati, intelligitur tam de filiis deſcendentibus, quam de tranſuerſalibus.*

DECISIO CCLXIV.

FVit reſolutum, D. Marcum Antonium fuiſſe vocatum in teſtamento Honorij patrui magni, † ex 1
quo eſt poſitus in conditione, iuxta diſpoſitionem ſtatuti Vrbis, quod in hoc ſequutum eſt opinionem Oldradi, cõtra gl. *in l. Lucius. ff. de hæred. inſt.* vt dicit Gabr. *conſ.* 115. *nu.* 1. *li.* 1.

Nec placuit Dominis, quòd ſtatutum ſit intelligẽdum de filiis deſcendentibus, non de tranſuerſalibus, quia cùm generaliter loquatur, generaliter debet intelligi, etiam quòd maior ratio ſit in deſcendentibus, quàm in tranſuerſalibus, per regulam *l.* 1. §. *quod autem. ff. de aleat.* & cenſuit Rota in cauſa Romana de Ruffinis, 20. Nouembris 1577. coram Domino de Rubeis 379. *p.* 1. & Gabr. *d. conſ.* 115. *num.* 1. & 2. & Doctores qui in contrarium allegantur, non tangunt præſentem difficultatem, ſed volunt, opinionem gloſſ. *in l. Lucius*, nõ habere locum niſi in filiis deſcendentibus, & tamen contrarium eſt verius, vt per Theſ. *deciſ.* 96. *num.* 70.

Reſeruarunt tamen Domini particulariter videre, an conſtet de tali repudiatione facta per Chriſtophorum patrem D. M. Antonij, quæ ei obſtet in caſu de quo agitur.

PATAVINA ATTENtatorum.

Veri. 13. *Ianuarij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio capta appellatione pendente,*

vel infra decendium datum ad appellandum, eſt attentata, num. 3. & 4. & 7.

2 *Appellatio incontinenti poſt ſententiam viua voce interpoſita eſt valida.*

5 *Geſta pendente termino ad appellandum, etiam appellatione non interpoſita reuocantur per viam nullitatis.*

6 *Lis dicitur introducta ex comparitione partis in iudicio facta petentis admitti pro ſuo intereſſe, & oppoſitione aduerſarij hoc negantis.*

8 *Attentata non reuocantur ad inſtantiam illius de cuius intereſſe clarè non conſtat, vel per confeſſionem ipſius, vel per rem iudicatam.*

Decisio CCLXV.

1 FVit reſolutum, conſtare de attentatis; quia Franciſcus pendente appellatione à decreto Nuntij ſuper ipſius idoneitate, & inſtitutione de ipſo facienda, non poterat petere dictam inſtitutionē à Capitulo, & inde capere poſſeſſionem, *cap. non ſolùm, de appell. in 6. cum vulgar.* † Et hæc appellatio fuit valida,
2 cùm fuerit, licèt viua voce, tamen incontinenti poſt decretum interpoſita, *l. 1. ff. de appell.* Marant. *de ordin. iudici. par. 6. cap. penult. num. 136.* Maximè; quia Nuntius detulit ap-
3 pellationi, dando terminum iuris. † Et ceſſat difficultas; quia infra decēdium datum ad appellandum Laurentius appellauit in ſcriptis, & Nuntius etiam detulit appellationi, quatenus de iure. Nec erat opus alia appellatione ab inſtitutione, & poſſeſſione, cùm hæc omnia fuiſſent attentata, *l. 1. C. quando prouoc. non eſt*
4 *neceſſ.* † Vltra quòd hæc omnia fuerunt geſta pendente termino ad ap-
5 pellandum. † Vnde etiam abſque aliqua appellatione deberent reuocari per viam nullitatis; prout ſeruat Rota, Doct. *in cap. ſæpè*, & ibi Franc. & Præpoſ. *de appellatione*, Cæſ. de Graſſ. *deciſ. 2. de appell.* Et fuit pluriès reſolutum.

Neque obſtat, quòd attentata requirunt litem, & tamen ſolùm fuit introducta cauſa appellationis coram Nuntio à decreto Epiſcopi ſuper non idoneitate Franciſci, nec Laurentius erat in cauſa: Vnde cùm lis non eſſet ſuper titulo beneficij, potuit Franciſcus petere inſtitutionem, † quia cùm poſt reprobatio- 6
nem Franciſci Laurentius fuiſſet præſentatus, & propterea comparuerit coram Nuntio, & petierit admitti pro ſuo intereſſe, & docuerit de ſua præſentatione, & dederit exceptiones contra perſonam Franciſci, quibus ipſe reſpondit, ſatis fuit inter ipſos introducta lis. Aſin. *in prax. §. 17. cap. 1. num. 7.* Et ideo Laurentius à decreto Nuncij ſuper idoneitate, & immiſſione Franciſci po-
tuit appellare, † & appellatione 7
pendente nihil erat innouandum, *dicto c. non ſolùm.*

Nec etiam obſtat, quòd attenta- 8
ta non ſunt reuocanda ad inſtātiam illius de cuius iure non cōſtat; quia ad hunc effectum neceſſe eſt, quòd clarè conſtet de non iure, prout loquitur Rot. *deciſ. 2. vt lit. pend. in nou. & 2. de reſtit. ſpol. pariter in nou.* Et licèt multa opponantur cōtra præſentationem Laurentij, tamen dici non poteſt, clarè conſtare de non iure ipſius, cùm ad hunc effectum requiratur vel confeſſio, vel res iudicata. Lancell. *de attentatis, par. 3. cap. 24. num. 66.* & bene conſiderat Henrich. *conſ. 52. nu. 12. part. 2.*

PATA

PATAVIMA DE-cimettæ.

Lunæ 16. *Ianuarij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Dictio*,quam,*reſtringit præcedentem diſpoſitionem.*
2 *Inſtrumentum locationis non probat poſſeſſionem quoad extraneum.*
3 *Adminiſtratoris confeſſio non præiudicat Eccleſiæ.*

DECISIO CCLXVI.

CVm per binas deciſiones fuerit firmatum R.Abbati Carcerum non competere remedium *l. conductores*,*C.locati*,ſuper tota,& integra decima villæ Baonis, ex quo non probabat, ſe dictam decimam locaſſe, & quia cùm ageret contra contra Eccleſiam Parochialem ad decimas intra limites ipſius Parochiæ exiſtentes, non poterat vti hoc remedio,non probando immemorabilem, aut titulum, vt dicitur in dd. deciſionibus. Et cùm poſteà noua iura produxiſſet, ideo dato dubio ſuper releuantia,Abbateque per annum expectato, illud propoſui vna tantùm parte informante,& Domini,cauſa maturè diſcuſſa,iura non releuare cenſuerunt, tum quia in locationibus narratur, Monachos locare decimam quam habent in fundo & pertinentia villę
1 Baonis † quod relatiuum, *quam*,reſtringit præcedentia ſimpliciter loquentia de decima, *ad tex.in l.ea tamen adiectio*,*ff. de leg.*3. †
2 tnm etiam quia inſtrumentum locationis non probat poſſeſſionẽ quoad extraneũ *ad text.in ca.inter dilectos*,*in fine de fid. inſtr.*vbi Fel.*nu.*10.Rot. *deciſ.*7.*de fid. inſt. in ant.*

Non officit notula,vt dicitur,exhibita per fratrem Federicum in æſtimo, in quo dicit, ſoluere Abbati lib.3.pro recognitione decimæ,quia non eſt in forma probanti, cùm ſit ſimplex copia, & licèt etiam eſſet in forma probanti;non releuaret, † 3 cùm frater Federicus non potuerit præiudicare Eccleſiæ,& Monaſterio cui eſt vnita dicta parochia, *l. certum*, *ff. ſed an & ipſos*, vbi Caſtr.*ff.de confeſſ.* præſertim cùm dicta confeſſio contineat manifeſtum errorem,cùm dicat, quòd ſoluit lib.35. cuidam Galeatio pro feudo,& lib.3. Abbati pro recognitione.Vnde non poteſt dici,quòd ſoluat Abbati li.3, pro tota, & integra decima villæ Baonis.

VRBEVETANA FIDEI-commiſſi.

Ven. 27. *Ianuarij* 1606.

EPITOME.

An & quando filij poſiti in conditione cenſeantur vocati, & an in hac facti ſpecie cenſeatur inductum fideicommiſſum.

SVMMARIVM.

1 *Filij poſiti in conditione, & vocati ad fideicommiſſum purificandum per mortem patruorum, cenſentur etiam vocati ad hæreditatem patris, cuius reſpectu fuerunt poſiti in conditione.*
2 *Clauſula aduerſatiua,de qua hic,cõiungit, & repetit ſuperiora, retento eodem themate.*
3 *Diſpoſitum in prima inſtitutione cenſetur etiam diſpoſitum in ſecunda.*
4 *Filij poſiti in conditione, cenſentur vocati ex coniecturis quæ ſunt expreſſa*

preſſa vocatio in alia parte teſtamenti, perpetua excluſio fœminarum, num. 5. & 7. ratio habita conſeruandæ agnationis, num. 12. & 14. aliam coniecturam vide num. 9. & 16.

6 *Leuiores probationes requiruntur in deſcendentibus, ad probandum quòd poſiti in conditione cenſeantur vocati.*

7 *Clauſula:* ita quòd, *aliquando ſtat ampliatiuè, aliquando declaratiuè, declarat tamen mentem teſtatoris, & regulat præcedentem diſpoſitionem.*

8 *Qui vult conſequens, neceſſariò etiam vult antecedens.*

10 *Quilibet ſuæ rei eſt moderator, & arbiter.*

11 *Relaxatio præſupponit vinculum.*

13 *Ratio conſeruandæ agnationis, etiam tacita & ex teſtamento elicita, eſt ſufficiens ad inducendum fideicommiſſum inter omnes maſculos deſcendentes.*

15 *Verbum* remaneat, *eſt commune.*
Verbum deſcendentes, *eſt collectiuum.*
Dictio ſemper, *denotat tractum futuri temporis.*
Vocati per verba communia, collectiua, & tractum futuri temporis denotantia, intelliguntur vocati per fideicommiſſoriam.

16 *Clauſula in fine poſita refertur ad omnia.*

17 *Textus* in l. pater, §. fundum ff. de leg. 3. *declaratur.*

18 *Verba futuri euentus, & ſpeciei enumeratiua nihil diſponunt.*

Decisio CCLXVII.

MAior pars Dominorũ cenſuit, cõſtare de fideicõmiſſo ad fauorem deſcendentium Petrucij, circumſcripto pro nunc, an extenderetur vltra pronepotes, & an adſit reciproca, inter ipſos deſcendentes. Teſtator enim inſtituit ipſum Petrucium filium, & alios naſcituros, & ſi quis eorum decederet in pupillari ætate, vel poſteà quandocũque ſine filiis maſculis legitimis ex ſe deſcendentibus, ſubſtituit ei, & eis, ſuperviuentem, & ſuperviuentes, & eorum filios maſculos, & alios deſcendentes ex eis maſculos. Vnde licèt teſtator deceſſerit vnico tantùm filio Petrucio relicto, & non appareat in hoc caſu, filios Petrucij fuiſſe expreſsè vocatos, † tamen cùm fuerint expreſsè vocati ad fideicommiſſum purificandum per mortem patruorum, cenſentur etiam vocati ad hereditatem patris, cuius reſpectu fuerunt poſiti in conditione. Gozad. *conſ. 64. num. 10. verſ. 5. dico.* Aym. *conſ. 62. num. 10. li. 1.* Ruin. *conſ. 160. num. 24. lib. 2.* Iaſ. *conſ. 101. num. 19. & ſeqq. lib. 4.* Gabr. *de fi. conſ. 20. 4. n. 36.* & fuit dictum in cauſa Mõtis Faliſci fideicommiſſi Nouembr. 1602. coram Illuſtriſſimo D. Card. Pãphilio, & aliàs ſæpiùs. Maximè cùm non adſit diuerſa ratio, quòd voluerit ſubſtituere deſcendentes Petrucij, aliis filiis, & non ipſi Petrucio in caſu quo ſolus Petrucius ſupereſſet de tempore obitus teſtatoris, vt benè per Rimin. ſen. *conſ. 189. num. 11. & ſeqq. libr. 1.* Et concurrũt aliæ coniecturæ infrà conſiderandæ in vocatione deſcendentium. Et propterea cùm teſtator ſubdat, quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus maſculis ex filiis, vel nepotibus, vel aliquis alius deſcendens, non ſupereſſet, ſubſtituit eis Hugolinum, & Leonellum, & alios maſculos deſcendentes, ex eis; dicendum eſt, ſiue iſta clauſula ſtet continuatiuè, iuxta tex. *in l. 2. & 3. ff. de conſtit. pec.* ſiue aduerſatiuè

ſatiuè, *vt in l. quòd ſi filius, ff. de cap. & poſtlim. reuerſ.* Quòd nihilominùs teſtator intellexerit de deſcendentibus Petrucij, quatenus ipſo ſolo relicto decederet. Si enim clauſula ſtat continuatiuè, non eſt ambigendi locus: ſi ſtat aduerſatiuè, idem
2 dicendum eſt, † quia licèt aduerſatiua coniungat, & repetat ſuperiora, retento eodem themate. Bart. *in l. mariti, §. final. ff. ad l. Iul. de adult.*
3 † tamen cum teſtator in prima ſubſtitutione vocauerit filios Petrutij, quatenùs decedat ſolo Petrutio relicto, vt dictũ eſt, res eſt clara, quòd in hac ſecunda ſubſtitutione pariter intellexerit de filiis, & deſcendentibus Petrutij, in caſu præfato, maximè cùm non adſit ratio diuerſitatis, vt dictum eſt.

4 Et quòd deſcendentes poſiti in conditione in dicta clauſula, *quòd ſi aliquis*, ſint ex coniecturis vocati, ſatis patet; quia ſunt expreſsè vocati in alia parte teſtamenti, vt per Gozadin. Iaſ. & alios, ſuprà allegatos. Tum quia ſunt poſiti in conditione cum qualitate maſculinitatis, Guido Pap. *quæſt.* 184. *num.* 2. Dec. *in l. 1. num.* 16. & Curt. iun. *conſ.* 18. *C.*
5 *de pact.* † Et concurrit perpetua excluſio fœminarum, vt infrà dicetur. Rip. *in d. l. 1. num.* 9. *verſ. iſta coniectura, C. de pact.* Curt. iun. *conſ.* 43. *num.* 8. *verſ. tertium etiam reperio.* Aym.
6 *conſ.* 130. *num.* 4. † Et hæc eò magis ſunt admittenda; quia cùm agatur de deſcendentibus teſtatoris, ſufficiunt leuiores probationes. Dec. *conſ.* 242. *circ finem, verſ. & quando filij.* Aym. 367. *num.* 9. Et fuit dictum in cauſa Viterbien. fideicommiſſi, 28. Decembris 1600. coram R. P. D. meo Litta.

Et ceſſat omnis difficultas; quia teſtator concluſit teſtamentum per
7 hæc verba, † *ita quòd hereditas dicti teſtatoris nunquam ad filias, vel deſcendentes fœminas deueniat, ſed ſemper eius hereditas remaneat apud maſculos de ſtirpe teſtatoris.* Quæ clauſula, ſiue ſtet ampliatiuè, vt voluit poſt alios Pariſ. *conſ.* 90. *num.* 26. & 27. & *ſeqq. lib.* 2. ſiue ſtet declaratiuè, nihilominùs declarat mentẽ teſtatoris, & regulat præcedentem diſpoſitionem. Socin. ſen. *conſ.* 49. *num.* 2. *verſ. aut dicemus, & nu.* 5. *verſ. ad propoſitum, lib.* 1. Dec. *conſ.* 227. *num.* 6. Tob. Decian. *conſ.* 33. *num.* 94. *lib.* 1. Et ideò amplius dicendum eſt, deſcendentes fuiſſe vocatos ad fideicommiſſum; quia aliàs bona non poſſent remanere apud maſculos de ſtirpe. † Vnde in- 8
trat regula, quòd qui vult conſequens, neceſſariò etiam vult antecedens. Bald. *in l. quamuis, per illum tex. C. de fideicom.* Dec. *conſ.* 23. *num.* 3. & *conſ.* 637. *num.* 8. & bene Surd. *conſ.* 443. *lib.* 3. Et in ſimili fuit dictum in cauſa Firmana fideicommiſſi, 2. Aprilis 1600. coram Illuſtriſſimo Pamphilio & in puncto videtur bonus tex. *in l. fideicommiſſa, §. hæc verba, ff. de leg.* 3. quo loci teſtator dixerat, filio ſuo vt curam agrorum haberet, vt poſſent ad filios peruenire, & dicit textus, quòd licèt illa verba non ſatis exprimant fideicõmiſſum, ſed magis conſilium, quàm neceſſitatem relinquendi, tamen quoàd illa prædia, poſt mortem patris vim fideicommiſſi videntur continere.

Et denique adeſt alia clauſula, 9
ſaluo, &c. poſita limitatiuè, & declaratiuè ad clauſulam, *ita quòd*, in qua datur facultas Petrutio, & aliis deſcendentibus, alienandi in vita ſua, non obſtante ſubſtitutione præfata, † ſcilicèt facta de tranſuerſalibus, in euentum, quòd deſcendentes teſtatoris deficerent, quæ clauſula expreſsè arguit vocationẽ vnius poſt obitum alterius; quia aliàs licentia

10 alienandi fuiſſet ſuperuacanea, † cùm in re ſua quilibet ſit moderator, & arbiter, *l. in re mãdata, C. mandati*, Bene in ſimili Soc. *conſ. 1. num. 20. verſ. verum vbi, lib. 3.* Et regulæ
11 ſunt claræ † quòd relaxatio præſupponit vinculum, *l. decem, ff. de verb. oblig.* & licentia prohibitionem, *cap. licèt, §. ſi verò, de regul. iur.*

12 Prædictis accedat etiam mens teſtatoris, nam habuit reſpectum ad conſeruationem agnationis, ex quo nõ ſolùm ſemper excluſit fœminas, ſed filiis ſubſtituit deſcendentes maſculos, & poſtmodùm tranſuerſales maſculos, quos etiam expreſsè inſtituit, in euẽtum, quòd dictus teſtator moreretur ſinè deſcendenti-
13 bus maſculis. † Et hæc ratio conſeruandæ agnationis, etiam non expreſſa, ſed tacita, & ex teſtamento elicita, eſt ſufficiens ad inducendũ fideicõmiſſum inter omnes deſcendentes maſculos. Cuman. *conſ. 2. nu. 4. verſ. & hoc etiã facit.* Dec. *conſ. 227. num. 6. verſ. nam dum teſtator, & conſ. 545. num. 6.* Grat. *conſ. 5. num. 19. lib. 2.* latè Surd. *dicto conſ. 443. nu. 20. lib. 3.*
14 † Maximè cùm dixerit, quòd eius hæreditas ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe, per quæ verba, ſecundùm vnum ex Dominis, videtur imponere voluiſſe onus ipſi hęreditati, vt omnes videantur vocati, & grauati. Bald. *in l. ab eo, num. 8. C. de fideicom.* Pariſ. *in puncto dicto conſ. 90. nu. 43. & conſ. 92. nu. 43. lib. 3. & conſ. 72. nu. 89. lib. 4.*

Nec eſt verum, quòd deſcendentes intelliguntur vocati per vulgarem, non autem per fideicommiſſa-
15 riam; † quia contrarium apparet ex prædictis. Nam cùm teſtator vſus fuerit verbo communi *(remaneat)* & collectiuo, *deſcendentes*, & verbis tractum temporis in futurum denotantibus, ſcilicèt *(ſemper)* vocatio clarè intelligitur per ſideicommiſſariam, & non tantùm per vulgarem. Bart. *in l. centurio. nu. 32. laſ. num. 53. ff. de vulg.* Soc. *in l. Gallus, §. quidam rectè, nu. 9. ff. de liber. & poſthum.* Et fuit reſolutum in dicta cauſa Montis Faliſci. Et, ſi habuit reſpectum ad agnationem, bona non poſſent in agnatione conſeruari, niſi tranſeant de vno in alium. *l. peto, §. fratre, l. cùm ita, §. in fideicommiſſo, ff. de leg. 2.*

Nec etiam eſt verum, quòd dicta clauſula *(ita quòd)* referatur ad inſtitutionem tranſuerſaliũ immediatè præcedentem, quatenùs teſtator decederet ſine deſcendentibus; † 16
quia non ſolùm tanquàm in fine poſita, ex vulgari regula debet referri ad omnia, *l. 1. C. de lib. præter.* ſed repugnant huic intellectui verba ſequentia, *ſaluo quòd &c.* vbi datur facultas Petrutio, & deſcendẽtibus, alienandi in vita, quæ facultas non fuiſſet neceſſaria, ſi clauſula referretur ad inſtitutionem antecedentem Hugolini, & Leonelli cùm inſtituãtur quatenus teſtator decedat ſine deſcendentibus.

Nec etiam dictæ regulæ repugnat 17
tex. *in l. pater, §. fundum, ff. de leg. 3.* quia ibi pater vetuit, per hæredem fundum alienari, & in caſum alienationis ſubſtituit fiſcum, & ſubdit, *ita enim fiet vt fundus de nomine veſtro nunquam exeat*, † quæ verba, vt 18
ibi dicitur, non inducunt fideicommiſſum ad fauorem familiæ, & meritò; quia ſunt futuri euentus, & cuiuſdam ſpei enunciatiua; & ideo nihil inducunt. Bart. *in dicto §. fundũ*, vbi etiam Alber. Alciat, *num. 1. in fin.* Rip. *in l. filius famil. §. Diui, num. 110. verſ. declara tamen, de leg. 1.* Ruin. *conſ. 158. nu. 11. in fine lib. 2.* quod ſecus eſt in caſu iſto; quia clauſula *(ita quòd)* declarat præcedentem diſpoſitionem.

RAVEN

RAVENNATEN.
Transactionis.

Lunæ 30. Ianuarij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio transactionis est exceptio litis finitæ.*
2 *Exceptio periurij impedit litis ingressum, & repellit agentem à limine iudicij.*
3 *An stante enormissima læsione, requiratur absolutio à iuramento.*
4 *Absolutio à iuramento semper est necessaria, nisi constet de enormissima læsione per sententiam.*
5 *Exceptio periurij in quacumque parte iudicij potest opponi.*
6 *Læsio vltra dimidiam, requiritur, ad hoc vt quis possit impugnare transactionem.*
7 *Ratio semel reddita, amplius reddi non debet.*
8 *Fructus bonorum extradotalium spectant ad virum, constante matrimonio.*
9 *Pater est dominus fructuum hæreditatis relictæ filiis.*

DECISIO CCLXVIII.

1 FVit resolutum, Marco agenti ad bona materna obstare trãsactionem factam de anno 1583. 10. mensis Maij, quæ est exceptio litis finitæ, *l. fratris, & l. causas, C. de transact.* Maximè cùm iurauerit, in transactione omnia esse vera, & ea firma, & grata habere, & non contrauenire per se, vel per alium, aliqua ratione, sub
2 pœna periurij. † Vnde cùm instituerit iudicium contra proprium iuramentum, in manifestum incidit periurium, & consequenter agere non potest, neque debet audiri, ex quo exceptio periurij impedit litis ingressum, & repellit agentem à limine iudicij, *c. 1. de lit. contest. nu. 6.* DD. *in l. si quis maior, C. de transact.* Specul. *in tit. de actor. §. vno, num. 16. vers. item quòd est periurus.* Felin. *in c. 1. num. 28. vers. sed considera, de iureiur.* Dec. *in cap. dilecti, nu. 9. in 3. notab.* vbi de communi, *de except.* Bero. *quæst. 77. nu. 6.* Aym. *cons. 7. nu. 12.* Afflict. *decis. 285. nu. 1.*

Neque obstat absolutio obtenta per Marcum; quia non est ab huiusmodi iuramento, sed à iuramento præstito super laudo ferendo per D. Alexãdrum Sopranum, qui tulit dictum laudum ante trãsactionem de qua agitur, & etiam fuit obtenta ante dictam transactionem, nempe die 23. Maij 1583. Et sic non comprehendit iuramentum præstitum in dicta transactione, *ad tex. in l. pacta nouissima, C. de pact.*

Nec obstat, quòd Marcus fuisset enormiter læsus, & ideo poterat agere, absque eo quòd obtineret absolutionem, † quia licèt quæstio sit, 3
an stante enormissima læsione, requiratur absolutio à iuramento, de qua per Doct. *in cap. cùm contingat, de iureiur.* Osasch. *decis. 81. num. 1. & seqq.* † hoc tamen intelligendum est, 4
quando de enormissima læsione cõstat per sententias, absque eo quòd fuerit oppositum de periurio, aliàs semper est necessaria absolutio, quia de facili eluderetur iuramentũ sub prætextu enormissimæ læsionis, & non debet quis esse iudex sui iuramenti, Bald. *cons. 11. nu. 1. lib. 4.* Et ita seruat Rota, vt fuit dictum in causa Tirasonen. decimarum. 8. *Octobris*, 1576. vt 102. *num. 9. par. 1.* coram bo. me. Oriolen. & in causa Romana legitimæ de Vrsinis, 20. Maij 1588. coram bo. me. Bubalo, & in alia Segnina Castrorum, 26. Iunij 1602. coram R. P. D. Ludouisio, & nouissimè in causa Nepetina laudi, 10. Decem-

bris 1604. coram Reuerendiſſimo
5 D. meo Archiepiſcopo Coloſſen. † & aliàs in quacumque parte iudicij poteſt opponi de iuramento, vt per Loffred. *conſ.* 12. *nu.* 27. *&* 34.

6 Sed ceſſat omnis difficultas; quia in caſu iſto etiam ceſſante periurio non conſtat de læſione, quæ ſuffragetur Marco, cùm ad hunc effectũ requiratur læſio vltra dimidiam *l.* 2. *C. de reſcind. vend.* Nam ſi inſpiciamus bona quæ habuit Paſqua mater Marci ex teſtamento patris, & dotem ipſius, quæ omnia prætendit Marcus, non conſtat de dicta læſione. Poſtquàm enim de anno 1549. Paſqua ex bonis hęreditariis alienauerat cum decreto iudicis, pro ſoluendis legatis, Laurentius eius vir, & pater Marci conſtituerit ſe debitorem de anno 1588. dictæ vxoris in li. 870. & in tornaturis 13. terræ aratiuæ, & in certis paucis mobilibus pro dicta hæreditate patris Paſquæ, necnon in libris 425. pro ipſa dote, quæ omnia bona, & pecuniæ etiam dotales de anno 1579. in redditione rationis facta per patrem Marco, & Polo fratribus, fuerunt calculata ad libras 2997. ſol. 6. & ex his etiam detractis certis pecuniarium ſummis ſolutis pro debitis hæreditatis, nec non libris 680. ſolutis de conſenſu Marci, & Poli pro augmento dotis Ginebriæ, & Ioannæ eorundem ſororum, quibus etiam debebatur legitima in bonis maternis, fuit in eodem inſtrumento liquidatũ, quòd omnia bona præfata, & pecuniæ, necnon etiam dos aſcendebant ad libras 4. fol. 16. den. 6. & iſte eſt ſtatus hæreditatis Paſquæ, quã controuertere non poteſt Mar-
7 cus, niſi doceat de errore calculi † cùm ſemel reddita ratio ampliùs reddi nõ debeat, *l. ſemel, C. de apoch. li.* 10. Doctor. *in cap.* 1. *de cler. ægrot. in* 6. Lap. *in Clem. quia contingit, num.* 5. *de relig. dom.* Socin. ſen. *conſ.* 92. *nu.* 11. *li.* 4. Pariſ. *conſ.* 89. *numer.* 1. *libr.* 1. Rol. *conſ.* 49. *num.* 39. *lib.* 1. Vnde cùm vigore vltimæ tranſactionis fuerint aſſignatę Marco, & Polo tornaturæ, 5. & perticæ tres terræ, nec non lib. 664. pluſquàm manifeſtiſſimè cõſtat, quòd non interuenit læſio vltra dimidiam, ſed potiùs attento valore terrarum, non videtur conſtare de aliqua læſione, cùm hæreditas Paſquæ ex calculo facto eſſet tantummodò librarum 4. vt dictum eſt.

Neque eſt verum, quòd erant cõputandi fructus dictę hæreditatis ad fauorẽ Marci, & Poli, quia fructus durãte vita Paſquæ nõ ſunt cõputandi, † cũ bona dictę hæreditatis 8
eſſent extra dotalia. ex quo peruenerant ad Paſquã cõſtãte matrimonio: quorum proprietas, & fructus erant ipſiuſmet Paſquæ. Bald. *in l. vltima, num.* 5. *C. de ſent. quæ ſine cert. quant.* Et ideo pater de iſtis fructibus non tenebatur reddere rationem, † ſicuti
neque de fructibus quos habuit 9
ipſe ſoluto matrimonio, quia pater eſt dominus fructuum hæreditatis relictæ filiis, *l. cùm oportet, C. de bonis quæ liber.*

Vltimò non ſubſiſtit, quòd fuerit receſſum à dicto calculo, quia fuit receſſum à tranſactione facta vigore dicti calculi, ex quo fuit facta dicta tranſactio, ſed à dicto calculo non conſtat vnquam fuiſſe receſſum.

ROMANA VINEÆ de Fabriis.

Lunæ 13. *Februarij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Fideiuſſor obligatus in forma depoſiti, non poteſt opponere de iure illorum*

quæ

qui ſoluerunt pecunias, neque de compenſatione.

DECISIO CCLXIX.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſententiam Rotalem liquidationis fructuum eſſe exequendam, cùm conſtet de re iudicata, & de iuſtitia, ex allegatis in alia deciſione. Et motiuum quòd ſententia in ſpolio non fuerat lata ad fauorem illorum de Fabris, videbatur etiam ſatis ſublatum ex illa deciſione. Et tunc deductis addebatur, quòd ſi ſententia fuiſſet dubia, nihilominùs recipiebat interpretationem ex mandato de reintegrando, quod vigore ſententiæ fuerat relaxatum ad fauorem DD. de Fabris.

Neque obſtat, quòd Fabri venerunt ad cauſam tanquam neceſſarij defenſores, quia de eo tempore nõdum erat lapſum decennium locationis factæ, quod expirauit lite pendente, & ideo non eſt mirum, ſi venerunt ad cauſam vti tales.

Non obſtat, quòd cùm agatur de fructibus anni 1588. & 1589. pro quibus fideiuſſores ſe obligarunt, conſtat, quòd Fabri longè habuerunt vltra hanc ſummam, quia huiuſmodi exactio fuit facta à Dionyſio Leonardo, qui non erat pro-
1 curator ad exigendum. †Vltra quòd cùm fideiuſſores ſunt obligati in forma depoſiti, non poſſunt opponere de iure illorum qui ſoluerunt pecunias, neque de compenſatione, *C. ſi quis vel pecunias, C. de poſſeſ.*

Deducta circa nullitatem ſententiæ videbantur eſſe ſublata ex alia deciſione: & ideo ſuper illis non eſſe inſiſtendum.

BONON. FIDEICOMMISſi de Mangiolis.

Lunæ 13. Februarij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Bona eſſe ſubiecta fideicommiſſo, probatur ex eo quòd vti talia fuerunt deſcripta in Inuentario poſt mortem fideicommittentis, & vti talia habita ab aliis deſcendentibus: item ex nominatione facta in teſtamento, vti de fideicommiſſis, & ex diuiſione, num. 3. & 4.*

Duo confinia probant identitatem, & num. 5.

DECISIO CCLXX.

QVòd Palatium della Ricardina cũ terrenis ibi contiguis ſit de bonis ſubiectis fideicõmiſſo Comitis Melchioris ſenioris, videbatur ſatis probari ex pluribus ſimul iũctis. Nam Comes Melchior fideicommittẽs tanquam hæres Bartholomęi aui, illud deſcripſit in inuentario, vt in inſtrumento dato in petitione huius cauſæ. 22. Iunij præteriti, nu. 1. & ex teſtamento Comitis Camilli filij Comitis Melchioris, vt in eodem ſummario numer. 2. conſtat, perueniſſe ad eius manus, ex quo de eo diſpoſuit, & quamuis non conſtet, an ex fideicommiſſo, vel ex alia cauſa, tamen videtur declarari equiuocum, ex quo Comes Gregorius, vt in nouo ſummario num. 2. frater dicti Camilli, aſſerens dictum palatium vnà cùm terrenis eſſe ſuppoſitum fideicommiſſo, obtinuit immitti in poſſeſſionem dicti palatij, & bonorum. †Identitas verò 2
ſatis videbatur probata ex confinibus nominatis in dicto inuentario, & aſſignatione facta Dominis de Maluaſia, nempe via publica, &

canali Molendini vnà cum denominatione, *della Ricardina*, vt in simili in aliisdecisionibus summatū fuit.

3 Quantum attinet ad castrum sancti Martini, quòd sit de bonis subiectis fideicómisso, probatur ex nominatione facta in testamento,& ex pluribus diuisionibus factis, vt in summario, *num.*4. *& seq.* Identitas verò ex qualitate castri satis videbatur probata.

4 Quantum attinet ad hortum cõtiguum dicto castro & *Broilum delle sede*, quòd sint suppositа fideicómisso probabatur ex diuisione facta de anno 1545. & ex diuisione cum D. Constantia de anno 1567. respectu horti, & ex laudo Gregorij 13. respectu Broili, vt in summario, *nu.* 8. & 10. Identitas horti probatur ex testibus, *num.*9. qui dant pro confinibus casale Molendini, & situm ipsius castri. † Identitas verò Broili

5 ex testibus, *num.*11.qui pro confinibus assignant casale Molendini, & Serralium, quæ confinia concordãt cum nominatis in dicta diuisione.

Identitas verò prædij dicti *le celtunaze*, quod dicitur in vltima diuisione esse suppositum fideicommisso non probatur. Nam instrumentum venditionis factæ per Com. Camillum Comiti Georgio, de anno 1558. de quo in nouo summario, *num.*3.non concludit ad prædiũ de quo agitur.

ESINA FIDEICOMmissi.

Ven. 17. *Febr.* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Detractio Trebellianicæ debet fieri de tempore restitutionis, & sic obitus hæredis, quando fideicommissum est conditionale.*

2 *Trebellianica non detrahitur, quando certum est, piam causam esse successuram de tempore obitus fideicommissarij.*

3 *An in filiis primi gradus fructus imputentur in Trebellianicam.*

4 *Bona fideicommissaria alienata pro Trebellianica possunt reuocari, si Trebellianica non est detrahenda.*

Decisio CCLXXI.

FVit resolutum, non fuisse locum detractioni Trebellianicæ; cùm fuisset certum, Confraternitatem esse successuram, ex quo fuerat substituta Marchegianæ, si sine filiis decesserit, & ea nũquam habuit filios, ex ponderatis in decisione. Sed quia posteà fuit ostensum, Marchegianã habuisse filios, ideò iterum volui consulere Dominos super iuribus decisionis. Et Domini, causa maturè discussa, perstiterunt in resolutis. Nam filij Marchegianæ non superuiuebant tempore obitus ipsius. Quare cùm fideicommissum esset conditionale, † & propterea detra- 1
ctio Trebellianicæ deberet fieri de tempore restitutionis, & sic obitus hæredis latè Peregr. *de fideicom. art.* 3.*nu.* 24. † satis est, quòd de eo tem- 2
pore erat certum, Cõfraternitatem esse successuram, vt non esset locus detractioni Trebellianicæ. Rom. *cons.*206. *num.*7. cum allegatis in alia decisione.

Neque obstat, quòd cùm versemur in filiis primi gradus, in quo- 3
rum Trebellianicam fructus non cõputantur, potuit illa detrahi ante purificatum fideicommissum, prout voluerunt allegati per Peregrinum *dicto loco, nu.*25.quia, quicquid sit de veritate, cùm ipe sentiat contrariũ, & alij Doctores indistinctè loquantur, eam tenentium Trebellianicam posse detrahi ante purificatũ fidei-

com

commiſſum. Ratio eſt, quia certum eſt, quartam ad filias ſpectare, ſiue contingat, ſiue non contingat fideicommiſſi caſus, æquè ratio ceſſat in puncto, cùm nõ eſſet certum, an Trebellianica potuerit ſpectare ad Marchegianam, cùm non fuiſſet certum, an filij ipſius, vel. Cõfraternitas eſſet ſucceſſura.

Non obſtat, quòd alienata computantur in Trebellianicam. Nam concluſiõ procedit in terminis ſuis, ſcilicèt quando poteſt detrahi. Siverò non poteſt detrahi, bona alienata poſſunt reuocari, tanquam fideicommiſſo ſubiecta.

MACERATEN. Legati.

Lunæ 27. Februarij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Legatum purum tranſmittitur per obitum legatarij ante hæredem.*

2 *Diſpoſitio quæ de ſui natura non eſt cõditionalis, non inducit conditionem, ſed modum.*

3 *Modus appoſitus legato, non impedit tranſmiſſionem.*

4 *Dies incerta appoſita legato, vel præſtationi, facit conditionem, & non diem, ſecùs tamen eſt quando præfinitur dies poſt certum tempus, tunc enim cùm dies ſit certa, non facit conditionem, ſed diem, nu. 5.*

6 *Declara, quando dies incerta eſt appoſita ſubſtantiæ legati. Vel quando eſt appoſita præſtationi per viam conditionis.*

7 *Legatum purum non transfunditur in conditionale, quando non adſunt verba denotantia conditionem.*

Decisio CCLXXII.

1 FVit reſolutum: legatum deberi Collegio Maceraten. quia cùm fuiſſet factum Maxenti, per verba *legauit, poſt mortem ipſius teſtatoris, &c.* fuit purum, & potuit propterea tranſmitti per Maxentem in Collegium, cùm deceſſerit ante heredem, *l. vnica §. cùm igitur, & §. in nouiſſimo, C. de caduc. tol. l. ſi poſt diem, ff. quand. dies leg. ced.* latè Couar. *in cap. Rainaldus, §. vno, num. 3. de teſtam.*

2 Neque obſtant verba ſequentia, *cum conditione, pacto, ac prohibitione expreſſa, quòd non poſſit moleſtare hæredem, neque in proprietate, neque in vſufructu, durante vita ſua*; quia hæc verba non inducunt conditionem, ſed modum, cùm diſpoſitio de ſui natura non ſit conditionalis, *l. 2. in fin. ff. de donat. l. Mauia, ff. de manum. teſt.* Bart. *in l. quibus diebus, §. Termilius, num. 5 ff. de cond. & dem. & conſ. 4. num. 1. & 2. lib. 1.* Alex. *conſ. 102. nu. 2. lib. 1.* Anan. *conſ. 75. num. 1. circa princ.* Caſer. *conſ. 5. num. 2. lib. 1.* Cuma. *conſ. 99. ante num. 3. verſ. nec obſtat.* † Qui etiam modus non im- 3 pedit tranſmiſſionem. Gabr. *conſ. 4. nu. 10. & 11. vol. 2. & conſ. 5. num. 13. & 22. vol. 1.* Anan. *d. conſ. 75. nu. 1.*

Nec dicta verba ex eo videntur 4 inducere conditionem, cùm dies incerta appoſita vel legato, vel præſtationi faciat conditionem, & non diem, vt *in l. huiuſmodi, in fine ff. quando dies leg. ced. & in l. hæres meus, in 2. dicto ff. de cond. & dem. & in l. quibus diebus, §. quidam Titio, ff. eodem tit.* † 5 Licèt ſecùs ſit, quando dies cõmenſuratur tempori, videlicèt quando præfinitur dies põſt certum tempus, quæ tunc cùm ſit certa, non facit conditionem, ſed diem, vt *in l. ex his, C. quando dies leg. cedat. l. Firmio Theodoro. ff. eodem*, & benè diſtinguit Iac. de Aren. *in tit. C. quando dies leg. ced.* Io. Fab. *in d. l. ex his*, vbi etiam Cyn. Bart. *in d. §. quidam Titio.*

Nam reſpõderunt Domini, quòd 6

hîc dies incerta non fuit appoſita ſubſtantiæ legati, prout loquitur tex. *in dicta l. huiuſmodi, & in l. hæres meus*, vbi legatum relictum, per hæc verba, *heres meus, cùm ipſe morietur, centum Titio dato*, dicitur relictum ſub conditione; & quamuis dies incerta in hoc caſu videatur appoſita præſtationi, vt *in dicto §. quidam Titio*, vbi legatum ab initio purum redditur conditionale per verba ſequentia, *ſi mater mea morietur, dato*, tamen neceſſe eſt, ad hunc effectum, quòd dies incerta apponatur præſtationi, per viam conditionis, quod ſecus eſt in caſu iſto, cùm præſtatio mora, non cõditione ſuſ-
7 pendatur,† ex quo non adſunt verba conditionem denotantia. Et ideo legatum purum non poteſt transfundi in conditionale, vt bene declarat Bald. *in l. ambiguitate, num. 4. C. de vſuſr.* qui ita intelligit tex. *in dicto §. quidam Titio*, & eius dictum literis aureis ſcribendum dicit Clem. *ſing.* 132. Ruin. *conſ.* 65. *num.* 14. *vol.* 2.

CAVALLICEN.
Martelleriæ.

Ven. 10. *Martij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus impugnans tranſactionem à ſede Apoſtolica confirmatam, probare debet læſionem reſpectu rei, & reſpectu dubij litis euentus.*

DECISIO CCLXXIII.

1 VIſum fuit Dominis, non probari læſionem, quam Reuerendiſſimus Epiſcopus tenetur probare, cùm tranſactio fuerit auctoritate Apoſtolica confirmata, Bald. *in cap.* 1. *num.* 7. *de his qui feud. dar. poſ.* Socin. *conſ.* 15. *num.* 27. *lib.* 1. Abb. *conſ.* 41. *num.* 2. *lib.* 1. Couar. *var. reſol. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 2. Et fuit pluriès reſolutum. Nam ea quæ deducitur, ex quo Eccleſia plus percipiebat ante tranſactionem, non placuit, cùm non conſter, locationes factas Agarno, & Mauritio habuiſſe effectum; imò conſtat, opus per eas factum producenda aqua, fuiſſe tanquam attentatum demolitum. Læſio verò, quæ deducitur ex licentia data in tranſactione conficiendi martelleriam, nõ plenè probatur. Vltra quòd, cùm dubitaretur, an vigore conceſſionis factæ de anno 1543. poſſent Raynerij cõficere huiuſmodi martelleriã, læſio non ſolùm erat conſideranda reſpectu rei, ſed etiam reſpectu dubij litis euentus, Abb. *conſ.* 64. *num.* 3. *par.* 1. Dec. *conſ.* 60. *num.* 4. Corn. *conſ.* 166. *num.* 7. *verſ. nec etiam obſtat, lib.* 1. Aym. *conſ.* 151. *nu.* 27.

ROMANA SANCTI
Thomæ.

Ven. 10. *Martij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata ſine tranſportatione actorum eſt nulla, & ideo non exequenda.*

2 *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 20. *§. præterea habet locum in cauſis Eccleſiaſticis vertentibus coram quocumque iudice.*

DECISIO CCLXXIV.

FVit reſolutum, ſententiam Ro- 1
talem eſſe nullam, & ideo non eſſe exequendam, *l.* 4. *§. condemnatum, ff. de re iudic.* Dec. *conſ.* 499. *n.* 14. Pariſ. *conſ.* 51. *num.* 49. *lib.* 4. Nullitas autem erat euidens, cùm nõ fuerint tranſportata omnia acta; deficiunt enim teſtes, *l.* 2. vbi gloſ. & Bart. *num.* 1. & 2. *C. de eden.* Felin. *in cap. Eccle*

Eccleſia ſanctæ Mariæ, ante num. 17. de conſtit. Et hodie adeſt diſpoſitio Sacroſancti Concilij Tridentini,
2 *ſeſſ.24.cap.20. §.præterea, de reform.* † quæ proculdubio habet locum in Eccleſiaſticis, prout eſt iſta, vt ex ſententia Illuſtriſſimorum interpretum fuit reſolutum in cauſa Romana lignorum 23. Ianuarij 1603. co-
3 ram R.P.D. meo Sacrato, † Atque etiam habet locum in quocumque iudice, licèt verba Concilij videantur ſonare in cauſis vertentibus coram Epiſcopis, vt cenſuit Rota coram Cardinale Lancellotto, in cauſa Placen. adminiſtrationis Sacramentorum, 1. Decembris 1567. & in cauſa Maioricen. Officij Pœnitẽtiariæ 21. Iunij 1591. coram Illuſtriſſimo Blanchetto.

ASCVLANA, SEV Riparia pecuniaria.

Lunæ 13. Martij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Debitor ſub conditione non tenetur ſoluere, niſi adimpleta conditione.*

2 *Exceptio oriens ex verbis inſtrumenti, impedit exequutionem obligationis Cameralis.*

3 *Creditor qui tenetur dare fideiuſſores de euictione, non ſatisfacit faciendo inueſtimentum.*

4 *Fideiuſſores de euictione, tenentur litem in ſe ſuſcipere, & damna & expẽſas omnes litis ſoluere, & indemnem conſeruare emptorem.*

5 *Emptor poſſidens rem, & pretium, tenetur ad fructus recompenſatiuos, quod non procedit in fideiuſſore pretij, qui ad fructus ſe non obligauit.*

DECISIO CCLXXV.

FVit reſolutum, Theodorum non 1
teneri ſoluere ratam pretij non ſoluti, nec fructus cenſus, quem ſoluendum ſuſcepit, ad computum pretij, ſtante conuentione, quòd paghæ non currerent, & fructus cenſus non teneretur ſoluere, donec fuerint dati fideiuſſores de euictione, qui hûc vſque non fuerunt dati, *l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt.* & not. *in l. cùm proponas, 2. C. de pactis, & in l. quæro, §. inter locationem ff. locati, & in l. qui fidem, ff. de tranſact.* † 2
Et in fortioribus hæc exceptio oriens ex ventre inſtrumenti impedit exequutionem obligationis Cameralis. Galleſ. *de oblig. Cam. in 4. par. quæſt. 1. num. 8.* Couar. *de exequut. inſtr. quæſt. 26.* Caſſad. *deciſ. 10. num. 6. de reſcript.*

Neque obſtat, quòd Mucchiarelli hodie loco fideiuſſorum, volunt inueſtire pecunias, & ſic adimplere per æquipollens, iuxta theoricam gloſ. & Bart. *in l. 1. ff. qui ſatiſd. cogantur,* † quia hæc procedunt, quando 3
meliùs & ſecuriùs ſuccurritur creditori per pignora, quàm per fideiuſſores, vt declarat idem Bart. *ibidem,* & bene facit Iaſ. *num. 12.* Et fuit reſolutum in cauſa Lauretana pecuniaria 5. Aprilis 1593. coram bo.me. Giptio. Sed in caſu iſto emptores per inueſtimentum ita non redduntur tuti, ſicuti per fideiuſſoriam cautionem; quia cùm fuerit promiſſum dare fideiuſſores de euictione, non adeſt difficultas, † quòd 4
dicti fideiuſſores tenerentur litem in ſe ſuſcipere, vel iudicatum, atque damna, & expenſas omnes litis ſoluere, & indemnem conſeruare emptorem, *l. ſi plus, §. mota, ff. de euict.* Bart. *in l. pater, num. 1. & 3. ff. de dot. præleg.* Ruin. *conſ. 187. num. 2. & 3.*

*vol.*1. Pariſ. *conſ.*16. *num.*124. *vol.*2. Cuman. *conſ.*29. *num.*20. Et hæc omnia præſtari non poſſunt per inueſtimentum, vt dicitur in dicta Lauretana.

5 Neque obſtat, quòd in omnem euentum Theodorus teneretur ſoluere fructus cõpenſatiuos ex æquitate, *l. curabit, C. de act. empt.* etiam nõ datis fideiuſſoribus promiſſis, vt per Couar. *var. reſ. lib.*3. *c.*4. *num.*6. *verſ. duodecimo hinc deducitur*; quia quicquid dicendum eſſet reſpectu principalium debitorum, Theodorus hic eſt fideiuſſor pretij, & non ſe obligauit ad fructus, & ideo non tenetur, *l. fideiuſſores Magiſtratuum, §. pro Aurelio, ff. de fideiuſſor.*

PATAVINA DECIMETTÆ.

Lunæ 13. *Martij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata ſuper petitione incerta, eſt nulla, & nu.*2.

DECISIO CCLXXVI.

FVit reſolutum, ſententias de partibus eſſe infirmandas. Nam cũ Abbas Carcerum obtinuerit fieri præceptum Priori Atreſtis per Vicarium Patauinum, de dimittendo decimã à dicto Abbate locatam, nõ poterat hoc præceptum confirmari per ſententiam eiuſdemmet Vicarij. Neque deinde hæc ſententia per
2 aliam nuntij Venetiarum, † cùm petitio eſſet incerta, nec qualitas, aut quantitas decimæ petitæ iuſtificaretur ex actis. Vnde danda erat abſolutio Priori, ſtante maximè eius trina proteſtatione, quòd Abbas declararet intentionem ſuam, vt ipſe poſſet deliberare, an cedere, vel contendere mallet, *l. idem Pomponius, §. fin. ff. de rei vend. l. duo ſunt Titij, ff. de teſta. tut.* ita Bart. *in l. ſi in rem, 1. in fine, ff. de rei vend. & in l. final. nu.*4. *C. de annal. except.* Iaſ. *in §. curare, nu.*16. *verſ. eſt bene verum, inſtit. de act.* Abb. *in c. ſignificantibus, n.*8. *in fine* vbi Fel. *num.*4. *de libell. oblat.* Dec. *in cap. ſignificantibus, num.*2. *& ſeq. de appel.* Sententia enim debet eſſe certa, *dicto §. curare, cap. graue,* 11. *quæſt.*3.

Nec obſtat, quòd ſatis iuſtificatur petitio Abbatis, cùm produxerit inſtrumentum locationis; nam quicquid dicendum eſſet de validitate iſtius locationis, cùm non fuerit facta Priori, & Conuentui Atreſtis, cui eſt vnita Eccleſia parochialis, ſed Gubernatori ipſius Eccleſiæ; tamen inſtrumentum continet locationem decimæ, ſeu iuris decimãdi in loco Baonis, *detto la decimetta*, &, vt per plures reſolutiones firmatum fuit, non continet locationem totius decimæ villæ Baonis. Nec ex eo apparet de qualitate decimæ locatæ, cùm nomen illud *decimetta*, non faciat certam & determinatam denominationem † vt ex ea reſultet 2
certitudo petitionis, prout requiritur, ad hunc effectum, vt per Bart. *in d. l. ſi in rem, num.*1. Et ideo omninò danda erat abſolutio Priori, vt in ſimili, de eo qui non declarat limites fundi feudalis, contigui & admixti cum allodiali dicit Iac. de ſancto Georgio *in rub. ff. de rei vendic. num.*23. *& ſeqq.* Rol. *conſ.*82. *num.*17. *lib.*2. Surd. *conſ.* 151. *num.* 49. *lib.*2.

Nec refragantur reſpõſiones datæ ad poſitiones Abbatis; quia, dato etiam quòd Prior confeſſus fuerit dictas poſitiones, nihilominùs hæc probatio non ſuffragaretur Abbati, cùm poſitiones nihil vltra contineant, quàm contineat inſtrumentum

mentum locationis. Quod, ſi non offi cit, ita nec reſponſio idem continens, *ad tex. in auth. ſi quis in aliquo. C. de edend. c. licet quadam, de teſtibus.*

Denique non obſtat, quòd coram Nuntio fuerint productæ donationes factæ Monaſterio Carcerum; quia quicquid dicendum eſſet de eorum validitate, non continent decimationem totius villæ Baonis, nec fuit actum vigore iſtarum donationum, ſed vigore locationis. Vnde adhuc petitio remanet incerta, ex traditis per Corn. *conſ. 157. per totum, lib. 3.*

TOLETANA DECIMARUM.

Ven. 7. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Verba ſtatuti clara ſine alia inueſtigatione ſunt ſeruanda.*
2 *In materia indifferenti maſculinum concipit fœmininum, ex vi rationis, non ſexus.*
3 *Verbum perſonæ, aptum eſt comprehendere tam maſculos, quàm fœminas.*
4 *An decimæ tranſeant cum vniuerſitate bonorum.*

DECISIO CCLXXVII.

DVbitaui, an decimæ de quibus agitur, ſcilicèt decimæ gregum propriorũ Monialium ſanctæ Fidei Toletanę, qui nutriuntur in prædio ſancti Martini dd. Monialium, in Prouincia Legionenſi, debeantur Priori ſancti Marci dictæ Prouinciæ Legionenſis.

1 Et Domini affirmatiuè reſoluerunt; quia ſtabilimẽtum eſt clarum, *in c. 3. §. & in quantum, num. 18.* quòd ſi greges creantur in propriis pratis Commendatorum & militum, ſoluant integram decimam Prioribus & Conuentibus. Quare cùm verba ſtatuti clara ſint, Moniales tenentur ad ſolutionem dictarum decimarũ, & non eſt vlteriùs inueſtigandum. Bald. *in l. Gallus, §. ſi eius, in ſecundo not. ff. de lib. & poſthum.* Rim. iun. *conſ. 170. num. 36. & conſ. 503. num. 34.* Roland. *conſ. 72. nu. 5. vol. 3.*

Neque obſtat, quòd ſtatutum loquatur de Commendatricibus, † 2 quia cùm verſemur in materia indifferenti, in qua viget eadem ratio, maſculinum concipit fœmininum ex vi rationis, non vi ſexus, gloſ. *in l. quiſquis, §. 1. in verb. minùs, C. ad l. Iul. Maieſt.* vbi Cyn. *ante num. 2.* & idem *in l. quicumque, n. 4. verſ. vt ergo ſciatis,* vbi bene diſtinguit, *C. de ſerui. fugit.* Bald. *in l. ſi ita ſcriptum, 46. de leg. 2.* Dec. *in l. 2. num. 90. ff. de reg. iur.* Et hæc eò magis procedunt in hoc caſu; quia *in cap. 1. dicti tituli 14.* ordinatur, quòd magiſtri, & equites, & omnes aliæ perſonæ ſoluant decimas Prioribus. † Quæ verba ſunt 3 apta comprehendere, tam mares, quàm fœminas, *l. qui domum, iuncta l. mater §. mulier ff. ad l. Iul. de adult.* cùm tractetur de ſolutione, quæ poteſt fieri etiam per fœminas. Cyn. *in dicta l. quicumque, num. 4. in princ.* Et ideo cùm *in dicto cap. 4.* detur forma ſoluendi decimas ad tollendas lites, videtur non eſſe ambigendi locus, quòd ſtatutum intellexerit tam de Commendatoribus, quàm de Commendatricibus.

Neque facit, quòd prædium, de quo agitur, fuit cõceſſum per Mag. Magiſtrum Monialibus, cum omnibus decimis gregum nutriendorum in omnibus ſuis terminis, quia aliud eſt conceſſio decimarum, aliud verò exemptio à ſolutione decimarũ; quæ non legitur in dicta conceſſione. Et

ideò illa conceſſio debet intelligi de decimis, quæ aliàs ad Moniales ſpectare poſſent ſuper dicto prędio, ad tollendam quæſtionem, † an decimæ tranſeant cùm Vniuerſitate bonorum, de qua per Innoc. *in cap ex literis, num.1.de iurepatr.* Sed non propterea conſtat, voluiſſe cõcedere exemptionem à ſolutione decimarum, maximè cùm repugnet ſtabilimentum, *eodem tit.14. cap.5.* vbi quòd conceſſiones fiant cum hoc, quòd ſoluatur decima. Et hoc etiam apparet; quia ex reſolutionibus iam factis conſtat, quòd Moniales ſoluerunt Priori decimas prędiales huius tenementi.

Quantum attinet ad præſcriptionem deductam pro parte Monialiũ, licèt de ea ſatis conſtet, & plura deducuntur in contrarium, tamen ſi opus erit, poterit patticulariter videri.

NARNIEN. CONfinium.

Ven. 7. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* arbitrio, *remittit de rigore iuris, & nu.4.*

2 *Sequeſtrum neceſſarium non priuat poſſeſſione.*

3 *De iure eſt, vt priùs cognoſcatur in poſſeſſorio, quàm petitorio, etiam ſtante clauſula:* in petitorio tantùm, *arbitrio Rotæ.*

DECISIO CCLXXVIII.

FVerat per ſanctiſſimum D.N. reſcriptum in Rota, vt procederetur in petitorio tantùm eius arbitrio. † Quod licèt intelligatur, prout 1
de iure, remittit tamen de illius rigore, maximè cùm reſcriptum ſit factum iudici, qui de iure habet procedere; quia aliàs commiſſio eſſet ſuperflua, vt poſt alios Dec. *in l. in perſonam. §. generaliter, de reg. iur.* Et fuit nuperrimè reſolutum in cauſa Romana Cottiu. 6. Martij præteriti coram R.P.D. Sacrato. Vnde viſum fuit Dominis, intrare arbitrium, ſequeſtrata tamen poſſeſſione loci controuerſi quoàd omnia, & dummodò Narnienſes aſſumant partes actoris, prout inter informandum offerebant. Nam dato quòd probaretur Colliſcipionenſes eſſe in poſſeſſione, nihilominùs per appoſitionem ſequeſtri nihil damni eis infertur; quia ſequeſtrum neceſſariũ non priuat. Sarn. *in regula de annal. quæſt.46. verſ. adde.* Rebuff. *de ſequeſtr. gloſ.1. art.1. num.19.* Nec minùs etiam priuantur commodo probationis, à qua releuatur reus, vt *in §. retinendæ, inſt. t. de interd.* Et ceſſat omnis difficultas, cùm Narnienſes aſſumant partes actoris.

Neque obſtat, quòd ſi probaretur 2
poſſeſſio, Colliſcipionenſes eſſent manutenendi, & interim nihilominùs per appoſitionem ſequeſtri priuarentur illo commodo actuali. † 3
Et de iure etiam eſt, quòd priùs cognoſcatur poſſeſſorium, quàm petitorium, *l. ordinarij, C. de rei vendic. l. incerti, C. de interdict.* Et in terminis huius clauſulæ, quòd priùs ſit cognoſcendum de poſſeſſorio, quàm petitorio, fuit dictum in cauſa Mõtisfaliſci Capellaniæ 13. Ianuarij præteriti, coram R.P.D. meo Lancellotto.

Nam reſponderunt Domini, quòd adhuc non eſt probatum, Colliſcipionenſes eſſe in poſſeſſione, & ſic poſſent ſuccumbere, prout reportare vitoriam. Et tamen in omnem euentum, licèt prædicta ſint vera, procederent ſi de mero iure eſſet diſputandum. † Vnde cùm clauſula 4

arbitrio

arbitrio remittat de iuris rigore, ideo visum fuit, stante dicto sequestro, & assumptione facienda per Narnienses partium actoris, posse procedi in petitorio tantùm, præcipuè cùm agatur inter Communitates, quibus maximè expedit, vt quanto citiùs litibus finis imponatur.

MEDIOLANEN. DECIMARUM.

Lunæ 10. *Aprilis* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Parochus habet fundatam intentionem de iure communi in decimis, intra limites parochiæ suæ.*
2 *Exemptio à solutione decimarum, non conceditur, nisi maxima difficultate, & num.* 4.
3 *In communicatione priuilegiorum, non veniunt ea quæ de facili concedi non solent, nisi de eis fiat specialis mentio.*
5 *Priuilegium exemptionum à solutione decimarum debet strictè intelligi.*
6 *Constitutio Conciliaris requirit specificam derogationem, aliàs dari potest de defectu voluntatis.*
7 *Laudum super exemptione à solutione decimarum, non confirmatum à superiore, non egreditur suos authores.*
Obseruantia 30. *annorum requiritur ad hoc vt solemnitates præsumantur interuenisse in exemptione à solutione decimarum, & num.* 9.
10 *Ex præsumptione regulariter non oritur præsumptio.*

DECISIO CCLXIX.

1 QVia Parochus Viglentinus habet fundatam intentionem de iure communi cõtra quoscumque, in decimis intra limites suæ parochię, *c. cùm in tua, in fin. c. cùm cõtingat*, vbi glo. *in verb. de iure communi.* Abb. *num.* 6. *& seqq. de decimis, cum vulgar.* Ideò dubitaui, an priuilegia Monachorum, & lauda lata inter ipsos Monachos, & antecessores curatos obstarent, quominùs posset percipere integram decimam super bonis dd. Monachorum. Et Domini negatiuè resoluerunt; quia priuilegia non continent exemptionem à solutione decimarum, † quæ non 2
solet concedi, nisi cum maxima difficultate. Io. Andr. *in c. dudum, sub nu.* 5. *vers. ratio diuersitatis hæc est, de priuil.* Et fuit resolutum in causa Valentina decimarum 28 Nouembris 1603. coram R.P.D. meo Lancellotto, & in aliis causis. Et quamuis Papa processerit per viam communicationis omnium, & singulorum priuilegiorum, & præcipuè illorum per quæ eximuntur à decimarum, procurationum, visitationum, præstationum, & subsidiorum, & aliorum onerum quorumcumque præstatione, à quibus est exemptum Monasterium de Guadalupe, † ta- 3
men ista communicatione non veniunt illa quæ de facili concedi non solent, nisi de eis sit facta specialis mentio; iuxta cons. Butr. 19. *num.* 9. Hîc autem non fuit facta sufficiens mentio decimarum, quia ex structura verborum apparet, Papam non intellexisse de decimis prædialibus, & ordinariis, sed extraordinariis. † 4
Maximè quia, vt dictum est, difficulter conceditur talis exemptio. Bald. *in l. fistulas, §. frumenta, ff. de cõtr. empt.* Clem. *sing.* 108. Fel. *in cap. sedes, num.* 3. *de rescr.* Put. *decis.* 65. *lib.* 2. Et fuit dictum in causa Carthaginen. decimarum 19. Nouembris 1593. coram Orano, & in causa Toletana decimarum 26. Nouembris præteriti coram R.P.D. meo Iusto. Et, vt

bene fuit conſideratum in cauſa Saguntina decimarum, 30. Octobris 1600. coram nunc Illuſtriſſimo Reuerendiſſimo Cardinali Seraphino,
5 † ſi non apparet de expreſſa mente concedentis. In omnem euentum, exemptio deberet reſtringi ad bona acquiſita titulo licito, putà ex relicto pro fundatione monaſterij, vel alio modo non prohibito, *in cap. nu-*
6 *per, de decimis.* † Sed etiam ceſſat difficultas omnis; quia tex. *in dicto cap. nuper*, continet conſtitutionem Cóciliarem, quæ cenſetur habere clauſulas derogatorias ad ſequentes diſpoſitiones, & ideo requirit ſpecificã derogationem, quę non adeſt in hoc caſu. Adeò quòd poteſt dari de defectu voluntatis in concedente, *c. ex parte, de capell. Monach.* Fel. *in cap. nonnulli, num.* 2. *de reſcr.* Archid. *in cap.* 1. *num.* 2. *de conſtit. in* 6. Oldrad. *conſ.* 326. *in princ.* Verall. *deciſ.* 167. *par.* 1. Et fuit reſolutum in cauſa Oriolen. decimarum coram bo.me. Orano, & aliàs ſæpiùs.

7 Quantum attinet ad lauda, nec illa obſtant; quia cùm non habeant confirmationem Superioris, non egrediuntur ſuum authorem, *cap. de cætero, de tranſact.* Et in terminis decimarum, *c. veniens eodem titulo* Abb. *in cap. multiplici, num.* 2. vbi Butr. *in fine, de decimis, & in cap. cùm homines,*
8 *num.* 4. *eodem titulo.* † Nec talis confirmatio poteſt præſumi ex curſu temporis, cùm non adſit obſeruantia, quæ ad hunc effectum requiritur. Abb. *in cap. Albericus, ſub num.* 6. *& add. ad* Felin. *ibidem, ſub num.* 3. *de teſtib.* Alex. *conſ.* 12. *num.* 7. *& conſ.* 17. *num.* 8. *& 9. l.* 4. Et fuit pluriès reſolutum. Nam quoàd primum laudũ, nihil docetur; quia cùm deducantur pro obſeruantia certæ quietantiæ, de illis non conſtat, niſi per quandam productionem verbalem, factã pro Monaſterio in partibus, & ſunt longè poſt dictum laudum. Vltra quòd, nec de dicto laudo conſtat, niſi ex inſertione in ſecundo laudo de anno 1554. de cuius etiam ſecũdi laudi obſeruantia non conſtat, niſi per tres annos. † Et tamen opus 9
eſſet obſeruãtia 30. annorum, vt per doctrinas allegatas.

Non obſtat, quòd præſumendum ſit, iſta lauda fuiſſe vſu recepta, ex allegatis in cauſa Tullen. Prioratus 10. Maij 1586. corã Cardinali Pamphilio; quia iſta præſumptio non intrat, ad effectum vt præſumatur, beneplacitum Apoſtolicum interueniſſe, † cùm regulariter ex præ- 10
ſumptione non poſſit oriri alia præſumptio gloſ. *in l.* 1. *C. de dotis promiſ.* Ruin. *conſ.* 66. *nu.* 19. *&* 20. *l.* 3.

COLLEN. PENSIOnis.

Ven. 14. *Aprilis* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Sententia tranſit in iudicatum, ſi intra decendium non appelletur.*

2 *Sententia lata partibus præſentibus non eget intimatione.*

3 *Mandatum procuræ poteſt produci in ſecunda inſtantia.*

4 *Proteſtatio de nullitate actorum, nõ extenditur ad mandatum, & ſi extenditur ab ea cenſetur receſſum in aliis actibus, ſi non eſt repetita proteſtatio, nu.* 5.

6 *Sententia non dicitur lata præcipitanter, ſi cauſa fuit inſtructa in prima inſtantia, & de eius iuſtitia conſtat, etiam ſi lata ſit intra* 12. *dies, exempli gratia.*

7 *Cedula debet eſſe penes notarium, quando pronunciatur*, prout in cedula, aliàs, &c.

8 *Scri*

8 *Scriptura magis debet attẽdi, quàm dictum notarij, & iudicis, contra ſcripturam in eorum Tribunal. facta atteſtantis.*

Decisio CCLXXX.

1 FVerat coram me reſolutum, ſententiam de partibus fore exequendam, cùm tranſiſſet in iudicatum, † ex qua non fuerat appellatũ intra decendium. De illius enim iuſtitia ſatis apparebat, & nullitates oppoſitæ tollebantur, vt in deciſione 9. Iunij 1604. Et quia pars D. Leandri non acquieſcebat, iterum propoſui dubium. Et Domini ſteterunt in deciſis: nam quod dicebatur, tempus ad appellandum incipere à die intimationis ex ſtylo illarum partium, quæ intimatio non
2 fuerat facta, non obſtabat, † ſtante quòd ſententia fuit lata partibus præſentibus, ex allegatis in dicta deciſione. Et quamuis fuerat lata præſentibus Syluio de Griffonibus, procuratore Domini Leandri, & Raphaële de Anſaldis pro domino Nereo, & diceretur, quòd non conſtabat de eorum mandato, tamen hodie ceſſat obiectũ ex productio-
3 ne mandatorum, † quæ potuerunt produci in cauſa appellationis; quia nunquam fuit proteſtatum, neminem audiri niſi docto de legitimo mandato. Rot. *deciſ.* 19. *de procur. in antiq.* Put. *d.* 383. *num.* 8. *lib.* 2. Aym.
4 *conſ.* 108. *num.* 1. † Et licèt aliquando fuerit proteſtatũ de nullitate actorum, & agendorum, tamen nõ fuit
5 oppoſitum de mandato. † Et quatenus dicta proteſtatio haberet etiam vim proteſtationis, quòd nullus audiretur, niſi docto de mandato; tamen non fuit repetita in quolibet actu, & ideo ab ea cenſetur receſ-
6 ſum. Mohed. *deciſ.* 2. *de iudic.* † ita vt productio mandati etiam poſt ſententiam ſufficiat, vt per Rotam, & alios ſuprà allegatos.

Alia quoque nullitas, ex quo ſententia videbatur lata præcipitanter, ceſſabat. Nam licèt iudex intra 12. dies expediuerit cauſam, † tamen cũ 7 cauſa fuiſſet inſtructa in prima inſtantia, & hodie manifeſtè appareat de eius iuſtitia, ceſſat hoc obiectum ex traditis per Felin. *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, num.* 19. *& ſeqq. de conſtit.*

Aliud obiectum, quòd fuit lata 8 non viſis actis primæ inſtantiæ, ceſſat; quia apparet de illorum productione in proceſſu, fol. 239.

Vltimum obiectum, quòd fuit pronunciatum prout in cedula, quæ tunc non fuit conſignata notario, prout requiritur; quia ſententia debet ferri in ſcriptis, *l.* 2. *&* 3. *C. de ſent. ex breuit. recit.* ceſſat; quia non apparet, quòd tunc non fuit conſignata, imò reperitur regiſtrata, ſub die qua fuit pronunciatum. † Vnde 9 licèt iudex & notarius hodie teſtentur de contrario, cùm atteſtatio ſit contraria actis, debent potiùs acta attendi, per quæ ſententia ſuſtinetur. Creſc. *dec. ſecunda, de præſum.* Aym. *conſ.* 284. *nu.* 5.

Iuſtitia verò ſententiæ exequendæ viſa fuit Dominis clariſſima, ex deciſione in hac cauſa facta, quæ in iſta parte non fuit impugnata.

PACEN. DECIMARVM.

Ven. 14. *Aprilis* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Vnica enunciatiua moderna nihil probat.*

2 *Dans mandatum ad litem, facit ſe partem formalem.*

3 *Reo & poſſeſſori ſufficit vincere per non ius actoris.*

Deci

Decisio CCLXXXI.

DOmini perſtiterunt in reſolutis die 9. Iunij 1603. ſcilicèt, non probari per Capitulum, locum dell' Hebrero eſſe intra limites Parochiæ Epiſcopi, intelligẽdo tamen, non de parochia vniuerſali, ſcilicèt quatenus Epiſcopus eſt Parochus generalis totius dioceſis, iuxta gloſ. *in cap. 2. in verb. ſub ſubdito, de pœnit. & remiſſ. in 6.* Sed de parochia ipſius Cathedralis, quatenùs habet certam curam parochialem.

Neque obſtat deciſio aliàs facta ſub die 14. Iunij 1601. quia illa deciſio, ſi benè conſideretur, non loquitur de parochia particulari, ſed de generali. Hinc eſt, quòd die 9. Iunij fuit particulariter dubitatum, vtraque parte informante, an probaretur, locum dell' Hebrero eſſe de parochia particulari, & reſolutum negatiuè, nec in illa deciſione fuit facta mentio de prima; quia non erat opus, cùm tenderet ad diuerſum effectum.

Non obſtat enunciatiua in mandato Epiſcopi; quia non continet, locum dell' Hebrero eſſe intra limites parochiæ particularis, ſed dicitur, locum dell' Hebrero eſſe in termino decimatorio Epiſcopatus, & in territorio decimatorio Cathedralis, & parochialis ciuitatis.

Vnde non cõcludit, quòd Cathedralis, & parochialis huius loci, ſed ſolùm ciuitatis. Et licèt dicat etiam in territorio decimatorio, non concludit, quòd Cathedralis ibi tanquã parochialis percipiat decimas. Et
1 ceſſat omnis difficultas, † quia iſta eſt ſimplex enunciatiua Epiſcopi. Et vltra quòd eſt vnica, eſt etiam moderna, & ideo nihil probat contra tertium, *l. non nudis, l. non epiſtolis, C. de probat.* Maximè, cum principaliter agatur ſuper ipſo enunciato. Put. *deciſ. 381. nu. 3. lib. 1.* Et ex quo emanauit ab Epiſcopo, † qui dando 2
mandatum ad hanc litem, fecit ſe partem formalem, ad tradita per Abb. *in cap. poſt ceſſionẽ, nu. 5. verſ. ergo eadem ratione, de probat.* Socin. *conſ. 258. nu. 8. li. 2.* Faſtol. *dub. vltimo nu. 8.* Creſc. *deciſ. 13. de prob.*

Neque etiam officit, quòd prætenditur probari, ex teſtibus, Capitulum ſimul percipere omnes decimas territorij Pacen. quia, licèt hoc non tangat dubium de quo agitur, tamen, quicquid dicant teſtes, non probant in loco dell' Hebrero. Vnde cùm Capitulum non habeat intentionem fundatam de iure communi, ex reſolutionibus factis, † ſatis 3
eſt, D. Duci reo vincere per non ius Capituli, *l. qui accuſare, C. de edendo.*

VENETIARVM Cenſus.

Lunæ 17. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* ratione præmiſſorũ omnium *comprehendit omnia narrata.*

2 *Quæſtuatio ſublata fuit à Concilio Tridentino,* ſeſſ. 21. cap. 9. de reformat. *non tamen ſublatum fuit ius quæſtuandi reſpectu illorum qui exercent hoſpitalitatem, nu. 5.*

3 *Diſpoſitiua, & verba generalia, & indefinita, recipiunt interpretationem à proœmio.*

4 *Conceſſo ſubſequenti, cenſetur approbatum antecedens, à quo neceſſariò ſubſequens dependet.*

Decisio CCLXXXII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt ſolutionem ſcutorum 20.

rum 20. non fuiſſe promiſſam pro facultate quæſtuandi tantùm, ſed pro omnibus narratis in prooëmio,
1 † ſtãtibus verbis,*& ratione præmiſſorum omnium, &c.* quæ comprehendunt omnia narrata, *l. à procuratore, cum ibi not. C. mand.* Et hoc etiam apparet; quia iſta ſumma vnà cum aliis ducatis 5. qui priùs ſoluebantur, fuit vnica ſtructura verborum promiſſa inſimul pro cenſu ducato-
2 rũ 25. Et ſic poſteà etiã ſoluta. † Vnde licèt ceſſet facultas quæſtuandi ex diſpoſitione Conc. *cap. 9. ſeſſ. 21. de reform.* non tamen ceſſant alia conceſſa. Vnde cenſus ſolui debet. Rim. ſen. *conſ. 141. nu. 10.* Natt. *conſ. 14. nu. 6.* Cephal. *conſ. 81. nu. 18.*

Neque obſtat, quòd diſpoſitiua videtur reſtricta ad facultatẽ quæ-
3 ſtuandi, † quia ex præmiſſis videtur comprehendere etiam illa de quibus habita fuit mẽtio in prooëmio. Bart. *in l. ſi ita ſtipulatus, §. Chryſogonus, ante nu. 4. & in l. Titia, §. idem reſpondit, nu. 1. ff. de verb. oblig.* Socin. ſen. *conſ. 24. ante num. 3. vol. 4.* vbi quòd verba generalia, & indefinita recipiunt interpretationem ex his quæ dicta ſunt in prooëmio, ſtãte maximè, quòd in prooëmio narratur, fuiſſe litẽ ſuper vnione, acuius validitate cùm dependeret facultas quæ-
4 ſtuandi, † vtique iſta conceſſa, illa cenſetur approbata; ad tradita per Aym. *conſ. 477. num. 5. verſ. 2. arguit.*

Addebant Domini, dato etiam, quòd ſolutio fuiſſet correſpectiua ad facultatem quæſtuandi, nihilominùs eſſe faciendam, ex quo fuit promiſſa, etiam quòd facultas quæ-
5 ſtuandi ſuſpenderetur, † quia diſpoſitio Concilij, prout declarauit Cõgregatio, non reuocat ius quæſtuandi, reſpectu illorum qui exercent hoſpitalitatem. Vnde cùm hoſpitalia fuerint vnita Conuentui ſancti Saluatoris, ſibi, & non alteri debet imputare, ſi dictam hoſpitalitatem non exercet.

GERVNDEN. STATUTI.

Ven. 31. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Collatio Canonicatuum ſpectat de iure communi ad Abbatem & Capitulum ſimul.*

2 *Procurator cum libera non poteſt præiudicare ſuo principali, ſine ſpeciali conſenſu.*

3 *Abbas eſt caput Capituli, non de Capitulo.*

4 *Scientia præſumpta non ſufficit ad effectum, vt quis iure ſuo priuetur.*

DECISIO CCLXXXIII.

FVit reſolutum, Abbatem poſſe 1
dare de inualiditate ſtatuti facti ſuper modo conferendi Canonicatus, cùm de eius intereſſe conſtet, † ex quo collatio ſpectat ad ipſum, & Capitulum, vt in confeſſione eiuſdemmet Capituli, vt in ſummario, *num. 4.* Et eſt etiam de iure, Rot. *deciſ. 4. de conceſſ. præbend. in nou.* Biſign. *dec. 8. de præbend.* Caſſad. *dec. 22. eodem titulo* Syluan. *de benef. par. 2. q. 22. nu. 35. & 36.*

Neque obſtat, quòd ſtatutum fuit factum à maiori parte Capituli, & cum interuentu Vicarij Abbatis, qui habebat mandatum cum libera, † 2
quia fuit reſponſum, Abbatem prætendere fuiſſe derogatum iuri ſuo, & ideo fuiſſe neceſſarium eius conſenſum in ſpecie, vt per Felin. *in cap. cùm omnes, num. 18. verſ. 10. fallit, de conſtit.* Nec propterea procuratorem cum libera potuiſſe illi præiudicare,

ex traditis per Alex. *in l. ſi procurator, nu. 3. C. de procur.*

3 Nec facit, quòd Abbas tanquam caput Capituli non eſt de Capitulo. Abb. *in cap. cùm olim, num. 8.* vbi Felin. *num. 4. de re iud.* idem Felin. *in prooëm. decret. in verb. Gregorius, nu. 16.* quia non propterea tollitur, quòd poſſit dare de inualiditate ſtatuti facti in ſui præiudicium.

Vltimo loco non releuat, quòd Abbas præſumatur ſciuiſſe hoc ſtatutum, cùm iam ſint 11. anni, quòd

4 fuit factum, † quia ſcientia præſumpta non ſufficit ad effectum, vt quis iure ſuo priuetur: Rot. *dec. 11. de dolo & contumacia in antiquis*, & fuit dictum in cauſa Salamantina cenſurarum, 5. Nouembris 1597. coram Illuſtriſſimo Seraphino.

ASSISIEN. CENSVS.

Lunæ 24. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Audiendus eſt in cauſa habens intereſſe.*

DECISIO CCLXXXIV.

FVit reſolutum, Cæſarem eſſe audiendum; quia Bartholomæus non ſolùm vocauit illum ad iudicium, vti poſſeſſorem bonorum, ſuper quibus fuit impoſitus cenſus, ſed etiam teſtibus examinatis, proba-

2 uit, eum detinere illa bona. † Vnde tam ex approbatione ipſius Bartholomæi, eſt audiendus, ex alleg. per Surd. *deciſ. 104. num. 10.* quàm etiam ex quo fuit probatum, ipſum eſſe poſſeſſorem. Vnde ſatis habet intereſſe, cùm poſſit vincere ex non iure Bartholomæi, §. *retinendæ*, [3] *in verſ. commodum, inſtit. de interd.* Et ceſſat omnis difficultas; quia cùm priùs donauerit Andreæ fratri, obtinuit poſteà aliam retrodonationem. Vnde pluſquàm manifeſtè apparet de ſuo intereſſe, ita vt ſit audiendus.

Non obſtat, quòd Andræas reliquit filias, quæ obtinuerunt mandatum de manutenendo in bonis patris; quia non conſtat, ipſas obtinuiſſe manutentionē ſuper bonis retrodonatis, & nihilominùs remaneret ius Cæſari ex retrodonatione. Et hæc probatio redditur etiam ſatis turbida, ex quo mater dictarum filiarum deponit, ipſas repudiaſſe hæreditatem paternam.

Non officit, quòd Cæſar donauit bona ſuper quibus fuit impoſitus cenſus, Equiti Paulutio; quia non inde ceſſat ipſius intereſſe, ne de euictione teneretur donatario.

ALBANEN. FIDEICOMMISSI de Sabellis.

Lunæ 24. Aprilis 1606.

EPITOME.

Quæritur hic an ex aliquibus actibus, adita ſit vel repudiata hęreditas.

SVMMARIVM.

1 *Repudiatio fieri poteſt expreſsè, vel tacitè.*

2 *Renunciatio dicitur ante delatam hæreditatem.*

3 *Debita ſoluenda ſunt æqualiter ab hæredibus pro portionibus hæreditariis.*

4 *Solutio debitorum ſpectat ad hæredem, non fideicommiſſarium conditionalem.*

5 *Indebitè ſolutum repeti poteſt à ſucceſſore.*

6 Com

6 *Commissio auocatoria causæ non immutat iudicium.*

7 *Tempus adeundæ hæreditatis durat 30.annis.*

8 *Hæredi præfigi potest tempus ad deliberandum, an velit adire ad instantiam creditorum.*

9 *Non dicitur repudiare hæreditatem patrui, qui experitur ad fideicommissum aui.*

Decisio CCLXXXV.

DVbitaui, an constaret, Christophorum repudiasse hæreditatem Honorij patrui, à quo fuerat substitutus, in euentum quòd Ludouicus hæres institutus decederet sine filiis masculis, legitimis, & naturalibus. Et Domini negatiuè re-
1 soluerunt; † quia de repudiatione expressa aut tacita non cõstat, prout requiritur, vt *in l. recusari, ff. de acquir. hæred.* Si enim inspiciantur gesta per Christophorum in vita Ludouici, de renunciatione aliqua non ap-
2 parer, † quæ sic propriè antè delatã hæreditatem appellatur, vt per Alciat. *in l. conditionis incertum, num. 24. C. de pactis.* Nam etsi non reperto testamento Honorij, Ludouicus & Christophorus, ad quos hæreditas spectabat ab intestato, cùm alius eos non præcederet in gradu, *auth. de hæred. ab intest. §. igitur*, diuiserint hæreditatem, & soluerint debita Honorij, & postmodùm de mẽse Ianuarij 1564. Christophorus commiserit causam super calculo de nouo faciendo, ex quo prætendebat, soluisse maiorem partem, quàm ad se spectaret, non solùm debitorũ Honorij, verum etiam Virginiæ matris, & suorum; non inde sequitur alia renunciatio hæreditaris; quia cũ peteret illud plus quod soluerat,
3 hoc erat iudicium. † cùm debita essent soluenda æqualiter pro portionibus hæreditariis, *l. pro hæreditariis, C. de hæred. act.* Et quamuis prætendatur, quòd de eo tempore Christophorus habuisset scientiam testamenti Honorij, ex quo super eo Ludouicus cõmiserat causam de mense Octobris anni præcedentis, nihilominùs adhuc dici non potest, cõstare de aliqua renunciatione, † cùm 4
solutio debitorum spectaret ad hæredem, nõ ad Christophorum fideicommissarium conditionalem, *l. ita tamen, §. qui ex Trebell. ff. ad Trebell.* glos. fin. *in l. 1. eodem tit.* Bald. post alios *in l. fin. C. eodem titulo.* Vnde bene poterat repetere debita per ipsum soluta.

Nec etiam potest considerari ali- 5
qua repudiatio post delatã hæreditatem Christophoro post obitum Ludouici, ex prosequutione istius iudicij; quia cùm ab initio solutio istorum debitorum spectaret ad Ludouicum primum. Honorij hæredẽ, Christophorus poterat repetere quod indebitè soluerat; quia hæredes Ludouici habebant ius retentionis in bonis hæreditatis Honorij pro debitis ipsius solutis, ex alleg. per Surd. *decis. 92. nu. 6.*

Neque potest ius fieri in cõmissione obtenta super repetitione dictorũ debitorum post obitũ Ludouici, † quia illa cõmissio non immu- 6
tauit iudicium iam intentatum, ex quo fuit simplex auocatoria causæ à Gubernatore, cũ iam lispenderet in Rota. Nec confessiones factæ in illa obstant Christophoro; quia solùm dicitur, quòd solutio debitorum spectabat ad Ludouicum hæredem Honorij; & quòd repugnat, hẽrdem esse velle, & debita soluere nolle. Quæ confessiones possunt verificari iuxta prædicta, scilicèt, quòd solutio debitorum spectabat ad Ludouicum, & quòd ante aditam hæredi-

tatem Christophorus potest repetere id quod indebitè soluerat. De confessionibus verò factis in articulis, non fuit habita ratio; quia nõ ita se habent in regiſtro, fol. 1326. prout in copia quę fuit data in ſummario.

Nec releuat, quòd Chriſtophorus ſe oppoſuit ſolutioni cuiuſdam
7 legati, & obtinuit abſolutoriam; † quia ante aditam hęreditatem, cuius adeundæ tempus durabat per 30. annos, vt per gloſ. & Doctor. *in l. licet. C. de iur. delib.* ad nihil tenebatur Chriſtophorus, † quo caſu cautum eſt creditoribus, vt præfigatur
8 hæredi per prætorem terminus ad deliberandum, iuxta tex. *in l. ſi curatus*, vbi tradunt Doctor. & Azo. *in ſumm. C. eodem titulo.*

Nec obſtat commiſſio de anno 1565. & geſta iliius vigore; quia cùm Chriſtophorus prætenderet adeſſe fideicommiſſum aui, potuit pendente tempore ad adeundum, experiri vtrùm ſibi magis eſſet proficuum, acceptare fideicommiſſum aui, vel Honorij, vt in ſimili fuit reſolutum in cauſa Romana bonorum de Ceulis, 25. Iunij 1601. coram R. P. D.
9 meo Decano. † Compatiuntur enim ſe ad inuicem, quòd experiretur ad fideicommiſſum aui, & quòd non repudiaret hæreditatem patrui.

Denique non officit, quòd Chriſtophorus obtinuit committi cauſam ſuper redditione rationis adminiſtrationis tutelæ cõtra Virginiam matrem, & hæredes Honorij; quia non conſtat de aliqua proſequutione contra filias Ludouici; imò mandatum fuit tantùm relaxatum contra Virginiam matrem, & natura negocij exigebat, quòd cauſa committeretur contra Virginiam, & hæredes Honorij, cùm ab vtroque fuiſſet adminiſtrata tutela Chriſtophori; & ideo Virginia ſola non poterat cogi ad reddendũ rationem.

Neque obſtat, quòd in citatione ad videndum relaxari mandatum, fuerint citatæ filiæ Ludouici, quia ſtantibus præmiſſis, & relaxatione mandati contra Virginiam ſolam, ex hac ſimplici citatione non poteſt colligi certa, & determinata voluntas Chriſtophori repudiandi hæreditatem Honorij. Et nimis durum videbatur Dominis, quòd ex iſta ſimplici citatione, quæ nec habuit effectum quoàd decretum ſuper ea factum, poſſit elici repudiatio hæreditatis, maximè cùm attenta tota ſerie facti, non deſit maxima præſumptio, quòd abſque conſideratione citatio fuerit facta.

Et eò magis prædicta videbantur procedere, quia de anno 1591. Chriſtophorus nõ ampliùs inſtitit ſuper fideicõmiſſo Antimi, ſed commiſit cauſam ſuper fideicõmiſſo Honorij.

ROMANA DOMORUM.

Ven. 28. Aprilis 1606.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo datur poſſidenti, etiam ſi non probet poſſeſſionem de tempore motæ litis, quando præſumitur continuata, cùm animo retineatur, nu. 4.*

2 *Notario atteſtanti, pecuniam fuiſſe numeratam creditur, & huiuſmodi atteſtatio probat actualem numerationem, & veram traditionem, nu. 3.*

5 *Vnicus actus ſufficit ad acquirendam quaſi poſſeſſionem.*

6 *Pendente appellatione à ſententia cõtra poſſeſſorem lata, poſſeſſor non eſt ſua poſſeſſione priuandus.*

7 *Faciens actum ſine præiudicio ſuorum iurium, ſibi non præiudicat.*

DECISIO CCLXXXVI.

1 DOmini dixerunt, Agapitum eſſe manutenendum in quaſi poſſeſſione percipiendi fructus recompenſatiuos; quia de eius poſſeſſione conſtat ex inſtrumẽto venditionis, in quo fuit ei ſoluta certa quantitas ratione dictorum fructuum, quam, vt apparet ex atteſtatione notarij, recepit in contanti, in pecunia numerata, & ad ſe
2 traxit. † Quæ atteſtatio probat numerationem. Bart. *in l. ſi ex cautione, nu. 1. C. de non num. pec. & in l. ſingularia, num. 22. ff. ſi cert. pet.* vbi licèt, *nu.* 23. videatur requirere, quòd in atte-
3 ſtatione adſit verbum *numerauit*, † tamen cùm in hoc inſtrumento adſint verba, *recepit in contanti, in pecunia numerata*, ſufficiunt, cùm denotent actualem numerationem, & veram traditionem. Bald. *in d. l. ſi ex cautione, num. 14. C. de non num. pec.* Bart. *in l. ſi ita ſtipulatus, §. Chryſogonus, nu. 3. ff. de verb. oblig.* Et fuit pluries in Rota firmatum. Et ideò cùm ex iſtis de eius poſſeſſione conſtet, eſt manutenendus, *§. hodie inſtit. de*
4 *interd.* † etiamſi non probaret poſſeſſionem de tempore litis motæ; quia præſumitur continuata, cùm animo retineatur, *l. licet C. de acquir. poſſeſſ.* Abb. *in cap. cùm ad ſedem, num.*
5 *15. de reſtit. ſpol.* Put. *deciſ. 17. lib. 2.* † Et ſufficiat vnius actus ad acquirendam quaſi poſſeſſionem: gloſ. *in cap. cùm Eccleſia Sutrina, in verb. Epiſcoporum*, Abb. *ibidem, num. 22. & ſeq. de cauſ. poſſ. & propr.* Et ceſſat omnis difficultas; quia etiam conſtat de aliis ſolutionibus.

Neque obſtat, quòd Agapitus habuit ſententiam contra ſe in negocio principali, & in omnem euentũ conſenſit, quòd deputaretur exactor, ex cuius manibus percipiebat hos fructus, † quia cùm à ſententia 6
fuit appellatum, pendente appellatione, non eſt ſua poſſeſſione priuandus, *cap. cùm teneamur*, vbi Franc. *num. 1. de appel. interp. l. furti, ff. de iis qui not. inf.* Et conſenſit deputationi exactoris, † & de eius manu recepit, 7
ſine præiudicio iurium ſuorũ. Quæ proteſtatio præſeruat ius ipſius Agapiti, Put. *deciſ. 32. lib. 2.* & quatenus per actum inferatur præiudicium, perinde eſt, ac ſi non fuiſſet factus, *l. teſtamento centurio, §. final. ff. de manum. teſt.* Put. *dicta deciſ. 32. nu. 1.*

OPIDEN. IVRISPATRONATUS.

Ven. 5. Maij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Iuſtitia ſententiæ probatur ex reuolutione actorum.*

2 *Lis mota poſt præſentationem, non impedit inſtitutionem.*

3 *Quaſi poſſeſſio iuris patronatus poſt Conc. Trid. non ſufficit ad oſtendendum ius patronatus.*

DECISIO CCLXXXVII.

DIxerunt Domini, ſententiam 1
Rotalem eſſe confirmandam; quia ex reuolutione actorum apparet valida & iuſta. Nam quòad validitatem ſententiæ, non poteſt dubitari, cùm interuenerint omnia ad id requiſita, de quibus per Veral. *deciſ. 260. par. 2.* Iuſtitia quoque eſt clara, quia fuit pronunciatum, Carolum præſentatum à Cornelia Ruffa Seniore, & Cornelia Ruffa iuniore, mediante perſona Martij Palumbi eius mariti, ad hoc procuratoris conſtituti, vt in primo regiſt. Rot. *fol. 90.* eſſe inſtituendum. Quod eſt de iure, quia, vt apparet ex conſi-

deratis in deciſione R. P. D. Littæ, fuit præſentatus ab exiſtentibus in
2 quaſi poſſeſſione præſentandi, † nec inſtitutionem poteſt impedire lis, cùm ſit mota poſt præſentationem. Butr. *in c. 2. num. 44. ad finem*, & ibi Abb. *num. 22. de reſtit. in integr.* Roch. *de iurepatr. in verb. competens, qu. 23. num. 55.* Lamb. *de iurepatr. lib. 2. p. 1. quæſt. 3. art. 4. nu. 2.* Et fuit reſolutum in cauſa Valentina de Conſentaina, 30. Ianuarij 1581. coram Illuſtriſſi-
3 mo Seraphino. † Et licèt hodie poſt Concilium, non ſufficiat quaſi poſſeſſio; quia ex quaſi poſſeſſione non inferatur ad iuſpatronatus ex dotatione & fundatione, prout requirit Conc. Veral. *dec. 29. lib. 1. in manuſcr.* Et fuit dictum in cauſa Valentina Parochialis de Carlet, 4. Iunij 1601. coram R. P. D. meo Lancellotto, & priùs in cauſa Cæſarauguſtana Parochialis 10. Iunij 1566. corã Guipperio, tamen ex dicta deciſione D. mei Littæ, oſtenditur, conſtare de iurepatronatus ex dotatione & fundatione, & dicitur non eſſe opus docere, quòd iſtæ mulieres deſcendant à fundatore, cùm hoc reſpiciat petitorium, ſtante quaſi poſſeſſione præſentandi. Et fuit reſolutum in cauſa Lunen. Sarzanen. Capellaniæ 9. Iunij 1600. coram D. meo Sacrato.

Etta fuit reſolutum, in contumaciam alterius partis, quæ diu fuit expectata.

OVETEN. MERCEDIS.

Ven. 5. Maij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Poſt litem conteſtatam, procurator reuocari non poteſt, & nu. 8. niſi adſit iuſta cauſa, quæ quando dicatur iuſta, relinquitur arbitrio iudicis, nu. 2.*

3 *Procuratori ex propria culpa reuocato ſalarium non debetur.*

4 *In reuocatione procuratoris poſt litem conteſtatam requiritur ſummaria cauſæ cognitio. Declara, vt ibi.*

5 *Procurator poſt litem opponens de ſalario, & expenſis, ante ſatisfactionem non poteſt reuocari.*

6 *Procurator non poteſt retinere pro ſalario inſtrumenta, & proceſſus, poteſt tamen pro expenſis.*

7 *An principalis offerendo ſalarium, & expenſas procuratori, poſſit ab illo ſe, ſuaſque cauſas eximere, & quando.*

DECISIO CCLXXXVIII.

DVbitaui, an Iacobo poſt reuocationem deberetur ſalarium. Et Domini diuiſerunt præſens dubium in duas difficultates. Prima fuit, an adeſſet iuſta cauſa reuocandi, † quia poſt litem conteſtatam procurator reuocari non poteſt, niſi adſit iuſta cauſa, *l. poſt litem, ff. de procur. c. 2. eodem titulo in 6.* 1

Et affirmatiuè reſoluerunt; quia Iacobus mouit litem Capitulo ſuper ſalario, petendo maiorem ſummam, quàm promiſſam, ſuper diſtributionibus quotidianis, nec non intereſſe pro pecuniis captis ad cambium pro dictis ſalario, & diſtributionibus, quæ Rota reſoluit, ei non eſſe debita. Et hæc viſa fuit iuſta, & rationabilis cauſa, † quæ 2
cùm non poſſit ſub certa regula tradi, relinquitur arbitrio iudicis. Afflict. *in c. 1. nu. 24. ex quibus cau. feud. amit.* Bald. *in l. 1. nu. 8. C. de aduoc. diuerſ. iud.* Ial. *in l. properandum, §. ſin autem alterutra, num. 8. C. de iud.* Vnde ſequitur, quòd cùm Iacobus fuerit iuſtè reuocatus † ex culpa ſua, ei 3
non debeatur ſalarium, gloſ. *in l. ſi vno, in §. item cùm quidam, in verbo perſonis, ff. locat.*

Nec

Nec obſtat, quòd ſuper reuocatione requirebatur cognitio iudicis, ſaltem ſummaria, *l. in cauſæ cognitione*, vbi gloſ. *in verb. Prætoris, dicta l. poſt litem*, ibi, *tamen priùs cauſæ cognitio, ff. de procur.* & not. Roman. *ſing.* 371. quia hæc iura interpretantur per tex. *in l. quæ omnia*, §. *ſed etſi aduertatur*, & ibi gloſ. *in verb. mentiri*, *ff. eodem titulo* 5. † quòd tunc requiratur cognitio iudicis, quando procurator dicit, Dominum mentiri, & interim procurator ſuſpenditur ab officio, exceptis tamen quibuſdam caſibus, ibi per gloſ. examinatis, & benè declarat Odofred. *in d. l. poſt litem*, vbi etiam, quomodo procurator debeat ſe opponere, *ſub num. 1. verſ. ſed quid ſi Dominus*, & circa finem. Vnde cùm Iacobus non ſe oppoſuerit, meritò non erat neceſſaria talis cognitio iudicis. 5

Secunda difficultas fuit, quia Iacobus fuit proteſtatus, non admitti reuocationem, niſi ſibi fuerit ſatisfactum de expenſis, & ſalario; quo caſu lis ab eo non erat transferenda, etiam pendente iudicio ſuper expenſis, & ſalario. Et de oppoſitione expenſarum eſt tex. *in d. l. quæ omnia, in* §. *planè, in verſ. item ſi retentione*, & notat ibidem gloſ. *in verb. item*, & Bald. *in dicto verſ. item* quem legit, *in l. mutari*, & Fulgoſ. *in dicto* §. *ſed ſi aduerſarius*, quem ponit in lectura *l. ante litem conteſtatam, nu.* 14. Vbi extendit, quòd etiam pro ſalario procurator poteſt retinere litē.† Huic difficultati Domini reſponderunt, non eſſe verum, quòd procurator poſſit retinere litem pro ſalario, & ſic inſtrumenta, & proceſſus, licèt ſecùs ſit pro expenſis, vt in iuribus allegatis. Ita dicit Fulgoſ. ſibi contrarius, *in l. ſi non ſortem*, §. *centum, num. 6. ff. de cond. & dem.* & ibi etiam Iaſ. *nu.* 10. Boër. *deciſ.* 15. *nu.* 3. Capit. 6

deciſ. 11. *num.* 1. Granut. *ad Veſtr. lib.* 3. *tit.* 4. *nu.* 8. *in fine*. Et in omnem euentum Iacobus, facta proteſtatione, nō proſequutus fuit illud iudicium non reuocationis, ex quo ſibi non fuerat ſatisfactum de ſalario, nec retinuit litem, ſed proſequutū fuit iudicium iam intentatum, vigore monitorij, ſuper ſalario, diſtributionibus, & cambiis, & poſtmodùm introducta cauſa coram me, cœpit prætendere Salarium, etiam poſt reuocationem. Vnde cùm Capitulum habuerit iuſtam cauſam reuocandi, nec Iacobus retinuerit litem, donec ſibi fuerit ſatisfactum de Salario, & expenſis, meritò ei dictum ſalarium poſt reuocationē non eſt debitum. 7

Neque obſtat, quòd Capitulum habeat iuris remedium, offerendo ſe paratum ſoluere, *l. niſi dominus, ff. eodem titulo*, quia dicta l. procedit, ſi Iacobus voluiſſet retinere cauſam; quia tunc Capitulum ad ſe eximendum, & liberandum, potuiſſet offerre, ſed cùm Iacobus non fuit proſequutus iudicium retentionis cauſæ, ſed aliud iudicium intentatum via monitorij, meritò non erat neceſſaria præfata oblatio. † Deducta verò 8 ex deciſione in cauſa Placen. nullitatis reuocationis, 22. Ianuarij 1598. coram R.P.D.meo Litta non fuerūt habita in conſideratione, cùm termini ſint longè diuerſi. Nam reuocatio ibi fuerat merè ad vindictam, abſque legitima cauſa, & procurator, vt dicebant Domini qui tunc temporis erant in Rota, fuerat etiā tranſmiſſus de partibus ad Curiam, quæ omnia ceſſant in præſenti caſu.

FERRA

FERRARIEN. PRÆdij.

Merc. 10. *Maij* 1606.

SVMMARIVM.

2 *Diuersitas nominis denotat diuersitatem rei.*

2 *Spatio longi temporis nomen rei præsumitur mutatum.*

3 *Duo confinia sufficiunt in antiquis ad probandam identitatem, licèt alia non conueniant, dummodo determinatæ rei possint adaptari, nu.* 4.

5 *Probatio æquiuoca non suffragatur, & nu.* 2.

6 *Iura extracta lite pendente, absque compulsorialibus non probant.*

DECISIO CCLXXXIX.

DOmini omisso articulo, an cõstet de dominio Ecclesiæ sancti Bariholomæi, quæ agit contra Ecclesiam S. Michaëlis, dixerunt, nõ probari identitatem bonorum. Et in hac parte recesserunt à resolutis; nam locatio facta per Ecclesiã sancti Bartholomæi Ioanni de Romeo, de anno 1450. est de possessione sita in villa Casalettæ, bona verò, contra quæ agitur, sunt in villa Perli, prout deponunt testes, & apparet ex planta quæ præsupponitur in disputatione præsentis dubij. † Quæ diuersitas nominis denotat etiam diuersitatem rei, *l. si idem, C. de codicil.* & in terminis dicit Natt. *cons.* 672. *num.* 37. † Nec Ecclesia sancti Bartholomæi potest iuuari ex præsumptione, quòd spatio tanti temporis nomen fuerit mutatum; quia hæc probatio non est concludens; & ideo non releuat, *cap. in præsentia, de probat. l. non hoc, C. undæ legit. l. neque natales, C. de probat.*

Neque obstat, quòd conueniant duo confinia, nempè ager trauersagnus, & Brosauli, qui successerunt in locum illorum de Benedeis, † quæ duo confinia in antiquis sufficiunt, licèt alia confinia non conueniant, vt per Bart. *in l. demonstratio, num.* 14. *ff. de cond. & dem.* † quia hæc regula procederet, si aliquid certum fuisset nominatum, cui hæc cõfinia possent adaptari, vt per Bart. *dicto nu.* 14. *& seqq.* † Sed, quod plus est, ex inspectione plantæ liquidò apparet, quòd hæc confinia possunt verificari in aliis prædiis; & ideo non suffragantur. Castren. *in dicta l. demonstratio, num.* 6. & multùm mouit Dominos, quia in concessione facta dicto Io. Romeo, dantur pro confine bona Manualis de Bellais, mediante fouea Iudæorum, quod confine nullo modo potest verificari in bonis de quibus agitur, cùm dicta fouea lõgè distet à bonis prædictis.

Nec etiam obstat, quòd verificatur tertium confine, nempe D. Canosciutus, qui successit in locum illorum de Sandellis, mediante relicto per ipsos facto Ecclesiæ quam ipse possidet, vt apparet ex iuribus de nouo productis, † quia hæc iura non probant, cùm sint extracta lite pendente, absque compulsorialibus. Put. *decis.* 152. *lib.* 3. Et si probarent, non releuarent, quia non sequitur, quòd bona Ecclesiæ possessæ per Canosciutum, confinantia cũ prædio de quo agitur, sint illamet donata per Sandellum, maximè cùm adsit aliud confine, nempe bona olim Ducis Ferrariæ, mediante fouea Iudæorum, quod nullo modo potest verificari in bonis de quibus agitur, per supradicta.

VITER

VITERBIEN. BONORUM.

Ven. 12. Maij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Acquirens de pecunia communi, ſibi acquirit.*

2 *Acquiſitio facta nomine proprio præſumitur facta de propriis pecuniis.*

DECISIO CCXC.

POſt reſolutiones factas coram Illuſtriſſimo Pamphilio, quòd per obitum Dominici fuiſſet factus locus fideicommiſſo ad fauorem Laurentij, in bonis relictis per Roſatum, cœptum fuit dubitari, quæ bona eſſent ſuppoſita dicto fideicõmiſſo. Quantum igitur attinet ad tria prædia in territorio Viterbij, in vocabulo, *li. Vota rei*, & aliud prædiũ in eodẽ territorio in vocabulo *alla Voſa*, Domini cenſuerunt, non conſtare eſſe ſuppoſita dicto fideicõmiſſo; quia licèt ex libris aromatariæ appareat, fuiſſe data pro extinctione debiti, & ſic acquiſita ex pecuniis communibus, cùm iam ſit reſolutum coram eodem Illuſtriſſimo Pamphilio, aromatariam fuiſſe cõmunem; tamen cùm in inſtrumentis appareat dominium ſibi, & hæredibus ſuis acquiſiuiſſe, nec conſtet,

1 fuiſſe tutorem Roſati, † clarum eſt, quòd etiam de pecunia communi ſibi, & non Roſato acquiſiuerat, cui remanebat ſolùm ius ad pecuniam, *l. 1.* vbi Bald. *num. 1. & l. multum intereſt, C. ſi quis alteri, vel ſibi* Bart. *in l. ſi patruus, nu. 4. C. communia vtriuſq; iudic.* Dec. *in l. ſi pecuniam, num. 1. ff. ſi cert. pet.*

Quantum attinet ad aliud prædium in vocabulo, *la vera, le grotte del zonco*, & domum in ciuitate Viterbij in loco *detto la fontana di ſanto Agoſtino*, & vineam cum cryptis, in vocabulo *alla Caua di ſanto Antonio*, conſtat, eſſe bona ſuppoſita fideicõmiſſo, ſcilicèt pro medietate; quia prædiũ ex partitis aromatariæ, apparet fuiſſe datum inſolutum pro credito ipſius aromatariæ, quæ erat communis. Et quoàd domum & vineam, teſtes clarè deponunt, fuiſſe dictorum Roſati, & Dominici, ita vt non ſit ambigendi locus.

Nec facit, quòd detur acquiſitio vineæ facta per Dominicũ, nomine proprio, in dicto vocabulo *alla caua di S. Antonio*, † quæ præſumitur ac- 2
quiſita ex propriis pecuniis Dominici, cùm non conſtet adeſſe ſocietatem omnium bonorũ, vt per Bart. *in dicta l. ſi patruus, num. 4.* Quia fuit reſponſum, quòd inſtrumentum quod datur, non eſt inſtrumentum acquiſitionis vineæ, vt apparet ex lectura, ſed cuiuſdam liuelli Carolonorum 12. hoc eſt, Bolon. 90. pretio, ſcutorum 30. ſuper certa vinea in eodem loco. Quod euidentiùs confirmatur ex diuiſione facta inter Iſabellam, & Laurentium: nam in portione Iſabellæ obuenit dicta vinea, in portione verò Laurentij dictus Liuellus Carolonorum duodecim.

CALAGVRITANA SEPULTURÆ.

Merc. 17. Maij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Sepulchrum non poteſt haberi in Eccleſia, ſeu cœmiterio niſi quoad vſum tantùm.*

2 *Non poteſt quis mortuos inferre in locum inuito illo ius tale ius inferendi competit.*

3 *Extincta familia, cui ius inferendi fuit conceſſum, ius omne reuertitur ad Eccleſiam, ſicut vſus, & vſusfructus ad dominum qui illum conceſſit.*

4 *Ex iure prohibendi, ne quis inferat corpus in talem locum, infertur ad ius immittendi.*

5 *Deciſio 747. p. 1. diuerſ. declaratur.*

6 *Doctor & intelligendus ſecundùm leges quas allegat.*

Decisio CCXCI.

CIrcumſcripto iure apponendi ſtratum cum luminaribus, & oblationibus ſuper ſepulcro, & aliis; difficultas fuit reſtricta, an eſſet dãdum mandatum de manutenendo Ioanni Lopez quoàd ius ſepeliendi in loco vbi maiores ſui fuerant tu-
1 mulati. † Circa quem articulũ DD. *in cap. abolenda, de ſepult.* Hoſt. *nu.* 18. *in fine.* Butr. *num.* 3. Abb. *num.* 5. & latè Petr. de Vbaldis, *in tract. de canonica parochiali, cap.* 10. *num.* 4. & 5. dicunt, quòd Chriſti fideles non poſſunt habere ſepulcrum in Eccleſia, vel cœmeterio propriè, ſed quoàd
2 vſum tantùm, † ita quòd inuito tali vſuario, alius non poterit inferri in
3 illo loco. † Hinc Petrus de Vbaldis *loco prædicto num.* 6. dixit, quòd ſi progenies illorum quibus fuit facta cõceſſio ſit extincta, extinguitur quoque vſus, & redit liberè ad Eccleſiam, ſicuti dicitur de vſu, & vſufructu, extincto illo cui fuit facta conceſſio, vt *in l. pen. C. de vſufr.* Et propterea Rota in cauſa Burgen. ſanctæ Dorotheæ 13. Feb. 1579. coram fœl. rec. Clem. 8. tunc Rotæ
4 Auditore dixit, † quòd ex iure prohibendi infertur ad ius immittendi; quia ita faciendo ſucceſſores, & deſcendentes vtuntur re ad vſum deſtinatum. Et ideo cùm materia pendeat ab iſto iure prohibendi, de eo reſeruarunt Domini particulariter videre, quia in dicta Burgen. ſanctæ Dorotheæ, ex deciſionibus factis 17. Aprilis, & 15. Iunij de anno 1573. & 10. Martij 1574. coram Cotta, & 9. Aprilis 1576. coram bo. me. Cardinale Lancellotto, conſtabat de conceſſione iam facta, & legitimè ex qua reſultabat ius prohibendi.

Nec obſtat deciſio in cauſa Pam- 5
pilonen. ſepulturæ, 4. Maij 1584. quę videtur indiſtinctè dicere, quòd ex illatione cadaueris acquiratur poſſeſſio, & ius prohibendi, quia illa deciſio eſt intelligenda ſecundùm terminos prædictos, cùm alleget Hoſt. & alios *in cap. abolenda*, & deciſionem in cauſa Burgen. coram fœl. rec. Clem. 8. † Vulgatum eſt 6
enim, quòd Doctor eſt intelligendus ſecundùm leges quas allegat. Bart. *in l. non ſolum, §. liberationis, nu. 7. ff. de liberat. legat.*

CELSONEN. CANONICATUS.

Lunæ 22. *Maij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Regula de annali requirit poſſeſſionẽ pacificam.*

2 *Paria ſunt impetrare commiſſionem cauſæ, vel illam ratam habere.*

Decisio CCXCII.

COſmas habet duas gratias, alteram de anno 1599. de menſe Aprilis ſubrogationis gratioſæ in
1 iuribus ipſius Petri. † Vnde Antonius qui contra Coſmam opponit de regula de Annali, debet probare, quòd de tempore dd. impetrationũ, eſſet pacificus poſſeſſor, prout requiritur, Sarn. *in reg. de annal. quæſt.* 50. *in princ.* Mandoſ. *quæſt.* 54. *nu.* 1. Veral. *dec.* 21. *par.* 3. & comprehenditur ex

text.

text.ipſius regulæ ibi,*per annum immediatè præcedẽtem.* Quam pacificam poſſeſſionem non probat Antonius; nam etſi ceperit primo loco poſſeſſionem 12. Nouembris 1598. vigore prouiſionis Apoſtolicæ ſibi factæ 25.Nouembris 1596. & ſecundo loco 22.Septembris 1599.neutra poſſeſſio ei ſuffragatur,ſiue inſpiciamus primam, ſiue ſecundã gratiam Coſmæ.Nam quoàd primam gratiã, non ſuffragatur Antonio eius prima poſſeſſio,quia tunc erat in poſſeſſione Petrus Torrella,vt cõſtat in ſummario *nu.* 1. vigore prouiſionis ſibi factæ, nam cùm S. Mem. Clemens 8. ſuppreſſiſſet ſtatum regularem, mandauit Archiepiſcopo Taraconen.vt etiam beneficia conferret regularibus ſpectatæ vitæ, prout Canonicatus fuit collatus eidem Petro, vt in eodem ſummario *num.* 1. & poſtmodùm de anno 1599. 21. Octobris idem ſanctiſſimus Pontifex declaranit,ſemper ſuæ intentionis fuiſſe,vt dicti regulares cenſeãtur deputati in Eccleſia Celſonen. in adminiſtrationes in ſpiritualibus, & tẽporalibus, tam reddituum,fructuũ,& emolumentorũ,quàm iuriũ, & præeminentiarũ.Quæ declaratio, licèt fuerit poſt obitum Petri, nihilominùs retrotrahitur, quia nihil de nouo facit,ſed quod eſt,detegit, & propterea declarat,quale ius Petrus habuerit, ex allegatis per Bald. *in l.leges,& conſtitutiones,num.5. C.de leg.*Secunda verò poſſeſſio reſpectu primæ, & ſecundæ gratiæ ideo non
2 ſuffragatur, † quia idem Antonius commiſit cauſam iactationis 20.Iulij 1600. vel ipſe poſtmodùm ratam habuit dictã cõmiſſionem,quod idẽ eſt.Veral.*dec.165.par.2.* Et ſic, à die ſecundæ poſſeſſionis,vſque ad diem gratiæ Coſmæ, non interuenit annus. Et hic commiſſio operatur, quòd nec regula de annali obſtet, reſpectu ſecundæ gtatiæ de anno 1603. cùm iam vigore dictæ litis Antonius non eſſet pacificus poſſeſſor.

PADVANA CAPELlaniæ.

Merc. 31. *Maij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* arbitrio Rotæ *intelligitur prout de iure,licèt aliquid remittat de rigore iuris,num.3.*

2 *Attentata purganda ſunt ante omnia.*

4 *Poſſeſſio attentata ſequeſtrari debet, etiamſi conſtaret de paupertate poſſidentis, & data fuiſſet cautio.*

Decisio CCXCIII.

POſt reſolutionem factam, quòd conſtabat de attentatis; Franciſcus obtinuit reſcribi,vt procederetur in cauſa, illis reiectis arbitrio Rotæ,& data cautione de reſtituendis fructibus in fine litis. Vnde dubitaui,an intraret arbitrium.Et Rota cenſuit,negatiuè reſpondendum,
† quia hæc clauſula intelligitur 1
prout de iure, † & de iure eſt,quòd attentata in primis, & ante omnia 2
purgentur. Rot. *dec.4. vt lit. pend. in nou.*Caputaq.*dec.154.parte* 1.

Neque facit, quòd iſta clauſula 3
remittit multum de rigore iuris, quia in hoc caſu non eſt locus huic remiſſioni, quia attentata concernunt præiudicium partis,& periculum animæ, & reuocatio concernit publicam vtilitatem. Rota *deciſ. 5. circa finem, vt lit. pend.in ant.*

Minùs etiam facit, quòd docto 4
de paupertate attentantis, & data cautione, de facili videtur intrare arbitrium, quia vltra quòd de pau-

pertate non conſtat, quicquid dicendum eſſet reſpectu fructuum, & expenſarum, hæc non militant reſpectu poſſeſſionis ſequeſtrandæ, ad tradita per Veſtr. *in praxi lib.4. c.4. num.10.* quia quilibet, quantumuis pauper, poteſt dimittere poſſeſſionem.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI de Gratiolis.

Merc. 31. Maij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Statutum de duabus conformibus, intelligitur de iuſtis & validis.*

2 *Fideicommiſſum ſub conditione ſi ſine filiis decederetur, expirat ſi fideicõmiſſarius ſuperſtite filio moriatur. Vide coniecturas propter quas ab hac opinione receditur, nu. 6. & 12.*

3 *Conditione deficiente in primo gradu ſubſtitutionis, non eſt locus aliis ſubſtitutionibus.*

4 *Subſtituens maſculos, videtur maſculos excluſis fœminis vocaſſe.*

5 *Appellatione Deſcendentiũ ex proprietate ſermonis, veniunt fœminæ, & num.8. Etiam quòd primo loco vocati ſint filij maſculi, ſi maſculi non ſuperſint, num.6.*

7 *Prohibitio alienationis ſtans conſequutiuè ad præcedentem diſpoſitionem, non inducit nouum fideicommiſſum.*

9 *Appellatione liberorum, de ſui natura veniunt fœminæ.*

10 *Clauſula vt bona conſeruentur in familia, & agnatione ipſius teſtatoris, intelligitur de familia effectiuè.*

11 *Generalitas verborum reſtringitur, & declaratur ex aliis verbis.*

12 *Fideicommittens digrediens ad plures gradus ſubſtitutionum, an, & quando cenſeatur recedere ab opinione, de qua Oldrad.* conſ.21.

DECISIO CCXCIV.

FVit reſolutum, non eſſe locum 1
ſtatuto de duabus conformibus, quia eſt intelligendum de iuſtis, & validis, *ad tex. in l.4. §. condemnatum, ff. de re iudic.* Vital. *in Clem.1. num. 109. eodem titulo.* In præſenti verò caſu ſententiæ viſæ fuerunt iniuſtæ, quia Hercules, & Gratiolus nepotes teſtatoris ex Dominico fratre fuerunt ſubſtituti in euentum, in quem Hieronymus, & alij filij naſcituri hæredes decederẽt ſine filiis maſculis. Vnde cùm Hieronymus reliquerit Peregrinum filiũ maſculum, † expirauit fideicommiſſum, 2
iuxta conſ. Oldrad. 21. Et propterea Aſcanius nepos ex filio Gratioli nihil poterat prætendere; quia licèt dictis Gratiolo, & Herculi ſint ſubſtituti filij maſculi, & eorum deſcendentes, tamen omnes cenſentur ſubſtituti ſub dicta conditione, quatenus heredes decederent ſine filiis maſculis. † Et propterea, 3
cùm conditio defecerit quoàd primos, & eis non ſit aperta via, non eſt locus aliis ſubſtitutionibus, *l. ſi mater, §. ſi filius, & l. qui habebat, ff. de vulg. & pupill.* Alex. *conſ.129. num.4. vol.6.* Et hæc eò ampliùs procedũt, quia teſtator poſt filios heredes ſubſtituit eorum filiorum filios, & deinde deſcendentes. † Vnde licèt 4
primo loco intellexerit de filiis filiorum maſculis, ex quo filiis heredibus, in euentum quòd morerentur ſine filiis maſculis ſubſtituit dictos Herculem, & Gratiolum, ex allegatis per Surd. *conſ.21. nu.8.* tamen poſteà filiis filiorum ſubſtituit deſ- 5
cendentes, quorum appellatione, ex proprietate ſermonis, veniunt tam mares, quàm fœminæ. Alex.

conſ.

*conſ.*160. *num.*2. *verſ. ſed his non obſtantibus,lib.*2. Dec.*conſ.*413.*num.*11.
5 Pariſ.*conſ.*72. *nu.*6.*lib.*4. † Et abſque dubitationis ſcrupulo,appellatione deſcendentium, etiam quòd primo loco ſint vocati filij maſculi,veniũt fœminæ,deficientibus maſculis, vt ferè in terminis dicit Bero. *conſ.*83. *num.*4.*& ſeqq.& conſ.*87.*num.*7.*vol.*2. Soc.ſen.*conſ.*51.*nu.*4.*&* 5.*lib.*4.Curt. ſen.*conſ.*64.*nu* 11.*in fine, & num.*12. Corn. *conſ.*203. *per totum lib.*4. latè Sym.de Præt.*de interp. vlt. vol.lib.*3. *dub.*4.*fol.*1.*num.*63.*fol.mihi* 382. Vnde manifeſtiſſimè apparet,quòd,excepto caſu quo filij decederent ſine filiis maſculis, voluit teſtator vocare tranſuerſales, & propterea cùm ex Peregrino filio Hieronymi adſint fœminæ,meritò ſucceſſio vigore fideicommiſſi ad ipſos ſpectat, vt cum dictum eſt, ſaltem non extantibus maſculis, comprehẽdatur ſub nomine deſcendentium.

Et quamuis ex prædicta vocatione fœminarum ceſſent coniecturæ quæ adduci poſſent,vt recedatur
6 ab opinione Oldradi, † tamen nec aliquo modo prædictæ coniecturæ officiunt. Nam illa quæ deducitur ex prohibitione alienationis,vt bona conſeruentur in familia,& agnatione, ex allegatis per Mazzar *conſ.*
7 6.*num.*11. † ceſſat, quia prohibitio alienationis ſtat conſequutiuè ad præcedentem diſpoſitionem,& non inducit nouum fideicõmiſſum, iux. conſ. Dec.376. pluriès canonizatũ. Cuius dictum maximè procedit, ex quo teſtator vſus fuit participio *prohibens, & omnino vetans*, & ſic addendo diſpoſitioni antecedenti. Gabr. *conſ.*138.*nu.*25.*poſt med. lib.*2. Quod etiam magis ſuadetur ex verbis immediatè ſequentibus, *& ad*
8 *eius liberos,& deſcendentes peruenire.* † Quæ verba,vt dictum eſt,ſaltem in defectu maſculorum,ex proprietate comprehendunt fœminas,& maximè verbum *liberorum*,† quod etiam 9
de ſui natura,& ſine vlla difficultate comprehendit fœminas, *l. cognoſcere,*§.*liberorum, & l.non eſt ſine liberis,ff.de verb.ſignif.l.*1.*C.de cond.inſert.* Illuſtriſſimus Mantic.*de coniect. vlt. vol.lib.*11.*tit.*14.*num.*11. Surd. *deciſ.* 66.*num.*3. Et propterea hæc prohibitio alienationis non ſolùm non aduerſatur inſtitutionibus & ſubſtitutionibus, quinimò ipſas magis declarat,ſcilicèt, quòd excepto primo caſu,quo filij heredes morerentur ſine filiis maſculis, tranſuerſales non cenſeantur vocati,ſed filiæ fœminæ deſcendentes à teſtatore. Et ſi daretur alius intellectus,non poſſet verificari diſpoſitio teſtatoris, quòd bona proueniant ad liberos, & deſcendentes.

Vltra quòd animaduertebãt qui- 10
dam ex Dominis,quòd teſtator non dixit ſimpliciter, vt bona conſeruentur in familia, & agnatione,ſed addita ſunt verba, *eiuſdem teſtatoris*, & ſic propter pronomen illud poſſeſſiuum, dicendum eſt, teſtatorem intellexiſſe de familia effectiuè,non contentiuè.Menoch.*conſ.*233.*nu.*14. *& ſeqq.* Quod magis ſuadetur ex verbis ſequentibus, *vt poſſint ad liberos,& deſcendentes peruenire.* Quæ vocatio liberorum, & deſcendentium,vt dictum eſt,non poſſet verificari, niſi teſtator intellexiſſet de familia effectiuè. Nec videbatur repugnare generalitas verborum, in quibuſuis,vt ſuprà inſtitutis,& ſubſtitutis, † quia hæc generalitas de- 11
bet reſtringi, ſtantibus aliis verbis, ex quibus colligitur mens teſtatoris.Alex.*d.conſ.*139.*nu.*5.*lib.*6. Maximè cùm illa verba generalia declarentur ex præcedentibus,& ſequentibus, *ad tex.in l.ſi ſeruus plurium,*§.

fin. de leg. 1. l. heredes palam, §. ſed etſi notam, ff. de teſtam. Corn. in puncto, *conſ. 203. ante num. 2. & nu. 3. poſt med. verſ. nec obſtat, vol. 4.*

12 Neque etiam obſtat, quòd teſtator digreſſus fuit ad plures gradus ſubſtitutionum, & ideo videtur ceſſare conſilium Oldradi, ex alleg. per Menoch. *conſ. 448. num. 13. vol. 4.* quia, vt ipſemet idem declarat, *num. ſeqq.* ſi iſte digreſſus eſt factus tantummodò actiuè, hoc eſt, ex parte ſubſtitutorum, prout in caſu iſto, quia in euentum quòd fieret locus ſubſtitutioni Gratioli, & Herculis, eidem ſubſtituit filios maſculos, & deſcendentes vſque in infinitum, iſte digreſſus non operatur, quòd recedatur à conſilio Oldradi, quia intelligitur factus in caſu præmiſſo, ſcilicèt quatenus filij teſtatoris morerentur ſine filiis maſculis, vt cenſuit etiam Alex. *d. conſ. 139. num. 3. & 4. li. 6.* & dixit Rota in cauſa Tudertina fideicommiſſi 13. *Aprilis* 1587. *coram bo. me. Giptio*, licèt ſecùs eſſet, ſi digreſſus factus fuiſſet actiuè, & paſſiuè, ſcilicèt ſi ſubſtitutiones eſſent factæ Hieronymo ſi ſine filiis, & filiis Hieronymi, ſi ſine filiis, & deinceps, vt idemmet Menoch. benè declarat.

VALENTINA PAROchialis de Palma.

Ven. 2. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Titulus datus à Pontifice ſchiſmatico, eſt inualidus.*

2 *Poſſeſſio quadragenaria cum titulo, & bona fide ſufficit ad præſcribendũ contra ius, etiamſi titulus ſit inualidus, & putatiuus, num. 3. & 11. Bona vero fides præſumitur, ſi allegetur, num. 3.*

4 *Titulus putatiuus ſufficiens ad præſcribendum, debet eſſe iuſto errore cauſatus, nu. 7. & 11.*

5 *Titulus coloratus ad effectum reſtitutionis in ſpolio, dicitur adeſſe, quando fuit datus ab habente poteſtatem, & nu. 10.*

6 *Error iuris non prodeſt ad præſcriptionem.*

8 *Mixtura iuris & facti, cauſat iuſtũ errorem.*

9 *Error iuris valde dubij æquiparatur errori facti, qui cauſat iuſtum titulum.*

DECISIO CCXCV.

DIfficultas reſtricta fuit, an vnio eſſet legitimè præſcripta, † 1 quia de inualiditate tituli non poterat dubitari, cùm fuiſſet datus à Clemente de anno 1390. in loco ſuæ obedientiæ ſubiecto, qui fuit ſchiſmaticus, quia bona fuerat electio Papæ Vrbani, vt per Bald. *in quæſt. de ſchiſmate ante rubricam, C. ſi quis aliq. teſt. prohib.* Card. *in cap. licet, de elect.* Aldobrand. *in c. 1. nu. 50. & ſeqq.* Et Rota cenſuit; affirmatiuè reſpondendum; † quia adeſt poſſeſ- 2 ſio quadragenaria cum titulo, & bona fide, quæ, ceſſante immemorabili, ſufficit ad præſcribendum in iis quæ ſunt contra ius, *c. 1. iuncta gloſ. in verb. legitimè, de præſcript. in 6.* & in terminis vnionis Philip. de Peruſ. *in conſ. quod eſt inter conſ. Fel. 2. num. 1. 2. & 3.* Rebuff. *in prax. tit. de vnion. num. 35. & in fine.* Et fuit latè deductum coram me in cauſa Feltren. præbendæ 6. Iunij anni præteriti. † Qui titulus, licèt inualidus, 3 & putatiuus, ſufficit, *l. Celſus*, vbi gloſ. & DD. *ff. de vſucap.* gloſ. *in cap. de quarta, de præſcript.* Rebuff. *in loco allegato.* Bona fides verò, ſufficit quòd allegetur, quia præſumitur. Bart. *in d. l. Celſus, nu. 17.*

Neque

Neque facit, quòd ad effectum, quòd titulus inualidus ſuffragetur, requiritur, quòd ſit iuſto errore cauſatus, & aliàs ceſſat bona fides. Balb. *in repet. d. l. Celſus, num. 1. ff. de vſucap.*

5 Verall. *deciſ. 361. par. 2.* † Et hinc videmus, quòd ad effectum reſtitutionis in ſpolio, in qua requiritur titulus coloratus, tunc demum dicitur adeſſe, quando fuit obtentus ab eo qui habet poteſtatem conferendi, Rot. *deciſ. 5. de reſt. ſpol. in ant.*

6 Veral. *deciſ. 307. par. 3.* † Et propterea cùm iſte ſit error iuris, non dicitur iuſtus, nec prodeſt ad præſcriben. *l. nunquam in vſucap. in princ. ff. de vſucap.* Rot. *deciſ. 3. verſ. ſecus ſi in iure, de præſcript. in nou.* Doctor. *in d. cap. de quarta, de præſcript.*

Nam fuit reſponſum, quòd licèt non ſit dubitandum, Clementem

7 fuiſſe ſchiſmaticum, † nihilominùs eſt aduertèdum, ad effectum de quo agitur, titulum ſatis iuſto errore fuiſſe cauſatum, quia valdè fuit dubitatum an electio Vrbani 6. legitimi Papæ eſſet canonica. Abb. *in d. cap. licèt, num. 11. in fine, de elect. & in rub. de ſchiſmaticis, in fine* Card. *in d. c. licèt, ſub nu. 12. verſ. de modo autem.* Sanctus Antoninus, *in ſua ſumma*

8 *tom. 2. c. 11. §. 6. verſ. in 3. caſu.* † Et ideo non fuit iſte merè error iuris, cùm haberet mixturam facti, nempe circa modum electionis Vrbani. Quæ mixtura cauſat iuſtum errorem ad præſcriptionem, *l. ſi vir*, vbi gloſ. *in verb. procedere*, Bart. *num. 8. & ſeqq.* & alij Doct. *ff. pro donato.* Pyn. *in regula, poſſeſſor, col. 13. num. 4. de reg. iur. in 6.* Cyn. *in l. venditioni, num. 4. C. pro emptore*, vbi etiam Bald. *num. 4.* Bellarm. *in cap. vigilanti, num. 47. de præſcript.* Felin. *in d. cap. de quarta, num. 36. in 5. limit. eodem tit.* Bald. *in repet. d. l. Celſus nu. 26.* Et ſenſit Rota *d. deciſ. 3. de procur. in nou.* & Ægid. *dec. 704. num. 1.* vbi, quòd titulus errore facti fulcitus dat iuſtam cauſam præſcribendi. Vltra quòd, cùm multi Doctor. hinc inde ſcripſiſſent, † error 9 erat iuris valdè dubij, qui æquiparatur errori facti, & præbet iuſtum titulum ad præſcribendum. DD. *in locis præcitatis*, & præſertim Felin. *in d. cap. de quarta, num. 27.* Capic. *dec. 10. num. 20.* Couar. *in d. c. poſſeſſor. par. 2. §. 7. num. 9. verſ. 3. concluſio. de reg. iur. in 6.* Put. *dec. 118. nu. 19. lib. 2.*

Nec applicatur, quòd petens beneficij reſtitutionem in ſpolio, debeat oſtendere habuiſſe titulum ab eo qui habet poteſtatem conferendi; quia hoc procedit, ne detur vitioſus ingreſſus; † ad effectum verò 11 vnionis, vt dictum eſt, ſufficit titulus inualidus, & putatiuus, modò, ſi validus eſſet, tribueret ius, gloſ. fin. *in cap. ſi diligenti, de præſcr.* Et quòd ſufficiat etiam titulus habitus ab eo qui non habet poteſtatem vniendi, modò iuſto errore ſit cauſatus, dicit in ſpecie Philip. de Peruſ. *loco præcitato num. 14.* Et facit quod tradit Abb. *in d. c. ſi diligenti, num. 33. circa finem, de præſcript.* vbi, quòd ſufficit titulus habitus ab eo qui putabatur dominus, & Felin. *in dicto c. de quarta, nu. 24. verſ. vnde dicit.* Bart. *eodem titulo, de præſcript.* vbi de eo qui emit à falſo procuratore, & quod generaliter notat idem Abb. *in cap. cùm veniſſent, num. 8. per illum tex. de teſtib.* vbi dicit, quòd non oportet conſtare de qualitate tituli, quem ſequitur Capic. *deciſ. 189. num. 10.* quia titulus non eſt diſcutiendus, cùm non requiratur, quòd fuerit validus, gloſ. *in d. c. 1. in verb. cauſam, de præſcript. in 6.*

Neque officit, quòd error ceſſauit poſt Concilium Conſtantienſe de anno 1414. quo mediante, Principes ſe retraxerunt ab obedientia

Bene

Benedicti Antipapæ, priùs anticardinalis Clementis, qui in dicto Cõcilio fuit depositus; quia neque hoc Concilium ad effectum de quo agitur potuit tollere errorem, & causare malam fidem, quia de gestis à Clemente nihil fuit actum, imò fuerunt admissa gesta à Benedicto vsq; ad primã requisitionem, vt *in sess.* 20. *coll.* 12. *fol. mihi* 347. *tom.* 4. Vnde cùm ille fuerit successor Clementis in schismate, potuit aliquomodo credi, quòd gesta per Clementem tenerent, & quod plus est, *in sess.* 43. *in Capitulo de vnionibus, dicitur*, quòd ad petitionem illorum, quorum interest, reuocabuntur, iustitia mediãte, vniones ab obitu Greg. 11. nisi rationabilibus de causis fuerint factæ. Vnde cùm etiam post dictum Concilium Monachi remãserint in possessione, & à nemine fuerint molestati, verisimiliter potuerunt credere, vnionem factam per Clem. sustineri, stantibus rationibus prædictis.

Non obstat decisio in causa Tullen. Prioratus 21. Martij 1583 coram Illustrissimo Seraphino; quia tunc dictum fuit, concessionem exemptionis factam per d. Clementem non suffragari, quia in dicto Concilio Constantien. *dicta sess.* 43. *tit. de exempt.* fuerunt reuocatæ omnes exemptiones concessæ post obitum Gregorij 11. nec ibi agebatur ad effectum præscriptionis, sed vt titulus exemptionis pro se suffragaretur.

CELSONEN. PRÆceptoriæ.

Ven. 2. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Præceptoria regularis censetur manualis, nisi probetur, esse curatam, vel electiuam, & num.* 2. *maximè si illam confert Prælatus, nu.* 6.

2 *Præceptoria regularis non cadit sub reseruatione regulæ tertiæ, & numer.* 3.

3 *Collatio beneficij de sui natura est perpetua.*

4 *Tres sufficiunt ad constituendum Collegium.*

5 *Electio Prælati de iure spectat ad Cõuentum.*

6 *Quasi possessio conferendi attenditur in beneficialibus.*

7 *Dignitates conuentuales, quorum electio spectat ad Conuentum, censentur perpetuæ.*

8 *In beneficiis etiam manualibus datur vacatio per obitum.*

DECISIO CCXCVI.

EX deductis in decisione vltimo loco facta, apparet, Ferdinandũ teneri probare reseruationem huius Præceptoriæ vigore regulæ 3. quia est fundamentum intentionis suæ, Honufrio autem reo, & possessori sufficit vincere per non ius ipsius Ferdinandi. Et propterea bis auditis partibus, Rota censuit, Ferdinãdum non probare reseruationem, † quia 1
cùm agatur de Præceptoria regulari, cùm non probetur, esse curatam, aut electiuam, non censetur perpetua, sed manualis. Ægid. *decis.* 203. Cassad. *decis.* 4 *nu.* 3. & Dec. 12. *nu.* 9. *de præb.* Silu. *de benef. par.* 3. *quæst.* 21. *num.* 2. Paris. *cons.* 44. *num.* 3. *lib.* 4. Mandos. *super reg.* 3. *quæst.* 10. *num.* 13. Et in terminis Præceptoriarum S. Antonij, dicit Abb. *in cap. cùm deputati, num.* 7. *de iudic. vers. quid autem si domus inferior.* † Et propterea cùm 2
hæc Præceptoria censeatur manualis, & pro tali etiam fuerit aliàs habita per Rotam, vt in causa Barchinonen. Præceptoriarum, 10.

Ianuarij

Ianuarij 1578. coràm Cardinali Lancellotto non cadit ſub reuocatione. Calder. *conſ.26.de præbend.* Felin. *in c.per tuas,num.4. circa finem, verſ. & adde Calderinum de maior. & obed.* Æneas de Falc. *de reſeruat. in 3. quæſtione principali,num.25.* Achil. *dec.9. de præbend.* Mandoſ. *præcitato loco,*
3 *qu.11.num.3. & qu.12.per totam.*† Et ratio eſt, quia collatio beneficiorũ debet intelligi de ſui natura perpetua, & ideo ſequitur, quòd Papa in reuocationibus beneficiorum intelligit de perpetuis, & ſic de collatiuis, & non manualibus, & aliàs ſequeretur abſurdum, quòd ſuperior regularis poſſet amouere prouiſum à Papa.

4 Neque obſtat, quòd cùm ſit probatum, tres fratres degere cum Præceptore, eſt probatum Collegium, gloſ. *in cap.nobis in verb. conuentualis, de iurepatr.* Et per conſequens, quòd
5 Præceptoria ſit electiua, † quia de iure communi electio Prælati ſpectat ad Conuentum, *cap. Abbatem, 2.cap.Abbas, 2.18. quæſt.2. cap.1. & cap.cùm terra,de elect.cir. c.fin.16.q.7.* Abb. *in cap.officij, nu.1.de elect.* Veral. *dec.296.par.1.* quia fuit reſponſum, quòd prædicta concluſio non offi-
6 cit in hoc caſu. † Nam, cùm Abbas, ſeu Præceptor generalis ſit in quaſi poſſeſſione conferendi huiuſmodi Præceptoriam, ſufficit ad effectum, quòd non dicatur electiua, itaut nó comprehendatur ſub regula, vt per Calder. *conſ.23.de præb.* Simonet. *de reſeru.qu.70.* Rot. *dec.49. de reſcript.in ant.* Mohed. *dec.8.de priuil.* Put. *dec.3.* Et fuit dictum in cauſa Vicen. beneficij ſancti Martini 19. Nouembris 1599. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio, & in cauſa Tarraconen. Sacriſtiæ, 9. Iunij 1600. coram R.P.D. meo Iuſto.

7 Nec etiam facit, quòd Ægid. & Pariſ. *locis præcitatis*, videantur annuere, ſufficere ad effectum, quòd Dignitates cenſeantur perpetuæ, quòd ſint conuentuales, quia hoc eſt verum, dummodò electio fiat per Conuentum, quia ipſa electio facta per Conuentum efficit, quòd Dignitates cenſeantur perpetuæ, vt per Caſſad. *dicta dec.4.nu.3.*

Denique non officit, quòd in prouiſionibus Præceptoriarũ, dicatur, quòd Præceptoriæ vacant per obitum, ſiue remotionem religioſi deputati, quia non inde ſequitur, quòd ſint perpetuæ, & non manuales, † 8
quia & in beneficiis manualibus datur vacatio per obitum, & remotionem, vt dicit gloſ. *in Clem.vnic.§.præmiſſa,in verb. reuocari prope med.verſ. & ſcias,de ſupplen. neglig. Prælat.* & ibi Cardinal. *num.8.* Vital. *num.9.*

INTERAMNEN. PECVniaria.

Lunæ 12. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio extraiudicialis probat contra confitentem, ſi de ea conſtat per duos teſtes.*

2 *Præſumptiones & coniecturæ vrgentes faciunt plenam probationem.*

Decisio CCXCVII.

FVit reſolutum, M. Antonium Cecconum fuiſſe obligatũ aliundè, quàm ex concordia anni 1591. extinguere cenſum ſcutorum 400. impoſitum per Syluium Marcutiũ, ad fauorem Vincentij Vecchiarellæ, quia hoc probatur ex confeſſione extraiudiciali eiuſdem Cecconi facta parte præſente, de quo deponunt duo teſtes conteſtes, † & ideo 1
bene probat. Doct. *in cap. final. de*

ſucceſſ. *ab inteſt.* Gabr. *conſ.* 71. *num.* 17. *vol.* 1. Pariſ. *conſ.* 10. *nu.* 45. *vol.* 2. Aym. *conſ.* 267. *num.* 1. Gabr. *de confeſſ. concl.* 2. *nu.* 3.

Nec facit, quòd ſecũdus ex dictis teſtibus videatur depoſuiſſe abſque iuramento, quia articulus non caret difficultate, ſed, vtcumque ſit, ex ſerie facti apparet, negotium ita ſe habere, quia vigore concordiæ M. Antonius promiſit extinguere cenſum ſcutorum 600. Hic verò cenſus eſt ſolùm ſcutorum 400. de quo etiam cenſu ſcutorum 400. habetur mentio in quietantia inter Io. Baptiſtam filium Syluij, & Iulium Fratrem M. Antonij de anno 1597. in quo dictæ partes ſeſe quietauerunt ſuper dicto cenſu. Item hoc etiam apparet ex literis eiuſdemmet Vecchiarellæ *miſſis* Io. Baptiſtæ, & etiam non leue afferunt adminiculum 3. & 4. teſtis, qui multa deponunt
2 circa huiuſmodi negocium. † Quæ præſumptiones, & coniecturæ, cùm ſint vrgentes, dubitari non poteſt, quin faciant plenam probationem. Aym. *conſ.* 73. *nu.* 19. *& conſ.* 178. *nu.* 1. & fuit dictum in cauſa Oſcen. Archidiaconat. 10. Iunij 1602. coram R. P. D. meo Lancellotto. Et in omnem euentum iunctæ cum dicto primi teſtis, probant concludenter, cùm eliciantur ex facto. Io. And. *in d. cap. fin, num.* 4. *in verb. vehementer de ſucceſſ. ab inteſt.* Cæſ. de Grat. *dec.* 3. *num.* 6. *de præb.* & facit Bald. *conſ.* 380. *num.* 3. *lib.* 5.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Lunæ 12. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Iuſpatronatus non comprehenditur in confiſcatione facta à iudice laico, nec Eccleſia acquirit libertatem, numer.* 2.

3 *Iudex Eccleſiaſticus poſt confiſcationem bonorum factam à iudice laico poteſt declarare delictum, poſtquàm declarationem Eccleſia acquirit libertatem.*

4 *Iuſpatronatus gentilitium non venit in confiſcatione bonorum facta ab Epiſcopo, ſecùs hæreditarium.*

5 *In confiſcatione bonorum non veniũt ea quæ ad hæredes extraneos tranſire non poſſunt.*

6 *Condemnato patre propter crimen læſæ maieſtatis, filij ſunt incapaces omnis ſucceſſionis, & infames.*

7 L. quiſquis, §. filij C. ad l. Iul. Maieſt. *quid, & quos comprehendat.*

8 *Statutum Lucanum* cap. 61. *declaratur.*

9 *Statutum Laicorum ſuper bonis non comprehendit iuſpatronatus.*

DECISIO CCXCVIII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt, Eccleſiam de qua agitur non acquiſiuiſſe ſtatum libertatis, † quia iuſpatronatus non 1
venit in confiſcatione facta à iudice laico, ſecundùm veriorem ſententiam, de qua per gloſ. *in Clem. paſtoralis, verb. ſubiectæ*, vbi etiam Doct. *de re iudic.* Mill. *in repert. in verb. patronatus ius*, & tenuit Andreas Ponus, Rotæ Auditor, vt refert Rocch. *de iurepatr. in verb. ipſa quæſt.* 29. *in fin.* & ita fuiſſe iudicatum in dominio Venetorum. Et hanc ſententiam eſſe communem, & ab ea in iudicando non eſſe recedendum dicit Gig. qui alios allegat, *de crimine læſæ Maieſtatis, li.* 2. *tit. de pœn. com. crim. læſ. Maieſt. qu.* 4. *num.* 1. *verſ. contrarium, & num.* 2. & 3.

Neque facit, quòd licèt iuſpa- 2
trona

tronatus non veniat in confiſcatione, nihilominùs Eccleſia acquirit libertatem. Cardin. *in Clem. plures, nu. 8. verſ. vel die, eodem titulo*, cum aliis; quia Doctores qui tenent hanc ſententiam, vel præſupponunt, cõfiſcationem fuiſſe factam à iudice Eccleſiaſtico, vel tenent contra veram opinionem, ſcilicèt, quòd in confiſcatione facta à laico veniat etiam iuſpatronatus, quod non eſt verum. Sed poſt confiſcationem bonorum
3 factam à laico, † poteſt iudex Eccleſiaſticus declarare delictum, & ſic Eccleſia acquiret libertatem, vt poſt Butr. *in dicta Clem. paſtoralis*. Imol. *num. 72. in fin. de re iudic. & in l. ſi inſulam, in ſecundo notab. in fin. verſ. ſubdit tamen, ff. ſolut. matr.* Lambert. *de iurepatr. lib. 3. quæſt. 8. art. 8. nu. 15.* Quam declarationẽ ſi faceret Epiſcopus, ei non ſuffragaretur. Cum præſuppoſito tamen, quòd iuſpatronatus ſit gentilitium, & non hære-
4 ditarium, † quia hoc iuſpatronatus gentilitium nec venit in cõfiſcatione facta ab Epiſcopo, licèt ſecùs ſit, ſi eſſet hereditarium, ſecundùm diſtinctionem Doct. vt per Igneum, *in repet. l. neceſſarios, §. non alias, in prim. parte, num. 438. verſ. vel melius, & num. 482. verſ. ſimiliter iuſpatronatus, ff. de Senatuſc. Syllan.* Molin. *de primog. Hiſp. lib. 4. cap. 11. num. 2.* Iul. Clar. *recept. ſent. l. 5. §. fin. qu. 78. verſ. quæro modo, in fine*, & bene Soc. iun.
5 *conſ. 51. num. 2. & 3. vol. 2.* † Et regulare eſt, quòd quando aliquid non poteſt tranſire in extraneum hæredem, non veniat in confiſcatione bonorum. Alex. *conſ. 23. num. 3. verſ. 2. probatur, vol. 1. & conſ. 89. in princ. l. 4.* Bart. *in l. 3. ff. de interd. & releg.* Angel. *in dicta l. in inſulam, in princ. ff. ſolut. matr.* Dec. *conſ. 442. num. 27. & ſeqq.*

6 Neque obſtat, quòd pater Lucretiæ fuit condemnatus de crimine læſæ Maieſtatis, & propterea eius filij ſint incapaces omnis ſucceſſionis, & ſunt infames, *l. quiſquis, §. filij C. ad l. Iul. Maieſt.* Et propterea incapaces iuriſpatronatus, † quia quic- 7
quid dicendum eſſet an diſpoſitio illius tex. comprehendat id quòd debetur filio, vti filio, non vti heredi, & ſic etiam iurapatronatus gentilitia, ex alleg. per Molin. de primog. Hiſp. *l. 4. cap. 11. num. 50. 51. & ſeqq.* ſatis eſt, ad hunc effectum, quòd in caſu prædictæ, *l. quiſquis* non comprehendat fœminas, vt de communi teſtatur Clar. *recept ſent. lib. 5. §. læſæ Maieſtatis, verſ. hæ autem pœnæ* Gig. *de crim. læſ. Maieſt. l. 3. cap. 14. num. 15.* qui pariter de communi. Et hoc ſuadetur ex verbis textus, quia *in §. ad filias*, determinat quæ ſit pœna filiarum.

Nec officit ſtatutum Lucanum 8
cap. 61. quia in eo non alteratur tex. *in l. quiſquis*, reſpectu filiarum, ſed ſolùm emanauit ad tollendas controuerſias, quæ oriri poſſent, an diſpoſitio *d. l.* haberet locum etiam in machinantibus contra Rempublicam, & ſtatuit, quòd ſic. Et dum habetur mentio maſculorum, fœminarum, & vxoris, dicitur ſingula ſingulis referendo, & ſic ſecundùm diſpoſitionem *d. l.* in qua diſtinctè apponitur pœna maſculis, fœminis, & vxori, vt ex lectura textus apparet. Et in omnem euentum, quatenùs ſtatutum extenderet diſpoſita circa maſculos, etiam ad fœminas, † 9
extenſio non procederet quoàd iuſpatronatus ex defectu poteſtatis ſtatuentium, *c. de iure*, vbi gloſ. *in verb. irritum, de iurepatron. iuncto cap. cùm laicis, de reb. Eccleſ. non alien.* ibi, *nec non & alia quæ iuri ſpirituali annexa videntur*, Lambert. *de iurepatron. lib. 3. qu. 8. art. 8. nu. 15.*

Reſeruarunt tamen Domini videre, an iuſpatronatus ſit hæreditarium, & quatenus ſit, an ex quo non conſtat, Lucretiam fuiſſe citatam, ſententia Reipublicæ ipſi noceat, ita vt Epiſcopus poſſit declarare delictum, ad effectum, quòd dicatur, Eccleſiam acquiſiuiſſe libertatem.

PORTVGALLEN. Penſionis.

Ven. 16. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Reſeruatio penſionis probatur ex literis patentibus.*
2 *Literæ penſionis non ſunt iuſtificandæ contra illum qui penſioni conſenſit.*
3 *Milites Lauretani habent priuilegium transferendi penſionem, vſque ad ſummam ſcutorum* 200.
4 *Requiſita ad tranſlationem penſionis faciendam à militibus Lauretanis.*

Decisio CCXCIX.

1 FVit reſolutum, conſtare de validitate transſlationis penſionis,† quia de reſeruatione ad fauorem Michaëlis, qui tranſtulit; ſatis appa-
2 rebat ex literis patentibus, † quæ etiam aliqua iuſtificatione non egebant, cùm ageretur contra illum qui reſeruationi conſenſit, vt fuit reſolutũ in cauſa Salamantina penſionis 26. Martj 1593. coram bo. me. Giptio. Deque illius facultate trãs-
3 ferendi ſatis conſtat, † ex quo erat miles Lauretanus, qui vigore priuilegiorum habebat iſtam facultatem vſque ad ſummam 200. ducatorum vt ſunt verba clara priuilegij, & fuit dictum in cauſa Lucana penſionis 17. Febr. 1592. coram bo. me.
4 Orano, † Et actus ipſe tranſlationis fuit etiã legitimè factus, quia penſio fuit tranſlata coram Archipreſbyter perſona in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, notario, & teſtibus, cùm aliàs etiam vigore priuilegiorum potuerit fieri coram ſolo notario, & teſtibus, vt cenſuit Rota in dicta cauſa Lucana, & Archipreſbiter iudex etiam ſatis fuerit certus de ſua iuriſdictione, cùm fuerint exhibita priuilegia Militum Lauretanorum, prout requiritur; Creſc. *deciſ.* 13. *de conceſ. præb.* Achil. *dec.* 7. *de penſ.* Et denique conſtat de habilitate illorum in quos fuit facta transſlatio, cùm ex literis appareat, ipſos eſſe clericos, quod ſufficit ad effectum vt ſint capaces penſionis. Gig. *de penſ. quæſt.* 13. *num.* 3.

BONONIEN. DE MANgiolis.

Ven. 16. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommiſſariis qui non ſunt hæredes, non competit detractio Trebellianicæ, nec creditoribus loco illorum.*
2 *Alienatione expreſsè prohibita, cenſetur prohibita detractio Trebellianicæ.*
3 *Inſtituto in re certa, dato cohærede, non competit aliqua detractio.*

Decisio CCC.

IN relationibus cauſarum feci verbum, an creditoribus DD. de Mangiolis competeret aliqua detractio ex perſona illorum qui debita contraxerint. Et negatiuè fuit reſolutum, † quia quoàd bona relicta 1
per Melchiorem fideicõmittentem, filiis hæredibus vniuerſalibus inſtitutis nulla cõpetit detractio creditoribus, quia Alexand. & Melchior

iunios

iunior qui alienarunt, non ſunt heredes inſtitutorum, ſed bona ad eos perꝑenerũt vigore fideicõmiſſi per obitum ſine filiis dd. inſtitutorum, & poſt dictam purificationem alienarunt. Et hodie filij Melchioris iunioris, qui ſunt vocati, agunt ad recuperationem dictorum bonorum, iuxta reſolutiones factas ad eorum fauorem. Et idem per omnia dicendum eſt quoàd bona relicta Octauiano filio legitimato teſtatoris hæredi inſtituto in re certa.

Quo verò ad bona relicta Herculi, à quo deſcendunt Domini de Mangiolis, qui hodie agunt, nec aliqua competit detractio. Non quidem legitimæ, quia Hercules erat nepos teſtatoris, ex Bartholomæo
2 filio; non Trebellianicæ, † quia cenſetur prohibita, ex prohibitione alienationis expreſſa. Et fuit nouiſſimè reſolutum in cauſa Fulginaten.
3 fideicommiſſi. 5. Decembris præteriti, coram me. Et quia inſtituto in re certa dato cohærede vniuerſali non cõperit aliqua detractio Trebellianicæ, ex allegatis per Graſſ. *in §. Trebellianicæ, quæſt. 3. num. 5. verſ. contrarium verò voluit.* Nec etiam Falcidiæ, idem Craſſ. *in §. Falcidia, qu. 1. num. 6.*

ROMANA CASALIS
Turris Vergatæ.

Lunæ 19. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *In tranſactione ſuper re Eccleſiaſtica requiritur beneplacitum Apoſtolicum, etiam ſi res ſit penes aduerſarium, ſi agatur, vt res apud illum remaneat.*

2 *Beneplacitum Apoſtolicum præſumitur 30. annis dummodo concurrat obſeruantia vera, nu. 3. non præſumta, nu. 4.*

5 *Res iudicata non obſtat, niſi concurrat identitas rei, cauſæ, & perſonæ.*

6 *Sententia lata in ſpolio, non parit exceptionem rei iudicatæ in petitorio, nec lata ſuper vna re licèt dependenti parit exceptionem in cauſa principali, nu. 7.*

8 *Res iudicata ſuper iudicio malè intentato non impedit quominùs agatur remedio competenti.*

9 *Dicens tranſactionem nullam, non tenetur accepta reſtituere, ſecùs ſi illam impugnet.*

DECISIO CCCI.

DVbitaui, an Monachis obſta- 1
ret exceptio tranſactionis & rei iudicatæ in caſu, & ad effectum de quo agitur, qui eſt, vt poſſint audiri ſuper deuolutione Caſalis, quam prætendunt ante dictã tranſactionem. Et Domini cenſuerunt, non obſtare, quia ſi inſpiciamus tranſactionem factam de anno 1561. remanet nulla, quia in ea non interuenerit beneplacitum Apoſtolicũ, quod requiritur etiam in trãſactione. Et quòd etiam res ſit penes aduerſarium, ſi in tranſactione agatur, quòd penes illam remaneat. Bart. & Iaſ. *in l. nulli, nu. 2. ff. de tranſact.* Abb. *in cap. contingit, num. 3. verſ. concluderem, eodem titulo* Fed. de ſen. *conſ. 94.* Aym. *conſ. 323. num. 1. verſ. dico quòd Prælatus,* Veral. *dec. 106. par. 1. & dec. 318. par. 3.* Et fuit dictum in cauſa Auertana Terminen. 27. Iunij 1583. coram bo. me. Rubeo, & in cauſa Mediolanen. reſciſionis permutationis 10. Ianuarij 1597. coram Cardinali Pamphilio.

Neque facit, quòd à dicto anno 2
1561. vſque ad diem motæ litis efluxerint 30. anni, qui faciunt præ-

ſumi beneplacitum Apoſtolicum. Fel. *in cap. Albericus, num.4. in fine, verſ.ſi autem in inſtrumẽto,de teſtibus,*
3 † quia non ſufficit curſus temporis, niſi adſit etiam obſeruãtia. Abb. *in d. cap. Albericus,ſub nu.3.de teſtib.* Alex. *conſ.12.n.7.& conſ.12.n.70.& conſ.17. nu.9.li.4.* Soc. *conſ.29.nu.20.& 21.li.1. & conſ.157.nu.3. & ſeqq. & conſ.266. num.34.lib.2.* Et fuit dictum in cauſa Romana Caſalis 28. Iunij coram
4 Illuſtriſſimo Seraphino. † Nec obſeruantia præſumpta ſufficit, ne ex eodem curſu temporis dentur duæ præſumptiones, nempe confirmationis,& obſeruantiæ. Ruin. *conſ.29. num.4.& conſ.151.nu.15.lib.4.* Gabr. *de præſumpt. concl.1. num.72.* Et fuit dictum in cauſa Placen. decimarum 31. Ianuarij 1586. coram Bubalo. Et ceſſat omnis difficultas,quià in hoc caſu conſtat de cõtraria obſeruantia, quia de anno 1573. fuit deuentum ad aliam tranſactionem, quæ pariter eſt abſque beneplacito Apoſtolico. Et licèt fuerit obſeruata, non tamen ſpatio 30. annorum, & propterea non intrat præſumptio beneplaciti,vt per Abbatem,& alios ſuprà allegatos.

5 Non obſtat res iudicata, quia ad effectum quòd res iudicata obſtet, requiritur identitas perſonarum,rei, & cauſæ, *l.cùm quæritur, cum duabus ſequen. ff. de except.rei iud.* Abb. *conſ. 50.num.2.lib.1.* Dec. *conſ.96. num.1. verſ.quibus tamen, & conſ. 445. num. 47.* Caput. *deciſ.93.par.3.* Et fuit dictum in cauſa Regimen. S.Thomæ 10. Decembris 1576. coram Robuſterio. Sed ſententia Vicarij ſancti
6 Petri fuit lata in ſpolio,& propterea non parit in petitorio, *cap.querelam, de elect.cap.cùm olim,gloſ.penultima,de cauſ.poſſ.& propr.* Alia verò ſententia bo. me. Oradini emanauit ſuper incidenti reſeruato in tranſactione reſpectu ſolutionis canonis,non autem tangit merita cauſæ. † Et ideò non officit, *dicta l.cùm quæritur.* † 7 Vltima verò ſententia iudicis Fabricæ ſancti Petri eſt reſtricta ad facultatem decreti Greg.13.quòd poſſeſſores vltra 40. annos bonorum Eccleſiaſticorum,vigore facultatum iudicis fabricæ non moleſtentur, & ideo non videtur obſtare,quia reſpicit iudicium malè intentatum. Et propterea non impedit, quominùs agatur remedio competenti. Bart. *in l.Titia,num.4. verſ. interloquutoria, ff.de accuſ.* Fel. *in rub.de ſent.& re iud. num.16.& in cap.examinata,num.17. de iud.* Aret. *conſ.119.num.4.* Couar. *var.reſ.lib.1.cap.1. num.8. in princ.*

Neque applicatur,quòd ſi Monachi volunt audiri debent reſtituere accepta, *l.ſi diuerſa,C.de tranſact.* quia Monachi non agunt contra tranſactionem,illam impugnando tanquã læſiuam, neque petunt illius reſciſſionem, qui ſunt propriè termini, *l.ſi diuerſa,* ſed dicunt tranſactionem nullam, & propterea poſſunt audiri abſque eo quòd priùs reſtituant accepta, Rol. *conſ.7.num.4.lib.3.* Rim. iun. *conſ.5. num.71. lib.1.* Et fuit dictum in cauſa Tiraſonen. iuris præſentandi, 11. Febr. 1585. coram Canſuccio,& in cauſa Ariminen. tranſactionis 13. Iunij 1601. coram Reuerendiſſimo Rhodien. & in alia Bononien. de Ranutiis, 2. Martij 1602. coram Reuerendiſſimo Pacen. & de eodem anno 21. Iunij in cauſa Valentina Baroniæ,coram R.P.D.meo Ottembergo.

ASSISIEN. CENSVS.

Lunæ 19. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Veriſimilitudo multum confert ad pro*

probandam ſimulationem,

2 *Contractus incontinenti factus poſt alium, cenſetur illi ineſſe.*

3 *Primus cõtractus fœneratitius multum confert ad oſtendendam ſimulationem ſecundi, item paupertas, & qualitas contrahentis, num.4.*

5 *Clauſula* recepit in contanti, &c. *denotat realem numerationem, etiãſi non adſit verbum* numerauit.

6 *Contractus in dubio non præſumitur ſimulatus, aut vſurarius, numer.7.*

Decisio CCCII.

Minor pars Dominorum, cenſuit, quòd probabatur cenſum fuiſſe factum abſque eo quòd effectualiter, & bona fide interueniſſet pecunia numerata, & mouebantur, quia prima vice fuit impoſitus 11. Iulij 1584. ſuper bonis Andrææ, & venditis per ipſum Andræam, & Pe. Paulum Carrettum Bartholomæo pro ſcutis 1500. aſſignatis in tot nominibus debitorum, animalibus,& pecunia numerata,& poſtmodùm cùm abſque difficultate iſte cenſus eſſet fœneratitius,fuit die 7. Septembris ſequentis extinctus, & poſteà die 14. & ſic poſt ſeptem dies alius ab eiſdem perſonis ſuper eiſdem,& aliis bonis creatus,& pro eodemmet pretio venditus dicto Bartholomæo. Vnde iſtis Dominis attenta ſerie facti, veriſimile videbatur,numerationem fuiſſe ſimulatam,† Quæ quidem veriſimilitudo in his terminis admittitur, vt per Dec. *conſ.*644. *num.*6. Aym. *conſ.*156. *num.*9. *verſ. confirmatur,* & maximè cùm poſt primi cenſus extinctionem,creatio huius noui cenſus poſt ſeptimumdiem fuerit facta, & ſic incõtinenti, vt per Sym. *dicto conſ.*156. *num.*17. *verſ. non obſtat tertium.* † Vnde vnus contractus ineſt alteri, *l. lecta ff.ſi cert.pet.* Et ex hoc colligitur ſimulatio. Pariſ. *conſ.*86. *num.*34.*lib.*3. Natt. *conſ.*198.*num.*11. Et fuit in ſimili reſolutum in cauſa Senogallien.cenſus,26.*Aprilis* 1591. *coram R.P.D.meo Decano.*† Et origo contractus fœneratitij multùm facit ad oſtendendum ſimulationem. Bald.*in l.emptione,in princ.C.plus valere quod agitur,quàm quod ſim.conc.& in conſ.*125.*num.*1.*lib.*1. Et hæc ampliùs dicebantur procedere, attenta paupertate, & qualitate Andrææ, qui erat idiota,de qua deponunt teſtes in ſummario *num.*6. & qualitate Bartholomæi, vt ex iuribus quæ dantur, *num.*7. † Quæ omnia multùm conferunt ad ſimulationem.Pariſ. *conſ.*54. *num.*78. *lib.*1. Aym.*dicto conſ.*156.*num.*13. Natt. *conſ.*148.*nu.*4. Et hæc etiam omnia ſatis corroborantur, ex quo Petrus Paulus Carretta,venditor medietatis cenſus,eſt nepos Bartholomæi,& negociorum geſtor, & cum ipſo viuit, vt deponunt teſtes, & nihil habet in bonis, & poſt impoſitionem primi cenſus, Bartholomęus emptor promiſit Andrææ,cuius erat fundus,quòd occaſione medietatis dicti cenſus nullũ damnum eſſet paſſurus, ſcilicèt pro portione Petri Pauli. Quæ omnia videbantur bene olere.

Maior tamen pars Dominorum cenſuit contrarium, quia extat inſtrumentum clarum, cum atteſtatione notarij, quòd *receperunt pecunias in contanti, in ſui,& teſtium præſentia, & ad ſe traxerunt, in tot Paulis argenteis, & ſcutis aureis*, † quæ verba *in contanti & ad ſe traxerunt*, excludunt ſimplicem confeſſionem de recepto, & denotant realem numerationem,& veram traditionem. Bart. *in l.ſi ex cautione, num.*1. & ibi Bald. *num.*14. *C.de non num. pec.* Et ideo non officit,ſi nõ adeſt verbum

nume

numerauit, cùm adſint verba æquipollentia,& propterea dicta atteſtatio notarij bene probat,vt per Bart. *in d.l.ſi ex cautione, num.1. & in l.ſingularia num.22.ff.ſi cert.pet.* Et fuit dictum in hac cauſa coram me. 29. Nouembris 1604.

Nec obſtant in contrarium adducta,quia licèt reddant materiam dubiam,nihilominùs in dubio contractus non præſumitur ſimulatus, Bald. *in l.quamuis*, per illum tex.*C.ſi quis alteri vel ſibi.* † Nec in dubio contractus præſumitur vſurarius, idem Bald.*in l.rogaſti,§.ſi tibi,num.2. ff.ſi cert.pet.* Et in dubio eligendum eſt quod minus iniquitatis habet, *l.quoties nihil, ff. de reg. iur.* Et propterea dicendum eſt, quòd cùm primus contractus eſſet iniquus, ob id fuit caſſatus, & nouus factus iuxta conſtitutionẽ Pij V.maximè cùm in iuribus quæ dantur contra Bartholomeum in ſummario *nu.7.*non appareat aliqua illius condemnatio.

ARIMINEN. LAVDI.

Ven. 23. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Filij poſiti in conditione non cenſentur vocati, ſi non adſint in contrarium coniecturæ.*

Decisio CCCIII.

DVbitaui, an conſtaret de fideicommiſſo, ad fauorem pro nepotum Tinguli teſtatoris, ex quo ſunt poſiti in conditione.Et Domini cenſuerunt, negatiuè reſpondendum, † quia ceſſantibus coniecturis, Rot. ſequitur opinionem gloſ. *in l. huius 2. ff. de hæred. inſtitut.* quòd filij in conditione poſiti non cenſeantur vocati, hîc autem non adſunt coniecturæ ſufficientes,quia dum dicitur, teſtatorem reſpexiſſe ad agnationem, non verificatur in facto,quia in certis caſibus vocauit etiam fœminas, ſcilicèt quatenus grauati decederent relictis tribus filiabus fœminis. Et in omnem euentum ceſſat difficultas omnis, quia vltra filios, & nepotes, nihil teſtator diſpoſuit, & propterea ceſſant etiam quæ dicuntur de prohibitione alienationis,quia non debet fieri extẽſio,ex allegatis per Peregr. *de fideicom.art.1.num.30.* 1

TARRACONEN. ATtentatorum.

Ven. 23. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa diuerſa dicitur,quæ habet factum, & ius diuerſum.*

2 *Attentata in cauſa connexa obſtant in cauſa principali, ſi ſententia lata in cauſa connexa parit exceptionem rei iudicatæ in cauſa principali.*

Decisio CCCIV.

PRæpoſiti prętendebant non poſſe procedi in cauſa ſuper augmẽto, niſi priùs purgatis attentatis. Vnde dubitaui,an cauſa in qua prætenduntur attentata, eſſe diuerſa, & ſeparata à cauſa augmenti. Et Rota cenſuit, affirmatiuè reſpondendum quia hæc cauſa augmenti fuit commiſſa bonæ me. Giptio, in cuius locum per cõmiſſionem ego fui ſubrogatus, & inſimul mihi commiſſa fuit cauſa ſuper certis officiis, in qua prætenditur fuiſſe attentatum. † Quæ cauſa cùm habeat factum,& ius diuerſum à cauſa augmenti, dubitari non poteſt,quin ſit diuerſa,& ſeparata, *l.1.* vbi DD. *C.ſi vnus ex plur.* 1

plur.appel. Rom.*conſ.*300.*in fine*, latè Lanc.*de attent.appell.pend.lim.ſecunda num.*4. *& ſeqq.* Et propterea cauſa prætentorum attentatorum non impedit cognitionem ſuper augmento, vt latè per eundem Lanc. *de attent.lit.pend.lim.ſecunda,num.*1.*& ſeqq.*

2 Nec facit, quòd licèt huiuſmodi cauſa ſit ſeparata,tamen eſt connexa, & propterea attentata obſtant etiam in cauſa principali,quia quicquid dicendum ſit, an huiuſmodi cauſa ſit connexa, ad effectum tamen quòd prædicta regula procedat, requiritur, quòd ſententia in cauſa connexa pariat exceptionem rei iudicatæ,in cauſa principali. Et declarat Lancel. *de attent. loco proximè citato,de attent. lite pend. limit. ſecunda, num.* 7. *&* 8. Et propterea cùm ſententia in cauſa ſuper officiis non pariat exceptionem rei iudicatæ in cauſa augmenti,meritò attentata in iſta cauſa nó impediunt cognitionem cauſæ principalis ſuper augmento,per ſupràdicta.

MILEVITANA PAROchialis.

Lunæ 26. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Menſis Nouembris ſemper eſt reſeruatus.*
2 *Vacatio in menſe reſeruato probatur ex confeſſione partis facta in precibus.*
3 *Confeſſio erronea, docto de errore,non præiudicat confitenti.*
4 *Clericatus,& presbiteratus probatur per literas patentes.*
5 *Obitus in poſſeſſione beneficij probatur per teſtes.*
6 *Semel immiſſus amplius non poteſt petere immiſſionem, ſecùs, ſi prima immiſſio non habuit effectum.*
7 *Per clauſulam,*litis ſtatum,*cenſetur facta mentio de lite.*
8 *Regula* 8. *derogat indultis conferendi certis perſonis, dummodò illis perſonis conferatur.*

DECISIO CCCV.

PEtebatur immiſſio vigore ſubrogationis gratioſæ pro parte Io.Dominici;quam Domini concedendam eſſe cenſuerunt. Nam cùm beneficium eſſet reſeruatum ratione menſis, ad effectum immiſſionis ſufficiebat oſtendere, Clericatum ob obitum defuncti in poſſeſſione, vt in cauſa Burgen. de Pancorno, 28.Nouembris 1588. coram bo.me. Giptio, & aliàs ſæpiùs. Hic autem de reſeruatione dubitari non poterat, quia beneficium vacauit de menſe Nouembris † qui ſemper eſt 1
reſeruatus,vt ſunt clara verba regulæ 8.Et hæc vacatio in dicto menſe 2
ſatis probatur ex confeſſione facta partis in precibus, quæ plenè probat, *l.cum precum, C. de liber. cauſ. l.* 2. *C. de inſtit. & ſubſtit. l. cùm te precibus C. de probat. l. cùm te, C. de tranſact.* Cum qua etiam concurrit dictum vnius teſtis, qui bene deponit, & fuit vnus ex oppoſitoribus, nec huiuſmodi cõfeſſio offuſcatur, ex quo in commiſſione præſentata Illuſtriſſimo Vicario,Io.Dominicus narrat,beneficium vacaſſe in menſe Decembris, quia hæc narratiua detegitur erronea, cùm ex prædictis, tùm etiam ex dicto Epiſcopi, quod fuit poſitum de menſe Nouembris. Et ſic excludit, beneficium vacaſſe de menſe Decembris, tùm deinqne ex depoſitione alterius teſtis,qui dicit, beneficium vacaſſe de menſe Octobris, vel Nouembris, quæ pariter excludit vacationem in menſe Decembris. † Vnde cùm hæc nar- 3

ratiua detegatur erronea, non præiudicat. Bart. *in l. ſed & ſi me putem, in princ.ff.de cond.indeb.*Dec.*conſ.*408. *num.*7. Bero. *conſ.*181.*num.*8.*lib.*1.*&* *conſ.*206.*nu.*35.*lib.*3.

4 Clericatus autem Io. Dominici,& preſbiteratus probatur ex literis patentibus, *c.* 2. & ibi Abb. *in* 1. *not. de cler. peveg.* Felin. *in cap. poſt ceſſionem, ſub nu.*3.*&* *nu.*15. *de prob.* Rot.

5 *deciſ.* 16. *eodem tit. in ant.* † Obitus verò in poſſeſſione probatur ex duobus teſtibus,*c.in omni negocio,eodem titulo.*

6 Neque obſtat, quòd Io.Dominicus ſemel fuit immiſſus,& ideo ampliùs non poteſt petere immiſſionem,§.*ſequens,verſ. itaque ſi quis adeptus fuit poſſeſſionem,inſtit.de interd.l.*2. §.*adipiſcendæ ff.eodem titulo,*quia concluſio procederet, ſi Io.Dominicus ritè & rectè fuiſſet immiſſus , quia tunc non eſſet iterum immittendus; ſed quia illa immiſſio non habuit effectum , cùm etiam , illa non obſtante , Stephanus habuerit manutentionem, Io. Dominicus poteſt denuò petere immiſſionem & immitti,& hoc præſupponunt iura, & DD. qui tangunt hunc articulum, quia ſemel adepta poſſeſſione, finita & impleta eſt edicti cauſa , & agendum eſſet remedio recuperandæ.Specul.*de teſta* §.3. *nu.*32. Alber. *in l.fin.num.*17. *C.de edict. Diu. Adr. toll.*Modern.*de adipiſc. remed.*4. *num.* 505.*&* 506.& bene facit conſ.*Card.* 75.*per totum.*

Non obſtat quòd Io. Dominicus non fecit in impetratione mentionem litis quam habebat cum Stephano,ſub prætextu, quòd concurſus legitimè nõ fuiſſet factus,†quia

7 ſatis cenſetur facta mentio litis,ſtãte clauſula *litis ſtatum, &c.* Gemin. *conſ.*120.*nu.*6.Achil.*deciſ.*9.*de reſcript.* Put. *dec.* 2.*iuncta deciſione* 1.*eodem titulo.* Et fuit reſolutum in cauſa Zamoren. fructuum 19. Nouembris 1584. coram Illuſtriſſimo Seraphino, & in alia Meliten. penſionis 13. Nouembris 1595. coram Reuerẽdiſſimo Archiepiſcopo Rhodien. & aliàs ſæpiùs. † Quæ clauſula ex ſtructura gratiæ, non modo poteſt verificari, ſi adfuiſſet aliqua lis cum defuncto,ſed cum ipſo Stephano.

Vltimo loco non officit Indultũ Leonis 10. quòd Epiſcopus poſſit conferre incolis,etiam in menſibus reſeruatis, † quia iam fuit reſolutũ 8
in ſimili cauſa Mileuitana S. Marci coram D.meo Decano 14. Nouembris præteriti, per regulam 8. fuiſſe derogatum dicto Indulto,modò beneficia conferantur incolis,iuxta reſolutiones aliàs factas in cauſa Vlixbonen. Prioratus 1. Febr. 1602. coram Illuſtriſſimo Seraphino, & coram Reuerendiſſimo Oriolen. in cauſa Tiraſonen. inualiditatis præſentationis, 19.Ianuarij 1583.Et ſecundùm hunc ſenſum fuerunt intellectæ , & declaratæ deciſiones Putei 235.*lib.*2. Verall. 313.*lib.*1.*in manuſcr.*

BRACCHAREN.
Parochialis.

Lunæ 26. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Duæ conformes,ſtante reſcripto, quòd ſemel liceat appellare , pariunt rem iudicatam.*

2 *Qui vult gaudere beneficio* cap. Odoardus, *debet confiteri debitum, aliàs tanquam faciens actum contrarium, illo iuuari non poteſt, nu.*3.

4 *Impoſſibilium nulla eſt obligatio.*

Decisio CCCVI.

POſt duas conformes, & ſic poſt rem iudicatam, quia vigore reſcripti ſignaturæ ſemel tantùm licebat appellare, ad tradita per Pariſ. *conſ.*109.*num.*15.*& ſeqq.l.*4. Petrus obtinuit reſtitutionem in integrũ, cum clauſula *parito iudicato*, & poſtmodùm obtinuit aliam commiſſionem admiſſionis ad beneficium,*cap. Odoardus, conſtito de paupertate, & prout iuris fuerit.* Et ſuper hoc diſputato dubio Rota cenſuit, eſſe admittendum ad effectum euitandi carceres, & excommunicationem tantùm, non ad effectum quòd poſſit audiri in cauſa reſtitutionis in integrum, antequàm ſoluat expenſas,& ſic pareat iudicio, quia licèt ſatis viſum fuit Dominis,cõſtare de eius paupertate, ex teſtibus examinatis,tamen cùm neger, beneficium eſſe debitum Ainaro, ex quo commiſit cauſam reſtitutionis in integrum,& per conſequens negat,fructus beneficij, & expenſas litis eſſe debitas,non eſt admittendus ad beneficium *cap. Odoardus*, ad effectum
2 audientiæ, † quia qui vult gaudere beneficio *c.Odoardus*, debet cõfiteri debitum,ibi in tex *recognoſcentem*, & gloſ.exponit id eſt,*debita confitentem.* Vnde negans debitum, facit actum
3 contrarium diſpoſitioni illius tex.† quare illa iuuari non poteſt,vt bene conſiderat Ferret. *conſ.*144.*num.*2. *l.*1.& facit deciſio Mohed.1.*num.*2. *de ſolut.* & Put.*dec.*394.*lib.*1,vbi doloſo non ſuffragatur dictum beneficium, & multa dicit *in deciſione* 36. *eodem lib.*1.

Ad effectum tamen euitandi carceres,& excommunicationem,ſecùs dicendum viſum fuit Dominis,ſtante eius paupertate, per gloſ. *in dicto cap.Odoardus, in verb. non valentem*, quia inanis eſt actio quam inopia debitoris excludit, & impoſſibile præceptum non obligat, † impoſſi- 4
bilium que nulla eſt obligatio. Abb. *in d.cap Odoardus,num.*8o.Felin.*in d. cap.ad aures,nu.*1.*de ſimon.* Put.*d.dec.* 56.*nu.*14.*l.*1.

GERVNDEN. Statuti.

Lunæ 26. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum non poteſt facere ſtatutum in præiudicium Abbatis,ſine illius conſenſu.*

2 *Procurator cum libera nõ poteſt præiudicare principali.*

Decisio CCCVII.

POſt reſolutionem factam, quòd Abbas poteſt dare de inualiditate ſtatuti, Domini reſoluerunt, ſtatutum eſſe inualidum, quia cùm collatio præbendarum ſpectet ad Abbatem, & Capitulum ſimul, vt ex eadem reſolutione apparet, non potuit Capitulum diuidere exercitium iuris conferendi, abſque eo quòd aliquem locum aut vicem aſſignaret Abbati. † Et propterea 1
cùm iſtud ſtatutũ deroget iuri Abbatis, & ſit ſingularium perſonarũ, requirebatur pro validitate,conſenſus Abbatis. Ang.*conſ.*271.*nu.*1.*verſ.* 2.*principaliter.* Fel. *in cap.cùm omnes, num.*18.*verſ.*10. *fallit,de conſtit.* Dec. *ibidem,in prima lectura, nu.*36.Corn. *conſ.*177.*num.*6.*vol.*2.Barbat. *conſ.*27. *nu.*23.*vol.*2.

Neque facit, quòd ſtatutum fuit factum cum præſentia Abbatis Vicarij, † quia cùm ageretur de remiſ- 2
ſione iurium Abbatis, non ſufficiebat generale mandatum cum libera, ſed requirebatur ſpeciale,*l.filiusfam.*

in princ. vbi Bart. *num.8. ff.de donat. l.contra iuris.§.fin.ff.de pact.*Natt.*conſ. 641.nu.6.lib.3.*

ROMANA RETRActus.

Lunæ 26. Iunij 1606.

EPITOME.

An, & quando, cauſa ſit præiudicialis.

SVMMARIVM.

1 *Retrahens vigore Bullæ, debet habere dominium.*

2 *De cauſa præiudiciali priùs eſt cognoſcendum, maximè ſi priùs eſt intentata, nu.30.*

4 *Cauſa ſecundò intentata priùs videri debet, ſi priùs poteſt terminari, quando prima & ſecunda cauſa eſt intentata ab eadem perſona.*

4 L. ſi ante, ff. de except. *declaratur.*

6 *Cauſa dicitur vna alteri præiudicialis tribus modis.*

DECISIO CCCVIII.

EQues Santinellus poſſeſſor cuiuſdam domus, ſuper qua iam mouit litem Proſper, prætendens vigore fideicommiſſi, ad ſe ſpectare, vult retrahere certas domunculas eiuſdem Proſperi domui contiguas. Vnde fuit dubitatum, an poſſet. Et negatiuè fuit reſolutum, cùm iſta cauſa fideicõmiſſi ſit præ-
1 iudicialis, † ex quo interuertit dominium Equitis, quod requiritur ad effectum, vt quis poſſit retrahere, vt apparet ex lectura Bullæ, & not. Bald. *in tract. de iureprotom. in princ.*
2 Pariſ.*conſ.28.num.31.vol.3.*† Et propterea de ea priùs eſt cognoſcendũ, *cap. tuam, de ordin. cognit. l. quando Alexandrum, C.de adult. l.Præſes C.ad l.Flau.de plagiar.§.præiudiciales, inſtit. de act.* Hoſt.*in ſum.tit.de ord.cogn.circa finem.*Bart.*in l.fundum, num.5.verſ. ſed quando vnum iudicium ff.de except.* Salyc.*in l.vlt.num.1. C.de ordin.iudic.* Nat. 138.*num.3.* Aym. *conſ.280. per totum.* † Et maximè cum priùs ſit 3
mota lis ſuper fideicommiſſo, quod requiritur, vel quod moueri ſperetur, ſcilicèt iuſta cauſa, non eluſoriè, ne in facultate cuiuſque ſit, impedire exercitium iuriſdictionis, vt not.Bart.*in l.ſi poſt litem, circa finem, verſ.& ſic patet.ff.de except.*

Non obſtat, quòd prædicta non 4
videantur procedere, quando ſecundũ poteſt priùs terminari, vt ex mẽte Bart.dicit Imol. *in l.naturaliter, §. nihil commune, nu.6.poſt medium verſ. item adde dictis Bar. ff. de acquir. poſſeſſ.*cuius dictum ibidem refert.Hermanot. Betus, *num.9.* Rip. *num.145.* quia quicquid ſit de dicto Imolæ, nam Alexander *in eodem §.nihil commune, num.64.verſ. tamen videtur aduertendum*, dicit, iure non probari: loquitur in terminis *l.fundum, & l. fundi, ff.de except.* vt not. Hermanot. & Rip. *locis præcitatis.* † Quæ iura 5
procedunt, quando ab vno, & eodem proponuntur duæ actiones, & non quando à diuerſis, prout in caſu iſto, vt aduertit *in d. l. fundum.* Bart.*num.5. verſ.ſecundùm quam, & verſ.ſed ipſe*, & loquitur etiam Imola quando iudicia ſe ad inuicem cõpatiuntur, vt quia vnum iudicium ſit petitorium, aliud verò poſſeſſorium. Sed in caſu iſto, vt dictum eſt, facultas retrahendi pendet à dominio domus, & propterea iudicia nõ ſe compatiuntur ad inuicem, & ideo de cauſa præiudiciali priùs cognoſcendum eſt.

Neque obſtat textus *in l.ſed ſi ante, ff.de except.*vbi ſi quis petit viam, 6
& dein

& deinde fundum, de via priùs cognoſcendum eſt, & poſteà de fundo, & tamen cauſa fundi eſt præiudicialis cauſæ viæ, vt *in allegata l. fundum*, quia ille tex. pariter loquitur, quando ab vno, & eodem duplex actio proponitur, quia ſtat aduerſatiuè, *ad d.l.fundum*, & ſic retẽto eodem themate. Et licèt quando lis priùs moueretur ſuper fundo, & vt *in d.l.fundum*, ſententia abſolutoria lata ſuper fundo pariat exceptionem rei iudicatæ ſuper ſeruitute viæ, ſecùs tamen eſt, ſi mouetur priùs lis ſuper via, vt *in l.ſed ſi ante*, quia abſolutoria lata in cauſa viæ, non parit exceptionem rei iudicatæ in cauſa fundi, quia ſtant ſimul, quòd fundus ſit petentis, & tamen ſeruitus viæ non debeatur, & condemnatoria lata in via non præiudicat quoàd fundum. Et hoc eſt quod aduertit tex. *in d.l.ſed ſi ante*, ſcilicèt, quòd diuerſa corpora ſunt, & cauſæ reſtitutionum diſpares. Et ita declarat, & declarationem communem dicit Socin. *in d. l. fundum, num.* 1. Ludou. Bologn. *in alleg. l. naturaliter, §. nihil commune, num.* 42. Corraſius *ibidem, in verb. explicitis, nu.* 16. Alciat. *in l. edita, num.* 90. *& ſeqq. C. de edend.* Sed nos non verſamur in eo caſu; quia actiones fuerunt propoſitæ à duobus, & prima ſuper fideicommiſſo non ſolùm parit exceptionem rei iudicatæ ſuper retractu, verùm etiã eſt præiudicialis, ex quo inter-
7 uertit dominium Equitis. † Actio enim præiudicialis tribus modis poteſt conſiderari, ſcilicèt, vel in rem, vt quando agitur de ſtatu alicuius, vel ſecundo ratione authoritatis, & præeminentiæ, vt quia cauſæ ſe ad inuicem non compatiuntur, vel ſe ad inuicem compatiuntur, ſed agitur de aliquali præiudicio. Vel 3. quòd abſolutoria lata in vna pariat exceptionem rei iudicatæ, vt not. Bart. *in d.l.fundum, num.* 4. Et propterea in præſenti caſu licèt ſententia lata in cauſa retractus non pariat exceptionem rei iudicatæ in fideicommiſſo, tamen ſufficit, quòd ex iuribus allegatis cauſa fideicommiſſi ſit præiudicialis cauſæ retractus. Et hæc eſt regula Bart. quando iudicia proponuntur à duobus, *in ſæpiùs allegata l. fundum nu.* 5. *verſ. ſed quando vnum iudicium.*

HISPALEN. ET CORduben. Præſtimoniorum.

Lunæ 26. *Iunij* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Succeſſor poſſeſſoris defuncti non poteſt intentare remedium Recuperandæ.*

2 *Poſſeſſio non poteſt eſſe penes duos.*

3 *Ad poſſeſſionem recuperandam datur remedium Vnde vi.*

4 *Poſſeſſio ciuilis ſolo verbo recuperatur, & ſolo animo retinetur, numer.* 5.

DECISIO CCCIX.

DOctor Vermudez obtinuit ſententiam in ſpolio ex perſona Gundiſalui, per cuius obitum in eius locum fuerat ſubrogatus. Vnde contigit dubitari de iuſtitia huius ſententiæ. Et Rota cenſuit, eſſe eam iniuſtam, quia cùm Gundiſaluus obtinuiſſet de anno 1592. mandatum de manutenendo, & in poſſeſſione obiiſſet, quod fallus fuit d. Vermudez in ſua commiſſione, & probant teſtes per ipſum examinati, † non poterat intentare reme- 1
dium recuperandæ, quod præſupponit, actorem antiquitùs poſſediſſe, & Conuentum nunc poſſidere, *cap.*

cùm ad ſedem, de reſtit, ſpol. Socin. *in l. rem quæ nobis, num. 16. ff. de acquir. poſſ.*

Neque facit, quòd Gundiſaluus ſemper habuit ſe pro ſpoliato, & in omnem euentum ſententia poteſt verificari in poſſeſſione ciuili, quam ſemper profeſſus fuiſſet ſe retinere
2 R. P. D. Varella, † quæ cùm non poſſit eſſe penes duos, gloſ. *in l. ſi vt certò, §. ſi duobus vehiculum, in verb. dominium, ff. commod.* & ibi Caſtrenſ.
3 *num. 7.* † ad eam recuperandam datur remedium. Vnde vi. *l. 1. §. ſiue autem corpore,* vbi gloſ. *ff. de vi & vi arm.* Caſtren. poſt gloſ. *in l. clàm poſſidere, §. qui ad nundinas, num. 6. ff. de acquir. poſſeſſ.*

Nam fuit reſponſum, quòd omnes actus in quibus Gundiſaluus habuit ſe pro ſpoliato, ſunt ante annum 1592. & ſic antequàm obtinuiſſet manutentionem. Et ad alia fuit dictum, quòd procedunt quando quis recedens perdit naturalem ab alio occupatam, & redeundo ex alio actu ciuilem, tunc recuperata ciuili per interdictum vnde vi, †
4 quæ ſolo verbo recuperatur, vt per Caſtrenſ. *in d. §. qui ad nundinas, nu. 6.* poſtmodùm agere poteſt ad recuperationem naturalis, vt per Caſtren. *loco proximè citato, num. 8.* Sed quicquid dicendum eſſet in hoc caſu, ſatis eſt, quòd ſimpliciter non fuit actum pro recuperatione ciuilis. Et ſententia non ſe reſtringit ad ciuilem, ſed ad naturalem ipſam in qua Gundiſaluus exiſtebat, & condemnat ad reſtituendam poſſeſſionem, & fructus, & reuocat ſequeſtra ſuper poſſeſſione; quæ non poſſunt
5 verificari in poſſeſſione ciuili, † quæ ſolo animo retinetur, vt per Caſtr. *in d. §. ſi duobus vehiculum, nu. 7.*

Et ita fuit reſolutum coram bo. me. D. Litta, per cuius obitum ego extendi deciſionem.

ROMANA AROMATARIÆ.

Merc. 28. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Finita ſocietate capitale debet reſtitui.*

2 *Societas contracta ad tempus, illo durante inuitis ſociis diſſolui non poteſt.*

3 *Solutio præſumitur facta in cauſam neceſſariam.*

DECISIO CCCX.

FInita ſocietate, Adrianus petiit portionem ſuam capitalis ſcutorum 2242. pro quo obtinuit mandatum, quod Rota cenſuit eſſe exequendum, quia factis computis dictum capitale remanſit ſaluum. † 1
Et propterea finita ſocietate debet reſtitui. Et hæc dixerunt Domini, niſi oſtendatur, adeſſe talia debita, quæ abſorbeant, vel in aliqua parte minuant capitale.

Neque Dominis placebat prætenſio Volumnij & Apollonij, quòd Adrianus habuerit durante ſocietate ſcuta 4543. quæ erant computanda pro capitali, † quia cùm ſocietas 2
eſſet contracta ad tempus, quo durante, ſociis inuitis diſſolui non poterat, Pariſ. *conſ. 82. num. 27. lib. 1.* Et cùm Volumnius fuiſſet procurator Adriani ad exigendum fructus locorum Montium atque alia credita, & propterea poſſet cogi ab Adriano ad reſtituendum exacta, † 3
ſolutio præſumitur facta potiùs in hanc cauſam neceſſariam, quàm in aliam. Caſtrenſ. *conſ. 133. num. 3. l. 2.* Corn. *conſ. 376. num. 7. lib. 1.* Aym. *conſ. 106. nu. 8.* maximè cum prædicta ſumma ſit inferior credito Adriani, quod aſcendit ad ſcuta 5712. vt

appa

apparet in præſupppoſitis ex actis iuſtificatis.

Nec releuat, quòd hoc motiuum videtur ceſſare reſpectu Apollonij, qui non erat procurator Adriani, quia & Apollonius ipſe ſe obligauerat, exigere certa credita Adriani, & quotannis ſoluere vnà cùm Volumnio ſcuta 400. vt apparet ex inſtrumento ſocietatis.

ROMANA VINEÆ.

Merc. 28. Iunij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* arbitrio Rotæ, *intelligitur, prout de iure.*

2 *Inueſtimentum ſapit naturam ſequeſtri, vel cautionis.*

3 *Sequeſtrum regulariter eſt prohibitum.*

4 *Spoliator audiri non debet niſi purgato ſpolio, vſque ad quadrantem.*

5 *Inueſtimentũ loco ſequeſtri vel cautionis debet fieri ab eo qui recipit pecunias, & non eſt ſoluendo, in cauſa appellationis, ſuper negocio principali.*

6 *Quod tamen limitatur, vt in num. 10. Imo debet fieri in cauſa principali, quando poſſeſſor non eſt ſoluendo, maximè ſi præſumptio quæ eſt pro poſſeſſore vinceretur aliqua æquitate, num. 8. Contrarium vide, nu. 7.*

9 *Dolus nemini debet patrocinari.*

11 *Inueſtimentum loco ſequeſtri, vel cautionis, fieri debet in cauſa principali, quando ſubeſt timor dilapidationis.*

12 *Item quando reſtituũtur fortalitia, quæ non reſtituuntur abſque cautione.*

13 *Cauſa reſtitutionis in integrum, de iure ciuili impedit exequutionem, de iure autem canonico permittitur exequutio mediante cautione.*

14 *An, & quando fructus reſtituendi ſint à poſſeſſore, ſi cauſa eſt mota ſuper ſpolio, vel ſuper ſpolio, & proprietate.*

DECISIO CCCXI.

FAbri obtinuerunt ſententiam in ſpolio contra hæredes de Luſar, & poſt liquidationem fructuum duorum annorum, petebant exequutionem contra fideiuſſores in forma depoſiti: dicti verò hæredes obtinuerũt reſcribi, quòd dicti fructus inueſtirentur arbitrio Rotæ. † Quod reſcriptum, ſtante clauſula, 1 *arbitrij*, intelligitur prout de iure, Bart. *in extrauag. ad reprimendum, in verb. videbitur, num.* 8. Vnde dubitaui, an intraret arbitrium. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendum, † quia 2 cùm hoc inueſtimentum ſapiat naturam ſequeſtri, vel cautionis, quæ eſt ſequeſtri medicina; Imol. *in l. Imperatores, num. 5. verſ. & adde, ff. de appel.* Iacob de ſancto Georg. *in l. ſi fideiuſſor, §. ſi ſatisdatur, num. 5. ff. qui ſatisd. cog.* Anchar. *in c. fin. nu. 3. de ſeq. poſſ. & fruct.* non ſunt cogendi Fabri ad illud faciendum, † quia regulari- 3 ter ſequeſtrum eſt prohibitum, niſi priùs pars ſecundùm iuris ordinem ſit conuicta. *l. vn. C. de prohib. ſequeſtr.* † Et hæc eò magis procedunt in 4 ſpolio, quia ſpoliator non poteſt audiri, niſi priùs purgato ſpolio vſque ad quadrantem, *cap. conquerente*, vbi Bald. *num. 1. de reſt. ſpol.* Rot. *deciſ. 15. eodem titulo in nou.* Put. *deciſ. 298. lib. 2.*

Neque obſtat, quòd Fabri non 5 ſunt ſoluendi, & ideò faciendum eſt dictum inueſtimentum loco ſequeſtri, vel cautionis, *l. Imperatores, §. fin. ff. de appell. c. fin. de ſeq. poſſ. & fruct. c. quoties, 2. quæſt. 6.* Et eſt communi

opi

opinio, ex allegatis in cauſa Romana Palatij 5. Decembris 1575. coram Cantuccio, quia fuit reſponſum, quòd iura loquuntur, vt ſunt verba clara, in cauſa appellationis ſuper negocio principali, & ea ratione, quia tunc eſt præſumptio pro actore, qui obtinuit ſententiam pro ſe, vt per Doctores *in d. l. Imperatores, & in dicto cap. fin.* vbi in ſpecie Io. Andr. *num.* 4. Abb. *num.* 5. & 6. Hìc autem non ſumus in cauſa appellationis ſuper negotio principali, quia
6 ſolùm fuit actum in ſpolio. † Et quamuis Abb. *in d. cap. fin. numer.* 7. velit, quòd ſequeſtrum, quando quis non eſt ſoluendo poſſit fieri, etiam in cauſa principali, & quòd hoc caſu non ſit ſpeciale in cauſa appellationis, quem ſequitur Aufer. *ad capel. Tholoſ. dec.* 478. *in princ.* & ſimpliciter refert Natt. *in conſ.* 584. *nu.* 5.
7 *verſ. aut iſte poſſeſſor*, † tamen contrarium tenuerunt Io. Monac. *in c. locupletari, nu.* 11. *de reg. iur. in* 6. Archid. *in cap. quia rei, num.* 4. *in princ. nu.* 11. *quæſt.* 1. Salic. *in l. vn. num.* 3. *verſ. item non diſtinguit, C. de prohib. ſequeſtr.* Curt. *in tract. de ſequeſtr. alias in d. l. vn. num.* 8. & tenuit Io. And. *in dicto cap. fin. num.* 4. *verſ. & in fine*, vt etiam aduertit Capel. Tholoſ. *d. deciſ.* 478. *in fine*, quæ idem tenet, Iacobin. de ſancto Georg. *in d. l. ſi fideiuſor, §. ſi ſatisdatum, num.* 20. *ff. qui ſatiſd. cog.* Archid. *in dicto c. quatuor, 2. in princ. 2. quæſt.* 6. Card. *in d. cap. final. de ſeq. poſſeſ. & fruct.* Alex. *conſ.* 163. *num.* 1. *vol.* 6. vbi, quòd eſt communis opinio Doctor. *in dicto c. fin.* Gail. *pract. obſerv.* 147. *num.* 6. qui pariter de cõmuni teſtatur. Pariſ. latè & benè *conſ.* 41. *num.* 45. 47. & 48. *vol.* 1. Et ratio eſt, quia in prima inſtantia præſumptio eſt pro poſſeſſore, quia nõdum eſt lata ſententia pro actore. Et licèt etiam hoc caſu ſequeſtrum poſſet apponi, † quando hæc præ- 8
ſumptio poſſeſſoris vinceretur aliqua æquitate, vt dicunt Monac. *loco præcitato, nu.* 12. Archid. pariter *in allegato cap. qui res, num.* 4. & Curt. *in d. l. vnic. num.* 9. *in* 3. *fallen. ad finem*, hic tamen nulla ſubeſt æquitas, imò ſuadetur contrarium, quia cùm propter dolum & violentiam ſpoliatoris non valuerit ſpoliatus fructus percipere, † non debet iſte dolus 9
ſpoliatori prodeſſe, & ſpoliato nocere, vt in ſimili dicit Abb. *in c. cùm Eccleſia, num.* 37. *in fine verſ. ad idem, de cauſ. poſſ. & propr.* vbi propter dictam rationẽ in terminis illius textus dicitur, quòd licèt quis vnico contextu obtineat in petitorio, & ſuccumbat in poſſeſſorio, geſta per eum in poſſeſſorio annullantur, † & 10
quod plus eſt, in cauſa appellationis Rota noluit admittere ſequeſtrum, ex quo non conſtabat, poſſeſſorem conuertere fructus in alios vſus, quàm faceret priùs, vt per Put. *deciſ.* 166. *lib.* 2. licèt fuit limitata, niſi alia cauſa probaretur, vt in dicta cauſa Romana Palatij *ſub nu.* 3.

Neque facit doctrina Bart. *in l.* 2. 11
num. 9. *ff. de appel. recipien.* quem refert Pontan. *de ſpol. l.* 4. *num.* 63. nec etiam facit deciſio Illuſtriſſimi Pãphilij in cauſa Romana ſpolij 9. Maij 1586. quæ allegatur in terminis, quia Bart. loquitur quando quis eſt reſtitutus, & dubitatur de dilapidatione rei, & propterea datur cautio, vt ſit ſalua res in cauſa proprietatis. Vnde (vltra quòd non loquitur in noſtris terminis) intrat æquitas conſiderata per Monac. & alios ſuprà allegatos. Deciſio verò Illuſtriſſimi Pamphilij licèt videatur in terminis, † tamen eſt intel- 12
ligenda ſecundùm Doctores quos allegat, qui loquuntur in reſtitutione fortaliitiorũ, quę non reſtituuntur

abſque

abſque cautione, & eſt ſpeciale. Et ita loquitur Patiſ. *conſ.22. num.103. l.1.*Grat.*conſ.10.num.31.l.1.*Gozzad. *conſ.9.num.69.& conſ.10.nu.42.*Boër. *deciſ.238.col.fin.*

Nec etiam officit tex.*in cap.ſciſcitata,de reſt.in integ.* Rot.*deciſ.6.eodem*
13 *titulo in nou.* † quia procedunt in cauſa reſtitutionis in integrum,quę iure ciuili impedit exequutionem,*l. vnic.C.in integ.reſt.poſtul.* De iure autem canonico, mediante cautione exequutio permittitur, vt *in d. cap. ſciſcitata*, & not. ibidem per gloſ.*in verb.penſata*,Franc.Marc.*dec.53.num.* 8.*l.* 2. Et hi non ſunt termini noſtri.

14 Aliud motiuum, quòd cautio nõ eſt præſtanda, ex quo Fabri, etiam quòd ſuccumberent in proprietate non tenerẽtur reſtituere fructus. Et propterea non eſt faciendum inueſtimentum,pendet ab eo, an lis fuerit mota in ſpolio tantùm, quo caſu fructus in reſtitutione non venirent, an verò in ſpolio, & proprietate, quo caſu in reſtitutione fructus venirent, ſecundùm diſtinctionem Rotæ *in deciſ.7.de cauſ.poſſeſſ.& propr.in antiq.* Capel. Tholoſ. *deciſ.* 495. De quo motiuo, ſi opus erit, ſuo tempore particulariter agetur.

CALAGVRITANA beneficij del Auteſo.

Lunæ 3. Iulij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio in ſpolio probatur ex ſuſtentatione litis, iunctis adminiculis.*

2 *Agens ſpolio debet probare ſuam anteriorem poſſeſſionem, & poſſeſſionem rei, & oſtendere titulum ſaltem coloratum,in beneficialibus,nu.3.*

4 *Vltimum ſpolium eſt purgandum.*

5 *Sequeſtrum voluntarium appoſitum cauſa cuſtodiæ non priuat poſſeſſione.*

DECISIO CCCXII.

FVit reſolutum,Petrum eſſe reſtituendum, quia conſtat de antiquiori ſua poſſeſſione,ex inſtrumẽto quod datur, *num.1.* & de iuniori partis aduerſæ, † quæ ex ſuſtenta 1
tione litis, & aliis adminiculis ſecundùm ſtylum Rotæ bene probatur. † Quæ regulariter requiruntur 2
ad effectum, vt quis poſſit obtinere in ſpolio,ex allegatis per Natt. *conſ. 562.num.1. lib.3.* † Conſtat quoque 3
de titulo colorato eiuſdem Petri, qui ſpecialiter requiritur in beneficialibus,ne detur vitioſus ingreſſus. Rot.*deciſ.2.de reſtit.ſpol.in nou.& dec. 20.eodem tit.in antiq.*

Non obſtat anterior poſſeſſio Michaëlis, quia vltra quòd non videtur concludenter probata, vtcumq; ſit, fuit erectus ab Epiſcopo vigore Motus proprij S.mem. Clem.8. & facta fuit prouiſio Petro, † pro- 4
pterea vltimum ſpolium eſt purgãdum, *l.3.§. cùm igitur, ff. de vi, & vi arm.* Et fuit in puncto cõſideratum in cauſa Calaguritana beneficij de Armilla,3.Martij 1606.corã R.P.D. meo Litta.

Non obſtat ſequeſtrum appoſitũ ſuper beneficio de conſenſu Petri, quia conſenſus formalis Petri non adeſt, & ſequeſtrum fuit appoſitum cauſa cuſtodiæ, † quo caſu etiam 5
quòd adſit conſenſus, non præiudicat, vt per Socin. iun. *conſ.68. num. 174.verſ.hæc cauſa,l.3.*

CALAGVRITANA Naturalitatis.

Lunæ 3. Iulij 1606.

Nota, quòd in hoc caſu Auditor noluit extendere deciſionem, quia proceſſus in quo erat fundata reſolutio, non erat in totum interpretatus, ac proinde non viſus.

Decisio CCCXIII.

IN hac cauſa, quæ agitur per contradictas, propoſui dubium, an Petrus de Gante, Dominicus, & Franciſcus Ruiz de Alegria, Petrus Gõzalez, & Franciſcus de Budaran, & Didacus Perez de Calora, poſſint obtinere tanquam filij naturales beneficia in Eccleſiis de quibus agebatur. Et Rota, Rectoribus ſolis informantibus cenſuit, præfatos non poſſe obtinere, quia non conſtabat, eſſe filios patrimoniales, prout verè non conſtabat ex parte proceſſus interpretata. Et cùm animaduerterim totum proceſſum non fuiſſe interpretatum, nolui extendere rationes deciſionis, ſed iterum proponere dubium, interpretato priùs toto proceſſu, vt poſſim referre, quomodò factum ſe habeat.

CÆSARAVGVSTANA Portionis.

Lunæ 3. Iulij 1606.

SVMMARIVM.

1 *Poſſidenti de tempore litis motæ datur mandatum de manutenendo.*

2 *Poſſeſſio inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis.*

3 *Appellatio extraiudicialis non cauſat attentata, niſi iudex ſuperior incepiſſet cognoſcere de dicta appellatione extraiudiciali, nu. 4.*

5 *Poſſeſſio poſterior præſumitur clandeſtina, etſi capta eſt poſt appellationem, eſt nulla, & attentata.*

Decisio CCCXIV.

FVit reſolutum, D. Antonio dandum eſſe mandatum de manutenendo, quod, ad inſtar interdicti Vti poſſidetis datur ei † qui de tempore motæ litis poſſidet, *§. retinendæ, inſtit. de interd.* vbi Faber *num.* 1. & 22. 26. prout de poſſeſſione D. Antonij conſtat ex inſtrumento adeptionis illius, † quod ſufficit, alio non exiſtente in poſſeſſione. Rot. *dec.* 21. *de reſtit. ſpol. in antiq.* Biſign. *deciſ.* 8. *eodem titulo.* 1 2

Neque obſtat, quòd poſſeſſio fuit capta vel poſt appellationem, vel pendente tempore ad appellandum, cùm fuerit capta die 26. Maij, quo die fuit appellatum, † quia hæc appellatio, tanquam extraiudicialis non cauſat attentata, cùm non ſuſpendat futura ad actum de præterito, *cap. conſtitutis*, 2. vbi Innoc. *num.* 2. Imol. *num.* 13. *de appel.* Franc. *in cap. bonæ, num.* 3. *eodem titulo.* 3

Nec officit deciſio in cauſa Leodien. Abbatiſſatus, 31. Maij præteriti coram R. P. D. meo Sacrato, quia in caſu illius deciſionis fuerat quidem proceſſum extraiudicialiter ad electionem, ſed poſt introductam cauſam coram certo iudice, mediãte reſcripto Nuntij, fuerat capta poſſeſſio, quæ abſque vitio attentatorum non poterat capi, & propterea poſſeſſio fuit attẽtata, † cùm iudex ſuperior incepiſſet cognoſcere de appellatione extraiudiciali. Innoc. *in dicto cap. conſtitutis*, 2. *num.* 4. Imol. *num.* 14. *verſ. & hæc dicit vera, de appellat.* qui allegantur in dicta deciſione Leodien. & bene ponderantur. 4

Nec releuat poſterior poſſeſſio Franciſci de mãdato iudicis capta, † quia tanquam poſterior præſumitur clan 5

clandeſtina, & tanquam capta poſt appellationem, eſt nulla, & attentata, *c.non ſolum, de appell. in 6.* & non impedit quominùs manutētio poſſit dari Antonio, cùm non habuerit ſe pro ſpoliato, Rab. *conſ.135.nu.2. l.2.*& fuit pluriès reſolutum.

PAPIEN. COADiutoriæ.

Lunæ 20. Nouembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio Rotalis,ſiue iuſta,ſiue iniuſta,eſt timenda, & cauſat attentata.*

2 *Acta poſt inhibitionem factam à non habente iuriſdictionem,ſi deinde ſuperueniat iuriſdictio, poſſunt reuocari.*

Decisio CCCXV.

1 DOmini reſoluerunt; poſſeſſionem captam poſt inhibitionē, fuiſſe attentatam, quia inhibitio Rotalis,ſiue iuſta,ſiue iniuſta,eſt timenda, & cauſat attentata. Put.*dec.* 395. *l.2.* Achil. *deciſ.* 29. *de appell.* Veral. *dec.*128. *l.*1.in manuſcr.Rot. *dec.26.de appel.in antiq.*

2 Neque facit,quòd cùm literæ habeant clauſulā *ſublata*,inhibitio fuit conceſſa abſque iuriſdictione, & propterea non cauſat attentata;quia hoc iudicium non ſpectabat ad inferiorem,ſed Rota debebat adiri,vt in iuribus allegatis. Et ſufficit, quòd hodie cauſa reperiatur commiſſa, præuia apertione oris,vt poſſint reuocari dicta attentata,cùm adſit iuriſdictio.Bart.*in l.fin.circa finem,C.de car.friument.Vrb.Romæ, l.*11. Alex.*in l. Gallus*, §. *& quid ſi tantum, num.*2.& ibi Ias.*nu.*77.*ff.de lib.& poſthum.*

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Lunæ 27. Nouembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus ſubrogatus in locum Abbatis, habet iuriſdictionem in monachos priuatiuè ad ſuperiores regulares,exceptis iis quæ concernunt regularia inſtituta,& nu.3.*

2 *Epiſcopus ſubrogatus loco Abbatis, cenſetur ſubrogatus quoàd omnia.*

4 *Epiſcopus procedens in forma iudicij,habet iuriſdictionem priuatiuè ad alios, etiam quòd Eccleſia Cathedralis non ſit regularis.*

5 *Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.*

6 *Iuriſdictio cenſetur data priuatiuè, non cumulatiuè, quando conſtat de mente concedentis.*

7 *Iuriſdictio in dubio cenſetur data cumulatiuè,non priuatiuè,reſpectu tamen illius qui iam habet iuriſdictionem.*

Decisio CCCXVI.

DVbitaui, an Domini Archiepiſcopi Montis regalis pro tempore habeant priuatiuè, vel cumulatiuè ad ſuperiores Regulares iuriſdictionem in Monachos illius Eccleſiæ Cathedralis. Et Domini cenſuerunt priuatiuè, exceptis tantùm iis quæ concernunt regularia inſtituta,quia in huiuſmodi Cathedralibus Regularibus Epiſcopi ſunt loco Abbatum Monachorum,vt generalem conſtituendo regulam dicunt Io. And. Hoſt. & alij *in cap. tauſam quæ*, 1. *de iudic.* & in ſpecie de hac Eccleſia dicit Abb.*ibidem nu.* 8.*& ſeq.* Et propterea,† cùm ibi Archiepiſcopi ſint loco Abbatum,fruſtrà quæritur, an iuriſdictio eis cō-

Vide Dec.26 n.1 & not.

2

petat priuatiuè, vel cumulatiuè, quia cẽſentur ſubrogati quoàd omnia non excepta, vt bene per Abb. *in d.c.cauſam quæ,nu.*10.

3 Hinc gloſ.final.& Doctor. *in cap. nullus de elect. in* 6. dixerunt, ad Epiſcopum Cathedralis Regularis ſpectare omnimodam iuriſdictionem in illius Monachos. Et idem firmauit Rota in hac cauſa, 8. Martij 1604.coram me.

4 Et quando proceditur in forma iudicij, quòd Epiſcopi habeant de iure communi iuriſdictionem priuatiuè, etiam quòd Eccleſia Cathedralis non ſit Regularis, firmauit Rota per tres deciſiones in cauſa Cæſarauguſtana, 13. Nouẽbris 1587. & 28. Martij 1588.& 12.Febr.1590. coram bo me.Orano,& in hac cauſa in dicta deciſione &. Martij, per tex. *in cap. cùm perſonæ, de priuil.in* 6. D.Guido Pap. *dec.*559. *col.*4.*verſ.vbi verò ageretur de crimine contra Monachum*, cum aliis pluribus ibidem allegatis.

Hinc etiam, vltra diſpoſitionem iuris communis, in Bulla Pauli tertij Monachi eximuntur à iuriſdictione dominorum Archiepiſcoporum, quoàd regularia inſtituta tan-

5 tùm. † Quæ exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Et cõ-

6 cluſiones ſunt claræ,† quòd quando conſtat de mente concedentis,iuriſdictio cenſetur data priuatiuè, non cumulatiuè,vt per Felin.*in cap.paſtoralis,col.*3.*in* 1.*limit.de offic. ind. ordin.* Rom. *conſ.*393.vbi Add. *in liter. A.* Et communem dicit Ferret. *in conſ.* 142.*num.*15. *in princ.l.*1.

7 Prætereà,licèt in dubio regulariter iuriſdictio cenſeatur data cumulatiuè, non priuatiuè, vt latè per Rom.*d.conſ.*393,*num.*1. *& ſeq.& ibi* Add. Felin. *in d.cap. paſtoralis, nu.*1. *& ſeqq.* Et tenuit Rota, ex ſententia Illuſtriſſimorum interpretum Concil.in cauſa Piſcien.iuriſdictionis 15. Iunij 1590. coram Illuſtriſſimo Platto; tamen hæc concluſio intelligitur reſpectu illius qui iam habet iuriſdictionem. Tunc enim ſi alteri concedatur, cenſetur conceſſa cumulatiuè, niſi appareat de contraria mente concedentis. Et ideo in propoſito non applicatur, quia Domini Archiepiſcopi ſunt ſuffecti in locum Abbatis Monachorum qui habebat iuriſdictionẽ. Et propterea iuriſdictio potuit dari priuatiuè tantùm, quia non aderat cum quo daretur cumulatiuè. Vnde concluſum, iuriſdictionem ſpectare ad Dominos Archiepiſcopos pro tempore priuatiuè, non cumulatiuè.

CONCHEN. ARCHIpreſbiteratus.

Lunæ 27. *Nouembris* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum,*ſeſſ.21.c.2. *habet locum in permutatione beneficij. Limita quando permutans aſſequutus eſt poſſeſſionem pacificam alterius beneficij ſufficientis,nu.*7.

2 *Iura extracta lite pendente, ab eo qui non fuit rogatus, non probant.*

3 *Negatiua, quòd impetrans non fecerit mentionem de aliqua re, non probatur ex inſpectione gratiæ, cùm in beneficialibus detur multiplicatio titulorum,nu.*4.

5 *Pluralitas titulorum præſumitur cõtra actorem.*

6 *Impetrans beneficium illius qui non deceſſit in pacifica triennali poſſeſſione tenetur probare plenè, & concludenter ius illius.*

Deci

Decisio CCCXVII.

D. Amoraga, qui obtinuerat, ſe ſubrogari in iuribus Oſorij, etiam quoàd ſpolium, ius illius deducebat in nullitate permutationis, ex quo in ea non fecit mentionem, quòd fuerat ordinatus ad titulum Archipreſbiteratus de quo agitur, iuxta deciſionem Concilij Tridentini, *ſeſſ.21.cap.2.de reformat*, † quod licèt loquatur de reſignatione, tamen Sacra Congregatio cenſuit, habere locum etiam in permutatione. Cuius ſententiam ſequuta fuit Rota in cauſa Mutinen. Canonicatus, 19. Nouembris 1602. coram bonæ memoriæ D.Litta. Vnde dubitaui, an gratia D. Amoragæ eſſet iuſtificata. Et Rota, ipſo non informante, cenſuit negatiuè reſpondendum. † Nam iura, quæ dantur ad probandum, quòd Oſorius fuit promotus ad titulum huius Archipreſbiteratus, non probant, cùm fuerint extracta ab eo qui non fuit rogatus, lite pendente, abſque compulſorialibus. Rot. *dec.1. de fideicom. inſtr. in nou.* Veral. *dec.244.par.2.*

Sed quatenus probaretur, Oſorium fuiſſe promotum ad titulum huius Archipreſbiteratus: nec tamen huiuſmodi probatio ſuffragaretur, † quia nihilominùs hæc negatiua, quòd de hoc non fuit facta mentio, non probatur ex ſupplicatione permutationis, quæ datur, † quia cùm in beneficialibus detur multiplicatio titulorum, *cap.poſt electionem, de conceſſ.præbend.* Caſſad. *dec.3.nu.8.de cauſ.poſſ. & propr.* non probatur hæc negatiua, niſi coarctetur loco, ſcilicèt factis diligentiis in regiſtris, quòd alia non adſit ſupplicatio. Caſſad *deciſ.5. ſuper regul.* quia cùm hæc producatur à parte, non excludit, quòd non poſſit eſſe alia, in qua de ordinatione ad titulum dicti Archipreſbiteratus mentio habeatur. Caſſad. *deciſ.vlt.nu.6.de proc.* Creſc. *deciſ.21. num.4. de prob.* † pluralitas enim præſumitur contra illum qui probare tenetur. Ruin. *conſ.46.num.16.l.4.* & dixit Rota in cauſa Ferrarien. prætentionum, 19. Decembris 1578. coram bo. me. Oriolen.

Sed etiam iis ſemotis, dom. Amoraga adhuc teneretur probare, beneficium vacare ex perſona Oſorij, quia, cùm non deceſſerit in pacifica poſſeſſione triennali, ita vt poſſit iuuari allegatione Lapi 89. Caſſad. *dec.2. in fine, de cauſ.poſſeſſ.& propr.* † plenè, & concludenter tenetur probare ius ipſius Oſorij, Ægid. *dec.112.* Caſſad. *dec.2. de cauſ. poſſeſſ.& propr.* Verall. *dec.92. l.1. in manuſcript.* Rebuff. *in titulo de ſubrog. num.15. & ſuper concord. in tit. de mandat. apoſt.§. declarantes in verb. ſucceſſores, circa finem, verſ. inſuper ſubrogatus.* Et fuit dictum in cauſa Legionen. præſtimoniorum, 16. Ianuarij 1595. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.

Et denique ſi præfata omnia tollerentur, adhuc D. Moraga nõ poſſet obtinere, quia vt declarauit Cõgregatio Illuſtriſſimorum interpretum Concilij, in hac cauſa prædictum decretum Concilij non habet locum, quando permutans aſſequutus eſt vigore permutationis, pacificam poſſeſſionem alterius beneficij ad ſui congruam ſuſtentationem ſufficientis.

ALBANEN. FIDEIcommiſſi de Sabellis.

Ven. 1. Decembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio non inducitur, niſi ex actibus proximis, ex quibus alia cõiectura ſumi non poſſit.*

2 *An debita ſoluenda die determinata per teſtatorem, ſolui debeant ab herede fideicommiſſario, an verò à fideicommiſſario.*

3 *An ex actibus de quibus hoc nu. & nu. 1. 4. 5. & 6. inducta ſit repudiatio, vel aditio.*

4 *Cõfeſſio procuratoris non nocet principali.*

6 *Actus non ſunt interpretandi præter intentionem agentis.*

DECISIO CCCXVIII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt, non conſtare, Chriſtophorum repudiaſſe hereditatem Honorij, quia de expreſſa repudiatione non conſtat; nec minùs de tacita, cùm non adſint actus proximi, & tales, vt ex eis alia coniectura
1 ſumi non poſſit, † ſine quibus dicta renunciatio non inducitur. Dec. *conſ.* 402. *num.* 3. Pariſ. *conſ.* 49. *num.* 40. *vol.* 3. Aym. *conſ.* 257. *num.* 4. *verſ.* 8. *ſi dicamus.* Nam & ſi Chriſtophorus intentauerit iudicium ſuper repetitione debitorum Honorij, quæ pro portione hæreditaria, tanquàm heres ab inteſtato vna cùm Ludouico ſoluerat, hoc de iure potuit facere, quia reperto teſtamento, Ludouicus erat ſcriptus heres in proprietate, & Virginia mater in vſufructu, ipſe verò Chriſtophorus fideicommiſſarius conditionalis. Et licèt poſt delatam hereditarem adhuc proſequutus fuerit illud iudicium, tamen potuit credere, ſolutionem debitorum ſpectare ad Virginiam, & Ludouicum; ex quo illis teſtator præfixerat certum tempus pro dicta ſo-
2 lutione debitorum. † Ex quo multi Doctores tenuerunt, fructus perceptos computari cum debitis teſtatoris ſolutis; quamuis contraria ſententia ſit verior, ex allegatis per Pereg. de fideicom. *art.* 35. *num.* 10. & *ſeqq.* Et huiuſmodi intellectus ſuaderur ex ipſamet aſſertione Chriſtophori in commiſſione, in qua dicit, quòd cauſa pendebat in Rota, ſuper eo ad quem ſpectaret ſolutio debitorum. Nam ſi Chriſtophorus habuiſſet animum repudiandi, non fuiſſet vſus his verbis, quia illo caſu nullo pacto ſolutio debitorum ad ipſum ſpectare poterat. Et præfatũ intellectum iunctis his verbis, bene declarant alia verba commiſſionis, ſcilicèt repugnare, Ludouicum hæredem eſſe, & debita ſoluere nolle, quia ſi intelligantur ſecundùm prędictum ſenſum Chriſtophori, ex illis non oritur aliqua probabilis coniectura repudiationis.

Nec etiam ex eo poteſt induci 3
repudiatio, ex quo Chriſtophorus egit pro redditione rationis tutelæ contra Virginiam matrem, & filias Ludouici, vocando illas heredes Honorij, quia hæc non ſubſiſtunt, nec releuant. Nam quoàd Virginiam matrem, non adeſt difficultas, quòd contra eam poterat abſque alio ſcrupulo repudiationis agere, cùm fuiſſet vna cum Honorio eius tutrix. Quo verò ad filias Ludouici, non egit contra ipſas vti heredes Honorij, nam etſi commiſerit cauſam contra Virginiam, & heredes Honorij, vt curſor referat, feciſſe citationem ad dicendum contra Cõmiſſionem cõtra Virginiam, & alios nominatos in Commiſſione, non apparet propterea dictam Commiſſionem fuiſſe exequutam contra dd. filias Ludouici, vti heredes Honorij. † Et illa aſſertio in Commiſſione 4
facta à procuratore, quatenùs intellexit

lexit de filiabus Ludouici, non potuit præiudicare Christophoro, cùm non esset de re quæ in potestate ipsius procuratoris esset, Achil. *dec.* 4. *de confess.* Nec vsus commissionis operatur, quòd Christophorus approbauerit filias Ludouici, vti heredis Honorij, cùm ex prosequutis appareat contra ipsas egisse, vti heredes Ludouici, ex allegatis in causa Conchen. Archipresbiteratus, 18. Ianuarij 1598. coram R.P.D. meo Decano.

5 Nec possunt inducere repudiationem aliæ citationes. Nam illa exequuta contra Alexandrum Fantinum, vti procuratorem heredum, & Virginiæ, ad producendum libros rationis, & computorum, nõ suffragatur, non enim apparet, filias Ludouice fuisse citatas, vti heredes Honorij, & dicta citatio potuit fieri contra filias Ludouici, apud quem vti primum heredem, verisimiliter remanserunt dicti libri rationum, nec ius potest fieri in sequentibus verbis, *ad allegandum, & probandũ, excipiendum, &c.* quia hæc possunt intelligi secundùm subiectam materiam, scilicèt, ex qua causa non tenerentur exhibere, vel producere. Et alia citatio contra Virginiam & filias Ludouici, ad reddendum rationem, & aliæ ad videndum relaxari mandatum, minùs iuuant, quia apparet, contra dictas filias fuisse factas pro omni iure suo, & interesse, ex quo mandatum solùm fuit relaxatum cõtra Virginiam, & tamen Christophorus non reclamauit. Nõ enim verisimile est, quòd si voluisset agere contra filias Ludouici, vti heredes Honorij, non reclamasset, sua enim intererat, cùm plures haberet personas obligatas, habere
6 etiam illas condemnatas. † Et propterea isti actus non sunt interpretandi præter intentionem ipsius Christophori, *l. Lucius, §. Imperatores, ff. ad municipalem l. non omnis ff. si cert. pet.*

Quantum attinet ad testes nouiter examinatos, ex quibus prætenditur, repudiationem probari. Secũdus & quartus deponunt de auditu, alij duo, & præcipuè quintus, deponit in verisimilia, bis enim alloquutus fuit Christophorum, & ab eo vtraque vice audiuit hæc verba, *voglio non esser herede*, qua depositione, & verbis, & qualitate testis consideratis, apparet, quanta fides ei sit adhibenda. Et cessat omnis difficultas, quia depositiones istorum testium bene etiã possunt adaptari, vt verba Christophori sint intelligenda ad effectum, vt creditores qui petebant, debita sibi solui, agerent contra Virginiam heredem vsufructuariam, ad quam solutio debitorum spectabat, iuxta dispositionem testatoris, vt suprà dictum est.

TAVRINEN. DECIMARUM.

Lunæ 4. Nouembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Sufficit citare vnum ex procuratoribus constitutis cum clausula* insolidum, ita vt non sit melior conditio occupantis.

2 *Mandatum restrictum ad vnam instantiam non extenditur ad aliã, cùm sit stricti iuris, nisi adsint verba apta nata comprehendere aliàs instantias.*

3 *Clausula ad* prouocandum, *operatur, vt procurator possit appellare, & appellationem prosequi.*

4 *Clausula,* releuans, &c. *habet vim fideiussionis de iudicatum soluendo,*

tam

tam in prima, quàm in aliis inſtantiis, & nu. 6.

5 *Qui vult conſequens, per neceſſe etiam vult antecedens.*

6 *Procurator dominus litis effectus, durat in quacumque inſtantia, ſi in eius mandato adſit clauſula, releuans, &c. licèt regulariter expiret, lata ſententia.*

7 *Omiſſio citationis ad dicendum cõtra commiſſionem, vitiat ſententiã, itaut citatio in terminis ſubſtantialibus non ſufficiat.*

8 *Limita, vt citatio in terminis ſubſtantialibus ſufficiat, quando in ſecunda inſtantia non fuerunt facta noua acta, aut nihil fuit de nouo productum.*

9 *Limita, vt etiãſi acta de nouo fuiſſent facta, non inde ſequitur nullitas ſententiæ, ſed iniuſtitia.*

Decisio CCCXIX.

1 FVit reſolutum, ſententiam Rotalem vltimo loco latam eſſe validam, quia cùm fuiſſent conſtituti procuratores Ioannes, Stephanus, & Cæſar cum clauſula, *inſolidum, ita vt melior non ſit conditio occupantis*, ſufficit, Cæſarem fuiſſe citatum, *cap. ſi duo, de proc. in 6.* Creſc. *dec. 16. de procur.* Et fuit pluriès reſolutum.

2 Neque officit, quòd mandatum videatur reſtrictum ad cauſam appellationis introductam coram ſubrogato Reuerendiſſimi Pacen. Et propterea non potuiſſe vlteriùs agi cum dicto procuratore, quia mandatum eſt ſtricti iuris, *c. qui ad agendum, de proc. l. 6.* Et in terminis eſt deciſio Veral. 284. *num. 2. par. 3.* Quia per Dominos fuit reſponſum, ſufficere, quòd in mandato adſint verba apta nata comprehendere ſequentes inſtantias, vt fuit reſolutum in cauſa Tiraſonen. Canonicatus, 28. Ianuarij 1575. coram bo.me. Epiſcopo Lauretano. In mandato autem de quo agitur, adeſt clauſula, *ad prouocandum*, & alia clauſula *releuans, &c.* † quæ clauſula *ad prouocandum* ſecundùm opinionem Papaz. *ad dec. 9. num. 6. de procur. in nou.* operatur, nó ſolùm, vt procurator poſſit appellare, ſed etiam appellationem proſequi. Cuius opinio videtur hîc de plano procedere, ſtante alia clauſula, *releuans, &c.* † quæ clauſula in mandato procuratoris appoſita habet vim fideiuſſionis de iudicatum ſoluendo. Specul. *in tit. de ſatiſd. §. expedito, num. 2.* Vitalin. *in Clem. 1. nu. 48. & 49. de procur.* Et fuit dictum in cauſa Reatina Caſtri portæ, 5. Nouembris 1586. coram bo.me. Orano. Et hæc ſatiſdatio non tantùm intelligitur data in inſtantia pendente coram dicto ſubrogato Pacen. ſed etiam in aliis inſtantiis; ſecundùm opinionem æquiorem, quam Rota ſeruat, vt per Caſtren. *in l. cùm apud, num. 1. verſ. ego habui iuſtum caſum. ff. iudic. ſolui* Ægid. *dec. 353.* Veral. *dec. 67. l. 2. in manuſcr.* Cæſ. de Graſſ. *dec. 2. num. 7. de locat.* Cott. *deciſ. 4.* Et hãc etiam ſequitur Parlamentum Burdegalen. vt per Boër. *dec. 315. num. 1.* Et conſilium Neapolitanum, vt per Vinc. de Franc. *dec. 320. par. 2.* Et Senatus Pariſien. vt teſtatur Theſaur. *dec. 202. num. 5.* qui iuribus contrariis bene reſpondit. Vnde ſi ſatisdedit pro procuratore in quacumque inſtantia, per neceſſarium antecedens, voluit pariter in prima inſtantia eſſe procuratorem, ex regula † quòd qui vult conſequens, per neceſſe vult etiam antecedens, *l. illud, ff. de acquir. hered. l. ad rem mobilem ff. de procurator.* cum vulgaribus; ſtante maximè dicta clauſula *ad prouocandum*, quæ magis videtur declarare mentem conſtituentis. † Et per hoc motiuum Rota in dicta cauſa

3 4 5 6

Reati

Reatina dixit, mandatum procuratoris domini litis effecti durare in quacumque inſtantia, licèt regulariter lata ſententia, expiret, quia dicitur dominus inſtantiæ. Achil. *dec. 13. de procur.*

Alia nullitas deducta contra ſententiam minùs etiam placuit Dominis, † quia etſi pars non fuerit citata ad dicendum contra commiſſionem, prout requiritur, itaut nec ſufficiat citatio in terminis ſubſtantialibus, vt fuit reſolutum in cauſa Bracharen. de Garfei, 27. Nouembris 1600. coram R.P.D. meo Sacrato, tamen poſteà eadem deciſio 19. Nouembris 1603. in eadem cauſa coram eodem fuit declarata, vt ſufficiat citatio in terminis ſubſtantialibus, quando nihil fuit productum de nouo, & noua acta non fuerunt facta in cauſa appellationis, ſed antiqua tantùm producta, quia eorum productio cõualidatur per citationem in terminis ſubſtantialibus ad dicendum contrà, prout fuit
9 factum in caſu iſto. † Et benè etiam applicatur alia limitatio, quatenus acta de nouo fuiſſent facta, quòd licèt non ſuſtinerentur, non inde ſequeretur nullitas ſententię, ſed iniuſtitia, quia nõ iuſtificatur ex actis. Quæ iniuſtitia non poteſt conſiderari, quando quis habet diſpoſitionem iuris cõmunis pro ſe, vt etiam in caſu iſto, quia parochus qui agit ad decimas, habet diſpoſitionem iuris ad ſui fauorem, *cap. cùm contingat, de decimis.*

ASCVLANA PECVniaria.

Lunæ 11. Decembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus dare fideiuſſores, probare debet, fideiuſſores eſſe idoneos.*

2 *Exceptio non adimplementi eſt ſuſpenſiua, & limitatiua, donec impleatur.*

3 *Emptor poſſidens rem, & pretium, tenetur ad fructus recompenſatiuos, etiam quòd venditor non adimpleuerit ex parte ſua, nu. 4.*

5 *Fideiuſſor pro pretio, tenetur ad fructus recompenſatiuos.*

DECISIO CCCXX.

CVm præſuppoſito, quòd fideiuſſor de euictione datus per Rucciarellos vẽditores ſit idoneus, 1
†ad quos onus hoc probãdi ſpectat, *l. ſiverò, §. qui pro rei, ff. qui ſatiſd. cog.* Et quòd Antonia vxor, & Guidius filius Capitanei Theodori, quorũ nomine ipſe emit, ratificauerint emptionẽ, fuit reſolutum, ipſos à die datæ fideiuſſionis teneri ad ſoluẽdum fructus cenſus, quem pro parte pretij in ſe ſoluendum ſuſceperunt; necnon ad ſolutionem terminorũ pretij, ita vt incipiant maturari poſt dictam fideiuſſionem, iuxta tenorem inſtrumenti. † Exceptio enim non 2
adimplementi, eſt ſuſpenſiua, & limitatiua ſolùm, donec adimpleatur. Alex. *conſ. 27. num 2. lib. 1.* Bellon. *conſ. 25. nu. 3. & ſequen.* Menoch. *de arbitr. quæſt. 16. num. 6. lib. 1.* Et fuit dictum in cauſa Britonorien. pecuniaria 11. Febr. 1605. & 23. Iunij huius anni, coram R.P.D. meo Ortembergo.

Inſuper tenetur ad fructus recõ- 3
penſatiuos, ex æquitate, *l. curabit, C. de act. empt.* pro dicto cenſu, vſque ab initio contractus, quia circa cenſum non fuit data aliqua dilatio ad ſoluendum, ſed ſolùm conuentum, quòd emptores non tenerentur ad fructus, donec fideiuſſor de euictione daretur. Quo verò ad terminos pretij, cùm eſſet data dilatio ad ſoluendum, pro tempore quo illa du-

rauit, aliqui fructus non debentur, secùs tamen postquàm solutio retardabatur, ex quo fideiussor de euictione non dabatur. Regulæ enim sunt claræ, quòd licèt venditor non adimpleat, si tamen rem tradiderit, teneatur emptor ad fructus recompensatiuos. Bald. *in l.2.num.7.* Castr. *num.1.C.de vsur.* Dec. *cons.119.col.3. vers.6. adduci potest, & col. vlt.vers.5. non obstat.* Paris. *cons.6.nu.26. & seqq. l.1.* Alex. *cons.147.num.3.l.5*, Soci.sen. *cons.176. col.2. num.7.l.2.* Cagnol. *in d.l.curabit, num.31.* Couar. *var. resol. l.3.cap.4. num.6. vers.12.* non tamen pro ea parte pretij circa quam fuit data dilatio ad soluendum. Soci.sen. *d. cons.176. col.vlt, sub num.11. l.2.& cons.103. num.26. & cons.130.num.5. & seqq.l.4.* Dec. *d.cons.119.num.3.vsq; ad finem*, Rub. *cons.88.* Cagnol. *in d.l. curabit, num.52.* Couar. *vbi suprà, nu. 5.in princ.*

5 Quantum verò attinet ad Capitaneum Theodorum, qui emit nomine vxoris, & filij, fuit resolutum, teneri eum ad pretium tantùm, pro quo fideiussit, & non ad fructus recompensatiuos. *l.fideiussores magistratuum, §.pro Aurelio, ff.de fideiuss.*

An autẽ Capitaneus Theodorus teneatur ad dictos fructus, quasi egerit nomine simulato vxoris, & filij, & tanquam ille ad cuius manus bona peruenerunt; Domini dixerunt, non esse præsentis inspectionis. Et ita fuit resolutum solis Mucchiarellis informantibus.

ROMANA, SEV ANAgnina Cambiorum.

Lunæ 11. Decembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Rota non attendit aliorum sententias, nisi iustificentur ex actis.*

2 *Confessio facta ad alium finem, & inter alios non probat, maximè si facta sit incidenter.*

DECISIO CCCXXI.

DOmini resoluerunt, non constare de credito, ad effectum quòd cambia debeantur, quia cùm dicatur, de eo apparere ex sententia AC. sufficit, quòd dicta sententia non iustificetur ex actis.† Rota enim 1 non attendit aliorum sententias, nisi sint iustificatæ. Put. *dec.401.l.1.* Chiffanen. *dec.179.*† Nec etiam hæredes 2 possunt iuuari ex confessione facta in precibus, quia fuit facta ad alium finem, & inter alios, & propterea non præiudicat. Alciat. *in l.1.§.si quis ita, ad finem, in 2.lect.tom.4.ff. de verb. oblig.* Et eo magis cùm fuerit facta incidenter, & accessoriè, non autem principaliter, & propter se, quo casu non præiudicat ad alium effectũ. Abb. *in cap.at si clerici, in princ.num.6. de iudic.* Dec. *cons.310. num.4. & 5.* Paris. *cons.59.nu.17.l.4.*

Non obstat, quòd non adsit iurisdictio, vt cognoscatur super dicto credito, quia clausulæ Commissionis sunt ampliſſimæ. Et cessat difficultas, cùm non possit cognosci, an cambia debeantur, nisi priùs constet de credito quod negatur.

PORTVGALLEN. Pensionis.

Ven.15. Decembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Exequutor debet esse certus de sua iurisdictione.*

2 *Notario creditur in pertinentibus ad suum officium, & in iis de quibus ipse primò fuit rogatus, magis illi creditur, quàm alteri notario postea contrarium attestanti.*

3 Tran

3 *Translatio pensionis vigore priuilegij militis Lauretani, potest fieri coram notario, qui requiritur ad effectum probationis, non vt tanquam exequutor antequam possessionem cassat, & nouam reseruet, nu.4.*

5 *Actum vno modo faciens, non alio modo facturus, non potest aliam viam eligere.*

6 *Actum faciens, intelligitur facere eo modo quo melius fieri potuit.*

7 *Fides parochi attestantis, quem fuisse excommunicatum, non probat esse excommunicatum.*

8 *Acta notarij publicè non excommunicati sustinentur ratione publici officij.*

9 *In summis, & speciebus vtile per inutile non vitiatur.*

Decisio CCCXXII.

OPponebatur cõtra decisionem in hac causa factam pro validitate translationis pensionis. Primò, quòd exequutor electus ad hũc actum non fuit certus de sua iurisdictione, † prout requiritur. Rot. 1 *decis.* 19. & 21. *de concess. præbend. in nou.* Crescent. *dec.* 13. *eodem tit.* Non enim fuerunt exhibitæ literæ originales reseruationis pensionis, & creationis militis Lauretani, & priuilegiorum huiusmodi militum circa facultatem trãsferendi. Hoc motiuum visum fuit Dominis nõ subsistere, † quia quoàd literas reser- 2 uationis, & creationis militis Lauretani, notarius, cui creditur, Put. *dec.* 475. *l.*2. testatur fuisse exhibitas, vt in proces. fol. 66 & 67. Vnde parum refert, quòd notarius compulsoriæ dicat in compulsatione *transumptũ transumpti*; quia hoc non tollit assertionem notarij translationis, & apparet, verè hunc fuisse errorem notarij compulsoriæ, quia notarius actuarius qui fecit primum processum, subdit, prout legitur in processu compulsato in instrumẽto, quod extraxit à propriis originalibus. Et quantùm ad priuilegia Militũ Lauretanorum, licèt materia reddatur dubia, quia notarius testatur, fuisse productam Bullã creationis in Militem, in qua adsunt priuilegia &c. quæ tamen non leguntur in supplicatione, quæ habetur in actis, quæ tunc sufficiebat, cùm haberet clausulam, quòd sola signatura sufficiat, tamen, quicquid sit, an fuerint exhibita priuilegia, adhuc nihilominùs dixerunt Domini, translationem sustineri, † quia cùm translatio vi- 3 gore priuilegiorum possit fieri etiã coram solo notario, vt fuit latè deductum in causa Lucana pensionis, 17. Febr. 1592. coram bo. me. Orano, non fuit necessaria exhibitio priuilegiorum, † quia interuentus nota- 4 rij desideratur ad effectum probationis, non ad effectum, vt tanquàm exequutor antiquam possessionem cassat, & nouam reseruet. Put. *decis.* 344. *l.*2. Et fuit dictum in allegata causa Lucana.

Non obstat, quòd pensionarius 5 elegit viam exequutoris, & non viã notarij. Vnde videtur intrare regula *quod potui, nolui, &c.* quia regula procedit, quando quis ita intendit facere, & non aliàs, quod secùs est in casu isto; quia cùm translatio pensionis penderet ex voluntate pensionarij, † dicendum est, transtulisse 6 omni iure quo meliùs facere potuit, *l.*3. *ff. de testam. milit.* vbi miles licèt incipiat testari iuxta ius commune, per hoc tamen non videtur renunciare velle priuilegio militis. Et in nostris terminis est elegans decisio Put. *supradicta* 344. *l.*2. digna quòd videatur, & sensit Rota in dicta decisione Lucana coram Orano.

Secundò opponebatur, quòd notarius

tarius qui de tranſlatione fuit rogatus, erat tunc excommunicatus, ſed neque iſta nullitas placuit, quia hoc probatur ex fide coadiutoris Pa-
7rochi, † quæ, cùm ſit de actu de præterito, non probat. Ægid. *deciſ.* 61. Et ſi huiuſmodi probationibus adhibenda eſſet fides, tamen contrarium conſtat ex alia atteſtatione, nempè quòd de anno, quo fuit rogatus de tranſlatione, Sacramentalem confeſſionem fecit, & Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum perce-
8pit, & fuit abſolutus. † Vltra quòd cùm non appareat fuiſſe notoriè, & publicè excõmunicatum, ſuſtinentur geſta ratione publici officij, vt fuit dictum in cauſa Iacen. Archidiaconatus, 23. Iunij 1601. coram Illuſtriſſimo Pamphilio, & in cauſa Burgen. Canonicatus, 17. Octobris 1586. coram bo.me. Gyptio.

Tertiò & vltima nullitas ſimiliter non placuit, ſcilicèt priuilegia loqui de penſionibus non excedentibus medietatem fructuum, & propterea debuiſſe priùs iuſtificari iſtã qualitatem, quòd penſio non excederet medietatem, quia fuit reſponſum, ex lectura apparere contrariũ; nam qualitas iſta fuit appoſita reſpectu tranſlationis, ex quo facultas datur militibus transferendi penſionem, non tamen ſummam 200. ducatorum, nec medietatem fructuum excedentium, & propterea ſi titularis prætendit, penſionem trãslatam excedere medietatem, tenetur probare, & hoc probato non releuaret ad effectum nullitatis tranſlationis, ſed tantùm ad effectum reductionis penſionis, † quia in ſummis, vel ſpeciebus, vtile per inutile non vitiatur vt fuit in noſtris terminis dictum in allegata Lucana, coram bo.me. Orano.

CALAGVRITANA Iurisprouidendi.

Lunæ 18. *Nouembris* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Iuriſdictio expirat lata ſententia. Quòd ſi ſunt plura capita, & ſententia lata ſit ſuper vno capite, non expirat quoàd alia, niſi dictum ſit quòd ſimul & ſemel cauſa terminaretur, nu.* 2.

Decisio CCCXXIII.

IN hoc articulo, an eſſet conſumpta iuriſdictio in caſu de quo agitur, ſcilicèt, vt vigore Commiſſionis, & appellationum à ſententia Reuerendiſſimi Seraphini non poſſem cognoſcere ſuper ſubreptione Breuis Clem. 8. dati ſub die 4. Maij 1592. Domini fuerunt varij. Nam
1 ex quo vigore dictæ Commiſſionis Clem. 8. de anno 1598. *eſſe exequendum* hac pronunciatione videbatur aliquibus iuriſdictionem fuiſſe conſumptam, † quia regula eſt, quòd lata ſententia iuriſdictio expirat, *l. Iudex poſteaquàm, ff. de re iudic.* Rot. *dec.* 16. *de re iud. in nou.* 1

Huic motiuo ab aliis reſpondebatur, concluſionem eſſe veram, ſed non applicari, quia cauſa principalis quæ pendebat coram Illuſtriſſimo Seraphino erat ſuper obreptione Motus Proprij Sixti V. quem ipſe pronunciauit ſubreptitium, & lite coram ipſo pendente, ſuperuenerunt dicta Breuia Clementis, quæ coram eo fuerunt producta. Vnde cùm vigore Commiſſionis appellationis, bo.me. Litta pronunciauerit ſolùm ſuper exequutione dicti Breuis de anno 1598. apparet, non fuiſſe conſumptam iuriſdictionem, † cùm 2
capitula ſint diuerſa, & dictum non

ſit,

ſit,quòd ſimul & ſemel cauſa terminetur. Abbas *in cap. cum G. & A. nu. 9. & in cap. cùm inter, nu. 23. & 24. de re iudic.* & bene *in conſ. 97. in princ. & nu. 1. l. 1.*

Ex quibus viſum fuit, partes iterum eſſe audiendas poſt Reges.

NARNIEN. CONFINIUM.

Lunæ 18. Decembris 1606.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes de Vniuerſitate regulariter non repelluntur, & num. 6. niſi habeant intereſſe, nu. 2. & 3.*

4 *Si paſcua venduntur, & pretium in archa communi reponitur, agitur de intereſſe Vniuerſitatis, non ſingulorum.*

5 *Quis eſſe non poteſt ſimul actor, & teſtis.*

DECISIO CCCXXIV.

VIſum fuit Dominis, teſtes Cõmunitatis Narniæ in Rota examinatos,non eſſe idoneos teſtes,
1 quia omnes ſunt de Vniuerſitate, † quia licèt regulariter non repellantur, *c. inſuper, de teſtibus*, vbi Abb. &
2 Fel. *num. 2.* † tamen regula non procedit,quando habent intereſſe. Lanfranc. *de teſtibus, num. 73.* Oſaſch. qui alios refert, *dec. 99. num. 39.* Menoc. *de arbitr. caſ. 106. nu. 13. l. 2.* Chiſſanen. *dec. 189.* Hoc intereſſe autem ſatis probatur,ex quo teſtes iuxtà lx. deponunt,quòd à menſe Aprilis vſque ad menſem Septembris paſcere poſſent in loco cõtrouerſo eorum pro-
3 pria animalia. † Clarum enim eſt, quòd quando agitur de paſcuis,propter intereſſe ſingulorũ teſtes Vniuerſitatis non ſunt idonei, Ang. *in l. omnibus, nu. 2. verſ. aut reſpicit ſingulos, C. de teſtibus.* Caſtr. *ibidem num. 2. verſ. & per prædicta patet.* Lanfranch. *loco præcitato num. 73.* qui de communi. Oſaſch. & Menoch. *in locis præalleg.* Afflict. *deciſ. 400. poſt num. 5.* Couar. *pract. quæſt. cap. 18. num. 4. verſ. 4. indices* Rol. qui de communi, *conſ. 72. nu. 13. & ſeq. l. 2.*

Neque facit,quòd hîc agitur ſuper finibus, non ſuper paſcuis, nec ex victoria finium reſultat victoria paſcuorum,cùm Communitas Narniæ poſſit habere ſeruitutem in territorio alieno: quia aliàs hoc erat motiuum Colliſcipionen. Et Rota reſpondit ad inſtantiam Narnienſium, hoc non applicari in noſtro caſu; nam controuerſia ſuper territorio ex eo orta fuit,quia Narnienſes prætendebant paſcua ſuper bonis particularium exiſtentibus in ſuo territorio, quare ex victoria finium reſultat victoria paſcuorum; & ſic intereſt teſtium;quia poſſunt prædicto tempore paſcere in loco controuerſo.

Non obſtat,quòd quando paſcua 4
venduntur, & pretium in archa cõmuni reponitur, agitur de intereſſe Vniuerſitatis nõ ſingulorũ. Iacobin de ſancto Georgio, *in l. nullus, num. 8. verſ. deinde ſi eſſet quæſtio, ff. de teſtibus*, quia quoàd tempus quo teſtes poſſunt paſcere ſua animalia, hoc non facit Communitas. Nec releuat dicere,quòd poteſt facere,quia attendẽdum eſt,quod faceret de tempore examinis teſtium, ita vt videatur, quid conſiſtat in animo ipſius teſtis.

Minus obſtat,quòd aliqui ex iſtis teſtibus non habent animalia, quia hoc intereſſe non conſiſtit ſimpliciter in ipſo actu paſcendi,ſed in iure, vel facultate paſcendi, & ideò vt teſtes non admittantur ſufficit,quòd conſideretur intereſſe ex ipſo iure paſcendi.

Pariter dixerunt, repellendos illos teſtes, qui interuenerunt in mãdato, quia non ſolùm fuit datum nomine Communitatis, ſed etiam proprio nomine ſingulorum, ibi *propriis nominibus, & nomine & vice Communitatis*, & regulæ ſunt claræ,
5 † quòd quis non poteſt eſſe actor, & teſtis. Et fuit reſolutum in hac cauſa 15. Martij 1604. contra Colliſcipionenſes.

6 Quoàd teſtes Colliſcipionen. viſum fuit Dominis, illos qui non interuenerunt in mandato, & qui non habent bona in loco controuerſo, eſſe idoneos teſtes, etiam quòd aliqui ſint de Vniuerſitate, quia, vt dictum eſt, teſtes de Vniuerſitate admittuntur, & ſunt idonei, ſi non habent intereſſe.

Nec facit, quòd aliqui ex teſtibus Narnien. deponant, quòd viderunt illos paſcere in loco controuerſo prædicto, æſtiuo tempore, quia hanc prætenſionem nõ habent Colliſcipionenſes, nec illi teſtes diſtinguunt, an habuerint paſcua de iure, vel de facto. Imò alij teſtes Narnienſes, vt dictum eſt, dicunt, quòd ipſi ſoli, & non Colliſcipionenſes poſſunt æſtiuo tempore paſcere.

AQVILANA BENEficij.

Lunæ 18. *Decembris* 1606.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis, etiamſi capta ſit per procuratorem ſpeciale mandatum habentem, nu.* 2.

3 *Poſſeſſio poſterior præſumitur clandeſtina, nec eſt manutenibilis, etiãſi adſit perceptio fructuum.*

DECISIO CCCXXV.

DOmini dixerunt, D. Franciſco 1
dandum eſſe mãdatum de manutenendo, quia conſtat de eius poſſeſſione anteriori, quæ licèt inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis, iuxta ſtylum Rotæ.

Neque officit, quòd ſit capta per 2
procuratorem, quia cùm ſit ſpecialiter conſtitutus ad capiendum dictam poſſeſſionem, ſufficit, quia eſt ſatisfactum regulæ, quòd in beneficialibus requiritur ſpeciale mandatum.

Minùs facit poſſeſſio Hieronymi, 3
quia cùm ſit poſterior, præſumitur clandeſtina, & vitioſa. Vnde non eſt manutenibilis, etiam quòd eſſet cum perceptione fructuum, vt reprobato Couarruu. ſæpè firmauit Rota.

Ex quibus meritò Hieronymus agnoſcens bonam fidem, ceſſit dubio.

MAIORICEN. PENſionis.

Ven. 12. *Januarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula*, ſine retardatione penſionis, *operatur vt validè procedi non poſſit in cauſa, niſi priùs penſio ſoluta ſit.*

2 *Depoſitum non integrum non ſuffragatur.*

3 *De liquido ad illiquidum non fit compenſatio.*

4 *Procurator ſine mandato ſpeciali, non poteſt domino præiudicare.*

DECISIO CCCXXVI.

CVm de menſe Iulij 1601. Ioſephus Mas obtinuerit ab AC. decla

declaratoriam contra Ioannem Sanſalonium, ob non ſolutionem quatuor terminorum annuæ penſionis ducatorum 401. quam declaratoriã nullam prætendebat Ioãnes, ex quo tantùm tũc eſſet debitor trium terminorum, quia licèt penſio fuit reſeruata de menſe Iulij 1599. tamen ſolùm habuit poſſeſſionem parochialis de menſe Martij 1600. Et propterea cùm cauſa fuiſſet commiſſa in Rota cum clauſula *ſine retardatione ſolutionis penſionis*, ideo antequàm cognoſcatur ſuper validitate dictarum cenſurarum, viſum fuit Dominis, eſſe agendum. An cõſtaret de integra ſolutione penſionis, ſtante dicta clauſula', *ſine retar-*
1 *datione ſolutionis, &c.* † Quæ operatur, vt validè minimè procedi poſſit, niſi priùs ſoluta penſione. Put. *dec.* 22. *de pen.* Cæſ. de Graſſ. *dec.* 8. *nu.* 1. *de re iud.* Pariſ. *conſ.* 94. *num.* 12. *li.* 4. Et fuit pluriès reſolutũ. Vnde propoſito dubio, vtraque parte informante, Rota cenſuit, non conſtare de integra ſolutione penſionis; nam quicquid ſit de primo termino, Ioſephus fatetur, ſe eſſe debitorem trium terminorum, vt in depoſito lib. 124. facto in partibus, aſſerendo ad reſiduum trium terminorum nõ teneri, ex quo illud expendit in ex-
2 peditione Bullarum, † quod depoſitum, cùm non ſit integrum, non ſuffragatur. Cur. iun. *conſ.* 28. *num.* 13. latè Tiraq. *de retract. conuent. §.* 4. *gl.* 6. *num.* 23. *& ſeqq.* Nec exceptio, quòd reſiduum expenderit in expeditione
3 Bullarum, ei ſuffragatur, † cùm de liquido ad illiquidum non detur cõpenſatio, §. *in bonæ fidei, inſtit. de act.*

Neque facit, quòd procurator Ioſephi exegerit dictum depoſitum
4 pro reſiduo, † quia cùm non haberet mandatum ſpeciale, non potuit præiudicare Ioſepho, Franciſcus Aret. *conſ.* 4. *num.* 3. Fed. de Sen. *conſ.* 53. Bal. *conſ.* 131. *lib.* 3.

NAZARENA PENſionis.

Lunæ 15. *Ianuarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Penſio ſoluitur in feſto S. Ioannis, & in die Natiuitatis, gratia commodioris ſolutionis.*

2 *Penſio ſolui debet pro rata fructuum, & non pro rata temporis.*

3 *Succeſſor qui non habuit fructus, non tenetur ad integram ſolutionem penſionis decurſæ, non ſolutæ, niſi priùs factis diligentiis.*

4 *Hæres non tenetur ad ſolutionem penſionis decurſæ poſt obitum, etiam ſi aliquid receperit à Camera, niſi in ſubſidium.*

5 *Gratia Principis intelligitur ſine præiudicio tertij.*

Decisio CCCXXVII.

DVbitaui, quis teneretur ad ſolutionẽ penſionis ſcilicèt termini Natiuitatis Domini 1604. Et cùm penſio antiquitùs fuerit reſeruata die 13. Iunij ſoluenda in die Natiuitatis, & ſancti Ioannis, clarũ eſt, quòd annus terminatur in alio menſe Iunij ſequentis, † licèt, gra- 1
tia commodioris ſolutionis, penſio ſit diſtributa in duobus terminis. Put. *dec.* 189. *num.* 2. *in fin. lib.* 2. Et fuit dictum in cauſa Romana penſionis 27. Iunij 1598. coram R.P.D. meo Decano, & in cauſa Neritonen. penſionis 20. Nouembris præteriti, coram R.P.D. meo Sacrato. Vnde cùm Archiepiſcopus obierit de mẽſe Octobris, & poſtmodùm fuit prouiſus Illuſtriſſimus Dominus Cardina

dinalis Barberinus, clarum eſt, quòd ſolutio dicti termini ſpectat ad Cameram, & ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem, pro rata fructuum quos percepit, à die ſuæ prouiſionis, vſq; ad diem 13. Iunij, quo annus completur, vt in ſimili fuit conſideratũ
2 in dicta cauſa Naritonen. † Penſio enim debet ſolui pro rata fructuum, & non pro rata temporis, ſecundùm opinionem quã Rota ſeruat. Gabr. *conſ.* 191. *num.* 13. *& ſeqq. vol.* 2. Et fuit dictum in cauſa Fanen. penſionis, 19. Iunij 1573. coram ſanct. mem. Clemente 8. & in cauſa Cæſarauguſtana penſionis 13. Aprilis 1592. coram Illuſtriſſimo D. M. Cardinali Pamphilio.

Sed difficultas hodie conſiſtit in eo, quòd iam Illuſtriſſimus Cardinalis ſoluit dictum terminum, ſed vult retinere in manibus ſequentes terminos. Quod non poſſe fieri cenſuerunt Domini, quia licèt Rota nunquam voluerit admittere illam
3 concluſionem, † quòd ſucceſſor qui non habuit fructus teneatur ad integram penſionem, vt per Caſſad. *dec.* 4. *num.* 3. *de locat.* Creſc. *dec.* 3. *de ſolut.* Put. *dec.* 189. *num.* 2. *lib.* 2. niſi priùs factis diligentiis contra illum qui fructus percepit, vt in cauſa Hiſpalen. penſionis 16. Decembris 1577. & 22. Ianuarij 1578. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, & in cauſa Barbaſtren. penſ. 19. Aprilis 1602. coram R. P. D. meo Lancellotto, tamen ſtylus Rotæ procedit ex quadã æquitate, quæ ceſſat, ex quo Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis iam ſoluit.

4 Neque eſt verum, quòd penſionarius debet agere etiam cõtra hæredem Archiepiſcopi inſtitutum in re certa, vigore facultatum Archiepiſcopo cõceſſarum à ſummis Pontificibus; quia cùm hæres receperit certam ſummam à Camera, mediante facultate teſtandi conceſſa à Principe, non poteſt ſuper iſta ſumma moleſtari. Vital. *in Clem.* 2. *num.* 46. *de decimis*, Creſc. *dicta dec.* 3. *num.* 4. *de ſolut.* maximè cùm hoc eſſet ex liberalitate Principis, *l. omnes, l. benè à Zenone, C. de quadrien. præſcript.* licèt verum ſit, quòd ſi id quod remanſit Cameræ, & quod percepit Illuſtriſſimus Cardinalis in dicto anno, nõ ſufficeret pro ſatisfactione penſionarij, poſſet agere etiam contra hæredem, † quia gratia Principis eſſet 5
intelligenda ſine præiudicio tertij, gloſ. *in c. olim*, vbi Abb. *nu.* 7. *de verb. ſignif.* Iaſ. *in l. beneficium, num.* 20. *de conſt. princ.* & in terminis l. benè à Zenone dicit Pereg. *de iure fiſci lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 18. *& ſeqq.* Et fuit dictum in cauſa Neritonen. penſionis 1. Iulij 1605. & 16. Ianuarij 1606. coram R. P. D. meo Decano.

CAVRIEN. PENſionis.

Lunæ 15. *Ianuarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Taciturnitas eorum, quibus expreſſis gratiam Papa non conceſſiſſet, vitiat gratiam.*

2 *Taciturnitas circa id quod ſi fuiſſet expreſſum iuxta communem ſtylum Principis, vel curſum Cancellariæ, gratia non fuiſſet conceſſa, vitiat gratiam.*

3 *Si quis impetrat præbendam, & taceat, illi eſſe annexum officium pœnitentiariæ, per iſtam taciturnitatem non vitiatur gratia.*

4 *Literæ penſionis regulãtur ſecundùm literas beneficiales.*

5 *Præbendatus pœnitentiarius non dicitur habere curam animarum, niſi concurrat parochia.*

6 *Non*

6 *Nõ omnis taciturnitas, quæ facit impetrationem beneficij ſubreptitiam, facit etiam penſionem ſubreptitiam.*

7 *Vnio extincta facit ceſſare titulum, aliàs ſecùs.*

Decisio CCCXXVIII.

FVit reſolutum, reſeruationem penſionis fuiſſe validam; quia in ea interuenerit Papæ voluntas, quæ cùm de poteſtate non ſit dubitandũ, ſufficit ad cuiuſcumque actus perfectionem, *c. cùm ſuper, de off. deleg.* Nec ex eo voluntas Papæ iuſtificari poteſt, quòd non fuit narratum, præbendam ſuper qua penſio reſeruata fuit, habere annexum officiũ Pœnitentiariæ, † quia licèt omnes expreſſiones, quæ faciliùs mouent Papam ad concedendum, vitient gratiam, ex quo literæ habent taciram conditionem, *ſi preces veritate nitantur*, ſecùs tamen eſt, in taciturnitate, quia non omnia tacita vitiãt
1 gratiam, † ſed ea ſolùm, de quibus iure eſt certum, quòd eis expreſſis Papa nullatenùs gratiam conceſſiſſet, Rota *dec. 32. num. 5. de reſcr. in no.* quæ eſt etiam apud Ægid. *dec. 697. num. 4. poſt medium, verſ. 3. principaliter*, Calderin. *conſ. 6. ante finem, verſ. per prædicta, de præbend.* Mohed. *dec. 7. de reſcr.* Fely. *in c. poſtulaſti, num. 1. col. 4. in fi. verſ. declara etiam notabiliter, eodem tit.* † Vel etiam ea taciturnitas gratiam vitiat, quæ eſt circa
2 id quod ſi fuiſſet expreſſum iuxta communem ſtylum Principis, vel curſum Cancellariæ, gratia non fuiſſet conceſſa, & propterea attenditur probabilis coniectura, vel cõmunis vſus aliarum literarum per Principem conceſſarum, vel ſolitarum concedi, Fely. *in c. ſuper literis num. 8. verſ. 1. reg. de reſcr.* Lapus *allegat. 89. num. 6.* idem Felyn. *in c. in noſtra, num. 19. de reſcript.* Caſſad. *dec. 12. num. 14. de præben.* Et fuit dictum in cauſa Caputaquen. iuriſpatron. 10. Maij 1600. coram R. P. D. meo Iuſto. † Hîc autem, licèt non fuiſſet 3 facta mentio, quòd præbenda haberet officium Pœnitentiariæ annexũ, tamen gratia non vitiatur, quia neque de iure habetur, neque de ſtylo ſeruatur, quòd talis expreſſio vitiet gratiam. Non enim iuuat titularem, quòd cum officium Pœnitentiariæ adminiſtret ſacramentũ Pœnitentiæ, videtur habere curam animarum, & propterea in reſeruatione penſionis erat facienda mentio de dicta cura. Quod comprobatur, quia ſicuti impetratio præbendæ pœnitentialis ea qualitate tacita non ſuffragaretur, ita nec impretatio penſionis, † cùm literæ penſionis de- 4 beant regulari ſecundùm literas beneficiales. Greg. *de penſ. quæſt. vlt. nu.* 13. † Quia non eſt verum, quòd ex 5 quo Pœnitentiarius exercet hoc ſacramentum, habeat curam animarum, niſi cum hoc concurrat Parochia, & per Sarnen. *in reg. de idiomate, quæſt. 11. col. 3. circ. med. verſ. ex quibus etiam*, & per gloſ. *in Clem. dudum, in verb. impediant, de ſepultur.* vbi dicit, quòd licèt Fratres Prædicatores, & Minores ex priuilegio dictæ cõſtitutionis, & *Clem. exiui* exercere poſſint ea quæ ſunt fori pœnitentialis, non tamen per hoc cenſentur Curati. Et licèt ſit verum, quòd literæ Pœnit. debeant regulari ſecũdùm literas beneficiales, tamen hoc intelligẽdum eſt ſecundùm ſubſcriptam materiam penſionis, ita vt taciturnitas aliquando faciat penſionem ſubreptitiam, † ſed non, quòd 6 omnis taciturnitas quæ facit impetrationem beneficij ſubreptitiam, faciat etiam penſionem ſubreptitiã, cùm titulus & penſio, quoàd naturã & alia, longè inter ſe differant.

Non obſtat quod dicitur, in om-

nem euentum penſionem non ſuſtineri, ex quo cùm officium Pœnitentiariæ ſit annexum præbendæ,
7 † vnio facit ceſſare titulum. Rot. *dec. 11. de reb. Eccleſiæ non alie in ant.* Et propterea penſio reſeruata ſuper Canonicatu non ſubſtinetur; quia fuit reſponſum, hanc non eſſe vnionem extinctiuam tituli Canonicatus, qui adhuc remanet, & dicitur Canonicatus Pœnitentiariæ; ſed potiùs videri quoddam onus annexum, & vnitum Canonicatui.

ROMANA DE CARAUAGIIS.

Ven. 19. Ianuarij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Nouatio inducitur per concordiam, etiamſi non adſit clauſula,* ſine præiudicio iurium, *quando inſtrumenta ſe inuicem non compatiuntur, nu. 8. & extinguet præcedentem obligationem, num. 2. Niſi actum ſit, vt in euentum non adimplementi recedatur à contractu, nu. 5.*

3 *Non adimplens inſtrumentum, illo vti non poteſt. Quod non procedit in contractibus nominatis.*

4 *Contractus nominati per non adimplementum non reſcinduntur, ſed agitur ad implementum.*

6 *Clauſula,* ſine præiudicio iurium, *appoſita in concordia, operatur, vt concordia non obſeruata, poſſit rediri ad primæua iura, poſtquàm actum eſt pro adimplemento, & non fuit adimpletum.*

7 *Duæ ſpecialitates circa idem non præſumuntur.*

DECISIO CCCXXIX.

FVit reſolutum, Carauagios non poſſe redire ad inſtrumentum obligationis ſub die 10. Martij 1595. Nam cùm fuerit poſteà per Mangilios facta concordia cum toto corpore creditorum, in qua interuenerunt Carauagij, quæ non ſe compatitur cum primo inſtrumento, nec 1
poteſt ſimul ſtare; fuit inter ipſos inducta nouatio. Bald. *in l. fin. num. 1. C. de nouat. & conſ. 318. num. 4. vol. 1.* Gabr. *conſ. 81. num. 3. vol. 1.* Ant. Gabr. *de nouat. conc. 1. num. 60. & ſeq.* Et tenuit Rota in cauſa Romana duorũ millium 28. Ianuarij 1575. coram bo. me. Card. Lancellotto. Quæ no- 2
uatio extinxit præcedentem obligationem, itavt ex ea non poſſit agi, ex quo illam transfudit in ſequentem, *l. 1. ff. de nouat.* Bar. *in l. ſi. ff. de prætor. ſtipul.*

Neque obſtat, quòd cùm Mangilij 3
non adimpleuerint contenta in ſecundo inſtrumento, non poſſint eo vti ad probandum nouationem, *l. qui fidem, ff. de tranſact. l. cùm proponas 2. C. de pactis* Soc. ſen. *conſ. 21. in fin. verſ. 3. reſpondetur,* Surdus *conſ. 385. ante num. 22. vol. 3.* quia (vltra quòd Mãgilij adimpleuerunt pro parte) fuit reſponſum, quòd cùm hæc vltima concordia habeat ſtipulationem, & propterea ſit contractus nominatus, Bar. *in l. 2. in fin. C. de condict. ob cauſ.* Caſtr. *in l. 1. §. fin. nu. 5. ff. de pact. & in rub. ff. de verb. oblig. in fi.* vbi Iaſ. *num. 20.* Et fuit dictum in cauſa Portuen. bonorum 27. Nouembris 1579. coram Illuſtriſſimo Seraphino, bene 4
poſſunt Mangilij ſe illa tueri. Contractus enim nominati propter non adimplementum alterius partis non reſcinduntur, ſed agere debet is cui impletum non fuit, ad adimplementum Bart. *in d. l. 2. num. 7. C. de cond. ob cauſ. & in l. inciuile, C. de rei vendi.* Soc. *in l. qui Romæ, §. Seia in 5. not. nu. 6. ff. de verb. oblig.* Afflict. *dec. 280.* Gabr. *conſ. 49. nu. 1. lib. 2.*

Neque

5 Neque facit, quòd huiuſmodi limitatio non procedat, quando expreſsè fuit cõuentum, quòd in euentum non obſeruantiæ poſſit recedi à contractu, Gabr. *d. conſ.* 49. *num.* 16. Alciat. *conſ.* 10. *in princ. tom.* 3. *lib.* 8. hîc autem Carauagij conſenſerunt ſecundæ concordiæ ſine præiudicio
6 ſuorum iurium. † Cuius clauſulæ, dixit Rota, coram Illuſtriſſimo Seraphino, ſenſum eſſe, vt in euentum non obſeruantiæ concordiæ, Carauagij poſſent ſemper redire ad priorem obligationem, & ea ſe iuuare contra Mangilium. Nam reſpondetur, quòd Rota tunc dedit iſtum intellectum ad euitandum, quòd dicta clauſula, tanquam de directo contraria & incompatibilis cum inſtrumento reiiceretur, ſed nõ propterea intellexit, quòd haberet vim pacti, ita vt abſque eo quòd Carauagij egerint pro adimplemento, ſecundùm diſpoſitionem iuris communis, poſſint redire ad primæua iura, ſed ſolùm in caſu, quo non poſſent conſequi adimplementum, quia aliàs ſequerentur duæ ſpecialitates, ſcilicèt, quòd ſaluaretur dictum pactũ, & non reiiceretur, & quod induceret pactum ſpeciale contra diſpoſitionem iuris cõmunis, ſcilicèt, quòd in contractu nominato poſſet rediri ad primæua iura, abſque eo, quòd priùs fuit actum pro adimplemen-
7 to. † Quæ duæ ſpecialitates nõ ſunt præſumendæ, nec etiam poſſunt ſimul concurrere, gloſ. *in l. cùm poſt.* §. *gener. ff. de iur. dot. & in l.* 1. *C. de dot. promiſſ.*

Nec ſubſiſtit, quòd illa reſeruatio ſine præiudicio ſuorum iurium non erat de directo contraria inſtrumento, ex quo Mangilius primo loco ſuſcepit onus ſoluẽdi ad fauorem illorum de Carauagiis, & poſtmodùm ad fauorem omnium creditorum, vnde illa cauſula ſolùm operatur, quòd non ſit inducta aliqua nouatio, quoàd priorem obligationem, vt per Gra. *conſ.* 126. *num.* 8. *lib.* 1. † quia cùm obligationes ſint 8
diuerſæ, nec ſe adinuicem compatiantur, ſtante diuerſitate pactorũ, ſatis fuit inducta nouatio, vt ſuprà dictum eſt, & proteſtatio remanet de directo contraria inſtrumento.

ROMANA PECVniaria.

Ven. 26. *Ianuarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Viduæ habenti procuratorem, aduersùs rem iudicatam, ob non interpoſitam appellationem non datur reſtitutio in integrum.*

2 *Læſus quis non dicitur, ex eo quòd fuit condemnatus.*

3 *Sentẽtia lata ſuper libello ſine actione, non ſuſtinetur.*

4 *Clauſula, ius & iuſtitiam miniſtrari operatur, vt libellans cenſeatur intentaſſe omne remedium quod ſibi competere poſſit, ſi tamen intentio libellantis declaretur per probationes, num.* 5.

6 *In dubio recurrendum eſt ad coniecturas.*

Decisio CCCXXX.

1 LIcèt viduæ quæ habuit procuratorem, non detur reſtitutio aduersùs rem iudicatam ob non interpoſitam appellationem, Afflict. *ſuper conſt. regn. lib.* 2. *rubric.* 40. *num.* 26. Lancell. *de attent.* 2. *par. c.* 14. *nu.* 2. Caputaq. *dec.* 67. *lib.* 1. *in manuſcr.* Læſio enim non apparet ob non interpoſitam appellationẽ, cùm procurator potuerit agnoſcere bonam fidem. † Neque propterea valet 2

consequentia; est condemnata, ergo est læsa, nisi doceat, sententiam esse iniustam; secundùm veriorem sententiam, de qua Abb. *cons.77. col.3. lib. 2. ant. med. vers. aduertendum tamen.* Alba, *cons.590. nu.5. & 6.*

In casu tamen de quo agitur, censuerunt Domini, viduæ competere restitutionem in integrum, quia sententia videbatur iniusta. Nam Ioannes Paulus egit contra hanc viduam vti hæredem Petri ad scuta 1200. à Petro habita ex causa in
3 processu deducenda, † quæ cùm nunquam fuerit deducta, sequitur, quòd egerit sine actione, & quòd propterea sententia non sustineatur, *l.1. in prin.* vbi glos. magna & DD. *ff. de eden.*

4 Neque suffragatur Ioanni Paulo, quòd in libello adsit clausula, *ius, & iustitiam, &c.* quæ operatur, vt quis videatur intentasse illud remedium, & illam viam, quæ libellanti competere potest, & sibi est magis fauorabilis. Aym. *cons.201. num.45.* Rol.
5 *cons.79. num.38. lib.1.* † quia hoc est verum si per probationes declaretur intentio libellantis, quia tunc iudex secundùm intentionem illam poterit condemnare. Gemin. *cons. 118. num.3. vers. & hoc probat.* Corn. *cons.302. lib.1. per totum.* In casu autem de quo agitur, non apparet, Ioannem Paulum probasse intentionem suam; nam & si mediante chirographo s. mem. Clem. 8. sibi consignato à Petro, habuerit scuta 1200. ex bancho, quæ transtulit ad domum Petri, in qua præsente Petro fuerunt numerata, & data Petro, tamen non constat, ex qua causa
6 fuerint data: † Vnde recurrendum est ad coniecturas, vt per Bart. *in l. cùm quid, nu. 11. ff. si cert. pet.* Et propterea ad excludendum mutuum, considerabant Domini qualitatem personæ Ioannis Pauli qui dedit pecunias, quæ & si honesta sit, nihilominùs tunc erat scriba cuiusdam Notarij, nec est verisimile, quòd voluisset Petro Auditori Thesaurarij mutuare pecunias absque licito lucro, & eas absque scriptura aliqua tradere, vt bene in simili considerat Anchar. *cons.64. num. 2. post medium.* Cõcurrit taciturnitas nouennij; non est enim verisimile, quòd vir non diues, sed potiùs humilis conditionis, voluerit per illud tempus habere pecunias otiosas, cùm nemo præsumatur iactare suum. Concurrit etiã, quòd Petrus tãquam Auditor Thesaurarij, dum consignauit chirographum, transmisit cum Io. Paulo ad banchum duos familiares suos, vt ipsimet deponunt, quæ arguunt, pecunias non mutuò fuisse traditas.

Non obstat, quòd primus testis dicat, quòd dum numerarentur dictæ pecuniæ, petiit certam quantitatem mutuo à dicto Petro, qui negauit habere pecunias, & dixit, illas esse Ioannis Pauli, quia hæc verba potuerunt dici ad excludendum amicum petentem mutuum, prout quotidiana practica docet, & vtcumque sit, dictum istius testis, non propterea concludit, pecunias mutuò fuisse datas.

INTERAMNEN. PEcuniaria.

Merc. 31. Ianuarij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Repetens indebitum, probare debet, se indebitum soluisse, etiam quòd probatio consistat in negatiua.*

2 *Diuersitas summarum inducit diuersitatem contractuum, & obligationum.*

DEC1

Decisio CCCXXXI.

1 IVlius qui agi condictione indebiti, tenetur probare intentionem ſuam, ſcilicet, indebitum ſoluiſſe, Alex. *conſ.* 83. *nu.* 1. *lib.* 1. quam viſum fuit Dominis non probari. Cùm enim indebitum deducatur, ex quo extinxit cenſum Vecchiarellæ; non probat, extinxiſſe vigore concordiæ anni 1591. prout probare debet, cùm ſit fundamentum intentionis ſuæ, etiam quòd conſiſtat in negatiua, Innoc. *in cap. ſuper his, num.* 10. *verſ. ad argument. contrar. de accuſat.* cum aliis, per Natt. *conſ.* 199. *numer.* 9. *vol.* 1.

Neque facit, quòd ſatis probatur hui uſmodi negatiua, cùm non cõſtet de alia cauſa, ex qua M. Ant. auctor Iulij voluerit extinguere cẽſum, quia hæc præſumptio eliditur, ex quo M. Ant. tenebatur vigore cõ-
2 cordiæ extinguere cenſum ſcutorũ 600. & tamen extinxit cenſum ſcutorum 400. quæ diuerſitas ſummarum inducit diuerſitatem contractuum, & obligationum, *l. quingenta, ff. de prob.* Ang. *in l. ſcire debemus*, 29. *num.* 3. *in fi. ff. de verb. oblig.* latè Surd. *conſ.* 80. *num.* 14. Nec Iulius poteſt iuuari, ex eo quòd non fuit ſimpliciter promiſſum, extinguere certũ cenſum, ſed pro huiuſmodi rata liberare Marcutium, quod potuit adimpleri ſoluendo in vna manu ſcuta 400. liberando Marcutium pro illa ſumma, quia nihilominùs militat prædicta ratio, quòd diuerſitas ſummarum, inducit diuerſitatem obligationis, ex qua dicunt Ang. & Surd. *locis præcitatis*, quòd petens 50. probando centum fuiſſe ſibi promiſſa, debet ſuccumbere, niſi probet, 50. eſſe de centum promiſſis. Videtur enim vnam ſummam petiiſſe, & aliam probaſſe, & prædicta in hoc caſu de plano procedunt, quia concurrunt quamplura denotantia diuerſitatem obligationum, & præcipuè dicta duorum teſtium, qui deponunt de confeſſione extraiudiciali M. Antonij facta parte præſente, quæ tolleret omnem difficultatem, ſi non dubitaretur, an alter ex teſtibus depoſuerit ſine iuramento. Gabr. *conſ.* 71. *num.* 17. *lib.* 1. Concurrunt inſuper quietationes, dicta aliorum teſtiũ, capitula Vecchiarellæ, & alia ponderata in deciſione vltimo loco facta. Quæ probationes fortaſſe ſimul iunctæ facerent plenam probationem, cùm omnes in ſua ſpecie videantur perfectæ.

CELSONEN. CANONicatus.

Merc. 31. *Ianuarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Regula de annali, tuetur poſſeſſionem pacificam per annum immediatè præcedentem gratiam impetrantis, & incipit à die poſſeſſionis illius cuius beneficium impetratur.*

2 *Dictio* tunc, *denotat extremitatem temporis.*

3 *Dictio* immediatè, *denotat actum immediatè præcedentem.*

4 *Annalis pacificus poſſeſſor non dicitur ille, cuius beneficium ab alio poſt annum fuit poſſeſſum.*

5 *Gratia* perinde valere, *ſubiacet regulæ de annali, ſi vigore primæ gratiæ poſſeſſor non erat pacificus.*

6 *Ratificatio impetratæ commiſſionis iactationis, & iactationum, ſufficit ad effectum regulæ de annali.*

Decisio CCCXXXII.

DOmini, omiſſo primo motiuo deciſionis, an prima poſſeſſio

Antonij ei ſuffragaretur, ex quo fuit capta dum Petrus erat in poſſeſſione, ad effectum tamen, quòd Coſmæ non obſtaret regula de annali, dixerunt ſufficere, quòd de tẽpore ſecundæ gratiæ Coſmę, in qua obtinuit ſubrogari in iuribus Petri, Anton. non eſſet annalis pacificus poſſeſſor, quòd deprehenditur ex eo, quia ſecundo loco cepit poſſeſſionem 22. Septembris 1599. & 20. Iulij 1600. ipſemet cõmiſit cauſam iactationis, & iactationum. Vnde cùm de tempore commiſſionis nõdum eſſet annalis pacificus, ſuperueniente gratia Coſmæ, ipſi agenti
1 regula non obſtat, † ex quo illa ſolùm tuetur poſſeſſorem per annum immediatè præcedentem, qui incipit à die poſſeſſionis illius cuius beneficium impetratur, & terminatur, poſtquàm completus eſt annus pacificæ poſſeſſionis, antequàm beneficium ſic poſſeſſum alter impetret, vt per Mandos. *ſuper regula de annali quæſt.* 19. *num.* 1. *&* 3. *verſ. quoad aliud.*

Neque facit, quòd ante ſecundam poſſeſſionem Antonius fuit pacificus poſſeſſor, quia vt dictum eſt, Domini non firmarunt, an dicta poſſeſſio ei ſuffragaretur, ſed vtcumque ſit, non poterat ſuffragari ad effectum quòd Coſmæ obſtaret regula de annali, cùm requirat annalem poſſeſſionem pacificam immediatè præcedentem gratiam impetrantis, & ſic gratiam Coſmæ. Et hoc innuunt verba regulæ, videlicèt *ſtatuit, & ordinauit, quòd quicumque beneficium tunc per annum immediatè præcedentem*, ponderando dictio-
2 nem *tunc*, † quæ denotat extremitatem temporis impetrationis, contra quam datur de regula, & dictionem
3 *immediatè*, † quæ denotat annum immediatè præcedentem ipſam impetrationem, vt in puncto conſiderat Verall. *dec.* 21. *part.* 3. *per tot.* Cæſar de Graſſ. *dec.* 7. *num.* 2. *& ſeqq. de cauſ. poſſ. & propr.* vbi quòd non dicitur annalis pacificus poſſeſſor, ad effectum regulæ, ille cuius beneficium poſt annum ab alio fuit poſſeſſum, & quòd paſſim in Rota practicatur, quòd ad effectum regulæ, debeatur probari pacifica poſſeſſio in anno immediatè præcedenti impetrationem. Hinc per prædictas rationes Rota reſoluit coram bo. me. Bubalo in cauſa Brixien. parochialis, 2. Iunij 1587. quòd gratia *perinde valere*, obtenta ab impetrante, non ſubiaceat regulæ de annali, ex quo vigore primæ gratiæ iam poſſeſſor non erat pacificus. Et conferunt notata per Sarnen. *ſuper hac regula, q.* 77. & per Mandos. *quæſt.* 21. qui concludunt per dictas rationes, non ſufficere annum continuum.

Neque etiam facit, quòd commiſſio iactationis, & iactationum, fuerit impetrata ab aſſerto procuratore, quia ſufficit ad effectum regulæ, cùm Antonius ratam habuerit ante annum completum. Sarn. *ſuper dicta regula de annali quæſt.* 49. *per tot.* & quod ratificatio ſufficiat ad effectum litis, dicit Verall. *deciſ.* 165. *par.* 2.

SPOLETAN. LAVDI.

Lunæ 12. *Februarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Nemo cogitur ſtare in communione.*

2 *Arbitris in rebus parui præiudicij creditur.*

3 *Nota quòd in cauſis leuibus Rota amat concordiam.*

Decisio CCCXXXIII.

VIsum fuit Dominis, laudum esse iustum. Nam cùm arbitri condemnent Iuliam hæredem patris ad soluendum medietatem mobilium Martinæ, & scuta tria pro medietate Ferratæ,& appodij, vt in 1. & 2.cap.& præcipiant,quòd prædium commune diuidatur, vel,partibus nolentibus illud diuidere, diuidantur fructus, circa hæc capita de iustitia dubitari non potest, quia Andræas earum pater dedit ipsis in dotem pro qualitate floren. 300. & post eius obitum residuum bonorũ, reseruata sibi facultate testandi per flor.100. Vnde cùm hæc bona demptis flor. 100. spectarent ad dictam Iuliam, & Martiam, benè pronun-
1 tiatum fuit, esse diuidẽda,† cùm nemo cogatur perstare in communione, Corn.*cons.*54.*num.*1.*lib.*1. & quantitas mobilium satis iustificatur ex inuentario. Et quoàd ferra-
2 tam, agitur de tam parua summa, † vt credendum sit arbitris attestantibus de confessione Iuliæ.Abb.*cons.* 64.*col.*3. *ant.med. vers.item videtur in hoc credendum.*

In tertio quoque capite laudum est iustum, quia cùm in eo habeatur, quòd vtraque pars participet pro rata de pensione domus,non est præcluſa via,quin Iulia possit participare pro portione sibi aliàs assignata pro flor. 300. occasione suarum dotium, & pro alia medietate vigore instrumenti dotalis,quæ sibi
3 erat debita post obitum patris, cùm laudum recipiat interpretationem, & declarationem à iure. Anch.*cons.* 60.*num.*7.

Et quoàd fructus agri,quos Iulia dicit, Martiam percepisse, hoc non probatur ex testibus per ipsam datis, & ideo resultat iustitia laudi in hoc capite, in quo vtraque pars absoluitur.

Quoàd florenos 100. in quibus fuit instituta Iulia non negat Martia, ei esse debitos, sed de his non tractat laudum, & Martia ipsa prætendit residuum suæ dotis.Vnde ordinarunt, Domini cùm agatur de paupere regno, quòd circa hæc capita absque lite omninò partes concordentur.

VITERBIEN. FIDEIcommissi.

Ven. 16. Februarij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Ætas probatur per testes,& ex fide baptismi,nu.2.*

3 *Quadriennium datur ad petendam restitutionem in integrum.*

4 *Testes de certa scientia, & de credulitate, iunguntur ad faciendam plenam probationem.*

5 *Restitutio in integrum datur minoribus ex causa iuuenilis imprudentiæ, etiam si semel fuerit petita, & denegata, & non appellatum.*

Decisio CCCXXXIV.

IN disputatione dubij, An Marco, & Octauio esset danda restitutio in integrum aduersùs additionem hæreditatis paternæ, Domini 19. Ianuarij 1601. non dubitarunt de minori ætate Octauij,sed de minori ætate Marci,& de læsione.Quæ duo copulatiuè requiruntur ad effectum restitutionis in integrum,ex allegatis in dicta decisione. Hodie autem satis etiam constat de minori ætate Marci, ex depositione duorum te- 1
stium,qui bene deponunt, fuisse natum de mense Septembris anni 1578.*l.omnes*, vbi Castr. *num.*7. *C.de his,qui ven. ætat. impetr.* Bart. *in l. de*

ætate

ætate, num. 7. ff. de minor. Soc. iun. *conſ.* 3. *num.* 12. *lib.* 2. Vnde cùm Marcus ſit natus de anno 1578. vt ex teſti-
2 bus, Octauius verò de anno 1580.† vt ex fide Baptiſmi, ſatis reſtitutio fuit petita ante elapſum quadrien-
3 nium,† quod datur ad petendam reſtitutionem, cùm poſt completam minorem ætatem adhuc non ſit lapſum. Cùm enim ſit probatū principium temporis, probatur etiam finis, Bald. *in l.* 2. *num.* 2. *C. de temp. appell.*

4 Difficultas igitur conſiſtebat in læſione, quæ videbatur ſatis probata ex depoſitione primi teſtis, qui deponit, quòd Pacificus pater dicti Marci, & Octauij nihil habebat de proprio, ſed omnia bona ei fuerant relicta à Marco patre. Et quamuis iſte teſtis ſit vnicus, concurrit tamen dictum ſecūdi teſtis deponentis de credulitate, & quod aliàs firmatum fuit 18. Aprilis 1603. quòd Pacificus ludendo, & bibendo conſumpſit omnem ſubſtantiam. Vnde non eſt veriſimile, quòd ipſe acquiſiuerit bona, ex quibus ſatis apparet læſio dictorum Marcij, & Octauij.

5 Neque facit, quòd ſemel in partibus reſtitutio fuerit petita, quia non apparet fuiſſe denegatam, & ſi de hoc conſtaret, etiam quòd non eſſet appellatum, adhuc eſt danda reſtitutio in integrum Marco, & Octauio ex cauſa iuuenilis imprudentiæ, ex alleg. per Oddum *de reſtit. in integr. par.* 1. *quæſt.* 16. *art.* 2. *num.* 14.

Et ita fuit reſolutum in maximam contumaciam alterius partis, &c.

ROMANA VINEÆ.

Lunæ 19. *Februarij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Pacta illicita quæ non ſunt contra ſubſtantiam venditionis, vitiantur, & non vitiant.*

DECISIO CCCXXXV.

DOmini dixerunt, ſententiam Rotalem eſſe confirmandam, quia ex elaboratiſſima deciſione bon. mem. D. Littæ apparet, non cōſtare de læſione prætenſa. Et licèt hodie opponatur, plura pacta fuiſſe appoſita in venditione, quæ de iure non ſubſiſtunt, † tamen, quicquid 1
dicendum ſit, ſatis eſt, quòd non ſunt contra ſubſtantiam venditionis, & propterea licèt poſſent vitiari, non tamen vitiare ipſam venditionem. Et iſtis pactis etiam fuit reſponſum in deciſione bon. mem. D. Littæ, & hodie agitur tantùm ſuper læſione.

CALAGVRITANA Iurisprouidendi.

Ven. 9. *Martij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ferri debet ſuper toto eo quod petitur, aliàs non valet.*

2 *Iudex bene vel malè iudicans, officio ſuo functus eſt.*

3 *Sententiæ plures fieri poſſunt ab eodem iudice, quando capitula ſunt diuerſa.*

4 *Diuerſa capitula dicuntur, quando ex diuerſitate factorum ſeparationem recipiunt. Item quando quodlibet capitulum determinatur de per ſe, & ab alio determinationem non recipit.*

5 *Prouiſio facta ab exiſtente in quaſi poſſeſſione conferendi ſuſtinetur.*

DEC I

Decisio CCCXXXVI.

Domini dixerunt, iurisdictionẽ non fuisse consumptam itaut sit præcluſa facultas cognoſcendi ſuper Breui S.mem. Clem. 8. dati die 4.Maij 1592. Nam licèt regula
1 sit,† quòd ſententia debeat fieri ſuper toto eo quod petitur, aliàs non valet, *l. in hoc iudicio, ff.fam. erciſc.l. etiam*, §.1. *ff. de minor.* cum allegatis per Felyn. *in cap.cùm inter, num.6.de*
2 *ſent. & re iud.* † Et iudex ſiue bene, ſiue malè iudicauerit, officio ſuo functus ſit, *l.Iudex poſteaquã 55.ff.de*
3 *re iud.*†tamen dicta regula non procedit, quando capitula ſunt diuiſa, quia tunc plures ſententiæ poſſunt ferri ab eodem iudice. Ioannes Andræas, *in d.c.cùm inter, num.12. verſ.ſi autem plura capitula, & num.13.* Butr. *num.26.circ. med.verſ.poteſt tamen poſteà articulum non dictum & per tot.* bene Imol. *num.12. verſ.ſi autem petitio continet plura*, Abb. *num.23.* Fel. *num.6.* Bald. *in l.2.num.6.C.de re iud.*
4 † Diuiſa autem capitula tunc dicuntur, quando ex diuerſitate factorum ſeparationem recipiunt. Bal. *in d.l.2.num.5.* vel quando vnum ab alio determinationem non accipit, ſed quodlibet per ſe, vt per Fel. *in d. c.cùm inter, num.7.* prout in caſu iſto, quia ſententia lata per Illuſtriſſimũ D.Cardinalem Seraphinum, eſt ſuper inualiditate Motus proprij Sixti quinti ſuper modo conferendi, imponendo ſilentium Epiſcopo, & ab eo prouiſis. Et propterea cùm poſtmodùm bo. me. Litta pronunciauerit per ſententiam diffinitiuã, literas S. mem. Clem. 8. in forma Breuis datas 28. Aprilis 1596. eſſe canonicas, & iuxta illarum tenorem eſſe prouidendum, non inde ſequitur, quòd etiam pronunciauerit ſuper Breui dato die 4. Maij 1592. per quod inualidantur prouiſiones factæ vigore Motus proprij Sixti quinti, itaut beneficiati non poſſint audiri ſuper iſto puncto particulari, & ſeparato, quia ſtant ſimul, quòd Motus proprius Sixti quinti non ſuſtineatur, & tamen prouiſiones factæ illius vigore ſuſtineantur tanquam factæ ab illo qui erat in poſ-
5 ſeſſione conferendi illo modo. Calder. *conſ.23.de præben.* Rota *dec.49.de reſcr.in antiq.* Et fuit latè deductum coram me in cauſa Celſonen. Præceptoriæ 2. Iunij præteriti.

Neque facit, quòd ex quo Illuſtriſſimus Seraphinus pronunciauit, Motum proprium Sixti quinti eſſe inualidũ, & bo.me. Litta Breue Clem. 8. Dato 28. Aprilis 1596. eſſe exequendum, per quod forma prouidendi præſcribitur, & finis litibus imponitur, cum clauſula, *ſublata*, inde ſequitur, quòd etiam ſuper prouiſionibus iam factis per Epiſcopũ ſit pronunciatum, & propterea conſumpta iuriſdictio, ex allegatis per Fel. *loco proximè citato, num.7.poſt med. verſ.2.reſtringe, vſque ad finem*; quia hæc procederent, ſi data inualiditate Motus proprij Sixti quinti, ſequeretur etiam, prouiſiones eius vigore factas, fuiſſe inualidas; ſed cùm hoc non ſequatur, vt dictum eſt, poteſt propterea ſuper hoc capite ſeparato & indiuiſo cognoſci, cùm quoàd illud non dicatur cõſumpta iuriſdictio.

Nec denique refragatur, quòd per dictum Breue de anno 1596. videbatur finis impoſitus litibus; quia videbatur Dominis, eſſe intelligendum, quoàd lites prouenientes ex modo conferendi, non autem, quòd prouiſi non poſſent audiri ſuper collationibus ſibi factis vigore Motus proprij Sixti, an ſuſtinerentur ratione bonæ fidei collatoris, vel

ex alio capite,& per conſequens, an illi obſtet Breue 4. Maij 1592. per quod dictæ prouiſiones inualidantur. Et de hoc etiam poterit particulariter videri, dum cognoſcetur ſuper dicto Breui.

SYRACVSANA Quartæ.

Merc. 14. Martij 1607.

EPITOME.

In tota hac deciſione agitur, ex quibus actibus lis cenſeatur inducta, ad effectum interrumpendi præſcriptionem.

SVMMARIVM.

1 *In probanda conſuetudine tempus litis demendum eſt.*
2 *Exequutio citationis ſufficit ad inducendam litis pendentiam, itaut nihil ea pendente debeat innouari, tam ex parte actoris, quàm rei. Ex parte verò actoris ſufficit citatio, etiam quòd non ſit exequuta.*
4 *Litis conteſtatio requiritur ad effectum vt lis interrumpat præſcriptionem.*
5 *Lis regulariter habet initium à litis conteſtatione.*
6 *Quando lis dicatur conteſtata, vide remiſſiuè.*
7 *Quarta Epiſcopalis non debetur de legato pio facto pro ornatu corporis Chriſti.*
8 *Concordiæ, & tranſactiones fieri poſſunt pro lite præſente, & pro futura.*
9 *Lis dicitur conteſtata per reſponſionem factam petitioni.*
10 *Lis dicitur deſerta ex non proſequutione per annum, vel per biennium, ex cauſa.*
11 *De nullitate dari poteſt vſq; ad 30. annos.*
12 *Iudices de neceſſitate in pronunciãdo non ſequuntur informationes procuratorum, & aduocatorum.*
13 *Sententia lata ad fauorem præſcribentis, non interrumpit præſcriptionem.*
14 *Nullitatis obiectio litem non inducit.*
15 *Poſt rem iudicatam, ad hoc vt extinguatur lis, fauore actoris requiritur exequutio, ſecùs fauore rei.*

DECISIO CCCXXXVII.

CVm Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus Syracuſan. prætendat, ex teſtibus probaſſe conſuetudinem percipiendi quartam ex legatis iis,† & quia ex tempore, de 1
quo teſtes deponunt, eſt demendũ tempus litis, vt per Bar. *in l. Celſus, num. 26. & ſeqq. ff. de vſucap.* ideo dubitaui, an conſtaret de tali lite ante annum 1532. quæ ſuffragetur Ciuitati Noti in caſu, de quo agitur. Et cùm plura deducerentur, Dominis non placuit, eſſe inductam litem ex monitorio exequuto per Epiſcopũ 1508. in ſummario, *num. 5.* contra Capellanos ſancti Nicolai, vt ſolueret quartam de quodam legato pio, nec ex alio monitorio exequuto per eundem Epiſcopum de anno 1510. contra hæredes cuiuſdam ad ſoluendum quartam de legatis piis, vt in ſummario, *num. 6.* nec minùs ex alia citatione cum inhibitione obtenta de anno 1520. vt in ſummario *num. 3.* per Ioannem Menzullo contra Epiſcopum, occaſione cuiuſdam decreti (de quo tamen non conſtat) de ſoluendo certam quantitatem pro quarta. † Nam licèt ad effectũ, 2
quòd lite pendente nihil debeat innouari, ſufficiat exequutio citationis, per quam reus poſſit inſtrui ſuper

ſuper quibus in iudicio cõuenitur.
3 *Clem.8.vt lit.pend.*† & reſpectu actoris, nec requiratur exequutio. Rota *dec.6.vt lit.pend.in no.*Rom.*conſ.*330. *num.2. ante finem, verſ. illud autem,* cum aliis latè deductis in cauſa Terdonen. fructuum 28.Ianuarij 1577. coram bo.mem. Lauretano, & latè proſequitur Lancell. *de attent. p.* 2.
4 *c.4.in præfat. num.*36.† Ad effectum tamen interrumpendi præſcriptionem, & ſic, quòd teſtes non probent, quaſi deponant poſt litem motam, requiritur litis conteſtatio, *l.motæ litis,*26. vbi Bald. Salic. & alij
5 *C. de re.vendic.* † Regulariter enim lis ab eius conteſtatione initium habet *c.ex parte* 2.& ibi latè gloſ. *fin.de verb.ſign.* & not.Veſtr. *in praxi lib.*8.
6 *c.4. num.* 23. Hic autem lis non fuit conteſtata, cùm non concurrant ea de quibus per Caſtren. *in conſ.*402. *num.2. verſ.* 2 *.probatur, lib.*1. vt per Rom.*conſ.*174.*num.*5. Nec etiam aliquibus ex Dominis videbatur adeſſe litem ad effectum de quo agitur, ex petitione facta de anno 1529. ſuper reuocatione ſequeſtri, & quòd declaretur, quòd de legato pro ornatu corporis Chriſti quarta non eſſet debita, & ſententia ſuper hoc lata in qua fuit declaratum, quartam in hoc caſu non deberi, vt in ſumma-
7 rio *num.*2. † quia iſte videbatur caſus ſpecialis, nempe, quòd quarta nõ deberetur de legato facto pro dicto ornatu. Sed quia non erat expeditũ, an hæc ſententia eſſet in forma probanti; ideo, ſi opus erit, de hoc poterit particulariter videri, quia non omnes Domini conſideraverant iſtũ caſum litis. Nec inſuper poteſt colligi aliqua lis ex c.12. concordiæ initæ de anno 1532. vt in ſummario, *nu.*penult. in quo cauetur, quòd circa facultatem exigendi quartam debeatur conſultari cum ſanctiſſimo, cuius ordini Epiſcopus acquieſcit, † quia concordiæ, & tranſactio- 8
nes ſolent fieri non ſolùm pro lite pendente, ſed etiam pro futura, *l.*2. vbi DD. *C. de tranſact.* An autem ex iſta tranſactione Epiſcopus fuerit effectus malæ fidei poſſeſſor, itaut conſuetudo, ſi qua poſteà inducta fuerit, ei ſuffragari nõ poſſit, Domini dixerunt, non eſſe præſentis inſpectionis, cùm quæratur ſolùm, an conſtet de lite, ad effectum prædictum.

Difficultas igitur fuit reſtricta ad litem motam per Epiſcopum de anno 1516. vt in ſummario, *num.*4. Petiit enim contra Bernardum de Vrſo quartam legatorum piorum per Ioannem eius fratrem relictorum, † 9
& monitorium fuit exequutum, & reſponſum pro parte Bernardi; vnde negari non poteſt, quin his fuerit conteſtata, *l.*1. *C. de lit.conteſt.c.*1 *eodem tit.*Caſtr.& Rom.*locis præcitatis.* Et inde fuit lata ſententia de anno 1517. ad fauorem Epiſcopi, & ab ea appellatum, & introducta cauſa in Curia Metropolitana Montis Regalis, & de anno 1519. per dictam Curiam fuit reuocata prima ſententia, quæ nulla fuit declarata, & data abſolutoria Bernardo, & contra hãc ſententiam pro parte Epiſcopi fuit dictum de nullitate, & ſi qua erat, ab ea appellatum, & licèt non conſtet de proſequutione appellationis, tamen cùm etiam fuiſſet dictum principaliter de nullitate, licèt fuerit deſerta cauſa appellationis, † 10
cùm nec infra annum, nec infra biennium quod ex cauſa datur, appareat de proſequutione, *c. cùm ſit Romana, & c.ex ratione, de appell.* non tamen fuit deſerta cauſa nullitatis, † cùm de nullitate poſſit dici vſque 11
ad 30.annos. Franc.*in cap. dilecto, nu.* 171.*de appell.*Marant. *in praxi.par.*6.

tit. de sent. num. 153. Et fuit latè deductum in causa Placentina parochialis de Malpartida, 1. Decembris 1603. coram bon. mem. Litta. Et sic ista lis super nullitate non solùm durauit vsque, sed etiam post annum 1532.

Neque placuit Dominis, quòd Bernardus denegaret solutionem quartæ, non ex eo solùm, quòd non esset debita Episcopo, sed ex remissione anteccssoris, & aliis etiam de causis, vt in summario Episcopi, *nu.* 12. quia dicebant Domini, quòd iste est actus extraiudicialis continens allegationes procuratorum, & aduocatorum, qui dicunt in iure, & in facto, & deducũt motiua, ex quibus non potest concludi, prosequu-
12 tionem litis esse restrictam, † quia Iudices ista pro necesse in pronunciando non sequuntur, vt per Gemin. *in c. duobus, num.* 9. *de rescr.* qui dicit, quòd nec Auditores Rotæ semper volunt insistere suis decisionibus.

13 Neque facit, quòd sententia fuit lata ad fauorem Episcopi, & ideo non fuit interrupta præscriptio, vt per Fely. *in c. illud. num.* 17. *vers.* 14. *concl. de præscript.* Couar. *in reg. poss. p.* 2. §. 12. *nu.* 4. *vers. concl. ibi: hanc item secundam conclusionem*, quia vltima sentẽtia fuit pro Bernardo Vrso reo, vt satis est, quòd cùm iudicium non fuerit terminatum de Anno 1532. lis duraret de eo tempore.

Dicebat tamen vnus ex Dominis, quòd Episcopus Syracusanus dixit de nullitate sententiæ Metropolitanæ, & si qua erat, appellabat ad Illustrissimum Proregem, & sic hæc appellatio non potest ei suffragari, ex quo non fuit appellatum ad iudicem Ecclesiasticum, cùm materia esset de foro Ecclesiastico. Et insuper dicebat, quòd licèt Episcopus per 30. annos posset dicere de nullitate, † tamen nullitas obiecta 14
non inducit litem, per doct. Bal. *in Auth. quæ supplicatio, num.* 4. *C. de precibus Imp. offer.* Quia aut sententia valuit, & non pendet iudicium, aut sententia non valuit, & sic non inducitur pendentia ratione nullitatis motæ, sed ratione primæ causæ. Quæ eo magis videntur procedere ad effectum de quo agitur.

Nec poterat suffragari Episcopo, 15
quòd res iudicata non extinguit litem, nisi sequatur exequutio, quia hoc procedit in actore, secùs in reo qui est in possessione, qui non eget exequutione. Et ita loquitur Mohed. *dec.* 3. *num.* 3. *vt lit. pend.* Put. *dec.* 311. *num.* 7. *lib.* 2. Vnde super hoc motiuo, quod videtur releuans, pars poterit particulariter audiri.

Alia quæ deducebantur pro parte Episcopi ad ostendendum, consuetudinem fuisse probatam per scripturas, non sunt præsentis inspectionis, quia an fuerit offuscata per præsentem litem, erit particulariter agendum.

PORTVGALLEN.
Pensionis.

Ven. 23. *Martij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Causa censetur profana, quæ non est super titulo beneficij.*

2 *Remissoria in profanis conceditur absque fumo, si articuli sunt releuantes.*

3 *Propter præsumptam calumniam, remissoria non facilè denegatur.*

4 *Remissoria, quando diu in partibus fuit agitata causa, super eadem re denegatur, secùs si super diuersa.*

Decisio CCCXXXVIII.

DOmini dixerunt, remiſſoriam eſſe dandam, quia cùm cauſa
1 ſit profana († talis enim cenſetur omnis cauſa, quæ non eſt ſuper titulo beneficij. Verall. *dec.99.par.1.*)
2 † Solet dari abſque fumo, modò ſit releuans, Mohed. *dec.*199. *num.*4. Caput.*dec.*68.*lib.*3. Hic autem releuantia ſatis apparet, ex quo articuli tendunt ad tollenda omnia firmata in deciſione. Et licèt hoc ſapiat ca-
3 lumniam,† tamen ob præſumptam calumniam Rota non ſolet denegare remiſſoriam. Ægid. *dec.*624. quæ tamen etiam hîc videbatur ceſſare, cùm etiam in partibus fuiſſet petitum, huiuſmodi articulos admitti.
4 Neque facit,quòd ex quo lis fuit diu agitata in partibus,& nihil probatum, remiſſoria debet denegari, Verall.*dec.*63. *par.*3.quia regula ceſſat in hoc caſu; nam in partibus nõ fuit actum ſuper negotio principali. Vltra quòd cùm Bernardus obtinuerit ſententias ad ſui fauorem, ceſſat prædicta regula, vt fuit firmatum in cauſa Bononienſis cenſus 17.Nouembris 1600.coram R.P.D. M. Sacrato, & in cauſa Auguſtana ſepulturæ 20.Nouembris præteriti, coram R.P.D.meo Ludouiſio.

CONDVBEN. REDEcimarum.

Lunæ 26. Martij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria propter maximã calumniæ præſumptionem denegatur.*
2 *Remiſſoria in eadem inſtantia ſuper eiſdem articulis iteratò dari non ſolet.*
3 *Teſtes non ſunt interrogandi de iis quæ reſpiciunt ius.*

Decisio CCCXXXIX.

EPiſcopus, & Capitulum Conduben. prætendunt ſibi deberi certam decimam, redecimam nuncupatam. Et cùm diu cauſa fuiſſet agitata in partibus,& deinde in Rota,& tam in partibus,quàm in Rota vigore remiſſoriæ plures teſtes fuerint examinati, hodie de nouo petebatur remiſſoria ſuper articulis ſuper quibus iam fuerat examinatũ, & ſuper articulis nouis, qui idem continent in ſubſtantia cum articulis datis in partibus, & in Rota cõtra illos qui de nouo ſunt in cauſa; & prætendebatur quoque, poſſe citari illos qui ab initio fuerunt in cauſa. Et Rota cenſuit,remiſſoriam non eſſe concedendam, quia cùm hoc ſit vnicum ius, & fuerint in partibus plures teſtes examinati, † 1
& deinde cõceſſa remiſſoria in Rota, ex iſto modo procedendi oritur maxima præſumptio calumniæ, ex qua receditur à regula, quòd propter præſumptam calumniam non de facili denegatur remiſſoria, vt fuit reſolutum in cauſa Caurien.iuriſdictionis 16. Februarij 1587. coram bon.mem. Oriolen.& in cauſa Pampilonen.de Stella 23.Iunij 1603. coram me. Et intrat alia regula, 2
quòd remiſſoria in eadem inſtantia ſuper eiſdem articulis iteratò dari non ſolet,Ægid.*dec.*624.*ante fin.* Et eo ampliùs viſum fuit, remiſſoriam eſſe denegandam, quia nec exprimuntur illi qui de nouo ſunt in cauſa, vt Ciuitas quæ aſſumpſit eorum defenſionem, iura ſua poſſit tueri. Et quia quatenus articuli eſſent noui, dum prætenditur probari,redecimam,verè eſſe decimam,eſt quid iuris,† de quo teſtes non ſunt 3
interrogandi.

Non obſtant, quòd prædicta

procedunt reſpectu illorum qui primo loco fuerunt in cauſa, ſecùs reſpectu illorum qui ſunt de nouo in cauſa, quia potiùs ea bene militant reſpectu omnium.

TAVRINEN. DECIMARUM.

Ven. 30. Martij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Tranſactio ſuper decimis non confirmata authoritate Apoſtolica, non egreditur ſuum authorem.*
2 *Confirmatio Apoſtolica non præſumitur ex curſu temporis, ceſſante obſeruantia, quæ non debet eſſe turbida.*
3 *Sententia lata ad fauorem poſſeſſoris, non interrumpit præſcriptionem.*

DECISIO CCCXL.

1 DOmini dixerunt, tranſactionem non obſtare moderno parocho, quia cùm non habeat cõfirmationem Papæ, non egreditur ſuum auctorem, *c. de cætero, de tranſact. c. veniens, eodem tit.* quod propriè loquitur in decimis. Et fuit latè deductum coram me in cauſa Mediolanen. decimarum 10. Aprilis anni
2 præteriti. † Neque etiam hîc confirmatio Papæ præſumi poteſt ex curſu temporis, ceſſante obſeruantia, cùm lis fuerit mota ſuper hac tranſactione de anno 1572. Fel. *in*
3 *c. Albericus, num. 3. de teſtibus,* † Nec Eleemoſinario ſuffragatur reſponſio, quòd lis fuit terminata ad fauorem poſſeſſoris, & propterea præſcriptio non fuit interrupta, Fely. *in c. illud, num. 17. verſ. 14. concl. de præſcript.* Balbus *in tract. de præſcript. p. 3. 6. partis principalis, quæſt. 4. num. 37.* Verall. *dec. 163. par. 2.* quia non fuit lis terminata ad fauorem poſſeſſoris, ſed ordinatum, quòd certa quantitas vini, & tritici ſolueretur per modum prouiſionis, donec aliter fuerit declaratum. Et hæc ordinatio non fuit iuxta tenorem trãſactionis. Vnde dici non poteſt, litem fuiſſe terminatam ad fauorem poſſeſſoris. Vltra quòd, cùm fuerit facta alia tranſactio de anno 1575. ſatis apparet, fuiſſe receſſum à prima, ita vt non poſſit conſiderari, an habuerit obſeruantiam. Vel ſaltem obſeruantia primæ trãſactionis redditur turbida, vt fuit conſideratum in cauſa Romana Caſalis Turris Vergatæ 19. Iunij præteriti, coram me.

OVETEN. MERCEDIS.

Lunæ 2. Aprilis 1607.

SVMMARIVM.

1 *Procurator poſt litem conteſtatam ex cauſa poteſt reuocari.*
2 *Procurator non poteſt retinere proceſſus, & inſtrumenta pro ſalario, ſecùs pro expenſis. Et in caſu retentionis, principalis offerendo debitum, poteſt ſe ab illo liberare, numer. 3.*
4 *Procurator reuocatus quoàd vnam cauſam, non cenſetur reuocatus quoàd alias. Niſi reuocatio ſit generalis, & eo tempore nulla alia cauſa agitaretur.*

DECISIO CCCXLI.

DOmini perſtiterunt in reſolu- 1
tis, quòd domino Iacobo poſt reuocationem non ſit debitum ſalarium, quia etiam quòd litem fuiſſet conteſtatus, tamen ex cauſa potuit reuocari, *c. 2. de proc. in 6.* in præſenti autem

autem casu satis interuenit iusta causa, ex quo Iacobus mouit litem Capitulo super salario, petẽdo maiorem summam, quàm promissam, & alia petendo, quæ præbuerunt iustam causam reuocandi, vt dicitur in alia decisione.

Neque facit, quòd mandatum de reuocando fuit datum 8. Nouembris, quo tempore Capitulum non potuit habere notitiam de lite mota per Iacobum, cùm obtinuerit monitorium die 12. Octobris, quia sufficit, quòd tunc Capitulum potuit habere aliquam notitiam prætensionum Iacobi, prout ex multis apparet habuisse. Vnde saltem sequuto effectu, hæc potest dici iusta causa reuocationis, ex traditis per Innoc. *in cap. cùm nobis, num. 2. de elect.*

Neque etiam facit, quòd Iacobus protestatus fuit, non admitti reuocationem, nisi sibi fuerit satisfactũ de expensis, & salario, quo casu lis ab eo non erat trãsferenda pendente lite super expensis, ex alleg. in alia decisione; quia hæc obiectio tollitur ex responsione data in eadem decisione, † scilicèt quòd pro salario non datur retentio litis, & sic processuum, & instrumentorum, licèt secùs sit pro expensis. Et in omnem euentum Iacobus non fuit prosequutus iudicium super retentione causæ, sed alius constitutus procurator comparuit, & causam agitauit, sed prosequutus fuit iudicium iam intentatum super salario sibi promisso, & distributionibus, & postmodùm corã me cœpit prætendere salarium post reuocationem. Vnde cùm Capitulum habuerit iustam causam reuocandi, sibi imputet Iacobus, si non fuit prosequutus iudicium super retentione causæ, donec de expensis, & salario sibi satisfieret. Et hæc eò magis procedunt, quia si fuisset prosequutus iudicium, erat cautum Capitulo, quòd poterat se liberare † offe-3 rendo se paratum soluere, *l. nisi dominus, ff. de proc.*

Minùs facit, quòd Iacobus erat4 substitutus ad omnes causas; & cùm fuerit reuocatus quoàd causam cum Vergantia, in aliis non censetur reuocatus, Rot. *dec. 18. & 22. de proc. in nou.* quia tunc non aderat alia causa Capituli, & cùm causa reuocationis esset generalis, & non specialis quoàd causam Vergantiæ, præsumitur reuocatus quoàd alias causas futuras, ex causa quæ superuenit, quæ si ab initio adfuisset, Capitulũ illum Procuratorem non constituisset, Alciat. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 36. ant. fin.* Et hæc absque difficultate procedunt, cùm non constet, Iacobum se amplius ingessisse in causis Capituli, nec aliquid fecisse, licèt appareat, eum fuisse citatum.

AS. CVLAN. SEV RIpana Pecuniaria.

Lunæ 2. Aprilis 1607.

SVMMARIVM.

1 *Idoneus fideiussor dicitur ille, vel qui est satis quoàd diuitias, vel qui ab aliis est approbatus.*

2 *Emens nomine alterius, sed semper possidens & faciens ea quæ veri domini faciunt, censetur alterius nomen simulatè apposuisse, & si possideat rem, & pretium, tenetur ad fructus recompensatiuos.*

Decisio CCCXLII.

FVit resolutum, DD. de Vecchiarellis adimpleuisse promissionẽ suam de dando idoneum fideiussorem

rem de euictione, cùm fideiusserit D. Lactantius, qui est idoneus pro summa, de qua agitur, vt deponunt tertius, & quartus testis, &
1 etiam ab aliis fuit approbatus. Idoneus autem fideiussor dicitur, vel qui est satis quoàd diuitias, vel qui ab aliis est approbatus, *l. si verò*, §. 1. *ff. qui satisd. cog.*

2 Dixerunt quoque Domini, Capitaneum Theodorum teneri ad fructus recompensatiuos, vt in decisione facta 11. Decembris præteriti, ex quo emit, vxore, & filio absentibus, & semper remásit in possessione, percipiendo fructus, & alia faciendo, quæ veri domini faciunt. Vnde dicendum est, accomodasse instrumento nomen filiorum, simulatè ad aliquem finem sibi notum, & in puncto considerat Gabr. *conf. 52. nu. 1. & seqq. lib. 2.* & est textus *in l. cùm propria, C. si quis alteri, vel sibi.*

Et ita fuit resolutum, D D. de Mucchiarellis solis informantibus.

ROMANA CASALIS
Turris Vergatæ.

Lunæ 7. Maij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteota negligens in soluendo canones, potest præiudicare successoribus.*

2 *Confessio defuncti non nocet successoribus, quos non constat esse hæredes defuncti.*

3 *Emphyteosis in qua nulla habetur mentio hæredum, non est hæreditaria.*

4 *Emphyteuta primo loco vocatus, non potest præiudicare descendentibus, si emphyteosis est hæreditaria.*

Decisio CCCXLIII.

POst resolutionem factam, quòd Monachis non obstant transactiones de Anno 1561. & de anno 1573. nec minùs res iudicata quæ allegabatur; dubitaui an intraret deuolutio. Et Domini negatiuè resoluerunt, quia Petrus Coscianus dedit casale de quo agitur, Ecclesiæ, reseruando eius filiis, & ipsis nó existentibus, prout non extiterunt, Ioanni Antonio nepoti vtile dominium, eiusque filiis, & descendentibus in infinitum. Vnde sequitur, quòd cùm supersit Vincentius iunior descendens à dicto D. Io. Antonio, Monachi ob lineā finitam nullam possint prætendere deuolutionem. Clar. *in* §. *Emphyteusis, quæst.* 42.

Neque facit, quòd casale fuit deuolutum ob non solutionem canonum vsque de anno 1429. & facta transactio, & concessum vsque ad tertium genus cum diminutione canonis, & postmodùm de anno 1533. fuit facta alia transactio cum Thoma iuniore, & remissa caducitas incursa etiam ob nó solutionem canonis, qui etiā fassus fuit, in eius persona completum tertium genus. Et dubitari non potest, † quin negli- 1
gentia in non soluendo canones, potuerit præiudicare successoribus, ex allegat. per Corbull. *de cauſ. priuat. ob non ſol. can. ampliat. 7. num. 1. & 2.* & per Valasc. *de iur. Emphyt. quæſt. 49. num. 2.* Nam fuit responsum, quòd de non solutione canonis cōstat solùm per confessionem transigentium, qui confitendo non potuerunt præiudicare successoribus vocatis ex pacto & prouidentia illius qui concessit hæc bona Ecclesiæ. Et debet probari aliunde, † cùm 2
non appareat, Vincentium esse

hære

hæredem patris, aut illorum qui primo loco huiusmodi confessiones fecerunt, ad text. *in l. verba testamenti, C. de testam. l. Imperatores, §. 1. ff. de prob.* bene Decian. *resp. 16. num. 83. lib. 1.* Et in terminis fuit resolutum in causa Bonon. bonorum Emphyteoticorum 18. Aprilis 1597. coram
3 Illustrissimo Pamphilio, † Et cùm hæc Emphyteusis non sit hæreditaria, ex quo nulla habetur mentio hæredum, sed vocantur descendentes, Clar. *in §. Emphyteusis, quæst. 16. vers. Emphyteusis*, non hereditaria, sed sit antiqua, & descendentes succedant ex pacto, & prouidentia Petri,
4 † non potuerũt prædicti primo loco vocati eius naturam alterare in præiudicium suorum descendentiũ, secundùm opinionẽ omnium DD. vt per Clar. *in dicto §. emphyteusis, quæst. 16. vers. & hæc quidem*, ibi, *aut est simpliciter.* Alex. *cons. 106. num. 8. & seq. lib. 4.* Grat. *cons. 22. num. 9. lib. 1.* Corn. *cons. 100. lib. 4.* & Valasc. *de iur. emphyt. q. 49. nu. 9.*

Non obstat, quòd prædictæ trãsactiones fuerunt obseruatæ; quia fuerunt obseruatæ ab illis qui transegerunt, qui si non potuerunt præiudicare successoribus transigendo, nec minùs etiam obseruando, maximè, quia Vincentius post obitum patris soluit partim vigore transactionis factæ de anno 1561. & partim vigore transactionis initæ de anno 1573.

SABINEN. VILLETtarum.

Ven. 18. *Maij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *In concursu melior, & fortior probatio est præferenda, & nu. 8.*
2 *Possessio Communitatis probatur per testes dicentes, Vniuersitatem, & homines possedisse, seminando, pasculando, &c.*
3 *Appositio custodis arguit possessionem.*
4 *Testes Vniuersitatis pauciores deponentes contrarium in causa Vniuersitatis, illi quod deponunt plures numero testes, non sunt integræ fidei.*
5 *Magis creditur testibus forensibus contradicentibus in causa Vniuersitatis, quàm testibus Vniuersitatis.*
6 *Testium forensium dicta supplent defectus testium Vniuersitatis in causa Vniuersitatis.*
7 *Sententia antiqua inseruit pro titulo.*

DECISIO CCCXLIV.

ROta censuit, Cõmunitati Mõtorij dandum esse mandatum de manutenendo, in possessione territorij Villettarum, quia licèt vtraque Cõmunitas, Montorij scilicèt, & Viuarij, probet possessionem, tamen in concursu est præferenda probatio Montorij, cùm melioribus, & fortioribus probationibus sit munita. Bar. *in l. si duo, in princ. nu. 4. vers. quandoque vterque, ff. vti possid.* Fel. *in c. licèt causam, num. 8.* & ibi Dec. *num. 90. de prob.* Et maximè, quia cum hac possessione concurrit etiam titulus, nempe concessio Abbatiæ Farfensis *dicto c. licèt causam*, vbi Fel. *col. 7. in 4. causa*, Dec. *num. 99.* Ripa *in l. naturaliter, §. nihil commune, nu. 100. ff. de acquir. possessione*, Caput. *dec. 336. par. 2.* 1

De hac enim possessione Communitatis Montorij deponunt primus super primo fol. 3. super primo & 2. fol. 6. Tertius super 2. & 4. fol. 13. 14. & 15. iuxta 13. fol. 51. & alij testes postmodùm examinati, qui habentur in eodem summario, nem-

pe primus ſuper 2. fol. 83. tertius iuxta quartum, & ſuper 2. fol. 3. & 114. & quartus iuxta 4. fol. 128. & Octauus ſuper primo fol. 163. Qui teſtes benè probant poſſeſſionem
2 Communitatis, † cùm dicant, Vniuerſitatem, & homines poſſediſſe feminando, paſculando, &c. Corn. *conſ.* 299. *num.* 1. *lib.* 1. Et ex primis tertius ſuper 4. fol. 14. & octauus iuxta 13. deponunt de appoſitione
3 Cuſtodis, † quæ appoſitio eò magis probat poſſeſſionem Cómunitatis *l. ſi ita §. dominus, ff. de vſu, & habit.* Alex. *conſ.* 88. *nu.* 28. *vol.* 5.

Neque obſtant teſtes Communitatis Viuarij, quia ex nouem teſtibus qui dantur, ſex ſunt de ipſo Caſtro, & omiſſo articulo an ſint idonei teſtes in caſu de quo agitur, ſatis eſt, cùm adſint teſtes deponen-
4 tes contrarium, † quòd non ſunt integræ fidei, ex alleg. per Crot. *de teſtibus, num.* 132. Honded. *conſ.* 17. *num.* 37. *& ſeqq. vol.* 1. Et alij tres habent conſanguineos in dicto Ca-
5 ſtro. Vnde videtur magis credendũ teſtibus forenſibus contradicentibus, quàm teſtibus Vniuerſitatis Viuarij, Abb. *in c. inſuper num.* 2. *col.* 4. *verſ. ego putarem.* Fel. *num.* 3. *in* 2. *fallen.* Dec. *num.* 25. *de teſtibus,* Afflict. *dec.* 400. *nu.* 8.

Nec etiam refert, quòd aliqui ex teſtibus Montorij ſint ſubditi Domini Ducis eiuſdem Caſtri Montorij domini, quia etiamſi aliquantulum diminueretur de eorum fide, tamen concurrunt alij teſtes foren-
6 ſes, & non ſubditi. † Vnde dicta illorum ſupplentur per dicta teſtium forenſium, Gerard. *ſing.* 24. *num.* 2. Gabr. *de teſtibus, concluſ.* 5. *num.* 1. vbi de communi, Rol. *conſ.* 19. *num.* 9. *lib.* 3. Ozaſch. *dec.* 99. *num.* 41. Paul. de Caſtr. Alex. & Iaſ. *in l. ſi quis ex argentariis, §. cogentur, ff. de eden.*

Non obſtat, quòd etiam Cómunitas Viuarij habet titulũ ab Abbatia Farfen. quia iſte titulus eſt poſterior, & licèt ſonet in renouationem antiqui, tamen de antiquo non conſtat, & Communitas Montorij non ſolùm habet titulum de anno 1578. verùm etiam ſententiam contra Viuarium de anno 1520. † quæ inſer- 7
uit pro titulo, ad trad. per Fely. *conſ.* 2. *num.* 21. Et propterea etiam in concurſu titulorum eſſet præferenda probatio Montorij, † cùm cer- 8
tiùs probet, Bal. *in l. de reb. num.* 5. *in prima lect. C. de donat. ant. nupt.*

TAVRINEN. DECIMARUM.

Ven. 18. *Maij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria non datur ad probandũ id quod probatum non releuat.*
2 *Parochus habet intentionem fundatam in decimis.*
3 *Teſtis probans immemorabilem, inter alia deponere debet, de viſu per* 40. *annos.*
4 *Teſtis deponens de immemorabili debet eſſe* 54. *annorum.*
5 *Quilibet præſumitur viuere vſque ad* 100. *annos, non tamen vltra.*
6 *In præſcribendis decimis contra parochum, requiritur immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo.*

DECISIO CCCXLV.

DOmini dixerunt, Eleemoſynario non eſſe dandam remiſſoriam, quia cùm egeat immemoriali, vel quadragenaria cum titulo, ex quo agit contra Parochum, † qui 2
habet intentionem fundatam de iure communi. Rebuff. *de decimis, quæſt.* 13. *num.* 81. *&* 82. immemorabilis.

bilis, quàm articulatur, eſt improbabilis, quia cùm teſtes debeãt probare de tempore ante litem motam, aliàs depoſitio non ſuffragaretur, vt per Bar. *in l. Celſus, num. 27. ff. de vſucap.* hæc probatio redditur impoſſibilis, quia lis fuit mota de anno 1553. Quare opus eſſet teſtibus, qui tunc ante litem motam eſſent ætatis 54. annorum, & hodie 108.
3 annorum. † Cùm enim neceſſe ſit inter alia, quòd teſtis qui debet probare immemorabilem, probet de viſu per 40. annos, ſecundùm gloſ. quam Rota paſſim ſequitur *in c. 1. in verb. memoria, de præſcript. in 6.* iſta probatio de viſu fieri non poteſt, niſi teſtis tunc quando cœpit vide-
4 re, ad minùs eſſet 14. annorum.† Et propterea dicunt DD. *in dicto c. 1. de præſcr.* quòd requiruntur 54. anni, & ibi Gem. & Franc. *num. 16.* Anch. *num. 9.* Florian. *in l. ſeruitutis, 3. nu. 36. ff. de ſeruit.* Rebuff. *in tract. de decimis, quæſt. 13. num. 99.* Milis. *in verb. teſtis ad probanda,* Gabr. *concl. 1. num. 84. de præſcr.* Anton. Auguſtin. *in epit. de præſcr. num. 16.* Caput. *dec. 71. num. 2. par. 2. & dec. 290. par. 3.* Et fuit latè deductum in hac cauſa, 17. Aprilis anni præteriti coram R.P.D. meo Ortembergo.

5 Neque facit, quòd non ſit impoſſibile, inuenire teſtes huius ætatis, quia licèt quilibet præſumatur viuere vſque ad 100. annos, non tamẽ præſumitur viuere vltra iſtud tempus, quia pauci ſunt qui viuant ad iſtam ætatem. Et cùm Eleemoſynarius examinauerit teſtes in partibus, credendum eſt, quòd ſi habuiſſet teſtes qui meliùs deponere potuiſſent, eos induxiſſet.

Neque eſt verum, quòd lis fuit terminata ad fauorem Eleemoſynarij, & ſic non interrumpit præſcriptionem, quia iam huic obiecto fuit reſponſum in deciſione vltimo loco facta coram me, ſcilicèt fuiſſe tantùm ordinatum, quòd certa quãritas vini, & tritici ſolueretur, donec aliud fuiſſet ordinatum.

Denique non officit, quòd remiſſoria petitur ad probandum cõſuetudinem exigendi ab hominibus S. Ambroſij vinum, & granum, ad rationem vigeſimæ, ad quam requiritur minor probatio; quia iſti homines non ſunt in cauſa, & ſi aliquid prętendit Eleemoſynarius, vtatur iure ſuo cum dictis hominibus, quia cùm Parochus ſit in cauſa, quicquid dicendum ſit reſpectu hominum, † reſpectu Parochi eget im- 6
memorabili, vel quadragenaria cum titulo; ex ſuperiùs alleg.

Et ceſſat omnis difficultas, quia vt conſtat ex confeſſione Eleemoſynarij, decimæ ab ipſo poſſeſſæ ſunt illæmet, quæ de iure communi ipſi parocho ſunt debitæ: nam Parochus introduxit cauſam in partibus, & petiit decimas de iure cõmuni ſibi debitas, ab Eleemoſynario occupatas, vt in proceſſu de partibus fol. 1. qui Eleemoſinarius reſpondit, ab immemorabili tempore iſtas decimas ſibi eſſe debitas, vt in eodem proceſſu fol. 11. Vnde ex confeſſione ipſiuſmet Eleemoſinarij appareret, decimam, quam ipſe percipit, eſſe eandem debitam de iure communi Parocho.

BVRGEN. IVRISDictionis de Viruieſca.

Lunæ 21. Maij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Archidiaconus venit appellatione Ordinarij, quoàd cognitionem cauſarum ciuilium, criminalium, be-*

neficialium, & matrimonialium, & nu. 4. & 6.

2 *Conc. Trid.* seſſ. 24. c. 20. §. ad hæc, de reform. *non tollit immemorabilem, nec rem iudicatam.*

3 *Dum cognoſcitur de immemoriali, quæ debet terminari per tres ſententias, interim Epiſcopus debet cognoſcere cauſas de quibus* in d. c. 20.

4 *Diſpenſationes matrimoniales committi debent Ordinariis.*

6 *Archidiaconus venit appellatione Dioceſani.*

7 *Diſpenſationes matrimoniales poſſunt committi inferioribus Ordinario, quando ſunt nullius diœceſis.*

8 *Territorium exemptum eſt de diœceſi, & in diœceſe.*

9 *Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum.*

Decisio CCCXLVI.

DVbitaui, an Archidiaconus de Viruieſca veniat appellatione Ordinarij in cauſis ciuilibus, criminalibus, beneficialibus, matrimonialibus, in caſu, & ad effectum, de quo agitur, qui eſt, vt videatur, an ſit ſatisfactum clauſulæ *parito iudicato*, cum qua cauſa reſtitutionis in
1 integrum fuit commiſſa. † Et Rota cenſuit, Archidiaconum venire appellatione Ordinarij, quoàd cognitionem dictarũ cauſarum, ſecùs autẽ quoàd diſpenſationes matrimoniales, quæ Ordinariis exequendæ cõmittuntur. Et ratio primæ partis deciſionis fuit, quia cùm per ſententias, & rem iudicatam Rotalem cõſtet, omnimodã iuriſdictionẽ Eccleſiaſticã in omnibus cauſis, etiã criminalibus, matrimonialibus, & beneficialibus, ſpectare ad Archidiaconum priuatiuè quoàd Archiepiſcopum, in territorio huius Archidiaconatus, ſequitur, quòd veniat appellatione Ordinarij in materia ſibi ad aptabili, gloſ. *in verb. Epiſcopus, in extrauagan. execrabilis*, §. *qui verò de præben.* Gemin. *in cap. Ordinarij, num. 5.* & ibi Franc. *num. 3. de off. ord. in 6.* Abb. & Fely. *in c. poſt ceſſionem, num. 1. de probat.* Card. *in Clem. 1. §. ad hæc, num. 4. de ſtat. Monachor.* Mandos. *conſ. 37. nu. 19. & num. 21.* Et fuit reſolutum de anno 1580. 9. Maij in cauſa Salaman. iuriſdictionis.

Neque obſtat quòd Concilium *ſeſſ. 24. & 20. de reform. in §. ad hæc*, reſeruat cognitionem cauſarũ matrimonialium, & criminalium Epiſcopo, quia iam cenſuit Rota coram Illuſtriſſimo Mantica, hanc deciſionem non obſtare Archidiacono, qui habet rem iudicatam vſque de anno 2
1512. Et pluriès etiam in Rota fuit reſolutum, huiuſmodi decretum nõ tollere immemorabilem, & ſignanter in cauſa Tullen. iuriſdictionis 22. Martij 1596. coram Illuſtriſſimo Pãphilio, † licèt dum cognoſcitur ſu- 3
per immemorabili, quæ debet terminari per tres ſententias conformes, Epiſcopus debeat cognoſcere iſtas cauſas, vt cenſuit Congregatio Concilij, & dixit Rota 18. huius menſis, & anni, in Marciſen. iuriſdictionis coram R. P. D. meo Manzanedo, & propterea cùm ex alio capite nempe ex dicta re iudicata de anno 1512. decretum prædictum non obſtet Archidiacono, vtique 4
abſque difficultate debet venire appellatione Ordinarij, cùm habeat tres conformes, & rem iudicatam Rotalem ſuper canonizatione dictæ rei iudicatæ, de anno 1512.

Quoàd ſecundam partem dubij, An veniat appellatione Ordinarij, quoàd diſpenſationes matrimoniales, difficultas conſiſtebat in eo, † 5
quia Conciliũ præcipit, vt diſpenſationes cõmittantur Ordinariis, vt *in c. 5. ſeſſ. 22. de refor.* Et, vt dictum eſt,

Archi

Archidiaconus venit appellatione
6 Ordinarij in materia adaptabili, † imò etiam venit appellatione Diœcesani, cùm agitur de materia non concernente officium, vel dignitatem Episcopi, sed potiùs iurisdictionem, Fely. *in c. cùm olim, num. 1. vers. 1. nisi præferatur de præscrip.* qualis est materia dispensationis, Abb. *in c. at si Clerici, §. 1. de adulteriis, nu. 13.* Fel. *nu. 11. in 2. limit. de iud.*

7 Cæterùm contrarium visum fuit Dominis, quia aliàs Congregatio Illustrissimorum interpretum Concilij censuit, tunc dispensationes huiusmodi posse committi inferioribus Ordinariis, quando sunt nullius diœcesis & habent quasi Episcopalem iurisdictionem, vt dicitur in causa Nullius della Serena 19. Nouembris 1593. coram Illustrissimo Seraphino. Quæ qualitas, quòd sit nullius diœcesis, non potest ve-
8 rificari in isto Archidiacono, † quia licèt habeat territorium exemptum, non subiectũ iurisdictioni Episcopi, tamen non potest dici, quòd non sit de Diœcesi, & in Diœcesi Burgen. Franc. *in c. statuto, num. 10. vers. nam licet locus exemptus, de const.*

Addebant aliqui ex Dominis, quòd omnimoda iurisdictio competens Archidiacono per sententiã antiquissimam, respicit ordinariam causarum cognitionem. Commissio autem, & mandatum de dispensando, vbi nullus est contradictor, non respicit ordinariam cognitionem, & iudicium contentiosum, cùm iudicialiter tunc non procedatur, ad trad. per Fely. *in c. fin. num. 36. de præsumpt.* Put. *dec. 144. lib. 2.* Et in his terminis fuit dictum in causa Mediolanen. matrimonij 27. Iunij 1602. coram Illustrissimo Domino Cardinali Millino, & in eadem 29. Nouembris eiusdem anni coram Reuerendissimo D.meo Decano. Et propterea cùm sententia antiquissima nitatur præscriptione, ea non potest iuuari Archidiaconus, † quia regu- 9
la est; tantum præscriptum, quantum possessum. Vnde necesse esset, quòd Archidiaconus probaret præscriptionem exequendi huiusmodi dispensationes, quorum exequutio, licèt spectet ad ordinariam iurisdictionem, Abb. & alij superiùs allegati, tamen exequutio non est iurisdictionis ordinariæ, quia Prælatus exequitur non vti ordinarius, sed vti delegatus Apostolicus.

CELSONEN. CANONICATUS.

Ven. 1. Iulij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Habens gratiam puram in forma* dignum, *& possidens, est legitimus contradictor contra habentem subrogationem gratiosam, & nu. 3.*

2 *In subrogatione gratiosa proceditur eisdem terminis, quibus agitur in* l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll.

4 *Gratia in forma dignum requirens exequutionem, est pura.*

DECISIO CCCXLVII.

ROta censuit, Cosmo non esse dandam immissionem vigore subrogationis gratiosæ, † quia cùm 1
Antonius vigore alterius gratiæ sit in possessione, est legitimus contradictor, & agendum est via ordinaria, & ille debet obtinere, qui potiora iura habet, vel probauerit. Bar. *in l. fin. num. 21. vers. aut comparet aliquis qui dicit possidere, C. de edict. D. Adr. toll.* Dec. *ibidem, num. 41.* Roland. *cons. 78. num. 5. & 27. lib. 3.* qui licèt

2 loquantur in terminis, *l. fin.* † tamen idem dicendum eſt in noſtris terminis, cùm limitentur eiſdem regulis, vt per Mohed. *dec.* 13. *ante fin. vt lit. pend.* Et fuit reſolutum in cauſa Oueten. Canonicatus 30. Martij huius anni coram R.P.D. Marcomontio.

Nec obſtat, quòd Coſmus habet ſubrogationem gratioſam, Antonius verò gratiam in forma dignũ; quia hæc eſſent conſideranda, ſi vterque hodie peteret immiſſionẽ,
3 vt per Bar. & Dec. locis præcitatis. † Sed Antonius cùm habeat gratiam Apoſtolicam, & ſit in poſſeſſione, ſe opponit, & ideo eſt legitimus contradictor, quia iam exequutor functus fuerat officio ſuo, exequendo
4 illam gratiam, † quæ non fuerat cõditionalis, ſed pura, licèt requireret exequutionem, ſecundùm opinionem quam Rota ſeruat. Et fuit reſolutum in cauſa Burgen. Canonicatus 28. Aprilis 1597. coram Illuſtriſſimo Domino meo Cardinali Pamphilio.

ROMANA SALVIANI Interdicti.

Ven. 1. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Iudex commiſſarius inter duas perſonas tantùm, non poteſt inter alios cognoſcere.*

2 *Dictio,* tantum, *eſt taxatiua, & alia præter nominata excludit.*

3 *Locatio cum perceptione fructuum non probat poſſeſſionem, quando de alterius poſſeſſione verè conſtat.*

Decisio CCCXLVIII.

DVbitaui, an ſententia in Saluiano vltimo loco extra Rotam lata eſſet confirmanda, vel infirmanda in caſu, & ad effectum de quo agitur; qui eſt, vt poſſet exequi ſuper tertia parte Caſalis. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendum, † quia cùm hoc Caſale poſ- 1
ſideatur per creditores quondam Domitij, vt in ſummario *num.* 15. & 16. contra quos iudex non habebat iuriſdictionem, cùm cauſa ei eſſet commiſſa inter Flaminiam, & filias dicti Domitij tantùm, *c. Pet. G. de off. deleg.* maximè ſtante dictione taxatiua *tantùm,* † quæ alios præter no- 2
minatos excludit, Rota *dec.* 9. *num.* 2. *verſ. præterea, de cauſ. poſſ. & prop. in no.* Caſſad. *dec.* 9. *num.* 12. *eodem tit.* Et quòd neque etiam iſti creditores ſunt nominati in ſententia, ſequitur, quòd non ſit confirmanda ad effectum exequutionis ſuper iſta tertia parte Caſalis, quia deficit poteſtas, & voluntas iudicis qui illam tulit; quæ inter alia requiruntur, ad effectum, quòd ſententia afficiat, *l. cùm te, C. de donat. ant. nupt. c. cum ſuper, de off. deleg.*

Neque facit, quòd poſt poſſeſſionem captam per dictos creditores, filij Domitij, contra quos fuit lata ſententia, locarunt huiuſmodi caſale etiam cum perceptione fructuum, † quia hæc non probant 3
poſſeſſionem, quando de poſſeſſione alterius verè conſtat. Afflict. *dec.* 325. *per tot.* Boër. *dec.* 239. *num.* 5. Et fuit dictum in cauſa Ceruien. bonorum 20. Nouembris 1578. Vltra quòd eſſet probandum, quòd ex illa locatione & perceptione fructuum creditores habuerint ſe pro ſpoliatis, ita vt ſententia poſſet exequi ſuper tertia parte caſalis, quaſi ipſi, nec etiam ciuiliter poſſiderent.

VER

VERCELLEN. ARCHIpresbiteratus.

Merc. 6. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia protonotarij Apostolici de numero participantium, siue non, creati à Papa, vel legato à latere, sunt reseruata, & nu. 4.*

2 *Iuramentum fidelitatis præstatur post creationem.*

3 *Protonotarij, & alij officiales de stylo præstant iuramentum solùm antequàm illis tradantur insignia.*

5 *Legatus potest exercere extra territorium ea quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, etiam in non subditum, vt creare Protonotarios.*

6 *Papa confirmans concordiam initam inter Capitulum & Episcopum habentem indultum conferendi beneficia, non censetur voluisse præiudicare suis reseruationibus cessante indulto.*

7 *Clausulæ generales positæ in clausulis exequutiuis, non alterant præcedentem dispositionem.*

DECISIO CCCXLIX.

DOmini resoluerunt, gratiam Marci Antonij esse iustificatã, quoàd reseruationem, quia probat, beneficium vacasse per obitũ Octa-
1 uij de Aduocatis, † qui cùm fuerit Protonotarius Apostolicus, eius beneficia sunt reseruata, *per extrauag. ad regimen.* quæ innouatur per summos Pontifices pro tempore, per regulam primam Cancellariæ. Quæ reseruatio habet locum, siue protonotarius sit de numero participantium, siue non, & siue sit creatus à Papa, siue à legato, Put. *dec.* 313. *lib.* 1. Verall. *dec.* 404. *par.* 2. & 27. *par.* 3. Pereg. *dec.* 105. *lib.* 1. Et fuit latè deductum in causa Carthaginen. beneficij, 26. Februarij 1603. coram R.P.D. meo Lancellotto. Et in terminis Protonotarij creati à Legato, est decisio Verall. 327. *lib.* 1. *in manuscr.* & dicit Mandos. *in regula prima Cancellariæ, qu.* 7. *num.* 3. *vers. opinionem affirmatiuam*, quòd Rota semper tenuit, quòd beneficia vacantia per obitum Protonotariorum à Legatis creatorum, sint reseruata. Et fuit dictum in causa Astoricen. *de los. Payos.* 19. Decembris 1588. coram Reuerendissimo Perusino.

Neque facit, quòd facultas concessa Legato creandi Protonotarios, videatur restricta, vt nõ possit creare, nisi recepto priùs solito iuramẽto, ibi, *Clericos in nostros, & dictæ sedis Notarios recepto priùs ab eis solito iuramento, &c.* quia fuit respõsum, legendã esse totam clausulã, & construendam, scilicèt *Authoritate Apostolica tenore præsentium plenam, & liberam facultatem concedimus, & indulgemus, creandi, recipiendi, & instituen. Clericos in nostros, & dictæ sedis notarios, recepto priùs ab eis iuramento solito, &c.* Quæ verba *recepto, &c.* sunt referenda ad institutionem, † quia post 2
creationem præstatur iuramentum fidelitatis, §. *sic igitur, &* §. *interdicimus, vers. iusiurandum*, vbi glos. *in verb. diximus, Auth. vt iudices sine quoquo suffragio*, §. *in causis, in fin. &* §. *seq. de pace Constant. c.* 1. *de forma fidelitat. in vsibus feudorum.* † Et de sty- 3
lo Protonotarij, & alij officiales præstant iuramentum solùm antequàm tradantur insignia. Et propterea in prædicta oratione, ordo scripturæ non est attendendus, sed ex iure sumendum est, quid voluerit Papa in dicto Priuilegio, scilicèt, vt præstaretur iuramentum ante receptionem insignium, quia hoc est secundùm dispositionem iuris, vt dictum

dictum est, vt eleganter in simili considerat Oldr. *cons.*314.*nu.*9.*vers. quia in talibus orationibus*, Calder. *cons.*3. *de spons.*161.*nu.*3.*lib.*7.

Minùs facit, quòd Legatus commisit Episcopo Vercellen. Vicario, vel alteri personæ in dignitate constitutæ, quòd reciperet iuramentum ab Octauio. Et Prior, qui recipit iuramentum, non est in dignitate cõstitutus, quia nihilominùs gratia Octauij fuit perfecta, ibi *Octauio, & c. Sedis Apostolicæ Notario*, & ibi *in sanctissimi* D N. *Papæ & sedis Apostolicæ Notarium, tenore præsentium creamus, facimus, recipimus, admittimus, constituimus, & deputamus.* Et subditur. *Quocirca reuerendissimo Episcopo Vicario, &c. mandamus quatenus à te solitum recipiat iuramentum.* Quare, cùm hæc commissio non respiciat creationem, sed solùm præstationem iuramenti, gratia fuit
4 statim perfecta, & pura, † & ideo inducit reseruationem, Put. *dec.*139. *in princ. lib.*2. Pereg. *dec.*105. *lib.*1. & meliùs *dec.* 11. *lib.*2. Et est decisio Ioannis Pauli Tholomæi 1033. *lib.* 3. *par.*3. Et cessat omnis difficultas, quia, vt deponunt testes in summario, *num.*4. iste Prior reputabatur persona in dignitate Ecclesiastica constituta; & hoc sufficit, iuxta terminos, *l. Barbarius, ff. de off. prætor.* cùm non agatur de substantia, sed de sola solemnitate, vt per DD. *in d. l. Barbarius.*

5 Nec facit, quòd Legatus creauerit huiusmodi Protonotarium extra prouinciam, quia ea quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, & quæ non cohærent territorio, sunt prorogabilia, & possunt exerceri in quemcumque etiam non subditum, etiam existentem extra prouinciam Legationis, Paris. *cons.*1. *num.*8. *lib.*2. Dec. *resp.*3. *num.*108. *lib.*1. Et in terminis Legati est glos. *in cap. si Abbatem, in verb. in prouincia*, vbi Anchar. *num.*2. *vers. quæro dum in tex. de elect. in* 6.

Minùs etiam obstat concordia olim inita inter Cardinalem tunc Episcopum, & Capitulum, de cõferendo beneficia etiam reseruata, quæ fuit cõfirmata per sedem Apo- 6
stolicam; quia confirmatio est intelligenda respectu illorum qui illã petierunt, scilicèt quatenùs Episcopus haberet indulta, non quia Papa voluerit, cessantibus indultis, præiudicare suis reseruationibus, Bal. *in c. venientes, num.*4. *ante finem, vers. sed quid si Princeps, de iur. iur.* Aym. *cons.* 3. *num.*13. Menoch. *de præsumpt. lib.*3. *præsum.*44. *nu.*12.

Non obstant clausulæ generales, *non obstantibus ordinationibus Apostolicis, &c.* † quia cùm sint positæ in 7
clausulis exequutiuis, non alterant præcedentem dispositionem, *Clem.*1. vbi DD. *de præben.* Dec. *cons.*195. *col.* 3. *vers.*2. *diligenter.* Couar. *in rubr. de test. par.*2. *num.*13. *vers.*3. *conclusio*, Osasch. *dec.*164. *num.*2. Et fuit pluriès in Rota resolutum.

HISPALEN. ET CORduben. Præstimoniorum.

Merc. 6. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Gratia anterior præfertur posteriori.*

2 *Collitigans habet intentionem fundatam, vt sibi detur subrogatio gratiosa petita intra mensem, mortuo collitigante, & durante mense, numer.*4.

3 *Regula* de subrogandis *habet locum, quando Principi placet intra mensem à die subrogationis concessæ*

te rtio

tertio etiam collitiganti concedere ſubrogationem.

5 *Menſis de quo in regula* de ſubrogandis, *incipit à die obitus collitigãtis in Curia, vel à die veriſimilis notitiæ, ſi moritur extra Curiam. Rota tamen tenet, incipere à die ſubrogationis obtentæ per tertium, num.* 7.

6 *Menſis de quo in dicta regula non arctat collitigantem ad petendam ſubrogationem gratioſam infra menſem, ſed reſpicit nullitatem gratiæ infra menſem obtentæ in præiudicium collitigantis, & num.* 8.

8 *Dictio* huiuſmodi, *eſt repetitiua præcedentium, & verba ſunt intelligenda ad literam, cùm qualificant diſpoſitionem.*

9 *Subrogatio intra menſem à die ſubrogationis obtentæ per tertium à collitigante petita, ſi conceſſa non fuerit, nihil prodeſt ad excludendum poſteà ſubrogatum.*

Decisio CCCL.

ROta reſpondit, R.P.D. Varellæ, non eſſe dandam ſubrogationẽ in iuribus Gondiſalui collitigantis defuncti, quia ei non ſuffragaretur cùm iam fuerit conceſſa Doctori
1 Vermudez, † cuius gratia tanquam anterior eſſet præferenda, *cap. ſi eo tempore, & c. duobus, de reſcr. in 6. c. eum cui, de præben. eod. lib.* Verall. *dec.* 61. *par.* 2.

2 Neque facit, quòd D. Varella habeat intentionem fundatam in regula, ne detur nouus collitigans *c.* 2. *vt lit. pend. in* 6. Et fuit dictum in cauſa Collen. parochialis 11. Decembris 1595. coram Illuſtriſſimo Seraphino, & in cauſa Pampilonen. Abbatiæ 20. Iunij 1503. coram R. P. D. meo Ludouiſio; quia hoc eſſet verum, ſi D. Varella obtinuiſſet ſubrogationem intra menſem à die confeſſionis factæ Doctori Vermudez. Nam durante illo menſe, eius gratia habebat implicitum ſtatum validitatis, ſcilicèt quatenùs ſubrogatio non concederetur collitiganti, † quia regula de ſubrogandis eſt 3
euentualis, & tunc tantùm locum habet, quando Principi placet, infra menſem à die ſubrogationis cõceſſæ tertio etiam collitiganti concedere ſubrogationem, quod clarè oſtendunt verba illa regulę, *quoties aliquẽ collitigantem ſubrogari conceſſerit*, & benè faciunt notata per Card. *conſ.* 105. *nu.* 13. *in fin. verſ. ſed non poteſt verè dici, & num.* 14. Sarn. *ſuper hac regula de ſubrogan. quæſt.* 17. *verſ. nec obſtat, quòd primus*, Rebuff. *in prax. tit. de ſubrogationibus, gloſ.* 6. *in princ.* † Et propterea cùm durante 4
dicto menſe D. Varella non obtinuerit ſubrogationem, non habet ampliùs fundatam intentionem in regula, ad text. *in l.* 4. §. *toties, ff. de dam. infect.*

Minùs etiam ſubſiſtit, quòd men- 5
ſis de quo in regula, incipiat à die obitus collitigantis defuncti, vel à die veriſimilis notitiæ obitus, ſi moritur extra Curiam, Alfonſus Soto *ſuper hac regula, in princ.* & ibi etiam Sarn. *q.* 1. *in princ. & q.* 10. *verſ. ſed maior eſt difficultas*, Mandoſ. *q.* 2. *per tot.* † Et dictus menſis reſpicit 6
nullitatem gratiæ infra menſem obtentatæ in præiudicium ſubrogandi, non autem arctat collitigantem ad petendum infra menſem, vt fuit reſolutum in dictis cauſis Collen. & Pampilon. quia quicquid dicendum ſit, an Doctor Vermudez impetrauerit intra menſem à die obitus Gundiſalui, Reſponderunt Domini, præualere opinionem Rotæ, quòd 7
menſis incipiat currere à die ſub-

regationis obtentæ per tertium, vt per Put. *dec.* 141. & 144. *lib.* 3. & *dec. vnic. tit. de ſubrogandis*, Achil. pariter *dec. vn. eodem tit.* Quæ opinio Rotæ eſt conformis verbis regulæ, dum inquit, *quòd ſi collitigantem in ius, vel ad ius ſubrogari conceſſerit, aliorum impetrationes, vel conceſſiones infra menſem ante conceſſionem huiuſmodi factæ, nullius ſint roboris, vel momenti.* Et ſic impetrationes ante conceſſionem huiuſmodi
8 ſcilicèt factam collitiganti, † quia dictio, *huiuſmodi*, eſt repetitiua præcedentium, gloſ. *in c. ſi Abbatem*, §. *huiuſmodi, in dicto verbo, de electione in 6.* Et verba ſunt intelligenda ad cauſam ad quam fuerunt prolata, Aym. *conſ.* 171. *num.* 13. Et ad literam, cùm qualificant diſpoſitionem, Anch. *conſ.* 356. *col.* 2. *verſ.* 3. *hoc probat.* Et dum dicitur ex prædictis deciſionibus Collen. & Pampilonen. quòd non eſt præfinitum tempus collitiganti ad petendum ſubrogationem, hoc eſt verum, ſi tertio non fuerit conceſſum, quia tunc infra menſem à die conceſſionis factæ tertio, debet obtinere, aliàs ei non ſuffragatur, vt dictum eſt.

9 Neque etiam D. Varellæ ſuffragatur, quòd intra menſem à die conceſſionis factæ Doctori Vermudez petierit ſubrogationem, quia cùm ſubrogatio tunc ei fuerit denegata, petitio ei non prodeſt, cùm regula requirat, quòd Papa ſubrogare conceſſerit, & ſic perfectionem conceſſionis, quod denotat verbum illud, *conceſſerit*, Fely. *in cap. cùm venerabilis, nu.* 2. *& ſeqq. de except.*

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Ven. 8. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Filia perduellionis priuatur tantùm ſucceſſione paterna, nec aliis pœnis* l. quiſquis C. ad leg. Iul. mag. *afficitur.*

2 *Filius perduellionis eſt perpetuò infamis, & omnibus honoribus excluſus, nec eſt capax ſucceſſionis paternæ.*

3 *Limita in Clerico.*

4 *Condemnatus de crimine læſæ maieſtatis à laico, poteſt habere hæredem in iurepatronatus, quod non venit in confiſcatione bonorum facta à laico.*

5 *Adire qui non poteſt facto alterius, tranſmittit etiam ad extraneum hæreditatem.*

6 *Succedere volenti ſufficit oſtendere, ſe eſſe in gradu ſucceſsibili, cùm nullus filius prætendit, eſſe proximiorem.*

7 *In confiſcatione facta à iudice Eccleſiaſtico venit etiam iuſpatronatus.*

8 *Epiſcopus non poteſt venire ad actualem degradationem Clerici, vel illum tradere Curiæ ſæculari, niſi in caſibus in iure expreſsis. & ibi vide caſus.*

DECISIO CCCLI.

ROta cenſuit, ſententiam latam per Rempublicam Lucanã ſuper

per crimine perduellionis contra Bernardinum patrem Lucretiæ, ei non nocere, quominùs possit succedere in iurepatronatus, quia etiam quòd sit hæreditarium, ipsa non agit de succedendo Bernardino patri, sed Lælio fratri, cui potest succedere.

1 † Nam excepta successione patris, aliis pœnis *l. quisquis, C. ad l. Iul. Maiest.* filia perduellionis non afficitur, vt per Clar. *in* §. *læsæ maiestatis, num.* 10. *vers. hæ autem pœnæ.* Et expressè, quòd possit aliis succedere, licèt non patri, dicit Salycet. *in dicta l. quisquis, num.* 15. & incertus auctor. *de crimin. læsæ Maiestatis, quæst.* 5. *nu.* 6. vbi quòd hæc opinio non habet contradictorem, Decia. *tract. crim.* 2. *lib.* 7. *c.* 41. *nu.* 12. *&* 13. Et videtur de mente Bartoli *in l.* 1. *num.* 1. *in fi. ff. de verb. sign.*

2 Neque facit quòd & ipse Lælius esset filius Bernardini, & sic propter delictum patris nulla bona habere posset, vel aliqua successione testati, vel intestati accipere, & perpetuò esset infamis, & ab omnibus honoribus exclusus, vt *in d.*

3 *l. quisquis*, §. *filiis verò.* † Quia hæc pœna, *l. quisquis* non afficiebat ipsum Lælium, qui iam de tempore latæ sententiæ contra patrem, erat clericus, Gem. *in c. si quis, col.* 3. *vers. nec ad clericos*, Archid. *ibidem, nu.* 2. Turrecr. *nu.* 7. Præpos. *n.* 3. Bellam. *num.* 4. *in prin. 6. q.* 1. Io. de Anan. *in c. vergentis, nu.* 12. *vers. quia lex, de hæret.* Decia. *tract. crim. tom.* 2. *libr.* 7. *c.* 41. *num.* 11. Gig. *de crim. læsæ Maiestatis, tit. de pœnis quas filij incur. qu.* 9. *num.* 2. Augustinus Arimin. *in addit. ad Ang. de malefic. in verbo, & hai tradito la tua patria, num.* 12. *in fin. vers. tene tamen menti.* Et ideò cùm dictus Lælius clericus non afficeretur pœnis, *dictæ l. quisquis*, hinc sequitur, quòd esset capax successionis & propterea successerit in iure patronatus, quod cùm non veniret in confiscatione facta à principe laico, iuxta resolutiones factas, † Bernardus eius pater 4 in eo potuit hæredem habere, gl. *in l. ea sola*, 98. *ff. de reg. iur.* & not. ibid. *Cagn. num.* 3. & singularem dicit Bal. *in l. eam quam. num.* 19. *in fi. C. de fideic.* Ias. *in l. ex facto*, §. *Iulius, num.* 1. *ff. de vulg. & in l. quoties, num.* 14. *C. quando non pet. par.* Alex. *in l. si quis ante, in fi. de leg.* 1. Nec ad hunc effectum requirebatur, quòd esset scriptus hæres, sed sufficit, quòd successio ab intestato ad ipsum spectaret. Lambertin. *de iure patron. lib.* 1. *par.* 2. *q.* 2. *principali. num.* 3. *& seqq.* etiam quòd non adessent alia bona. Lambert. *dicto* 5 *loco num.* 25. Et quatenus requireretur aditio, non est opus de ea docere, quia cùm tunc detineretur in carceribus, facto alterius impediebatur. Vnde potuit transmittere etiam ad extraneum. Bart. *in l. ventre*, 38. *num.* 9. *&* 14. *vers.* 2. *reg. & num.* 8. *vers.* 2. *reg. ff. de acquir end. hæreditat.* Et propterea Lucretia potuit ei succedere, † 6 cui sufficit ostendere, se esse sanguine coniunctam in gradu successibili, non proximiorē cùm nullus alius se proximiorem prætendat. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 11. *glos.* 1. *n.* 5. & 6. Et in his terminis fuit resolutum corā me in causa Tiburtina Capellaniæ 16. Nouembris 1605.

Neque etiam facit, quòd ipse Lælius per Vicarium Lucanum de anno 1597. fuerit iudicatus reus eiusdem criminis læsæ Maiestatis humanæ, & priuatus omni officio, & beneficio Ecclesiastico, traditusque curiæ sæculari, bona confiscata, & applicata curiæ Epi-

7 ſcopali, † in qua confiſcatione facta à iudice Eccleſiaſtico venit etiã iuſpatronatus. Lambertin. *de iurepatr. lib. 3. quæſt. 8. art. 8. num. 10.* Nam fuit firmiter reſponſum, ſententiam tanquam nullam, & iniuſtam, non nocere Lucretiæ, ad effectum quòd dicatur non ſucceſ-
8 ſiſſe fratri. Nam Epiſcopus non poteſt venire ad actualem degradationem clerici, neque eum tradere curiæ ſæculari, niſi in caſibus à iure canonico expreſſis, videlicèt; Pro crimine hæreſis, *C. ad abolendam, §. præſenti, de hæret. & c. 1. & c. ſuper eodem, de hæret. in 6.* Pro falſificatione literarum Apoſtolicarum, *c. ad falſariorum, de crim. falſi.* Pro crimine inſidiarum contra Epiſcopum, *c. ſi quis Sacerdotum, 11. quæſt. 1.* Pro incorrigibilitate, *c. cum non ab homine, de iudic.* Pro crimine aſſaſſinij, *c. 1. de homicid. libr. 6.* Doctores communiter *in dicto cap. at ſi clerici, de iudic.* Clar. *in prax. §. fin. quæſt. 36. verſ. ſicut etiam*, Boſſ. *in prax. tit. de for. comp. numer. 135.* Et ex iure nouo, pro crimine nefando, ex conſtitutione S. M. Pij V. Et pro celebratione Miſſarum ab illis qui non ſunt preſbiteri, *ex conſtitut. Fœl. recor. Clement. 8.* Cùm igiiur inter hos caſus non ſit iſte de quo agitur, † non modò fuit nulla ex defectu iuriſdictionis, verùm etiam iniuſta. Vnde, non nocet Lucretiæ.

BONONIEN. SERICI.

Ven. 8. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1. *Emptor cenſetur rem emere nomine proprio.*
2. *Rota non exequitur ſententias aliorum Tribunalium, niſi conſtito de iuſtitia.*
3. *Clauſula* arbitrio Rotæ *intelligitur, prout de iure, remittit tamen multum de rigore iuris.*
4. *Teſtis proxeneta deponens ſuper emptione in qua ipſe fuit proxeneta, non eſt integræ fidei.*
5. *Coniecturæ vrgentiores ſunt attendendæ.*

DECISIO CCCLII.

MErcatores Carpen. petebant, procedi ad exequutionem rei iudicatæ contra Cæſarem de Lectis, tanquam principalem debitorem ſerici, condemnatum, ſtante clauſula *parito iudicato arbitrio Rotæ.* quod deducebant ex ſtatuto Bononiæ de duabus conformibus, & ſententiæ iuſtificabantur, ex quo 1
Cæſar Lectus emit ſericum, † & cùm non conſtet, quo nomine emerit, cenſetur proprio nomine emiſſe, Fulgoſ. *in l. ſi patruus, num. 1. verſ. 3. autem caſu, C. comm. vtr. iud.* Menoch. *conſ. 122. numer. 12.* maximè cùm ſericum fuerit deſcriptum in libris gabellæ nomine Cæſaris, qui poſtmodùm etiam vendidit certam quantitatem proprio nomine, vt in libris eiuſdem gabellæ, & teſtes deponunt, quòd in terra Carpi ipſe emit ſericum, & tertius teſtis ſubdit, quòd Bononiæ fuit portatum in domum ipſius Cæſaris.

Prædictis tamen non obſtantibus, Rota cenſuit, non eſſe parendum, etiam quòd conſtaret de iudicato, quia Domini non erant concordes, an in hoc caſu intraret ſtatutum. Et ratio deciſionis

2 ſionis fuit, † quia Rota non exequitur ſententias aliorum tribunalium, niſi conſtito de iuſtitia, Mohed. *dec.* 3. *de teſtibus*, Cæſar de Graſſ. *dec.* 1. *numer.* 8. *de locat.* Put. *dec.* 401. *numer.* 2. *libr.* 1. Et in præſenti caſu, ſtante clauſula *arbitrio*,
3 † quæ licet intelligatur prout de iure, remittit tamen multum de eius rigore, Creſc. *deciſ.* 4. *numer.* 3. *de teſtibus*, ſufficiebat quòd iuſtitia ſententiarum redderetur turbida, prout reddebatur, ex quo ſericum videbatur emptum nomine hæredum Marci Antonij Ocelli, cùm ipſi, poſtquàm fuit portatum Bononiam, conſtituerint ſe debitores per apochas priuatas dictorum mercatorum, & certam partem pretij ſoluerint, & de coctis dictis hæredibus, duo ex dictis mercatoribus egerunt contra ipſos conſtituendo procuratorem, & obtinuerunt graduari pro ſuo credito. Et Cæſar ipſe nomine Ocellorum vendidit etiam certam quantitatem ſerici. Et adſunt duo teſtes, quorum primus deponit de auditu, tempore emptionis ſerici in terra Carpen. quòd ſericum emebat nomine Ocellorum, & quòd Ocelli gratias illi egerunt, ex quo hoſpitatus fuit Cæſarem. Secundus verò teſtis, qui fuit proxeneta, bene deponit, quomodo negotium ſe habuerit, & quòd ſericum fuit emptum nomine Ocellorum, † qui, licèt
4 tanquam proxeneta, non ſit integræ fidei, negari tamen non poteſt, quin faciat adminiculum. Cuman. *conſ.* 68. *numer.* 3. *verſ. non obſtat, etiam quòd non debeat.*

5 Non obſtant in contrarium adducta, quia in concurſu coniecturarum, viſum fuit Dominis, præponderare adductas pro Cæſare, & ideo eſſe præferendum, *l. Diuus, ff. de reſtit. in integrum*, latè Surd. *conſ.* 80. *numer.* 21.

TERVLEN. CANtoriæ.

Merc. 13. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio inſtrumentalis capta alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenibilis.*
2 *Poſſeſſio in Collegiatis debet capi Capitulariter.*
3 *Poſſeſſio poſterior præſumitur clandeſtina.*
4 *Iudex nulliter procedendo non priuat poſſeſſione.*

DECISIO CCCLIII.

DOmini dixerunt, Ioanni Nauarro dandum eſſe mandatum de manutenendo, quia fuit immiſſus in poſſeſſionem Cantoriæ de qua agitur. Quæ poſſeſſio licèt inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, non eſt dubium, quin ſit manutenibilis, *l. prædia*, & ibi Alex Bar. & alij, *ff. de acq. poſſ. l. non idcirco, cum ibi not. ff. de fid. inſtr.* Abb. *in c. cùm olim*, & ibi alij D D. *de præſcript.* Faſtol. *dub.* 42. Put. *deciſ.* 360. *lib.* 1. † Et
2 hæc poſſeſſio fuit capta capitulariter, prout requiritur in Collegiatis, Caſſad. *deciſ.* 8. *de cauſ. poſſ. & propr.*

Non obſtat poſterior poſſeſſio
3 Hieronymi, quia tanquam iunior præſumitur clandeſtina, *c. licèt cauſam*. vbi D D. *de probat.* Bart. *in l. ſi duo, in princ. ff. vti poſſid.* Veral. *deciſ.* 334. *numer.* 2. *& ſeqq. p.*

2. Nec ex ea poteſt iuuari, quòd fuit capta de mandato iudicis, †
4 quia iudex proceſſit de mandato iudicis laici, tradendo poſſeſſionem infra 24. horas & ſic nulliter,
5 † Et propterea non priuauit Ioannem ſua poſſeſſione, vt pluriès fuit reſolutum.

Non obſtant ea quæ obiici poſſent de iurepatronatus, quia reſpiciunt petitorium, nec ſunt diſcutienda in hoc iudicio poſſeſſorio, vt in terminis fuit dictum in ſuperiori Rota in Pharen. Abbatiæ, coram R. P. D. meo Ludouiſio.

TVDERTINA ASſignæ,

Lunæ 18. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Poſſidenti datur mandatum de manutenendo, etiam ſi non probet poſſeſſionem de tempore litis motæ, quando præſumitur continuata, numer.* 2.

3 *Domino contra ſubditum negando ſe ſubditum, competit actio confeſſoria ciuilis, vel actio in rem, vel officium iudicis.*

4 *Manutentio datur domino contra ſubditum in re ſeparata à perſona ſubditi, in exigendo gabellas, donec cognoſcatur de iure exigendi, numer.* 8.

5 *Domino non datur manutentio contra vaſſallos exigendi onera, & gabellas, quando adeſt præſumpta vſurpatio, ſecùs ſi non adſit.*

6 *Diuturna præſtatio gabellarum, & facilis recurſus ad Principem, tollunt præſumptionem vſurpationis.*

7 *Decretum irritans, iuſtificatum, inficit titulum, & poſſeſſionem, ſecùs non iuſtificatum.*

9 *Vnicus actus ſufficit ad acquirendam poſſeſſionem in incorporalibus.*

10 *Actus iudicialis probat abſque teſtibus.*

11 *Actus publicus teſtibus non eget ad illius probationem.*

DECISIO CCCLIV.

DOmini reſoluerunt, Excellentiſſimo Domino Duci dandum eſſe mandatum de manutenendo, quoàd cauponam, tabernam Cupedinariam, quam appellant *la Pizzicaria*, officinam piſtoriam, Macellum, & Salariam, & quoàd illarum redditus, & emolumenta, nec non quoad exactionem omnium pœnarum pro damnis datis, & pro maleficiis, dempta parte, quam Dominus Dux ſolet dare officialibus pro dictis damnis, & maleficiis deputatis; quoàd Montaneam quoque Turricellæ, eiuſque redditus, & emolumenta. Et ſimiliter, quoàd Affidam belluarum, iuſque exigendi pro dicta affida quolibet anno pro qualibet beſtia; vt dicitur groſſa, *dimidiam partem Iulij* exceptis tamen aratoriis, & exempta vnica bellua, vt dicitur *da ſoma* pro Foculari, nec non quoàd exequutionem vnius Bolognini, pro qualibet bellua minuta, excepto vno ſue pro qualibet domo, necnon quoàd exequutionem quolibet anno vnius Bolognini pro qualibet ſalma grani, & muſti, & pro qualibet ſalma hordei, & bladarum dimidiam partem Bolognini. Et idem mandatum eſt quoque dandum in quaſi poſſeſſione faciendi bannimenta pro aſſignatione

tione, & ſolutione dictarum exa-
1 ctionum. † De poſſeſſione enim Excellentiſſimi Ducis conſtat ex depoſitione quatuor teſtium, qui bene deponunt, & reddunt ſufficientem cauſam ſcientiæ. Vnde dictus D. Dux eſt manutenendus, §. *hodie, inſtit. de interd.* vbi Aret. *num.1. verſ.4.* competit, qui loquitur in noſtris terminis, cùm dicat, hoc remedium manutentionis competere illi qui eſt in quaſi poſſeſſione iuriſdictionis, vel in aliquo iure incorporali, vt in iure eligendi, & in iure colligendi pedagia, vel ſimilia. Idem dicit Spec. *in princ. tit. de cauſ.poſſ. & propr.num.* 12. *verſ. cæterum ſi ipſi ruſtici*, Alex.*conſ.* 124. *numer.* 3. *iuncto princ. lib.* 4. Ang. *conſ.* 337. *num.* 4. *ante med. verſ. & hoc intelligatur*, Ruin. *conſ.* 53. *num.* 3. *lib.* 4. Celſus Hugo *conſ.*85.*n.*9. Franc.Marc.*quæſt.* 447. *per totum latè*, & benè Iacobin. de S. Georg.*in tract.de Homag.n.*37. præſertim poſt medium *verſ. quid dicimus*,eleganter, & doctè S. Raymundus *in ſumm. tit. de raptoribus*, §. 16.*lib.*2. vbi quòd ſi Dominus, & prædeceſſores ſoliti ſunt talia exigere, & ſcitur, vel probabiliter creditur, quòd ex iuxta cauſa fuit in tali poſſeſſione, ſeu quaſi, poterit dominus etiam in futurum exigere. Et huiuſmodi manutentio competit D. Duci, etiam ſi non probaret poſſeſſionem de tempo-
2 re litis motæ, † quia nihilominùs præſumitur continuata, cùm animo retineatur. *l. licèt, C. de acq. poſſ.* Abb. *in c. cùm ad ſedem, numer.* 15. *de reſtit. ſpoliat.* Put. *deciſ.* 17. *lib.* 2.

3 Neque prædictis reſiſtit doctrina Bartoli *in l.*1.§. *huius autem interdicti, num.* 3. *ff. vti poſſid.* vbi quòd domino competit actio confeſſoria vtilis, vel actio in rem,vel officium iudicis, quem ſequitur Menoch *de retinen. remed.* 3. *numer.* 142.*& ſeqq.* Quia Bar. loquitur, quando dominus agit contra vaſſallum facientem ſui quæſtionem, negando ſe eſſe ſubditum, qui non ſunt termini noſtri. †. Hîc enim licèt do- 4
minus agat contra vaſſallos, tamen agit contra ipſos eum turbantes in ſua poſſeſſione, in re ſeparata, quo caſu competit manutentio, vt dicit idem Bart. *in verſ.* 2. *modo poteſt turbari.* Et omnia iura clamant, quòd lite pendente poſſeſſor manuteneatur, vt etiam in puncto dicunt Ang. Ruin.& alij ſuprà allegati.

Neque Communitati ſuffraga- 5
tur Gramm. *vot.*12.Guid. Pap. *conſ.* 67. *numer.*3. Franc.à Ponte,*conſ.* 97. *numer.* 26.qui videntur concludere, manutentionem non deberi domino aduersùs vaſſallos in quaſi poſſeſſione exigendi onera, & gabellas, quia prædicti D D. mouentur ex præſumpta vſurpatione, † 6
quæ ceſſat in caſu iſto, tum ex diuturna præſtatione, de qua deponunt teſtes, tum etiam propter facilem recurſum ad ſummum Ponficem, Pariſ. *conſ.* 10. *numer.* 60.*lib.* 1. Peregr. *conſ.* 14. *numer.* 12. *&* 13. Et ideo cùm D.Dux præſumatur ex iuſta cauſa poſſidere, manutenendus eſt, ex S. Raymundo, & aliis ſuprà allegatis.

Neque facit, quòd conſtitutio quæ legitur in die cœnæ Domini prohibet imponi noua pedagia, & gabellas, vel illas augeri, & propterea impoſitio facta per D. Ducem fuit nulla, & poſſeſſio nullius conſiderationis, quia dicta conſti- 7
tutio habet decretum irritans, quod inficit titulum, & poſſeſſionem Caſſad. *dec.*11.*num.*5.*ſuper regu-*

lis,

lis, Gabr. *de clauſ. concl.* 3. quia fuit reſponſum, hanc concluſionem procedere, quando decretum irritans eſt iuſtificatum, & ante iuſtificatū non tollit detentionem, ſed inſiſtentiam facti, vt fuit reſolutum in cauſa Parmen. Prioratus 16. Ianuarij, & 16. Februarij 1598. coram bo. me. Orano, & de anno 1601. 26. Octobris in cauſa Caſentina Capellaniæ coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Millino. Hîc autem decretum non eſt iuſtificatum, quia conſtitutio prohibet imponi gabellas à perſonis ad id auctoritatem non habentibus. † 8 vnde donec cognoſcatur, an D. Dux habuerit talem auctoritatē, & quomodo, & quo iure gabellæ fuerint impoſitæ, interim eſt manutenendus. *c.* vbi Abb. *num.* 4. *de reſt. ſpol.* Put. *dec.* 497. *lib.* 2. Et fuit dictum in cauſa Barchinonen. beneficij. 19. Iunij 1600. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.

Et ex iiſdem regulis cenſuerunt Domini, dandum eſſe mandatum de manutenendo Excellentiſſimo Domino Duci, quoàd confectionem vrnæ, ex qua Priores pro tempore educi debeant, iuxta confectam de anno 1604. vt conſtat ex actu ipſo cōfectionis, qui datur, *n.* 3. quia licèt ſit vnicus, ſufficit, † cùm in iſtis in- 9 corporalibus ſufficiat vnicus actus ad acquirendam quaſi poſſeſſionē, gloſ. *in cap. cùm Eccleſia Sutrina, in verbo, Epiſcoporum*, vbi Abb. *num.* 22. *& ſeqq. de cauſ. poſſ. & prop.*

Neque obſtat, quòd inſtrumentū ſiue actus eſt abſque teſtibus, & ideo non probat, quia cùm fuerit 10 actus iudicialis, eſt ſpeciale, quòd probet abſque teſtibus, *l. in donationibus, C. d. donat.* Card. *conſ.* 41. *n.* 1. *ver. quia ſpeciale eſt*, Alex. *conſ.* 13. *nu.* 8. *li.* 1. Bolognin. *in addit. ad Io. de Anan.* Socin. *reg.* 510. *aliàs* 28. *incip. ſcriptura publica.* Et quòd iſte fuerit actus iudicialis, patet ex verbis illis, cùm adhuc D. Dux pro tribunali ſederet. Et videtur ceſſare omnis difficultas, † quia iſte fuit actus publicus quodammodò factus coram populo, & ideo teſtibus non eget, Socin. poſt Spec. *loco proximè citato. in fin.* 11

OPPIDEN. IVRISPATRONATUS.

Lunæ 18. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Tertius non tenetur acta alterius indicis tranſportare, & nu.* 4.

2 *Clauſula*, quatenus opus ſit, *facit conditionem.*

3 *Patronus & præſentatus poſſunt ſeparatim agere.*

DECISIO CCCLV.

DOmini reſoluerunt, defectum tranſportationis actorum non obſtare ſententię Rotali, quia Frontera non fuit in cauſa coram Nuntio Neapolitano, † & ideo potuit 1 committere nouam cauſam in Rota, faciendo nouum iudicium, Rot. *dec.* 20. *de re iud. in no.*

Neque facit, quòd in commiſſione præſentata in Rota adeſſet clauſula *præuia auocatione*, quia aderat etiā † alia clauſula, *quatenus opus ſit*, 2 quæ facit conditionem. Et ideo 3 cùm opus non eſſet, quia patronus, & præſentatus poſſunt ſeparatim agere, Rot. *dec.* 2. *de iurepatronatus, in no.* Lamber. *de iure patronatus, lib.* 2. *par.* 2. *qu.* 8. *art.* 3. propterea illa conditio nihil poſuit in eſſe, ita vt cauſa reſpectu Fronteræ cenſeretur auocata à Nuntio.

Denique

Denique non officit, quòd illa acta facerent ad istam causam; quia non ideo sequitur, quòd deberent transportari, cùm hoc iudicium sit separatum ab illo intentato coram Nuncio, vt sæpè in Rota decisum fuit.

ROMANA DISCVSsionis de Rayneriis.

Lunæ 18. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio intra decendium à die habitæ notitiæ suffragatur, etiamsi non fuerit appellatum intra decendium à die latæ sententiæ, quando nesciebatur contra quem lata esset sententia.*

2 *Appellatio post decendium à die latæ sententiæ non suffragatur illi qui sciuit, sententiam latam, & contra se latam, quæ duo copulatiuè requiruntur.*

3 *Error iuris habens mixturam facti excusat.*

4 *Cautio de restituendo prioribus, & potioribus, operatur, vt debitor non sit liberatus, nec creditum extinctum.*

DECISIO CCCLVI.

DOmini resoluerunt, sententiã extra Rotam latam non esse exequendam, quia fuit suspensa per appellationem, & regulæ sunt claræ, quòd appellatione pendente, nihil est innouandum, *tot.tit.ff.nihil nouari app.interp.* quæ licèt non fuerit interposita intra decendium à die 17. Maij, quo fuit lata sententia, tamen hoc prouenit, quia cùm die 9. Maij, & sic per dies octo ante latam sententiam iudex mandasset, expediri mandatum deliberationis tertiæ partis Casalis, ad fauorẽ D. Leonis, potuit ipse verisimiliter credere, huiusmodi tertiam partem Casalis non comprehendi in dicta sententia. Quod corroboratur, quia die 19. Maij, iudex declarauit, terminum tantùm dicta die 9. Maij, & sic, post dictam sententiam latam dicta die 17. Vnde sufficit, quòd D. Leo appellauerit à die habitæ notitiæ, scilicèt, quo iudex declarauit suam sententiam, mediante citatione ad videndum eligi peritos. †Appellatio enim 1 intra decendium à die habitæ notitiæ suffragatur. Ang. *cons.* 302. *num.* 4. *vers. fuit enim illa taxatio*, Rom. *cons.* 343. *num.* 18. vbi post allegat. concordan.

Neque facit, quòd hic D. Leo nõ possit excusari, quòd non habuerit scientiam sententiæ, & ideo si illam non intellexit, sibi imputet, quia iste est error iuris, qui non excusat. †Nã 2 fuit responsum, non obstare, quòd quis sciat sententiam latam, nisi etiam sciat, cõtra se esse latam; hæc enim duo copulatiuè requiruntur ad effectum, quòd appellatio post decem dies non suffragetur, vt per Rom. loco proximè allegato. Hic autem licèt D. Leo sciret, sententiã esse latam, non tamen sciebat cõtra se, quoàd tertiam partem Casalis, ex superiùs consideratis; vnde iste non fuit simplex error iuris, sed habuit etiam mixturam facti, † propterea excusat, *l. si vir.* vbi glos. *in verbo procedere*, Bart. *num.* 8. *& seqq. ff. pro donato.* 3

Neque obstat, quòd D. Leo videatur acceptasse sententiam, agendo contra posteriores creditores, quia ipse non egit vigore prædictæ sententiæ, sed vigore mandatorum per Rotam relaxatorum. Nec intentando hoc iudicium videtur renũtiasse decreto deliberationis tertiæ partis Casalis, quia deliberatio erat pro

ſcutis 7040. mãdata verò ad eius fauorem relaxata pro ſcutis 8600.

Minùs etiã releuat, quòd D.Leo fuerit in ſententia graduatus pro toto ſuo credito ; quia non inde ſequitur , quòd ſit reuocatum decretum deliberationis, quia D. Leo omninò debebat graduari , ex quo decretum erat factum data cautione de reſtituendo prioribus, & potio-
4 ribus.† Quæ reſtrictiua operatur,vt debitor non ſit liberatus,nec creditum extinctum,vt per Caſtren.*conſ.* 286.*poſt prin.vol.*1.Franc.*dec.*75.*nu*.... Et propterea graduatio erat neceſſaria,ad effectum quòd D.Leo poſſet ſe relaxare,in euentum quòd apparerent creditores anteriores.

ROMANA DOMVS.

*Ven.*22. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* , parito iudicato *eſt conditionalis, & intelligitur , quatenus adſit iudicatum.*

2 *Expenſæ litis debentur cõdictione ex ſtatuto, propter ſtatutum* cap.194. lib. 1.

DECISIO CCCLVII.

1 FVit reſolutum,ſufficienter fuiſſe paritum, † quia clauſula , *parito iudicato* , intelligitur conditionaliter,quatenùs adſit iudicium, & fuit reſolutũ in cauſa Regimen. S.Thomæ 10. Decembris 1576. coram bon.mem. Oriolen. Hic autem reſpectu fructuum,& expenſarum nihil in ſententiis fuit iudicatum,cùm in illis neque adſit abſolutio,neque condemnatio, *l.*1.*ff.de re iud.* Azo.*in*
2 *ſum. C.eodem tit.* † Nec Longobardus poteſt ſe tueri ex ſtat.Vrb.*c.*194. *lib.* 1. vbi quòd victus victori reſiciat expenſas, quia cùm verba dirigantur ad victum , huiuſmodi expenſæ debentur condictione ex ſtatuto , & ſic noua actione, Bal. *in .l terminato,num.*14.*C.de fruct. & lit.expenſ.* Matthefil.*ſing.*80.qui dicit, ita intelligendum eſſe Bart. *in l.*3. §. *ſi rem,num.*3.*ff.de leg.*3. Fely. *in c.ſignificauerunt, col.*3. *ante num.*4.*verſ.ſcias etiam,de except.*

Quoàd poſſeſſionem domus , ſatis fuit paritum,quia conſtat de traditione poſſeſſionis.Nec iuuat Longobardũ , quòd Alexius ipſum moleſtat ſuper dicta poſſeſſione , quia non comparet in iudicio nomine proprio , ſed nomine pupillorum, qui fecerunt melioramenta in ipſa domo, & ſic ſuſtinet duplicem perſonam. Et propterea non poteſt dici, non fuiſſe paritum,etiam quoàd poſſeſſionem , reſpectu perſonæ Alexij.

PERVSINA PENSIONIS.

Veneris 22.*Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Reſignans non tenetur iuſtificare penſionem contra reſignatarium , qui conſenſit.*

2 *De liquido ad illiquidum non datur compenſatio.*

3 *Reſignans ante admiſſam reſignationem, iure ſuo non priuatur.*

4 *Poſt ſimplicem reſignationem abdicatur omne ius à reſignante , ſecùs poſt reſignationem ad fauorem , quo caſu remanet apud ipſum omne ius donec reſignatarius etiam per captionem poſſeſſionis , beneficium perfectè adipiſcatur, num.*5. *Et interim non poteſt etiam poſt præſtitum conſenſum bona beneficij alienare.*

DECI

Decisio CCCLVIII.

Dvbitaui, an alienationes bonorum Ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ factæ per D. Andræam sustineantur, vel potiùs ei obstent in casu, & ad effectum de quo agitur, qui est, vt D. Franciscus resignatarius non teneatur ad solutionem pensionis. Et Rota censuit, dictas alienationes ad effectum prædictũ non obstare, quia cùm D. Franciscus consenserit reseruationi pensionis,
1 quæ purè fuit reseruata, † vtique ad illam soluendam tenetur, absque eo quòd Ænæas aliqua iustificatione grauetur, vt fuit resolutum in causa Salamãtina pensionis, 26. Martij 1593. coram bon. mem. Giptio, & aliàs sæpiùs. Et dictæ alienationes requirunt altiorem indaginem, scilicèt an fuerint rectè factæ, & de bonis Ecclesiæ solitis alienari, quo casu non debent impedire solu-
2 tionem dictæ pensionis, † cùm de liquido ad illiquidum non detur compensatio, §. *in bonæ fidei*, vbi glo. *in verbo, iure aperto, instit. de act.* Et in his terminis facit Gig. *de pen. quæst. vlt. num.* 24.

Neque obstat, quòd dictarũ alienationum aliquę fuerunt factæ post datum mandatum ad resignandum, aliquæ verò post præstitum etiam consensum, quia quoàd alienationes factas post datum mandatum, cùm potuisset reuocari, *Clement. cùm illusio, de renuntiat*, non adest difficultas quòd sustineatur, † cùm ante
3 admissam resignationem Ænęas iure suo non esset priuandus, sed eo vti posset. Oldr. *cons.* 299. *num.* 1. Bisign. *dec.* 2. *post med. de rerum permut.* Quo verò ad alienationes factas post præstitum consensum, si resignatio fuisset simplex, non adest difficultas, quòd non sustinerentur, † quia eo casu post resignationem abdicatur omne ius à resignante, ita 4
vt nihil ampliùs habeat agere in beneficio. Butr. Abb. Im. & alij, *in c. accepta, de rest. spol.* Cassad. *dec.* 4. *eodẽ tit. num.* 3. Achill. *eodem tit. dec.* 10. *nu.* 5. † Sed cùm resignatio fuerit ad 5
fauorem; non obstat, quòd alienationes fuerint factæ post præstitũ consensum, quia non propterea fuit abdicatum ius à resignante, sed penes ipsum remanet in pendenti, donec conditio sub qua fuit resignatũ, purificetur, scilicèt donec plenè, & perfectè resignatarius, etiam per captionem possessionis, adipiscatur beneficium, Achill. *dicta dec.* 10. *nu.* 1. & 4. *de rest. spoliat.* Put. *dec.* 158. *nu.* 3. *l.* 3. Quæ procedunt tam respectu tertij, quàm ipsius resignatarij; quia antequam sit ei ius plenè quæsitum, penes resignantem remanent reliquiæ iuris, & possessionis, Put. *dec.* 5. *de rest. spoliat.* Pontanus *de spol. lib.* 1. *nu.* 126. *vers. sed non id futurum.* Et fuit plenè dictum in causa Abulensis, & Zamoren. beneficiorum, 17. Iunij 1594. coram R. P. D. meo Decano, & postmodùm 4. Decembris 1595. coram bon. mem. Gyptio in causa Hispalen. & Caurien. permutationis. † Et 6
propterea Ænæas etiam post præstitum consensum potuit facere dictas alienationes. Rebuff. *in tract. nominat. quæst.* 14. *num.* 157. *vers. vidi dubitari, & in prax. tit. de symon. in resignat. num.* 27. *& seqq.* Et fuit resolutum in causa Seguntina beneficiorum 1. Iunij 1592. coram Orano, in qua admittitur hæc distinctio inter simplicem resignationem, & ad fauorem.

ARIMINEN. RELEVAtionis indemnitatis.

Lunæ 25. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Emptor ſoluens anterioribus creditoribus vendentis, non intrat in eorum locum, ad effectum agendi hypothecaria, quando non adeſt ceſſio, neque hoc eſt actum, poteſt tamen excipere, nu.2.*

3 *Solutio facta anteriori creditori vendentis per emptorem, ſufficit concurrentibus aliis requiſitis ad acquirendum ius, ad effectum hypothecariæ, & ad effectum retentionis, & exceptionis.*

4 *Fideiuſſor ſimpliciter ſe obligans, vel ſe obligans cum clauſula* de releuando in euentum moleſtiarum quauis ratione, &c. *cenſetur ſe obligaſſe in omnem caſum, nu.5.*

6 *Clauſula* occaſione prædicta, *cõprehendit cauſam etiam remotiſſimam.*

Decisio CCCLIX.

ROta cenſuit, dominos de Diotaleuiis teneri releuare indemnes dominos de Seraphinis, quia cùm reſiduum pretij agri venditi per Matthæum Tingolum dictis de Seraphinis non fuerit ſolutum hæredibus Camillæ de Comitibus, ſed illis fuerit ex aliis bonis Matthæi ſatisfactum, atque hodie dicti de Seraphinis moleſtentur à poſterioribus creditoribus, intrat obligatio clara dictorum de Diotaleuiis, qui ſe obligarunt ad damna, & intereſſe, quæ Seraphini incurrerent, ſi ſolutio fienda dictis hæredibus Camillæ non ſequeretur, & modo aliquo moleſtarentur quauis occaſione, 3 vel cauſa. † Licèt enim ex dicta ſolutione dictis hæredibus creditoribus anterioribus facienda, Seraphini non intraſſent in eorum locum, ad effectum agendi actione hypothecaria, quia non adeſt ceſſio, neque hoc actum fuit, prout requiritur, ex alleg. per Rip. *in l. veſtri, §. eorum, num.8. & 9. de priuil. cred.* nihilominùs ipſis ſufficeret, ſi pretium iuxta conuentionem ad manus dictorum potiorum creditorum perueniſſet, † quia licèt ex hoc agere 2 non poſſent, excipere tamen, & retinere eis eſſet permiſſum, *l. qui à debitore, ff. qui pot. in pig. hab. l. ſi potiores vbi glo. C. de his qui in prior. cred. loc. ſucced.* Et benè examinando articulum tradunt Benintend. *dec.10. ante num.3. verſ. contraria opinio, vſque ad fin.* Io. Franc. de Ponte *conſ.87. num.8. & ſeqq.* Surd. *conſ.183. num.18.* Et tenuit Rota in cauſa Placentina Saluiani interdicti 16. Iunij 1589. coram Illuſtriſſimo Mantica.

Neque placuit, quòd ad hunc effectum fuiſſet neceſſarium, quòd ipſe emptor ſoluiſſet hæredibus anterioribus creditoribus pretium, quia ſufficit, quòd fuerit conuentũ, quòd à venditore ſolueretur, vt in puncto dicit Ioannes Franciſcus à Ponte, *vbi ſuprà num.8. & ſeqq.* Cuius dictum bene corroboratur, † 3 nam ſi ad acquirendum ius ad effectum hypothecariæ, concurrentibus aliis requiſitis, ſufficit conuentio, quòd pretium ſoluatur per venditorem anteriori creditori, vt per DD. *in l. Ariſto, ff. quæ res pign. obl. poſſ. & in l.1. C. de his qui in prior. cred. loc. ſucced.* Azo. *in ſum. C. eodem titulo*, ita cùm non adſit diuerſitatis ratio ad effectum retẽtionis, & exceptionis, ad quem hoc vnum requiritur, quòd pecuniæ perueniant ad manus anterioris, ſufficit, quòd illæ peruenerint, ſiue de manu ipſius emptoris, ſiue de manu venditoris, mediante pacto, quòd venditor teneatur ſoluere anteriori creditori, prout fuit actum in caſu iſto.

Minùs etiam placuit, quòd obligatio

gatio Dominorum de Diotaleuiis ſit intelligenda, quatenùs Seraphini moleſtarentur à dictis hæredibus, & non ab aliis, quia contra-
4 rium eſt verius. † Nam cùm ſimpliciter ſe obligauerint, & fideiuſſerint, cenſentur ſe obligaſſe in omnem caſum qui ex dicta non ſolutione eueniret, & ſic in caſum iſtum, cùm Seraphini moleſtentur à poſterioribus creditoribus, & non poſſint ſe tueri ex ſolutione facta anterioribus, *l. ſi ſeruum, §. nunc videamus, ff. de verb. oblig.* Aym. *conſ.* 272. *num.* 2. Surd. *dec.* 212. *num.*8. Et hoc etiam clarè innuunt verba obligationis, † cùm
5 ſint *de releuando in euentum moleſtiarum, quauis ratione, vel cauſa*, quæ verba comprehẽdunt omnem cauſam, Ang. *conſ.*288. *nu.*3. Cæpoll. *conſ. crim.* 14. *num.*11. Marſil. *conſ.*80. *num.*37. Nec reſtringũtur ex verbis ſequentibus, *occaſione prædicta*, niſi in quantum moleſtiæ venirent aliunde, quã ex non ſolutione, † quia verbum,
6 *occaſione*, denotat cauſam etiam remotiſſimam, Ang. *d. conſ.*288. *num.*3. cum aliis pluribus congeſtis per Tiraq. *in tractat. ceſſant. cauſ. limit.*13. *nu.* 8. Et propterea ad effectum releuationis, ſufficit, quòd Seraphini moleſtentur ex dicta non ſolutione.

MONTIS REGALIS Iuriſdictionis.

Lunæ 25. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *In Eccleſia Cathedrali regulari Archiepiſcopus eſt loco Abbatis, & ideo in puniendis monachorum delictis non requiritur eorum conſenſus, nu.*2.

3 *Regulares in Eccleſia Cathedrali regulari ſunt loco Canonicorum in materia adaptabili.*

3 *Monachi ſuſcipiendo religionem, facultatibus, & voluntati renunciant, & ſeipſos per obedientiam promiſſam aliorum poteſtati, & imperio ſubiiciunt.*

5 *Monachi non habent velle, neque nolle.*

DECISIO CCCLX.

QVicquid ſit de illa quæſtione, an in delictis Canonicorum puniendis per Epiſcopum requiratur conſenſus Capituli, Rota cenſuit, in caſu de quo agitur, in puniendis delictis Monachorum tam leuibus, quàm grauibus non requiri conſenſum, aut conſilium Prioris, Decani, & Monachorum, ſed Dominos Archiepiſcopos pro tempore poſſe ſolos procedere ad illorum punitionem. Et ratio deciſionis fuit, † quia cùm iſta Eccleſia ſit Ca- 1
thedralis regularis, Archiepiſcopus reſpectu Monachorum non dicitur Archiepiſcopus, ſed loco Abbatis. Et quicquid erat explicandum per Abbatem, explicatur per ipſum, vt dicit Abb. *in c. cauſam quæ*, 1. *num.*9. *verſ. quæro ergo, vſque ad finem numeri de iudic.* † Et propterea in puniendis 2
per eum delictis non requiritur cõſenſus Monachorum, prout nec requiritur, quando ipſe Abbas regularis procedit, gloſ. *in c. nullum, in verbo, tota*, 18. *quæſt.*2. Io. Andr. *in c. reprehenſibilis, nu.*7. *verb. & Capituli* Præpoſit. *ibid. num.*16. Imol *nu.*7. Bellam. *num.*4. Abb. qui dicit, contrarium communiter reprobari, *num.* 11. *de appell.* idem Abb. *in c. ad noſtram, num.*2. vbi Dec. Franc. & alij, *eodem tit.*

Neque facit, quòd Abbas *in d. cap.* 3
*cauſam quæ nu.*8. & 9. dicat expreſsè

de monachis Montis Regalis, quòd ſunt loco Canonicorum ; quia hoc dictum eſt intelligendum in materia monachis adaptabili, ſecùs in non adaptabili, prout eſt, quòd Archiepiſcopus, qui eſt loco Abbatis, liberè non exerceat iuriſdictionem; hoc enim repugnat renunciationi
4 propriæ voluntatis. † Nam monachi ſuſcipiendo religionem,non ſolùm facultatibus , ſed voluntatibus propriis renunciarunt,&ſe ipſos per promiſſam obedientiã penitùs aliorum poteſtati , & imperiis ſubiecerunt,vt dicit tex.*in c.non dicatis*, 12. *quæſt.*1. Abb. *in c.ex reſcripto, num.*1. *verſ.& facit*,Alex.de Neuo *num.7.de iureiur.* Et propterea monachi nec habent velle , nec nolle *c.2.de teſtã. in 6.*

ROMANA SANCTI Thomæ.

Merc. 27. *Iunij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Agenti ſpolio probare debet , ſuam poſſeſſionem anteriorem, & rei poſteriorem.*
2 *Titulus coloratus,ex diuturna poſſeſſione probatur.*
3 *Conductor poſſidet alteri, non ſibi.*
4 *Clauſula,*& omnia committantur, *reſpicit tantùm expreſſa, niſi conſtet de contraria mente diſponentis.*
5 *Quæ pars Breuis vocetur à practicis, diſpoſitio.*

Decisio CCCLXI.

DOmini perſtiterunt in reſolutis coram Illuſtriſſimo Seraphino , ſcilicèt , Capitulum ſancti Petri eſſe reſtituendum , quia conſtat de eius antiquiori poſſeſſione, & iuniori fratrum ſanctiſſimæ Tri-
1 nitatis, quæ non controuertitur. † Quæ duo extrema primum, & ſecundum appellata requiruntur , & probari debent ab agente ſpolio,ex alleg.per Natt.*conſ.*562.*num.*1.*lib.*3. Rolan.*conſ.*50. *num.*4. *& ſeqq. lib.*2. Primum autem extremũ ſatis probatur , quia vltra plures locationes adminiculatas , quæ ponderantur vnà cum teſtibus in deciſione Illuſtriſſimi Seraphini, concurrunt hodie partitæ extractæ ex cenſualibus ſancti Petri ab anno 1397. vſque ad moderna tempora, quæ cùm contineant diuerſos actus poſſeſſorios, ſatis ſuperque probant primum extremum ad fauorem Capituli , & operantur quòd quatenùs in caſu iſto requireretur titulus coloratus, ex ipſa diuturna poſſeſſione , † quæ 2
omnem calumniam tollit,cenſeatur probatus,vt per Ægid.*dec.*455. benè Fely. *conſ.*2. *num.*27. poſt Innoc. & Hoſt. quos alleg. Et fuit dictum in cauſa Saguntin.decimarum 21.Maij 1601.coram IlluſtriſſimoSeraphino.

Minùs etiam fratres poſſunt ſe tueri ex Motu proprio Pij quinti, quo datur facultas capiendi poſſeſſionem propria auctoritate citra vitium ſpolij , continens etiam alias clauſulas , quia in clauſula , *& cum abſolutione , &c.* in qua ponitur ſecunda ſignatura,adeſt reſtrictiua, *& omnia committantur Vicario Vrbis, vel Vicesgerenti , prout de iure.* Et propterea nulliter fuit proceſſum citato ſolùm conductore , non Capitulo ſancti Petri,vt dicitur in deciſione Illuſtriſſimi Seraphini,†quia 3
conductor non ſibi , ſed Capitulo ſancti Petri poſſidebat,*l.ſi quis ante, & l. quod meo, in prin. ff. de acq. poſſ.* Corn.*conſ.*40.*nu.*6.*vol.*4.

Nec placuit Dominis, quòd hæc 4
clauſula,*& omnia committantur*, non debeant referri ad ſpecialiter expreſſa , *ex l.doli clauſula , ff. de verb. oblig.*

oblig. quia hæc regula non procedit, quando constat de contraria mente disponentis, prout in casu isto, stante quòd hæc restrictiua est posita in clausula, *& cum absolutione*, per quam Papa declarat id quod concedere vult, & exprimit, quomodò intelligat id quod simpliciter per, *fiat*, concessit. † Et ideo hanc partem 5
vocant practici, dispositionem, seu clausulas, vbi Papa conscribit illas clausulas, quas concedere vult, & dicit Rebuff. *in praxi, tit. de signat. grat. num. 23. vers. 3. ponitur.*

Minùs etiam releuat, quòd hæc clausula, *& cum absolutione* non habet signaturam, *fiat*, quæ verè non legitur in Registro, & de originali non constat, quia si hoc est verum, Motus proprius nõ suffragatur fratribus, quia eis obstat regula Cancellariæ, de non iudicãdo iuxta formam supplicationum, quia clausula, *quòd sola signatura sufficiat* est posita in dicta clausula, & cum absolutione, quam asseritur non fuisse signatam, sed veritas est, quòd cùm hæc clausula, *& cum absolutione*, signetur in margine, Notarius cùm commodè in registro in margine non posset apponere signaturã, omisit illam per errorem, in regiſtris enim in margine non apponitur substantia scripturarum, sed solùm rubricaturæ.

Alia benè tolluntur ex decisione Illustrissimi Seraphini.

TAVRINEN. DECImarum.

Merc 27. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Habens intentionem fundatam in iure, agens coram iudice etiam incompetente, interrumpit præscriptionem alterius, & causat malam fidẽ, etiam si liti cesserit, nu. 5.*

2 *Protestationes extraiudiciales, si sunt aptæ inducere malam fidem, interrumpunt præscriptionem.*

3 *Transactio super decimis est nulla sine beneplacito Apostolico, etiam quòd agatur, quòd decimæ remaneãt apud possessorem.*

4 *Transactio nulla transigenti non prodest.*

6 *Beneplacitum Apostolicum cursu lõgi temporis non præsumitur, sine obseruantia.*

DECISIO CCCLXII.

ROta censuit, Remissoriam non esse concedendam, sed causam esse expediendam, quia cùm Parochus sit in causa, Eleemosinarius, qui prætẽdit præscripsisse decimas, cùm nõ præcedat titulus, eget præscriptione immemorabili; quæ visa fuit Dominis improbabilis, cùm requirerentur testes, qui hodie essent ætatis 108. annorum. Demendum enim est tempus post litem motam de anno 1553. vt latè fuit dictum in decisione, sub die 18. Maij præteriti.

Neque facit, quòd hęc lis non interrumpit præscriptionem, cùm fuit nulla, tanquam introducta coram iudice laico, qui non est iudex competens in materia decimarum, quia satis est, quòd Parochus egerit, qui cùm habeat intentionem fundatam de iure communi, constituit Eleemosinarium in mala fide, † & ideo 1
sufficit ad interrumpẽdam præscriptionem; etiam quòd lis fuit introducta coram iudice incompetenti, Abb. *cons. 19. num. 2. vers. nec obstat si dicatur lib. 2.* Balb. *de præscript. 3. parte 6. partis quæst. 4. num. 3. vers. restringit tamen.* † Nam etiam protestationes 2
extra

extraiudiciales, ſi ſunt aptæ inducere malam fidem, interrumpunt præſcriptionem. Butr. *in c. grauis, nu. 11. in fin. de reſt. ſpoliat.* Abb. *in c. vt debitus, num. 11. verſ. ad materiam, de appell.*

Minùs etiam facit, quòd hæc lis fuerit terminata per tranſactionem de anno 1555. cum ceſſione litis, & propterea cùm lis fuit terminata ad fauorem poſſeſſoris, non fuit interrupta præſcriptio. 3 Nam fuit reſponſum, quòd tranſactio fuit nulla, cùm non interuenerit beneplacitū Apoſtolicum, quod requirebatur etiam in iſta tranſactione, etiam quòd decimæ perciperentur per Eleemoſynarium, cùm fuiſſet trāſactum, quòd penes ipſum remanerent, ſoluta certa portione parocho, Bar. & Iaſ. *in l. nulli, num. 2. ff. de tranſact.* cum aliis pluribus adductis coram me in cauſa Romana Caſalis Turris Vergatæ, 19. Iunij 1606. Et eſt deciſio Verallij 106. *p. 1. &* 308. *p. 3.* Et pluriès fuit in 4 Rota firmatum. † Et propterea iſta tranſactio tanquam nulla non potuit prodeſſe Eleemoſinario, *l. 4. §. condemnatum*, & ibi Bar. & alij *de re* 5 *iud.* † Et ceſſio litis facta per Parochum non potuit tollere malam fidem Eleemoſinarij, cauſatam ex ipſo iudicio moto per illum qui habet intentionem fundatam de iure communi, itaut non fuerit interrupta præſcriptio, vt de ſententia ſuperueniente, quæ nō purgat malam fidem, dicit Anchar. *in c. conſultationibus, num. 5. de iurepatron.* Alex. *conſ. 75. col. fin. num. 50 lib. 4.* Balb. *de præſcript. in 2. par. 3. partis, quæſt. 5.* Et fuit reſolutum in cauſa Toletana decimarū, 22. Maij 1592. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Arrigono.

Neque etiam Eleemoſinarius poteſt ſe tueri ex præſumpto beneplacito Apoſtolico ob curſum temporis, † quia ceſſat obſeruantia, quæ 6 inſimul requiritur, Abb. *in c. Albericus, num. 6. de teſtibus*, Alex. *conſ. 52. num. 7. lib. 4.* vt apparet ex alia lite mota de anno 1572. ſententia lata de anno 1574. & tranſactione facta de anno 1575. quæ ſententia, & tranſactio, nec poteſt ſuffragari Eleemoſinario, quia ſententia potiùs fundatur ſuper æquitate, quàm ſuper iuris rigore, vt in ea expreſsè dicitur, & non terminat negotium principale, ſed mandat, quòd Eleemoſinarius ſoluat certam quantitatem tritici Parocho, donec Eccleſia ipſa Parochialis ad pinguiorem fortunam venerit. Et hæc ſententia fuit ſuſpenſa per appellationem introductam coram Nuntio, vt conſtat ex cōfeſſione partium in dicta tranſactione. Et poſtmodùm fuit facta dicta tranſactio ſine prejudicio ſucceſſorum. Vnde ex iſta ſerie facti aqparet, quòd non potuit ceſſare mala fides Eleemoſinarij, itaut præſcriptio non dicatur interrupta, ex Ancharano, Alexandro, & aliis ſuprà relatis.

Quod dicebatur, decimas, quas percipit Eleemoſinarius non eſſe illas debitas de iure communi Parocho, non placuit Dominis, quia ſuper iſtis fuit tranſactum, & agitatum, & adſunt confeſſiones Eleemoſinarij, vt dicitur in alia deciſione.

ROMANA DOMVS.

Merc. 27. Iunij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Petenti alimenta, & ſumptus litis, eſt neceſſaria probatio paupertatis.*

DECI

DECISIO CCCLXIII.

VIsum fuit Dominis, Prospero non deberi alimenta, & sumptus litis, quia hîc non agit ad vniuersam hæreditatem paternam, sed ad domum alienatam per fratres, quam prætendit fideicommisso esse suppositam, & ideo obmisso, vt videatur an constet de bono iure, ad hunc effectum satis est, quòd non
4 probet paupertatem,† quæ videtur necessaria in hoc casu, ex alleg. per Molin. *de primog. Hispan. lib. 2. c. 16. num. 46.* Surd. *de alim. tit. 1. quæst. 112. num. 31. vsque ad fin.* Imo videtur probatum contrarium, nempè, quòd ipse habet domum, & vineas, & inseruit in aula Illustrissimi D. mei Cardinalis de Bubalis in nobili officio architriclinij; vnde habet honestam portionem victus, vt deponunt testes, quorum copia data fuit.

OVETEN. MERCEdis.

Mercurij 4. Iulij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Procurator reuocatus quoàd vnam causam tantùm, si de tempore reuocationis est generalis, censetur reuocatus quoàd omnes causas.*
2 Decis. Rot. 18 & 22. de procur. *in nouis declarantur.*
3 *Procurator ad lites & negotia, si reuocatur quoàd lites, non censetur reuocatus quoàd negotia, & è contra.*

DECISIO CCCLXIV.

DOminis placuit vltima pars decisionis, ad quam, vt morem gererem parti, volui restringere difficultatem, scilicèt quòd licèt Iacobus fuisset constitutus procurator generaliter, & reuocatus tantùm quoàd causam vertentem cum Birgantia, † tamen censetur reuocatus 1
quoàd omnes causas, quia de eo tempore nullam aliam causam habebat Capitulum, & causa propter quam fuit facta reuocatio erat generalis, & non specialis. Vnde meritò Iacobus censetur reuocatus quoàd omnes causas, ex Alciat. *de præsumpt reg. 2. præsumpt. 16. nu. 5.*

Non obstat decisio Rotæ 18. & 2
22. *de proc. in no.* quia non procedit, quando causa reuocationis est generalis, & agitur de reuocando procuratore ad lites tantùm, sed quando quis habet procuratorem ad lites, & ad negotia, & reuocat quoàd lites, † quia tunc procurator non 3
censetur reuocatus, quoàd negotia. Et bene, quia stant simul, quòd reuocetur quoàd lites, non autem quoàd negotia, secùs in casu isto, cùm causa reuocationis sit generalis; nec verisimile est, stante ista generalitate, quòd voluerit reuocare quoàd vnam causam, secùs quoàd alias, & reuocatio specialis videtur facta, quia tunc nulla alia aderat causa.

CALAGVRITANA Iurisprouidendi.

Merc. 4. Iulij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Qui continuat, non attentat.*
2 *Gratia est obreptitia, si veritas fuit tacita.*

DECISIO CCCLXV.

PRoposui dubium, an Breue concessum per sanctæ mem. Clem. 8. sub die 4. Maij 1592. esset subreptitium. Et Rota censuit, affirmatiuè

reſpondendum, quia cùm fundetur ſuper narratiua, quòd non obſtante inhibitione Rotali emanata per bon.me.Bubalum,& reſolutione facta coram Illuſtriſſimo Seraphino ſubrogato, quòd inhibitio afficiebat Epiſcopum, ipſe proceſſit ad exequutionem Motus proprij Sixti quinti, cuius etiam prætextu plures intruſit; hæc narratiua nedum hactenus non fuit iuſtificata, ſed nec vllo pacto poteſt iuſtificari, ex latè deductis in cauſa Calaguritana attẽtatorum 15. Maij 1600. corã bon. mem. Litta, & præſertim, quia non apparet, vnquam fuiſſe reſolutum, inhibitionem afficere Epiſcopum. Et cũ Epiſcopus eſſet in quaſi poſſeſſione conferendi, non poteſt ve-
1 rificari narratiua intruſionis, † quia qui continuat, non attentat, *c. cùm teneamur*, & ibi DD. *de appell.* Verall. *dec.* 51. *par.* 1. Hinc etiam reſultat, quòd ſi Papæ fuiſſet narrata quaſi poſſeſſio Epiſcopi conferendi, non mandaſſet, vt omnia poſt inhibitio-
2 nem facta in priſtinum reduceret. † Vnde Breue etiã remanet obreptitium, *c. ſuper literis*, vbi Fely. *num.* 8. *de reſcr.* Pariſ. *conſ. vlt. num.* 13. & 14. *lib.* 1.

Neque obſtat, quòd pendente recurſu ad ſignaturam ſanctiſſimi Domini noſtri, hæc cauſa fuit propoſita, quia fuit data fides Referendarij, quòd ampliùs commiſſionem nolebat proponere, quia licèt poſteà mutauerit conſilium, vt ex alia fide data cum ſcripturis, tamen Rota voluit capere reſolutionem, qui recurſum habebant ad ſignaturam, illi qui aſſerebant, ſe vltimo loco fuiſſe ſpoliatos. Dubium autem, de quo agitur, proponitur ad inſtantiam illorum qui ſpolium non commiſerunt, qui plures ſunt, vt fuit oſtenſum Rotæ, vtraq; parte informãte, & ſic, commiſſio nihil habet commune in hoc caſu, quia in ea petebatur, quòd videretur ſuper ſpolio, hinc ſanctiſſimus D. N. mandauit R.P.D. meo Decano, tunc præſenti in ſignatura, prout ipſe annotauit à tergo commiſſionis, vt non impedito iudicio ſpolij, videatur Breue Clementis Octaui, & propterea iſtis omnibus ſtantibus, viſum fuit Rotæ, capere reſolutionem.

NVCERINA PAGAnorum.

Merc. 4. *Iulij* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Poſſidenti datur mandatum de manutenendo.*

2 *Iudex non ritè procedens, non priuat poſſeſſione.*

3 *Exequutor cum clauſula* vocato, *dicitur mixtus exequutor & ab eo datur appellatio.*

4 *Clauſula* contradictores, *intelligitur de contradictoribus de facto, non autem de iure.*

5 *Agens remedio rei integrandæ cenſetur habuiſſe ſe pro ſpoliato.*

Decisio CCCLXVI.

EX deductis dicebant Domini, 1
Adanti dandum eſſe mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione beneficiorum ſanctæ Mariæ, ſancti Iacobi, & ſancti Leonardi. Conſtat enim de eius poſſeſſione capta vigore reſignationis, ſub die 16. & 12. Octobris 1604. §. *hodie, inſtit. de interd.*

Neque facit, quòd Lucas vigore 2
mandati de immittendo obtenti per iudicem, ceperit poſſeſſionem, quia iudex, ex quo non ritè proceſſit, non priuauit Adantem, vt per DD.

in l.

in l. clam possidere,§.qui ad nundinas, ff.de acq.possess. Quod satis ostendi-
3 tur, † quia cùm in literis Lucæ adesset clausula, *vocato Adante*, iudex erat exequutor mixtus, *c. exhibita*, vbi Abbas *in 3. not. & ibi addit. de iud.* Card.*cons.63.nu.1.* Et propterea tenebatur assumere partes iudicis, & ab eius sententia dabatur appellatio,vt per DD.*in c.fin.de præsumpt.* vbi Fely.*num.23.* Dec.*cons.173.nu.2. & cons.233.*

4 Neque suffragatur Lucæ,quòd in suis literis adesset clausula, *contradictores appellatione postposita compescendo*, quia hæc clausula intelligitur de contradictoribus de facto, secùs autem de contradictoribus de iure, vt per Franc. *in c.1. ante finem, vers. vel poterit,de conces. præben.* Put.*dec.271. num.6.lib.3.* Lancel.*de attentat.appel. pend. limit.8. num.4.* Adantes verò erat contradictor de iure,quia iudicialiter ius suum prosequebatur, vt fuit dictum in causa Calaguritana beneficij 18. Aprilis 1603. coram R. P. D. Lancellotto, & aliàs sæpiùs.

5 Cæterùm cùm Adantes 6.Februarij 1606. obtinuisset per iudicem appellationis reintegrationem,quæ ostendit,mandatum de immittendo concessum Lucæ habuisse effectum, non potest obtinere manutentionem, cùm habuerit se pro spoliato. Solo enim animo perditur possessio,Butr.*in c.cùm ad sedem,num.25.de rest.spol.*

Neque ex ipsa reintegratione potest petere manutentionem, quia non fuit ritè, & rectè concessa, vt liquet ex processu. Hæc tamen non fuerunt deducta in positione causæ, & ideo supersedi in concessione dicti mandati.

BVRGEN. BENEFICII de Robredo.

Ven. 6. Iulij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Exemplum datum,& subscriptum à notario actuario, habetur pro originali.*

2 *Monitio iudicis ad sententiam parti præsenti facta supplet defectum citationis.*

Decisio CCCLXVII.

IN resolutionibus causarum feci verbum, an huiusmodi causa esset expedienda. Et Rota censuit affirmatiuè respõdendũ, quia difficultates quæ fuerunt excitatæ in decisione, bene tollebantur. Nam quòd processus non esset in forma probanti, ex quo alij oppositores non fuerunt citati, tollebatur, ex quo est exemplum datum, & subscriptũ ab ipsomet notario actuario, & ideo habetur pro originali, vt per DD.*in c.1.de fid.instr. & in auth. si quis in aliquo, C. de eden.* Secunda difficultas etiam cessabat, quia verè pro Petro se opposuit Ioannes Viuanco substitutus à Francisco Ortiz, de cuius mandato etiam constat, quod licèt in processu careat die, & ideo dictum fuit, quòd non est in forma probanti, tamen hoc fuit propter errorem Notarij, quia originale fuit rogatum in Curia,& habet diem,& alia requisita.Et sic cessat etiam tertia difficultas. Quarta & quinta difficultas etiam cessant, quia cùm Petrus esset cœptus beneficiari ex statuto, ei debebatur integra portio. Quod etiam propter simile statutum fuit dictum in causa Burgen. beneficij de Velorado 18. Maij 1598. coram Reuerendissimo

Pacen. Et quòd esset dimidius portionarius satis probant testes, cõtra quos licèt opponeretur defectus iuramẽti, ex quo notarius enuntiatiuè loquitur, tamen apparet per extensum de iuramento præstito. † Et quoàd citationem partis,, quòd non interuenerit, non officit, ex quo adest monitio iudicis parte præsente, quæ supplet hunc defectum *l. cessante*, & ibi glos. & DD. *C. quom. & quan. iud.* Marant. *in prax. par. 6. tit. de citat. num. 48. & seqq.*

VITERBIEN. FIDEIcommissi.

Lunæ 23. Iulij 1607.

SVMMARIVM.

1 *Quadriennium datur ad petendam, & prosequendam restitutionem in integrum, nisi stet per iudicem, vel partem, quominus causa expediatur. Tunc enim etiam vltra quadriennium se extendit.*

Decisio CCCLXVIII.

MArcus & fratres de Diuitia petebat pronunciari, ipsos esse restituendos, iuxta resolutiones fa-
1 ctas, & protestabantur, † quòd iam erant in fine quadriennij, quod datur ad petendum, & finiendum restitutionem, *l. fin. C. de temp. in integ. rest. c. 1. de rest. in int. in 6.* Et cùm alia pars instaret audiri super decisione iam facta, cùm ipsa iura sua non deduxerit, Rota voluit illi morem gerere; nam etsi quadriennium esset in fine, nihil deperit Marco, & fratribus, cùm per iudicem, & partem stet quominùs causa restitutionis in
2 integrum expediatur; † quo casu hoc iudicium etiam vltra quadriennium se extendit. Host. *in c. 1. in verbo quadriennij spatium, de in int. rest.* cum aliis per Modern. *de rest. in int. par. 1. q. 19. art. 12. num. 96.* Et hæc voluerunt Domini annotari pro indemnitate Marci & fratrum.

PAMPILONEN. DE Ianzi.

Ven. 26. Octobris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Intrusus debet facere mentionem in gratia de fructibus perceptis post motam litem, si sibi debentur, non autem si debentur tertio, num. 4. de fructibus verò perceptis ante motam litem, non debet facere monitionem, num. 2.*

3 *Possessor bonæ fidei facit fructus suos.*

5 *Subrogato in iuribus defuncti beneficiati aliquando fructus debentur.*

6 *Venia dignus est, qui nec nocuit, nec deliquit.*

Decisio CCCLXIX.

DOmini dixerunt, gratiam Antonij posse sustineri, etiam, quòd in ea non fecerit mentionem de perceptione fructuum, † quia li- 1
cèt intrusus debeat facere talem mentionem in gratia quam impetrat, vt per DD. *in c. dudum, 2. de elect.* vbi Host. *num. 45. vers. sed pone*, Fely. *in c. in nostra, num. 10. vers. sed adde, de rescr.* Rebuff. *sup. concord. in form. mand. Ap. in verbo, præsentibus pro expressis, vers. 5. etiam,* & est decisio Put. 131. *lib. 1. & 13. de præben.* Cassad. *dec. 6. num. 1. & seqq. de præben.* † ta- 2
men quoàd fructus perceptos per Antonium à die prouisionis, vsque ad diem motæ litis, non videbatur necessaria dicta mentio, cùm non posset dici intrusus, ex quo habebat præsentationem, & institutionem

nem ab Ordinario, Rota *dec.* 13. *de cauſ. poſſ. & propr.* Fely. *in c. in noſtrâ, num.* 12. *de reſcr.* Rebuff. *vbi ſuprà, verſ.* 4. *intruſio.* Et propterea fecit
3 iſtos fructus ſuos.† Ad effectũ enim illos acquirendi ſufficit, malam fidẽ abeſſe, *l. ſed etſi lege* §. *ſcire, ff. de pet. hæred.* vbi not. Bart. Caſſad. *dicta dec.* 6. *num.* 9. *verſ. quia procedit.* Et licèt Rota reſoluerit, poſſeſſionem Antonij fuiſſe attentatam, poſteà tamen ſubſtitit, & ordinauit, quòd videretur de bono iure, & in omnem euentum intrat reſponſio, quæ modò dabitur ad non expreſſionem fructuum poſt litem motam perceptorum.
4 † Nam regula illa, quòd debebat fieri mentio fructuum malè perceptorum, aliàs gratia ſit nulla, non habet locum, quando iſti fructus debentur tertio, Caſſad. *d. dec.* 6. *nu.* 6. *& dec.* 7. *de præben.* Verall. *dec.* 217. *par.* 3. Et fuit dictũ in cauſa Parmen. Prioratus, 23. Iunij 1589. coram Illuſtriſſimo Mantica, & in cauſa Salamãtina dimidiæ portionis 1. Aprilis 1591. coram Illuſtriſſimo Pamphilio. Et ratio eſt, ne iſte impetrans duplici diſpendio afficiatur, ſcilicèt componendo cum Camera, & ſoluendo tertio. In præſenti autem caſu Antonius fuerat cõdemnatus per tres ſententias Rotales ad reſtituẽdum fructus, & fuerat etiam conceſſum inſtrumentum liquidationis in partibus. Vnde licèt ſententiæ eſſent latæ ſuper iurepatronatus ad fauorem Catharinæ, cui tales fructus non erant debiti, potuit tamen dubitare Antonius, quòd eſſent debiti Ioanni præſentato à Catharina, qui mediante eius procuratore cõparuit, in actis producendo iura, & declarando, ſe velle conſequi ius ſuum, & Ferdinando poſtmodùm ſubrogato in iuribus Ioannis defun-
5 cti, † cùm etiam ſubrogato in quibuſdam caſibus fructus debeantur. Put. *dec.* 159. *num.* 3. *lib.* 3. Ægid. *dec.* 366. Vnde cùm ſaltem eſſet dubiũ, cui fructus eſſent debiti, venit excuſandus Antonius, ſi de illis non fecit mentionem in gratia quam impetrauit. Caſſad. *d. dec.* 6. *num.* 9. vbi fuit admiſſa ſimilis excuſatio, prout etiã in dicta cauſa Salamantina dimidiæ portionis 1. Aprilis 1591. coram Illuſtriſſimo Cardinale Pamphilio. † 6 Venia enim dignus eſt, qui nec nocuit, nec deliquit, *cap.* 2. *de conſtit.* Ægid. *dec.* 4. *num.* 2.

BONON. BONORVM de Manſumatico.

Lunæ 26. Octobris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio rei Eccleſiaſticæ in qua interuenit beneplacitum Apoſtolicum, præſumitur vtilis, quouſque de contrario doceatur.*

2 *Totus contractus eſt conſiderandus, ad effectum quòd dicatur vtilis, vel læſiuus.*

DECISIO CCCLXX.

CVm in alienatione bonorum de quibus agitur, interuenerit beneplacitum Apoſtolicum, alienatio præſumitur vtilis, quouſque per Rectorem doceatur de contrario. Bal. *in c.* 1. *in princ. num.* 7. *de his qui feud. dar. poſſ.* Abb. *conſ.* 41. *num.* 2. *lib.* 1. Alex. *conſ.* 75. *num.* 6. *circa fin. lib.* 1. Et fuit pluriès reſolutum in Rota. Et propterea rector prætendebat, læſionem probari, ex ipſomet inſtrumento locationis, cùm adſit pactum quòd canon 200. lib. poſſit redimi, vel aſſignando bona quæ habent in redditibus lib. 210. vel aſſignando loca montium, quæ reddant lib.

pariter 210. prout dicta loca fuerunt assignata. Et hinc resultat læsio, qui etiam considerato augmento, tamen habita cõsideratione ad deuolutionem bonorum, in euentum non solutionis canonis, & quòd canon nulli oneri erat abnoxius, ipse canon est maioris valoris, quàm loca Montium eiusdem redditus, & cum augmento decimæ partis, vt fuit resolutum in causa Romana domus 4. Maij 1601. coram Illustrissimo Pamphilio.

Prædictis non obstantibus, Rota censuit, ex ipsomet instrumento locationis, non constare de læsione, quia etsi decisio Illustrissimi Pamphilij sit vera in casu suo, tamen nõ applicatur ad præsentem casum, quia loquitur in casu, quo canon fuit affrancatus in instrumento separato; hic autem sumus in casu, in quo hęc fuerunt narrata Papæ, & propterea non sufficit Rectori cõsiderare hoc pactum separatum, sed deberet ostẽdere, quòd ex ipso contractu resultat læsio Ecclesiæ. Nam esse potest, quòd etiam stante ipso pacto, quòd possint assignari loca Montium, nihilominùs locatio fuerit vtilis Ec-
2 clesiæ. † Totus enim contrarius est considerandus, ad effectum quòd dicatur vtilis, vel læsiuus, & non singulæ partes de per se sunt discutiẽdæ, *l. Mœuius, §. fin. ff. fam. ercisc.* Surd. *cons.* 217. *num.* 13. *& seqq.* idem Surd. *dec.* 155. *nu.* 5.

PAPIEN. COADIVtoriæ.

Lunæ 5. Nouembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Attentata purgantur per liberam cessionem, non autem per conditionalem.*

2 *Expensæ factæ in iudicio attentatorum, refici debent, & licèt expensæ post cessionem liberam regulariter non debeantur, debentur tamen, si cessio fuit conditionalis, nu.* 3.

4 *Damna & interesse refici debent à die attentationis, non à die motæ litis.*

5 *Depositum vnius Iulij non admittitur in iudicio attentatorum.*

6 *Attentata possunt purgari per Principem, iudicem, & partem.*

Decisio CCCLXXI.

ROta censuit, attentata non fuisse sufficienter purgata per Camillum.† Cùm enim quoàd possessionem prætendat illa purgasse per cessionem, quod est permissum, vt per Lancell. *de attent. cap.* 29. *num.* 24. tamen illa cessio ei non suffragatur, cùm non fuerit libera, sed conditionalis, Lancell. *vbi suprà nu.* 31. Hinc sequitur, quòd nec respectu expensarum, † quæ etiam in hoc iudicio 2
refici debent. *Lanc. d. loco, num.* 18. *&* 32. attentata dicantur sufficienter purgata, quia licèt expensæ post cessionem regulariter non debeantur, Verall. *dec.* 31. *lib.* 1. *in manuscrip.* † Ta- 3
men hæc regula non habet locum in casu isto, cùm cessio fuerit conditionalis, quæ propterea nihil posuit in esse, *l. si quis sub conditione, ff. si quis omiss. caus. testam.* Neque etiam attentata fuerunt sufficienter purgata respectu expensarum factarum ante aperitionem oris, quia licèt tunc nõ adesset facultas reuocandi dicta attentata, per clausulam *sublata* positam in literis Camilli, tamen cùm superuenerit aperitio oris, sicuti Rota potuit reuocare attentata, sic debent refici expensæ, quas clarum est fuisse factas in iudicio attentatorum, maximè, quia si non veniunt ratione expensarum, veniũt ratione

dam

damnorum,& intereſſe, quæ attentans debet reficere à die attentationis, & non à die motæ litis, vt per Lancel. *d.tract. c.31.nu.173.*

Neque in hoc caſu ſuffragatur depoſitio vnius Iulij donec expenſæ liquidentur, quia huiuſmodi depoſitum non admittitur in purgatione attentatorum,Caput.*dec.222.tertius veniens ad cauſam, lib.1.in manuſcrip. & 150. num.6. lib.1. in impreſſ.* Lanc. *d.c.31.nu,176.*

Ex quibus dixerũt Domini,quòd cùm attentata poſſint purgari per principalem iudicem, & partem, mediante ceſſione, vt per Lancell. *d.c.29.* & Camillus elegerit ſibi hãc viam, de nouo liberè cedat,& reficiat expenſas,& poſtmodùm audiatur in negocio principali.

CORDVBEN. REDEcimarum.

Ven 16.Nouembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Vnica decima ex præcepto diuino ſolui debet.*

2 *Præceptum de ſoluenda decima ex parte ſoluentis eſt affirmatiuum, ex parte illius cui ſoluitur, negatiuum, nu.6.*

3 *Solutio duplicis decimæ eſt contra ius.*

4 *Locatio de prædio decimatorio, intelligitur facta ſalua decima.*

5 *Gloſ.* in cap.tua nobis,in verb. ſic & Dominus, de decimis, *declaratur.*

7 *Decima prædialis debet ſolui Eccleſiæ, vel prædiali vel Sacramentali, prout viget conſuetudo,nu.8.*

DECISIO CCCLXXII.

POſt ſolutionem decimarum factam ex communi aceruo domini,& coloni iuxt. *tex.in c.à nobis, verſ. ſicut colonus,de decimis,* prætendunt Eccleſiæ parochiales dominorum fundi, aliam decimam ex portione dominica,redecimam nuncupatam; de qua dubitaui, an ſit præter, vel contra ius. † Et Rota cenſuit, eſſe contra ius. Ex præcepto 1
enim, vnica tantùm decima eſt ſoluenda, *Exod.c.22.in fin.* & habetur, *in c.1.& in c. cùm homines,* ibi, *nouem partibus ſibi retentis,& in c.paſtorales, de decimis cum aliis.* † Quod præce- 2
ptum licèt ſit affirmatiuum ex parte illius qui ſoluere tenetur, continet tamen negatiuam ex parte illius cui ſoluendum eſt, vt compellere non poſſit ad ſoluẽdum vltra decimam. Bal.*in l.fin.num.73.in prin. & in fi.C. de hær.inſtit.*Rim.iun.*conſ.48.num.25. vol.1.* † Vnde ſequitur, eſſe contra 3
ius, quòd duplex decima ſoluatur, prout etiam dixit Inn.*in cap.cùm non ſit, num.1. & ſeqq. de decimis,* Abb. *in c.cùm ſint, num.6.ant.fi. verſ. aliàs ſequeretur,eodem tit.* Et fuit reſolutũ in cauſa Toletana redecimarum 19. Nouembris 1584. coram ſanctæ mem.Clemente Octauo, & in eadẽ 21. Maij 1586. coram Illuſtriſſimo D.meo Cardinali Pamphilio, & in cauſa Valliſoletana decimarum 21. Maij 1589.coram Orano,& in cauſa Corduben. redecimarũ 25.Octobris 1593.coram bon.me. D.Gyptio. Et dicunt Doctores Hiſpani, Montalu. *in l.4.tit.5.lib.1.fori, ſuper verbo todos,* & Sot. *de iuſt. & iur.lib.9. q.4. art.2.in fi.* Honcal.*in tract. de decimis parte 2.prop.6.*& alij, quos refert, & ſequitur Alphon.Azeued. *lib.1.tit.5. leg.7. nou. recompilat.* † Et hæc con- 4
cluſio procedit, etiam quòd prædiũ locetur, & colonus ſoluat domino in pecunia, quia locatio cenſetur facta, ſalua decima. Inn. *in d.c.cùm non ſit, num.2. verſ. in domino autem*

fundi

*fundi,de decimis,*Io.And. *ibidem,nu.*4. *verſ. vnde dicit ipſe,* Collect. *num.*3. Anchar.*num.*4. Hoſt.*nu.*2.Bur.*nu.*6. Card.*num.*2.*verſ.& ex hoc,* & iidem Doctor.*in c.tua nobis,eodem tit.*Card. *num.*4.*verſ.*5.*quæro,* Hoſt.*nu.*14.*verſ. hoc vltimum,* Butr.*num.*9. *verſ. credo,* Anchar.*num.*10.*verſ.& pro tanto dico,*Collect.*num.*8.Abb. *num.*14.*verſ. aut dominus locauit.* & Anan. *num.*7. & Vital. *in Clem. religioſi,num.*25. *& ſeq. de decim.*

Neque prædictis reſiſtit glo.*in d.c. tua nobis,de decimis,in verbo, ſic & dominus*, quia non loquitur, quando aceruus eſt cómunis,neque quando quota eſt ſoluenda, ſed quãdo certa quantitas non habito reſpectu ad fructus,quæ licèt deſcendat ab aceruo decimato, tamen ipſa portio nõ eſt decimata.Et ſic dictum gloſ.non officit,quando aceruus eſt communis; ſed nec eius dictum eſt verum, quando aliquid ſoluitur domino ratione locationis,nõ habito reſpectu ad fructus, vel quando certa penſio ſoluitur in pecunia,& glo.ipſa infrà videtur agnoſcere veritatem, dum dicit, quòd colonus tanto minùs poteſt ſoluere Eccleſiæ : quod æquius videtur.Imò æquius,& iuſtius dicit Hoſt.*ibidem,nu.*12.*&* 13. Et ita hanc glo. intelligit *ibidem* Card. *in* 2.*quæſt.*& dicunt ibid. *Collect.num.*8. Anchar, *num.*10.Anan. *num.*7. Abb. *num.*14.*verſ.aut dominus locauit,*Hoſt. *in d.c.cùm ſit,num.*2.Inn.& alij ſuprà relati.

Neque etiam reſiſtit,quòd de iure non reperiatur prohibitum, ne duplex decima ſoluatur, quia cùm in genere duplex ſit præceptum affirmatiuum, & negatiuum, ſecundũ ſanctum Thom.2.2.*quæſt.*33.*art.*2.*in corpore artic.* certum eſt, non adeſſe
6 præceptum negatiuum, † adeſt tamen affirmatiuum de ſoluenda decima,quod continet in ſe negatiuũ, quòd vltra decimam no poteſt exigi,quod, licèt non efficiat præceptũ negatiuum,vt obliget ſemper, & ad ſemper, continet tamen negatiuam reſpectu Eccleſiæ,quæ exigẽdo vltra decimam, exigit contra ius, quod dat tantum decimam.

Neque facit, quòd hæc redecima non ſoluitur eidem Eccleſiæ prædiali,ſed Eccleſiæ Sacramentali, & ideo non videtur poſſe dici contra ius, † quia cùm huiuſmodi decima 7
ſit prædialis, Io. And.*in d.c.cùm non ſit,num.*5.*de decimis,*glo.*in d.c.tua nobis,in verbo,ſic, & dominus,verſ. ſatis poteſt dici* & ibi etiã Hoſt.*nu.*12.*verſ. poteſt dici,eodem tit.*† Et cui Eccleſiæ 8
ſit ſoluendum an prædiali, vel Sacramentali ius non determinat, ſed in hoc defert conſuetudini, vt *in d.c.cùm ſint,de decimis,* Achill. *dec.*5. *&* 6. *eodem tit.* propterea, cùm conſuetudo introduxerit in illis partibus,quòd ſoluatur Eccleſiæ prædiali,ſequitur,quòd ſit contra ius,quòd Eccleſia Sacramentalis decimam exigere velit.

CORDVBEN. BENEficij de Oueyo,

Lunæ 19. *Nouembris* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula,* arbitrio Rotæ, *intelligitur,prout de iure.*
2 *Gratia iuſtificata debet exequutioni demandari.*
3 *Familiaritas probatur per teſtes.*
4 *Rotulus in quo ſunt deſcripti familiares inſeruit pro adminiculo.*
5 *In probando obitu ad effectum reſeruationis, ſufficiunt teſtes de publica voce, & fama, & leuiores probationes.*
6 *Præſentia partis ſupplet defectum intimationis.*

7 *Tran*

7 *Transacto dilationis tempore ad probandum, iudex potest valide sententiam ferre. & 8.*

9 *Clausula* si senseris te grauatum *per comparitionem partis resoluitur in simplicem citationem.*

10 *Error notarij non potest parti præiudicare.*

Decisio CCCLXXIII.

DOmini resoluerunt, non esse retardandam exequutionem Breuis, quia licèt sit commissa arbi-
1 trio Rotæ, † intelligitur tamẽ prout de iure Bart. *in extrauagan. ad reprimendum, in verbo, videbitur, num.* 8. †
2 Secundùm, quòd Breuia postquam sunt iustificata exequutioni debent demandari, Caput. *dec.* 71. *p.* 1. *& dec.* 180. *p.* 3. Hic autem Breue satis est iustificatum, quia cùm fundetur in reseruatione per obitum Stephani de Monteroso familiaris Cardina-
3 lis de Gueuara, † huiusmodi familiaritas bene probatur per duos testes concludentes de omnibus requisitis ad faciendum aliquem familiarem,
4 *vulg. l. vbi numerus, ff. de testibus.* † Et hodie comprobatur ex rotulo familiarium eiusdem Cardinalis. Quæ probatio est attendenda, cùm non iustificet, sed corroboret probationes antiquas. Quod admittitur etiã in materia censurarum, vt fuit resolutum in causa Interamnen. pensionis 23. Ianuarij 1602. coram Reueren. Pacen. Obitus autem eiusdem Stephani in possessione beneficij de mense Iunij, seu Iulij, satis etiam
5 probatur per eosdem testes, † quia cùm agatur de probando obitu ad effectum reseruationis, sufficiunt testes de publica voce, & fama, & leuiores probationes. Put. *dec.* 266. *lib.* 3. Et fuit resolutum in causa Placen. Canonicatus, & præbendæ, 1. Martij 1599. coram Orano, & in causa Salamantina de Arapiles 3. Iulij 1600. coram R.P.D. meo Decano, & aliàs sæpiùs.

Nec obstat, quòd iudex mandauerit die 18. repeti testes, & sententia postea fuerit lata die 12. absque aliqua repetitione, quia huiusmodi decretum fuit factum, nisi ad primã diem, cum intimatione, & D. Gundisaluus eadem die comparuit, & dixit, quòd testes examinarentur sumptibus alterius partis, & sibi intimata hora. † Vnde cùm ista com- 6
paritio suppleat intimationem, vt in terminis est decisio Verall. 322. *num.* 3. *& 4. par.* 2. & intra terminũ præfixum testes non fuerint examinati, † iudex potuit procedere ad 7
expeditionem causæ, *l. siue pars, C. de dilat.* Verall. *d. dec.* 322. *num.* 4. *par.* 2. Et sic parum refert, quòd intimatio fuerit facta die 13. quo tempore erat lata sententia, † quia non inde 8
sequitur, quòd fuit lata pendente dilatione, & sic nulla, iuxta decisio. Put. 174. *lib.* 1. cùm comparitio Gundisalui sufficeret pro intimatione, vt dictum est.

Minùs etiam subsistit, quòd fuit motum iudicium via ordinaria propter clausulam in monitorio positã, *si senserit se grauatum, &c.* Et quia termini substantiales in iudicio ordinario seruari soliti, fuerunt seruati, & propterea iudex non potuit procedere exequutiuè. † Quia dicta 9
clausula operatur, quòd monitoriũ resoluatur in simplicem citationẽ, comparente citato, Rip. *in l. de pupillo, §. meminisse, nu.* 21. *ff. de op. no. nunc.* Non tamen operatur, quòd censeatur processum ordinariè, quia in quolibet iudicio requiritur citatio partis, *l. de vnoquoque, ff. de re iud.* Et quòd termini substantiales in iudicio ordinario seruari soliti, fuerint seruati, non est verum, quia fuerunt

ſeruati quatuor termini in iudicio exequutio ſeruari ſoliti, licèt verum
10 ſit, quòd in reiteratione.† Notarius extẽderit terminos in iudicio ordinario ſolitos ſeruari, qui propterea non potuit præiudicare parti.

Quòd Breue non ſit iuſtificatum quoàd aliud beneficium obtentum per D. Gondiſaluum nõ refert, quia iſtæ cenſentur duæ gratiæ, & hodie proſequitur tantùm gratiam ſuper beneficio de quo agitur.

BONONIEN. TRANſactionis.

Merc. 5. Decembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Tranſactio propter dubium litis euentum ſuſtinetur.*
2 *Clauſula*, & omni meliori modo *operatur etiam vltra expreſſa.*
3 *Solemnitas & vtilitas copulatiuè requiruntur in alienatione rei Eccleſiaſticæ.*
4 *Beneplacitum Apoſtolicum ſupplet defectum ſolemnitatis requiſitæ in alienatione rei Eccleſiaſticæ.*
5 *Alienans rem Eccleſiaſticam, & conſentiẽs impetrationi beneplaciti Apoſtolici, non poteſt ampliùs pœnitere.*
6 *In matrimonio inter perſonam in gradu prohibito contrahendo, poſt diſpenſationem Apoſtolicam adhuc requiritur nouus conſenſus, ſecùs eſt in alienatione rei Eccleſiaſticæ poſt beneplacitum, nu. 7.*

DECISIO CCCLXXIV.

DOmini reſoluerunt pro validitate tranſactionis, quia cùm bona fuerint conceſſa in emphyteuſim Bartholomæo pro ſe, & filiis maſculis, & deſcendentibus per lineam maſculinam tantùm, quicquid ſit de veritate quæſtionis, an fœminæ ex maſculis cenſeatur vocatæ ex alleg. in alia cauſa Bonon. deuolutionis bonorum 14. Ianuarij 1602. coram R.P.D. meo Iuſto, negari tamen non poteſt, quin de hoc poſſet dubitari, & quin euentus litis eſſet dubius. † Ex quo ſequitur, quòd 1
tranſactio ſuſtinetur, vt *in l. 1. ff. de tranſact.* vbi DD. *& in l. 2. C. eod. tit.* Et quamuis dubium litis non excederet primum gradum fœminarum vltimi vocati, & in tranſactione bona fuerunt conceſſa fœminis, & eorum filiis maſculis, & deſcendentibus per lineam maſculinam, & ſic fuerit exceſſum vltra id quod erat in lite, nihilominùs cùm hæc conceſſio non ſolùm fuerit facta per viam tranſactionis, ſed cum clauſula, *& omni alio meliori modo*, † hæc 2
clauſula ſtante copula, *&*, operatur etiam vltra expreſſa, Achill. *dec. 1. de verb. ſign.* Cæſar. de Graſſ. *dec. 1. nu. 4. de elect.* Verall. *dec. 271. lib. 1. in manuſcr.* Et pluriès fuit reſolutum. Et propterea conceſſio ſuſtinetur, ſi nõ per viam tranſactionis, per viam nouæ conceſſionis.

Non obſtat, quòd ſiue iſta ſit tranſactio, ſiue noua conceſſio, requiritur ſolemnitas, & vtilitas, † 3
quæ duo copulatiuè requiruntur in alienatione rerum Eccleſiæ, *c. ſine exceptione, 12. q. 2. c. nulli, de reb. Eccleſiæ non alien. & c. 1. eod. tit. in* 6. † quia hîc 4
interuenit beneplacitum Apoſtolicum, quod ſupplet defectum ſolemnitatis, iuxta *conſ. Abb. 41. lib. 1.* quod etſi fuit impetratum longè poſt cõceſſionem factam, tamen hoc non refert, † cùm poſtquàm ſemel Rec- 5
tor conſenſit, beneplacitum poſſe impetrari, non poteſt ampliùs pœnitere, Cephal. *conſ. 91. num. 9. lib. 1.* Et in iſtis terminis fuit reſolutum in cau

in cauſa Romana locationis affictus, 4. Iunij 1584. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, & in cauſa Leodien. domorum 10. Maij 1576. corã D. de Rubeis, & nouiſſimè 16. menſis prẽteriti coram R.P.D. meo Lancellotto in cauſa nullius Emphyteuſis.

Nec releuat, quòd beneplacitum, licèt fuerit impetratum in vita Rectoris qui fecit tranſactionem, tamen fuit præſentatum in vita Moderni Rectoris, qui alienationi, & tranſactioni non conſenſit; quia nihilominùs, ſtante Apoſtolica confirmatione, ſi contractus eſt vtilis, modernus Rector non poteſt pœnitere, & tollere ius quod erat iam quæſitum alteri parti, Alex. *conſ. 27. nu. 4. lib. 3.*

6 Nec facit, quòd cùm res Eccleſiæ non poſſint alienari abſque beneplacito Apoſtolico, poſt confirmationem obtentam requiritur nouus conſenſus, ad trad. per Abb. *in c. ſuper eo, nu. 8. de condit. appoſ.* quia Abbas loquitur in matrimonio cõtracto in gradu prohibito, quo caſu deficiunt conſenſus, vt verba, quia perſonæ non ſunt habiles ad contrahendum, & ſic deficit materia, & forma, & propterea requiritur nouus conſenſus poſt diſpoſitionem:

7 † ſecùs eſt in caſu iſto, quia alienatio rerum Eccleſiæ abſque beneplacito Apoſtolico habet implicitum ſtatum validitatis, ſaltem Eccleſia non reclamante, Caſſad. *dec. 1. n. 1. de locat.* Et fuit dictum in deciſionibus ſuprà allegatis.

An autem iſta alienatio fuerit vtilis Eccleſiæ, vel beneplacitum Apoſtolicum poſſit aliqua ſubreptione notari, reſeruarunt Domini, vt particulariter videatur.

VRBEVETANA FIDEI commiſſi.

Lunæ 10. Decembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Poſiti in conditione non cenſentur vocati, & nu. 2.*

3 *Ab hac concluſione receditur ex coniecturis, quas vide num. 4. 5. 6. & aliis.*

5 *Teſtator magis cenſetur diligere deſcendentem in portione aſcendentis, quàm in portione tranſuerſalis.*

9 *Qui vult conſequens, vult per neceſſe antecedens.*

11 *Exceptio eſt de regula.*

12 *Licentia nihil eſt aliud, quàm collatio libertatis conceſſæ ei qui eam non habet ex ſe ipſo.*

14 *Licentia præſupponit prohibitionem.*

15 *Subſtitutio facta ſi ſine filiis, ſi deceſſit cum filiis euaneſcit. Contrarium verius, num. 16.*

Decisio CCCLXXV.

ITerum dubitaui, an conſtaret de fideicõmiſſo ad fauorem deſcendentiũ Petrucij, reſeruato, vt videatur, an extendatur vltra pro nepotes, & an adſit reciproca inter ipſos. Et difficultas conſiſtebat in eo, † 1 quia iſti deſcendentes ſunt poſiti in conditione, & ideo non cenſentur vocati, iuxta gloſ. magis communiter approbatam, *in l. Lucius, ff. de hæred. inſt.* quam etiam Rota ſequitur. Et quia teſtator deceſſit, vnico tantum filio Petrucio relicto, & tamen videbatur prouidiſſe ſolùm, in caſum, in quem decederet pluribus filiis relictis, cùm inſtituerit Petrucium filium, & alios naſcituros, & ſi quis eorum decederet in pupillari ætate, vel poſteà quandocumque

ſine filiis maſculis legitimè ex ſe deſcendentibus, ſubſtituit ei, & eis, ſuperuiuentes eorum filios maſculos; & alios deſcendentes ex eis maſculos; ſubdens immediatè, *cùm ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus maſculis ex filiis, vel nepotibus, vel aliquis alius deſcendens maſculus non ſupereſſet, ſubſtituit eis Hugolinum, & Leonellum, & alios maſculos deſcendentes ex eis.* Et propterea cùm non euenerit dictus caſus, quòd teſtator obierit pluribus filiis relictis, videbatur dicendum, ſubſtitutionem expiraſſe, iuxta *conſ. Oldr.* 177. Io. Andr. *in add. ad Speculat. tit. de teſtam.* §. 1. *in add. mag. incip. cùm patronus, verſ. occurrit caſus nouiſſimus.*

2 His tamen non obſtantibus, maior pars Dominorum cenſuit contrarium, quia licèt poſiti in conditione non cenſeantur vocati, ſecun-
3 dùm gloſ. *in d. l. Lucius*, † tamen ab iſta glo. receditur, quando ex coniecturis conſtat de contraria mente teſtatoris, vt per Illuſtriſſimum Cardinalem Mant. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 20. *num.* 19. prout Rota pluriès receſſit, Put. *dec.* 215. *lib.* 3. & in cauſa Spoletana terrarum 21. Iunij 1599. coram Illuſtriſſimo D. meo Cardinalli Millino, & eodem 15. Nouembris in cauſa Interamnen. bonorum corã Illuſtriſſimo D. meo Cardinali Seraphino, & paſſim recedit, prout etiam pluriès receſſit de hoc anno.

4 Hîc autem adſunt plures coniecturæ; nam vltra, quòd deſcendentes vocantur ad portionem tranſuerſalium, & ad portionem relictam fœminis, quatenus morerentur ſine filiis, & ideo intrat coniectura, quòd cenſentur vocati, dum ponuntur in conditione, iuxta *conſ.* Zaſ. 108. *num.* 19. *& ſeqq. lib.* 4. pluriès in Rota canonizatum. Et quod plus eſt, teſtator poſt inſtitutionem factam de filiis, ſubdit; *& ſi quis eorum decederet in pupillari ætate*, vel *poſteà quandocumque ſine filiis maſculis legitimè ex ſe deſcendentibus, ſubſtituit ei, & eis ſuperuiuentes, & alios deſcendentes ex eis maſculos.* Vnde ſi in hoc caſu voluit ſubſtituere deſcendentes ex filiis ipſius teſtatoris, quatenus morerentur ſine filiis, & ſic tranſuerſalibus, non eſt veriſimile, quòd noluerit eoſdemmet deſcendẽtes ſubſtituere ſuis aſcendentibus, & ſic Petrucio, cùm eos ponat in eademmet oratione in conditione: ſubdit enim, *quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus maſculis ex filiis, vel nepotibus, vel aliquis alius deſcendens maſculus non ſupereſſet, &c.* † Te- 5
ſtator enim magis cenſetur diligere deſcendentem in portione aſcendẽtis, quàm in portione tranſuerſalis, vt conſiderat Rim. ſen. *conſ.* 189. *nu.* 11. *& 12. lib.* 1. Gozzad. *conſ.* 64. *num.* 10. *lib.* 1. Aym. *conſ.* 62. *num.* 10. Ruin. *conſ.* 60. *num.* 24. *lib.* 2. Et hanc coniecturam de plano procedere dicit Modernus Eugubin. *conſ.* 65. *num.* 33. *verſ. quæ ſine dubio, lib.* 1. Quæ coniectura corroboratur, & clarè oſtendit mentem teſtatoris, cùm non exſtantibus dictis filiis, aut nepotibus, vel deſcendentibus ſubſtituat eis Hugolinum, & Leonellum, & alios maſculos deſcendentes ex eis,
† & ſic, progreditur ad plures gra- 6
dus ſubſtitutionum. Ex qua progreſſione colligitur cõiectura, quòd voluerit vocare poſitos in conditione, Anchar. *conſ.* 74. *num.* 2. *in fi.* Alex. *conſ.* 64. *num.* 5. *verſ. corroboratur lib.* 5. cum aliis per Illuſtriſſimum Cardinalem Manticam, *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 13. qui dicit, hanc coniecturam vnà cum aliis multùm ſuffragari, & illam probauit Rota in cauſa Spoletana

Terra

Terratum 21. Iunij 1599. coram Illuſtriſſimo D.M.Cardinali Millino' & de hoc anno 14.Maij in cauſa ciuitatis Caſtelli fideicõmiſſi, coram R.P.D. meo Ludouiſio, & etiam probauit Senat. Pedemont. vt per Theſ.*dec.96.num.*17.Et eò magis debet ſuffragari in iſto caſu, attenta
7 ſerie,& ſtructura teſtamenti.† Concurrit inſuper perpetua excluſio fœminarum, & quòd deſcendentes ſunt poſiti in conditione cum qualitate maſculinitatis, & quòd agitur de deſcendentibus teſtatoris. Quæ omnia coadiuuant, quòd iſti deſcendentes poſiti in conditione, cenſeantur vocati, vt dicitur in alia deciſione.

8 Et videtur ceſſare omnis difficultas,quia poſt dictam ſubſtitutionem de Hugolino,& in aliis in caſu prædicto,in euẽtum,quòd teſtator moreretur ſine filiis, & deſcendẽtibus, eoſdem Hugolinum, & alios inſtituit,& filios filiorum ipſorum,concludens per hæc verba:*Ita quòd hæreditas nunquam ad filias, vel deſcendentes fœminas deueniat, & ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe teſtatoris*, quæ clauſula *Ita quòd*, probat vehementiſſimam coniecturã,quòd vocauerit deſcendentes poſitos in conditione,quia ſi voluit,nunquam hæreditatem deuenire ad filias, vel deſcendentes fœminas, ſed ſemper remanere apud maſculos de ſtirpe, in neceſſarium antecedens,cenſetur illos maſculos de ſtirpe vocaſſe, vt per Corn.*conſ.*22.*num.*9.*lib.*2. Illuſtriſſimus Mant.*de coniect.vlt.vol.lib.* 6.*tit.*15. Et fuit conſideratum in cauſa Firmana de Fulchis coram Illuſtriſſimo D.m.Cardinali Pamphi-
9 lio. † Qui enim vult conſequens, per neceſſe vult etiam antecedens, iux. doctr. Bal. *in l. quamuis, C. de fideic.*

Neque eſt verum,quòd hęc clau- 10
ſula ſtet conſequutiuè tantùm ad inſtitutionem Hugolini,& aliorum, in euentum quòd teſtator morere-tur ſine filiis, quia hoc tollitur ex verbis immediatè ſubſequentibus, nempe,*ſaluo quòd dictus Petrucius,& alij filij dicti teſtatoris, & alij maſculi deſcendentes ex eis, poſſent in vita ipſorum, & cuiuſlibet ipſorum, de bonis ipſius teſtatoris ad eos pertinentibus facere velle ipſorum in totum, vel in parte,non obſtante ſubſtitutione prædicta.* Nam ſi teſtator moderat clauſulam: *Ita quòd*, per clauſulam *Saluo quòd*, in qua dat facultatem alienandi Petrucio, & deſcendentibus. Ergo voluit, & eos eſſe comprehenſos in clauſula, *ita quod.* † Exceptio, 11
enim eſt de regula, Cald. *conſ.5. de iureiuran.* Gem.*conſ.*65. *num.*8. *verſ. nam ex quo* hic excipit, & regulam ipſam declarat. Bal.*conſ.*131.*verſ.ſuper verbo, lib.* 1. aliàs exceptio eſſet deriſoria. Caſtr.*conſ.*79. *num.*3.*lib.*1.

Et ex hac licentia alienandi, ori- 12
tur & alia coniectura, quòd vocauerit dictos deſcendentes, † quia 13
licentia nihil aliud eſt, quàm collatio libertatis conceſſæ ei qui eam non habet ex ſe ipſo,*c.licèt de regularibus*,Bal.*conſ.*290.*art.fin.lib.*3.† Ergo 14
iſta licentia oſtendit prohibitionẽ, *l.fin.C.de iur.Emphyt.* Et per conſequens etiã vocationem, quia,quem non honoro, grauare non poſſum, §.1.*inſtit.de ſing.reb.per fideic.relict. l. planè ſi filium*, §. *vlt. & l.vendendum, de leg.*2.

Neque obſtat ſecunda principalis 15
obiectio, quòd cùm teſtator deceſſerit, vnico tantùm filio Petrucio relicto, ſubſtitutio deſcendentium euanuerit,cùm aliquid non reperiatur particulariter diſpoſitum in iſto caſu, per conſ.Oldr.177.† Nam fuit 16
reſponſum,quòd communis opinio

eſt cõtra Oldrad. vt teſtatur Iaſ. *conſ.* 148. *lib.* 2. *num.* 15. *verſ.* 7. *pro iſta parte, & num.* 16. *verſ. & ſic eſt diligenter aduertendum*, vbi dicit, eam de iure eſſe veriorem. Et eſt opinio Bart. *in l. quamdiu inſtitutus*, 68. *num.* 10. *ff. de acquir. hæred.* quam ibidem alij communiter ſequuntur, vt dicit Iaſ. *loco proximè allegato*, & communem etiã dicit Pancirol. *conſ.* 39. *in fi. verſ. non obſtat conſ. Oldr.* & latè Marzar. *de fideic. quæſt.* 13. *per tot. & conſ.* 1. *num.* 1. *& ſeqq.* Et pro iſta opinione, & in iſto caſu videtur bonus tex. *in l. hæredes mei*, §. *cùm ita, ff. ad Trebell.* vbi ſubſtitutio facta in euentum quòd omnes moriantur ſine filiis, habet locum, etiam quòd vnus tãtùm ſine filiis moriatur, ſi non ex verbis, ſaltem ex mente teſtatoris, cùm non adſit diuerſitatis ratio, prout in caſu iſto, maximè, cùm ex ſuprà ponderatis concurrat apertiſſima voluntas teſtatoris, prout etiam cõſiderat Iaſ. *in dicto conſ.* 148. *ant. num.* 10. *verſ. ſed præmiſſis, cum ſequentibus.*

BARCHINONEN. FRVctuum.

Lunæ 10. *Decembris* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Fructus à ſolo ſeparati, & depoſitati, & non conſumpti, ſpectant ad ſucceſſorem in beneficio. Niſi conſuetudo ſit in contrarium, num.* 2. *Vt eſt in regnis Hiſpaniarum, & aliis locis, vt nu.* 3.

4 *Doctor atteſtans de cõſuetudine cum teſtibus de publica voce, & fama, probat.*

5 *Conſuetudo potiùs eſt attendenda, quàm ſtatutum, aut lex nu.* 6.

7 *Iuramentum de ſeruando ſtatutum, non extenditur ad ſtatutum abolitum.*

DECISIO CCCLXXVI.

CVm ageretur de fructibus à ſolo ſeparatis, & depoſitatis, tamen non conſumptis, qui propterea inſpecto iure communi ſpectant ad ſucceſſorem in beneficio, non ad hæredes, vt per multa iura concludit Cald. *conſ.* 2. *num.* 2. *verſ.* 3. *caſus de pecul. cler.* non habita differentia, an beneficiatus eſſet adminiſtrator, vel ne. & Couarr. poſt alios *in c. cùm in officiis, num.* 6. *de teſta.* dicit glo. *in cap. præſenti, de off. Ordin. in* 6. eſſe falſam, cùm faciat diſtinctionem inter clericum adminiſtratorem, & non admniſtratorem, Iaſ. qui de cõmuni teſtatur *in conſ.* 75. *num.* 6. *& 7. vol.* 3. Card. *conſ.* 110. *num.* 2. Viu. *com. op. in verbo Clericus*, & tenuit Rota in cauſa Palentina fructuum, 26. Februarij 1580. coram bon. mem. Card. Lancellotto, † Tamen prædicta concluſio inter alia non habet locum, quando conſuetudo viget in contrarium, Calder. *dicto conſ.* 2. *ant. fi. verſ. puto concludendum de pecul. Cleric.* Couar. *in d. c. cùm in officiis, num.* 9. Bero. *conſ.* 7. *num.* 9. *verſ. fallit* 1. *vol.* 2. Viu. *in dicto verbo clericus, nu.* 11. qui alios alleg. & de communi teſtatur. Et hanc limitationem probauit Rota in dicta cauſa Palentina fructuum 13. Maij 1602. coram R. P. D. meo Decano, & in cauſa Gerunden. fructuum 24. Maij 1599. coram R. P. D. meo Iuſto.

1

2

In Regnis autem Hiſpaniarum adeſt talis conſuetudo, vt adeſſe in prædictis locis firmauit Rota in deciſionibus allegatis, & in Regno Nauarræ eſt deciſio Guidob. 50. *alias* 154. *num.* 2. *par.* 1. Et de conſuetudine generali Couar. teſtatur *in dicto c. cùm in officiis, num.* 9. *de teſt.* Sarmient. *de reddit. Eccleſiaſt. p.* 4. *c.* 6. *num.* 13. Io. Gutierez *Canonic. quæſt. lib.* 1. *c.* 33. *num.* 11. *&* 33. Molin. *de primog.*

3

primog. Hisp. lib. 2. c. 10. num. 53. & seq. & in specie in Regno Valentiæ, quod est coronæ Aragonum, fuit resolutum in dicta causa Oriolen. fructuum, 13. Maij 1602. coram R.P.D. meo Decano. Et quòd hæc cõsuetudo vigeat in indiuiduo, in ciuitate Barchinonis, in qua est Archidiaconatus, de cuius fructibus agitur, quæ est Regni Aragonũ, testatur Franc. Solsona, *in tract. de laudem dupli, numer. 47. & 52. vers. & sic videamus,* Cuius attestationi est standum, tum quia adminiculatur ex testibus examinatis in Curia, deponẽ-
4 tibus de publica voce, & fama. Quã probationem cum Doctore attestãte de consuetudine, suffragari censuit Rota in dicta causa Palentina fructuum coram bon. mem. Cardinale Lancellotto. Tum quia hoc videtur esse notorium, cùm in Regna Hispaniarum non transmittantur collectores, nisi respectu Ecclesiarum Cathedralium. Et ideò in ea iudex supplere debet, vt per Dec. *cons. 694. num. 6.* Tum denique quia ita seruatur in aliis Regnis, vt dictum est.

Neque obstat, quòd in Ecclesia Barchinonen. videatur statutum in contrarium, quia dato, quòd istud
5 statutum esset contrarium, † tamen in concursu prævalet consuetudo, quia est maioris authoritatis. Ang. *cons. 53. num. 1. in fi. vers. quæ maioris authoritatis est,* Dec. *dicto cons. 694. nu.*
6 8. † Et non solùm vincit statutum, sed etiam legem. Gem. *cons. 139. nu. 3. vers. consuetudo,* Bal. *cons. 252. in fi. lib. 2. & cons. 318. in fi. eo lib. 2.*

Minùs etiam obstat, quòd iste Archidiaconus de cuius bonis agitur,
7 iurauerit seruare statuta Ecclesiæ, † quia eius iuramẽtum non extenditur ad statutum iam abolitum per contrariam consuetudinem, Rol. *cons. 99. num. 7. vol. 2. Natt. cons. 19. nu.* 8. Surd. *cons. 58. num. 14. & seqq. lib. 1.*

TARRACONEN. PRÆpositurarum.

Ven. 11. Decembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiuæ plures, & plurium instrumentorum probant, maximè si sunt adminiculatæ, nu. 2.*

3 *Dignitas Ecclesiastica, v.g. Præpositura, non censetur verisimiliter dote carere.*

DECISIO CCCLXXVII.

PRosequẽdo disputationem iuxta diuisionem causæ factam die 14. Aprilis 1603. Dubitaui, an Præpositus ante Præposituræ suppressionẽ factam de anno 1411. haberet bona particularia. Et Rota censuit, affirmatiuè respondendum, quia ex pluribus instrumentis constat, Præpositũ obligasse bona propria Præposituræ. † Quæ quidem enunciati- 1
uæ, cùm sint plures, & plurium instrumentorum, satis probant. Put. *dec. 209. lib. 2.*

Neque facit, quòd istæ enunciatiuæ emanarunt à persona suspecta, nempe à Præposito, & ideo non videntur probare, quia tunc nõ aderat aliqua suspicio. † Vltra quòd adeò 2
sunt adminiculatæ, vt benè probẽt, vt per Achill. *dec. 1. de confess.* Put. *dicta dec. 208. lib. 2. & dec. 149. lib. 3.* Et inter alia præbet maximum adminiculum, † quòd cùm hæc Præpositu- 3
ra esset dignitas Ecclesiastica, non est verisimile, quòd fuerit absque dote, Put. *dec. 374. in fi. lib. 1.* Caput. *dec. 62. par. 1.*

Quæ autem essent bona Capituli, & quæ Præposituræ, erit particulariter agendum.

BONONIEN. DE Mangiolis.

Ven. 14. Nouembris 1607.

SVMMARIVM.

1 *Possessio probatur ex instrumento adeptæ possessionis, & possidenti datur mandatum de manutenendo.*

2 *Exequutio facta lite pendente, est nulla, nisi constet ex actis nullam ei cõtra quem fit exequutio defensionem competere, vel habere causam à litigante.*

3 *Exequutio facta sine citatione cõtra possessorem est nulla, nec ei nocet, num. 4.*

5 *Nuncij relationi creditur.*

6 *Ratificatio vim habet aliquando mandati.*

7 *Tutores & Curatores censentur dati insolidum, etiamsi hoc non sit dictum, quando administrationes non sunt diuisæ.*

8 *Curator rectè datur habenti patrem fugitiuum, & agitur de recuperandis bonis fideicommissariis per patrem alienatis.*

9 *Iudicium possessorium nihil habet cõmune cum petitorio.*

10 *Constituens procuratorem ad aliquam causam, censetur ratificasse omnes actus quos fecit in illa causa procurator constitutus.*

11 *Procurator censetur constitutus per traditionem iurium.*

12 *Procurator cum facultate substituendi, potest substituere expressè, non tamen tacitè.*

13 *Per traditionem instrumentorum emptionis, censentur donata & tradita quæ sunt empta & continentur in instrumentis.*

14 *Requisita ad mandatum præsumptum, vide remissiuè.*

15 *Restringens se ad mandatum expressum insufficiens, facit cessare præsumptum.*

DECISIO CCCLXXVIII.

CVm constet de possessione Comitis Bartholomæi ex instrumento adeptionis, quod illam probat, *l. prædicta* vbi DD. *ff. de acquir. poss.* Fuit resolutum, ei dandum esse mandatum de manutenendo, §. *hodiè, inst. de interd.* non obstante, quòd contra ipsum fuerit exequutum mandatum Rotale, † quia exequutio fuit nulla, cùm etiam contra intrusum lite pendente non possit fieri, nisi constet ex actis, ipsum esse talem, & habere causam à litigante, & nullã ei prorsus defensionem competere, aliàs citari debet; † & nisi citetur, exequutio est nulla, nec possessori aliquod præiudiciũ fit, Franc. *in c. ex ratione, num. 29. de appell.* Gabr. *conf. 31. num. 20. lib. 2.* Sed ex actis de prædictis non apparebat. Imò hodie ostenditur, quòd obtinuit possessionem de mandato iudicis competentis, quem potuit adire, cùm prætenderet, bona ad se spectare, nec esset in causa Rotali, *l. is, à quo, ff. de rei vend. l. cognitio, ff. de liber. caus.* † Et propterea cũ exequutio fuerit nulla, non potuit ei nocere, nec possessio acquiri Comiti Antonio, & fratribus, *l fin. C. si per vim, vel al. mod.* Gabr. *d. conf. 31. num. 21. lib. 2.*

Neque facit, quòd non constet de adeptione possessionis, nisi per relationem nuncij, † quia eius relationi statur, Tiraq. *de retract. lignag.* §. 8. *gl. 9. num. 22.* † Et licèt etiam non constet de mandato illius, qui cepit possessionem, tamen sufficit ratificatio, *l. Paulus, ff. rem rat. hab.* Alex. *conf. 110. num. 5. lib. 1.* De qua satis constat, cùm de mandato iudicis coioni recognouerint Iuditham tutricem, & curatricem, quæ etiam

loca

locauit bona eiſdem colonis. Et potuit facere, etiam quòd cum alio eſſet data tutrix, & curatrix, abſque
7 clauſula inſolidum, † quia eſt ſpeciale in tutore, & curatore, quando adminiſtrationes non ſunt diuiſæ, quòd cenſeatur datus inſolidum, *l.1. C.ſi ex pluribus tut.vel curat.* vbi Bald.
8 & alij. † Et datio curatoris ſuſtinebatur, etiam quòd Comes Bartholomæus haberet patrem, cùm tunc latitaret propter æs alienum, & ageretur de bonis per illum alienatis recuperandis vigore facultatis datæ deſcendentibus per fideicõmittentem, gloſ. *in l. ſi longius*, §.1. *in verbo, dignitatem*, & ibi Bar. *nu.3. ff. de iudic.* idem Bar. *in l. in quæſt. num.2. C. de ſent. paſſ.* Neque in iſto iudicio poſſeſſorio eſt agendum, an de iure potuerit recuperare bona alienata per patrem, ipſo viuente, vt aduertit, & diſtinguit, Bart. *in d.l. in quæſt. in dicto num.2.* quia ſatis eſt, quòd habuerit
9 poſſeſſionem, † cùm poſſeſſorium nihil commune habeat cum petitorio, *l. naturaliter*, §. *nihil commune, ff. de acquir. poſſ.*

Neque eſt verum, quòd Comes Bartholomæus eſſet in cauſa Rotali, quia Iacobus Bonacurtius, die 2. Martij fuit admiſſus ad cauſam, docto de intereſſe pro Comite Bartholomæo, tanquam vnus de populo, & tunc non erat actor ad lites, quia fuit conſtitutus ſolùm die 5. Martij. Nec poteſt ſuffragari promiſſio de rato, quia de ratificatione
10 non conſtat, † Quæ licèt iudicatur per conſtitutionem procuratoris ad certam cauſam, quoàd actus illius cauſæ, vt per Rotam *dec.38. de proc. in no.* tamen hoc procedit, data ſcientia geſtorum in cauſa, vt poſt Ioan. And. *ad Specul.* declarat Alex. *conſ.112. num.5. verſ. & licèt Io. And. lib.5.* Hic autem actor ad lites non fuit conſtitutus ad iſtam cauſam, nec de ſcientia conſtat; quæ tamen debuiſſet eſſe certa, & ſpecifica, glo. *in c. concertatione, in verbo ſciuerit, de appell. in 6.*

Neque ſuffragatur, quòd D. Riccardus comparuerit in cauſa tanquam procurator Comitis Bartholomæi, quia nec de eius mandato conſtat. Nec iuuat, quòd produxerit mandatum in perſonam Aſcanij ad ipſum ſubſtituendum tantùm, quia de ſubſtitutione non conſtat, nec poteſt præſumi ex productione mandati in perſonam Aſcanij, quia illud potuit habere aliunde. Et quatenus habuiſſet ab Aſcanio, non inde reſultaret ſubſtitutio, †quia licèt 11
per traditionem iurium quis cenſeatur conſtitutus procurator, & debeat admitti, ſaltem cum cautione de rato, vt per Imol. *in l. Mæuia, 50. ff. ſolut. matr. num.2.* ſecus tamen eſt in procuratore, qui habet facultatem ſubſtituendi, antequàm efficiatur dominus litis, † quia licèt 12
poſſit vigore mandati ſubſtituere expreſsè, non tamen poteſt tacitè, quia hoc non habet in mandatis, vt in ſimili dixit Rota, *dicta dec.38. in fi. de proc. in nou.* Et quamuis ex hac reſponſione tollatur etiam tex. *in l. 1. C. de donat.* tamen nec eius diſpoſitio applicatur, quia ibi per donationem, & traditionem inſtrumentorum emptionis, cenſentur donata, & tradita empta per dicta inſtrumenta. Et ſic in caſu illo aderat 13
principale, nempe donatio, & ſolùm dubitabatur, an in donatione comprehenderentur empta in dictis inſtrumentis, & in caſu iſto deficit principale, nempe ſubſtitutio.

Neque etiam in hoc caſu poteſt 14
intrare aliquod mandatum præſumptum D. Riccardi, tum quia ſolùm produxit articulos, & citauit ad di-

cendum contra. Et ſic non videntur concurrere requiſita per Caſſad. *dec.vlt.num.4.& num.5.de proc.*& per
15 Put. *dec.214.lib.2.* † Tum quia cùm reſtrinxerit ſe ad mandatum minùs ſufficiens, & illud produxerit,facit ceſſare tacitum; *ad l.ſi.C.de pact.conuent.*Pariſ. *conſ.43.num.75. lib.2.* Et fuit reſolutum in cauſa Lucana parochialis 21. Februarij 1603. coram me,& aliàs ſæpiùs.

THEANEN. TRANSactionis.

Lunæ 17. *Decembris* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Requiſita ad validitatem tranſactionis, vide remiſſiuè.*

2 *Enormis læſio vitiat tranſactionem. Debet tamen iſta læſio ab allegante probari.*

3 *Inſtitutio de ſui natura non refertur ad bona alienata.*

4 *Donatio facta per patrem filio non valet. Limita niſi interueniat iuramentum,vel ſaltem ficta traditio per clauſulam conſtituti,tunc enim morte confirmatur, ſi in ea perſeuerauerit,num.5.*

6 *Pater ex eo quòd filios æqualiter inſtituit in teſtamento, cenſetur reuocaſſe donationem omnium bonorum paternorum, ſecùs autem alicuius rei.*

7 *Donatio facta per pupillum tutori honorario non tenet.*

8 *Tutela expirat ſtatim atque pupillus excedit 14.annum.*

9 *Probatio æquiuoca non releuat.*

DECISIO CCCLXXIX.

1 DOmini dixerunt, tranſactionem ſuſtineri,quia ad eius validitatem concurrunt omnia requiſita de quibus per Rolan. *conſ.28. vol.4.*qui licèt *num.26.*dicat, † pro- 2
pter enormen læſionem vitiari, tamen ſubdit, onus hoc probandi incumbere alleganti. Quod non probat Aſcanius; nam dum deducit enormem læſionem,ex quo tranſegit ſuper bonis donatis per Cæſarem fratrem Ioanni Vincentio, in quibus erat ipſe ſubſtitutus,& ſic re ipſa fuit læſus,hoc non ſubſiſtit in facto; quia pater non cenſetur diſpoſuiſſe de iſtis bonis quæ priùs donauerat Cæſari filio.† Inſtitutio 3
enim de ſui natura non refertur ad bona aliena,præſertim cùm teſtator ſe reſtrinxerit ad bona ſua,Surd.*dec. 93. in fin.& nu.20.*

Neque releuat,quòd donatio facta per patrem filio in poteſtate,non ſuſtineatur, *l.donationes,C.de don.int. vir. & vxor.* † quia hæc regula non 5
procedit, ſtante, quòd interuenit iuramentum,vt per Clar.*in §.donatio,q.8. num.9.verſ.ſed quæro.* Et quia interuenit traditio, ſaltem ficta per clauſulam conſtituti, & propterea morte potuit confirmari, Ang. de Peruſ. *conſ.44.in prin.*Rom.*conſ.277. col.1.* Et ſatis dicitur donatio morte confirmata, quando pater non reuocando in ea perſeuerauit. Quæ etiam perſeuerantia præſumitur,niſi contrarium probetur. Rom. *d. conſ. 277. col.2.verſ.ſecundum autem.*

Neque ex eo cenſetur reuocata 6
donatio,ex quo pater inſtituit filios æqualiter,vt fuit reſolutum in cauſa Romana hæreditatis de Anguillaria 26.Ianuarij 1589. coram Illuſtriſſimo Seraphino,quia in caſu illius deciſionis, fuerant donata omnia bona paterna. Vnde ex inſtitutione facta de filiis æqualiter, colligebatur euidens coniectura, quòd teſtator voluit reuocare donationẽ, quia aliàs inſtitutio nõ fuiſſet æqualis.

lis. Et hoc prouenit ex coniecturata mente teſtatoris, vt conſiderat Cor. *conſ.*108. *num.*2. *verſ. prætereà vol.*4. Quod non eſt in caſu iſto, in quo pater donauit certum prædiũ, & remanebant alia bona paterna, in quibus inſtitutio poterat eſſe æqualis.

Neque etiam facit, quòd in omnem euentum non poſſit ſuſtineri donatio facta per Cæſarem Ioanni Vincentio, cũ eſſet eius tutor honorarius. † Donatio enim facta per pupillum tutori nõ tenet, *l. ſi in emptione, §. fi. ff. de contrah. empt.* latè Duen. *reg.* 31. † quia cùm tutela expiret ſtatim quòd pupillus exceſſit 14. annum, *inſtit. quib. mod. tut. fin. in prin.* non oſtenditur, quòd de tempore donationis adhuc Ioannes Vincentius eſſet tutor. Neque hoc poteſt deduci ex confeſſione facta in tranſactione, quia licèt in ea dicatur, quòd fuit mota lis ſuper dimiſſione bonorum donatorum contra Annibalem Raynaldum tutorem datum in teſtamento Cæſari, & Aſcanio, non inde ſequitur, quòd tunc temporis, eſſet tutor Cæſaris, itaut dicatur, neque expiraſſe tutelam Ioannis Vincentij, cùm vterque eſſet datus in teſtamento, quia potuit agi contra Annibalem, non tanquam tutorem Cæſaris. † Et ideo iſta probatio, tanquam dubia non releuat, *cap. in præſentia, de prob. cum vulg.*

7 8 9

TARRACONEN.
Attentatorum.

Lunæ 17. *Decembris* 1607.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio anteceſſoris iuuat ſucceſſores, & eſt manutenibilis reſpectu ſucceſſorum.*

2 *Inhibitio Rotalis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta cauſat attentata.*

3 *Reuocatio attentatorum quoàd præterita habet vim poſſeſſorij recuperãdæ, & retinendæ, ſi pars ſe non habuit pro ſpoliata, quo verò ad futura, retinendæ.*

4 *Poſſeſſio ſolo animo retinetur.*

5 *Inhibitio obtenta à procuratore de cuius mandato non conſtat, cum cautione de rato, ſufficit ad cauſandum attentata.*

6 *Qui continuat, non attentat.*

DECISIO CCCLXXX.

ROta dixit, D. Chriſtophoro, & Paulo dandum eſſe mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione obtinendi officia de quibus agitur, quia de poſſeſſione anteceſſorum non dubitatur. Quæ propterea iuuat etiam ſucceſſores, iuxta *dec. Guid. Pap.* 629. quam Rota pluriès ſequuta fuit. 1

Neque releuat, quòd Capitulum priuauerit dictos DD. Chriſtophorum, & Paulũ officiis, quia iſta priuatio tanquam facta poſt inhibitionem Rotalem, fuit attentata. Quæ inhibitio, ſiue iuſta, ſiue iniuſta eſt timenda, & eatenùs attentata, prout Rota ſeruat. Et propterea non eſt habenda in conſideratione. † Maximè cùm reuocatio attentatorum quoàd præterita, habeat vim poſſeſſorij recuperandæ; quo verò ad futura, retinendę, vt per Oldr. *conſ.*206. *num.*4. *verſ. nunc autem*, imò etiam habet vim retinendæ, quoàd præterita, ſi pars non habuit ſe pro ſpoliata, † cùm ſolo animo poſſeſſio retineatur, Caſtr. *in l. ſi vt certò, §. ſi duobus vehiculum, num.*7. *ff. de commod.* 2 3 4

Neque facit, quòd inhibitio fuerit obtenta à procuratore de cuius mandato non conſtat, quia ad effe- 5

ctum attentatorum ſatis eſt, quòd fuerit obtenta cum cautione de rato. Put. *dec.*142.*lib.*3. Caput.*dec.*47. *lib.*2.*in manuſcr.* Achill.*dec.*27.*de appell.* Lancell. *de attent.*2. *par. cap.*20. *ampliat.*5.

Minùs etiam facit,quòd Capitulum non eſſet nominatum in inhibitione, quia cùm in ea habeatur mentio Syndicorum Capituli,& adſit clauſula, *omneſque alios, &c.* ſatis hæc clauſula comprehendit reſiduũ Capituli, vt per Sarn. *in c. cùm in multis,nu.*69.*de reſcr.in* 6.

6 Denique non officit, quòd Capitulum continuando ſuam poſſeſſionem,non attentauerit,quia concluſio eſt vera, ſi in ſpecie cauſa non fuiſſet commiſſa ſuper priuatione iſtorum officiorum:ex quo prætendebat Capitulum abſque cauſa, & ob litem ſuper augmento, quaſi in odium,priuaſſe præpoſitos.

ROMANA DOTIS, ET legati.

Ven. 11.*Ianuarij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Legatum factum vxori non compenſatur cum dote.*

2 *Receditur tamen ab hac opinione ex coniecturis.*

3 *Legatum factum vxori donec vitam vidualem ſeruauerit, ſi in euentum tranſitus ad ſecundas nuptias diminuatur, adhuc petere poteſt dum vitam vidualem ſeruat.*

4 *In legato habitationis venit omne id ſine quo non poteſt commodè habitari.*

DECISIO CCCLXXXI.

DOmini reſoluerunt,Portiæ deberi legatum ſcutorum ſeptingentorum, nec non, & dotem, quia cùm teſtator non legauerit dictam ſummam pro dote, vtrumque, dos 1
ſcilicèt, & legatum debetur, vt eſt tex.*in l.vnic.*§.*ſciendum,C.de rei vxor. act.*quem eleganter explicat Cuiac. *obſer. lib.*3.*c.*16. & alios alleg. Illuſtriſſimus Card. Mantic. *de con. vlt. vol.lib.*2.*tit.*2. *num.*12. † Et quamuis 2
recedatur ex coniecturis ab iſta cõcluſione,*l.*2.§.1.*ff.de dot.præl.* Cuiac. *loco præcitato, verſ.idemque dici poteſt,* hic tamen nulla adeſt coniectura, quia & ſi teſtator poſt factum legatum ſubdat, *& hoc dum vixerit, & vitam vidualem ſeruauerit, & ſi voluerit tranſire ad ſecunda vota, ei relinquo ſcuta* 600. *& non aliud præter eius indumenta, & luctum, quia eius dos fuit tantùm ſcutorum* 500. tamen non inde ſequitur,quòd hæc petitio dotis fuerit prohibita in caſum viduitatis,ex quo in caſum trã- 3
ſitus ad ſecundas nuptias videtur permiſſa,iuxta conſ. Bero. 151.*num.* 24.*lib.*2. Rim. iun. *conſ.*192.*num.*23. *lib.* 5. quia in caſum dicti tranſitus ad ſecunda vota non eſt propriè permiſſa petitio dotis, ſed petitio augmenti dotis vſque ad ſcuta 600. & indumentorum, nec non lecti, quod denotant verba illa, *quia non habuit in dotem niſi* 500. Et ſuadetur,quia ſicuti dilexit vxorem,etiam quòd tranſiret ad ſecunda vota, augendo dotem,& legando indumenta, & lectum, non poteſt dubitari, quin magis dilexerit ſeruãdo vitam vidualem, cùm ad eam reſpexerit, quod vtique non eſſet, ſi legata cum dote compenſarentur, quia habita ratione ad ipſam viduitatem, quodammodo eſſet peioris conditionis, vel ſaltem paulò melioris, ſeruando vitam vidualem,quàm tranſeundo ad ſecunda vota. Et hæc eo magis debent procedere attentis diui-

tiis

tiis teſtatoris, & modicitate legati, vt per Surd. *de alim. tit.9. quæſt.16. nu.44.*

4 Eſt quoque debitus Portiæ vſus putei & cellæ vinariæ, quia cùm teſtator ei legauerit habitationẽ medietatis domus, atque medietatem mobilium, cenſetur quoque legaſſe omne id ſine quo commodè inhabitare nõ poſſet, *arg.l.2.C.de verb.ſign.* & eorum quæ notat Alex. *conſ.68. num.1.in fine, lib.6.* maximè cùm eſſet contra honeſtatem iſtius mulieris, quòd exiret de domo pro iſtis ſeruitiis, ad quam reſpexit teſtator dum ipſi legauit habitationem totius domus, quando alteram medietatem hæres inhabitare nollet.

Ex quibus concluſum, ſententiam extra Rotam latam fuiſſe iuſtam, & propterea debere confirmari.

ROMANA ADMINIſtrationis.

Ven.11.Ianuarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtrator tenetur reddere rationem illi à quo fuit deputatus adminiſtrator, nu.2.*

3 *Adminiſtrator non tenetur reddere rationem niſi finito officio, durante tamen officio tenetur reddere rationem alicuius actus particularis.*

4 *Adminiſtrator producens computa, non cenſetur reddere rationem.*

DECISIO CCCLXXXII.

DOmini reſoluerunt, adminiſtratores bonorum Alexandri Raynerij deputatos per creditores ipſiuſmet Alexandri, teneri reddere rationem D.Leoni à die acceptationis deputationis,† quia non ſolùm tutor & curator, ſed quilibet 1 adminiſtrator rationem reddere tenetur, *l.1.§.officio, ff.de tutel. & rat.diſtrah*, quem tex. de tutore loquentem ibidem Iacob. de Arena extendit, quòd habeat locum in quocumque adminiſtratore. Et idem dicit Bald. *ibi ſub num.2.* Rom. *conſ.414. num.1.* Dec. *conſ.192.num.1.*† Et hæc 2 quidem ratio eſt reddenda D. Leoni, quia licèt ipſe non interuenerit in deputatione adminiſtratorum, ſatis eſt, quòd negocium eſſet commune, ad effectum, vt à dictis adminiſtratoribus rationem petere poſſit, vt in puncto dicit Bal. *conſ.445. lib.2.* Alex. *in l.ſi mandatum, ff.de negeſt.* Aym. *conſ.805.nu.4.*

Neque facit, quòd adminiſtrator 3 non teneatur reddere rationem, niſi finito officio, vt in terminis adminiſtratoris dicit gloſ. *in l.qui proprio, §. fi. in fine, ff.de procur.* quia concluſio procedit, quando agitur de totali adminiſtratione, quæ continet plura, vt per Socin. ſen. *conſ.149.num.3.lib.1.* Et ita declarat gloſ. *in l.rationes, C.de adm.tut.* Salicet. *in l.aduerſus, num.2. verſ.aut pro aliqua particulari.* Et vt benè declarat Vitalin. *in Clem.quia contingit, num.§.in fine verſ.dici poſſet*, adminiſtrator tenetur reddere rationem non finito officio, non vt reliqua reſtituat, quia adminiſtratio durat, ſed vt actus ſui rationem reddat.

Neque refert, quòd D.Hortenſius vnus ex adminiſtratoribus produxit computa adminiſtrationis, & ſic reddidit rationem, quia illa computa produxit tanquam procurator, & non tanquam adminiſtrator. Vnde non ſatisfecit ſuæ obligationi, & cùm redditio rationis cõtineat editionem librorũ, quòd calculus fiat, ſolutionem reliquatus, & alia de quibus per Socin. *loco proximè citato*, omiſſis iis quæ ſpectant ad finalem 4

additionem rationis finito officio, nec alia in caſu concurrunt, & propterea iſti adminiſtratores tenentur reddere rationem.

CAPVTAQVEN.
Frumenti.

Merc. 16. Ianuarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtrum non eſt apponendum in actione perſonali, niſi reo conuicto.*
2 *Limitationem regulæ obiiciens, illam probare debet.*

DECISIO CCCLXXXIII.

1 VIſum fuit Dominis, ſequeſtrum eſſe reuocãdum, quia cùm ageretur actione perſonali ad triticum, quod prætendebatur fuiſſe aliàs depoſitatum, non poterant ſequeſtrari bona Archipreſbyteri, antequàm legitimè eſſet conuictus, *l. vnic. C. de proh. ſeq. pec.* & niſi concurrerent requiſita de quibus per Guid. Pap. *dec. 246.*

Neque obſtat, quòd hæc regula limiteturmultis modis, vt per gloſ. *in d. l. vnic.* quia non probatur, quòd
2 ſcimus in aliquo caſu limitationis, † tamen hoc onus incumbit allegãti. Pariſ. *conſ. 41. num. 16. & ſeqq. lib. 1.*

Et ita fuit reſolutum in maximam alterius partis contumaciam, & poſtquàm fuit expectata vltra ſex menſes.

INTERAMNEN.
Pecuniaria.

Merc. 16. Ianuarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Repetens indebitum, debet probare plenè & concludenter, ſe illud ſoluiſſe.*
2 *Laudum præſumitur iuſtum.*
3 *Laudum reſcinditur propter manifeſtam iniuſtitiam.*
4 *Quietantia generalis comprehendit omnem cauſam, maximè ſi fuit habita relatio ad inſtrumenta, & apochas.*

DECISIO CCCLXXXIV.

DE anno 1587. fuit deuentum ad diuiſionem ſocietatis inter Marcutium, & Gabrielem Ceccõnum, & Marcutio fuit aſſignatus cenſus fatioli communis ſocietatis ſcutorum 600. & fructus decurſi ſummæ ſcutorum 70. Gabriel verò conſtituit ſe debitorem Marcutij in ſcutis 1987. ad quorum computum vigore alterius concordiæ de anno 1590. illi dedit certum columbariũ pro ſcutis centum minùs quàm ipſe emit, & conſtituit ſe debitorem pro reſiduo, & facta inſuper ſibi ceſſione dicti cenſus fatioli, ſe obligauit extinguere cenſum tantæ ſummæ debitum per Marcutium Vecchiarellæ, & ſoluere ipſi Marcutio fructus dicti cenſus, vſque ad illã diem per fatiolum debitos, qui in laudo lato de anno 1591. inter ipſum Marcutium, & defuncto Gabriele inter Marcum Antonium eius fideiuſſorem, fuerunt liquidati ad ſcuta 116. & conuentum, quòd fructus in poſterum decurrendi ſoluerentur Vecchiarellæ ad computum per Marcutium debitorum, quod tamen laudum non habuit effectum, quia vtraque pars ab eo appellauit, vt cõſtat ex tranſactione facta de eodem anno 1591. mediante authoritate bo. me. Ioannis Citradini, in qua imponitur ſilentium Marcutio ſuper omnibus prætenſionibus quas poſſet habere occaſione inſtrumenti

diuiſio

diuisionis,& venditionis columbarij,& quauis alia occasione,vel causa, non recedendo tamen à concordia de anno 1590. quoàd extinctionem census Vecchiarellæ, & quoàd solutiones fructuum census,& tandem laudatur, quòd Marcus Antonius fideiussor Gabrielis soluat Marcutio scuta 85. quauis occasione vel causa.

Postmodùm de anno 1595.9.Decembris obtinuit Marcutius declarari, se esse creditorem, & graduari in bonis Gabrielis Cecconi in scutis 252. & in aliis scutis 7.73. & in aliis scutis 600.occasione dicti census fatioli. Verùm hæc graduatio non habuit effectum, sed die 24. Martij 1596. Iulius Cecconus hæres Gabrielis constituit se debitorem Ioannis Baptistæ Peculi.

Præterea non dubitabatur, quin Marcutius habuerit fructus census fatioli nempe scuta 224.90.vt in decisione in hac causa facta 10. Decẽbris 1604. Et insuper Iulius 21.Iunij 1595. ei soluit scuta 100.mediãte persona dicti Peculi, Itẽ 24.Martij 1596. scuta 365. & Marcutius in publico instrumento celebrato 5. Maij 1597. fuit confessus, & palàm dixit, fuisse sibi satisfactum à Iulio de scutis 406. debitis vigore dictæ apochæ scriptæ manu Peculi, vt in decisione coram me facta 19.Ianuarij 1605.

Stantibus prædictis,dubitaui, an esset recedendum à laudo extra Rotam lato,in quo vtraque pars absoluitur. Et Rota censuit, negatiuè respondendum, quia cùm Iulius sit actor, ex quo agit cõdictione indebiti,† ideo tenetur plenè & concludenter probare,indebitum se soluisse. Alex. *cons.*83. *lib.*1. Et fuit pluriès dictum in hac causa, maximè cùm veniat contra laudum, † quod aliàs iustum præsumitur. Bart. *in l. societatem, §. arbitrorum num.* 26. *& seqq.ff.pro soc.* Calder.*cons.*5.*de arbitr.* Abb. *cons.*46. *num.*3.*lib.*1. † Et stantibus solitis clausulis compromissi, ad effectum quòd rescindatur,debet continere manifestam iniustitiam, Bart.*in d.§.arbitrorum,num.*24.*&* 25. Cum. *cons.*50.*nu.*3.*vers.ad id.*

Neque obstat, quòd fuit extinctus census scutorum 400. cum Vecchiarella, quia non inde sequitur,Iulium soluisse indebitum, quia vt fuit resolutum 12. Iunij 1606. & 31.Ianuarij 1607. in hac causa, Marcus Antonius, qui extinxit hunc censum,tenebatur illum extinguere aliundè, quàm ex concordia anni 1591. Quæ decisiones hodiè non controuertuntur, & præsupponuntur in disputatione huius dubij.

Minùs etiam facit, quòd etiam non computato censu scuti 406.extincto, Marcutius poterat prætendere solùm scuta 600. occasione census fatioli, & scut. 116.pro fructibus dicti census vsque ad diem cessionis, prout fuerunt liquidati in primo laudo, & scuta 85. vigore concordiæ factæ authoritate Cittadini,& sic in totum scuta 801.& tamen habuit scuta 1095.& 90. & sic scuta 294.90. vltra debitum; quia fuit responsum, † quòd cùm quietantia anni 1597. sit adeo generalis, vt possit comprehendere omnem causam *ad l. Iulianus,de leg.*3.maximè cùm fuit habita relatio ad omnia instrumenta, & apochas,non indè sequitur, quòd hæc quietantia fuerit tantùm pro isto negotio, ita vt inde resultet indebitum fuisse solutum. Vltra quòd,cùm laudum anni 1591. non habuerit effectum, cùm vtraque pars appellauerit, non potest dici, quòd fructus census ascenderent solùm ad dicta scuta 116.nec integra

1 2 3 4

tegra ſumma ſcutorum 224. pro fructibus fuit ſoluta Marcutio, ſed cùm Cecconus egiſſet contra fatiolum, & obtinuiſſet mandatum pro ſcutis 113. Marcutius voluit aſſumere onus ſoluendi pro fatiolo, & excomputare cum Ceccono, & ſic, nõ apparet, Marcutium exegiſſe tantam ſummam pro fructibus. Vltra quòd eſt aduertendum, quòd in quietantia generali Marcutius faſſus fuit, eſſe ſatisfactũ à Iulio de ſcutis 406. debitis vigore apochæ ſcriptæ manu Peculi; & ſic de facili poterant in hac confeſſione cõprehendi pecuniæ ſolutæ poſt dictam diem 24. Martij. Vnde indebitum nullo modo videtur probatum.

AQVILANA BENEficij.

Merc. 23. Ianuarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Reo & poſſeſſori ſufficit vincere per non ius actoris.*

2 *Solus Epiſcopus de iure habet intentionem fundatam in collatione beneficiorum ſuæ diœceſis.*

DECISIO CCCLXXXV.

1 CVm D. Franciſcus ſit reus, & poſſeſſor, & propterea ſibi ſufficiat vincere per non ius Hieronymi actoris, & inde non eſſet agendũ de iure ſuo, Rota *dec. 1. & 4. de re iudic. in nou.* Ideo volui videre, an conſtaret de iure Hieronymi, quod cùm proueniret ex prouiſione ſibi facta à Venerabili Capitulo ſancti Petri, ideo dubitaui, an collatio beneficij de quo agitur, ſpectaret ad dictum Capitulum. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendum, quia cùm non controuertatur beneficiũ eſſe in Dioceſi Aquilana, collatio non poteſt ſpectare ad Capitulum, niſi de iure ſpeciali. † Nam de iure 2
communi ſolus Epiſcopus habet intentionem fundatam in collatione beneficiorum ſuæ Dioceſis, *cap. omnes baſilicæ, 16. quæſt. 7. cap. regenda 10. quæſt. 1.* Rot. *deciſ. 27. poſt princ. de præbend. & deciſ. 4. in princ. de conceſ. præbend. in nou.* Et propterea cùm Capitulum non doceat de aliquo iure ſpeciali, meritò dicendum eſt, quòd collatio ad ipſum non ſpectet.

Et ita fuit reſolutum expectata altera parte per biennium, & vltrà.

PIENTINA IVRISPAtronatus.

Lunæ 28. Ianuarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus probatur ex quaſi poſſeſſione præſentandi.*

2 *Antiquiſſima quaſi poſſeſſio præſentandi probatur per multiplicatas præſentationes effectum ſortitas.*

3 *Fama in materia iurispatronatus probatur ex pluribus enunciatiuis, quarum requiſita, vide remiſſiuè.*

4 *Reſignatio facta à præſentato longè poſt præſentationem non tollit quominùs dicatur, præſentationem habuiſſe effectum.*

5 *Enunciatiuæ quæ emanarunt à perſonis ſuſpectis, probant, ſi recipiunt præſumptionem & fomentum ex actu, in quo fuit enunciatum.*

DECISIO CCCLXXXVI.

FVit reſolutum, beneficiũ de quo 2
agitur, eſſe de iurepatronatus, quia ſatis probatur ex quaſi poſſeſſione præſentandi antiquiſſima, vnà cum fama, iuxta doctr. Bald. *in l. cùm ſuper C. de rei vend.* quem Rota

ſequitur

sequitur. Cassad. *decis.* 2. *num.*4. *de probat.*Put.*dec.*60.*in fine lib.*1. Achill.
2 *decis.*6. *de iurepatr.*† De antiquissima autem possessione constat ex multiplicatis præsentationibus effectum sortitis,iuxta cons.Oldrad.229.*num.*
3 2. † De fama verò ex pluribus enúciatiuis, quæ habent requisita, de quibus per Aret. *in cap. cùm causam, num.*21.*de prob.* Et mouit etiam Dominos, quia ab anno 1345.vsque ad hæc tempora habetur mentio huius iurispatronatus, siue in præsentationibus,licèt aliquas non constet habuisse effectum, siue in prouisionibus Apostolicis,vt fuit etiam consideratum in causa Lucana iurispatronatus coram me.

4 Non obstat,quòd vna ex præsentationibus ostenditur effectuata per resignationem, quia non inde probatio redditur æquiuoca,quasi præsentatus potuerit resignare ius quod habebat in beneficio, cùm resignatio longè post præsentationem fuerit facta,etiam cum reseruatione pensionis,quæ posteà fuit soluta, vt fuit ponderatum coram me in causa Reatina prædij, 2.Maij 1603. Et quamuis vna etiam ex præsentationibus sit ad fauorem Salui Angeli de Asina longa,& prouisio per obitum Angeli Salui de Asina longa,& propterea stante diuersitate nominis non inde resultet effectuatio primæ præsentationis,tamen etiam dempta ista præsentatione adhuc remanet antiquissima possessio præsentandi, licèt etiam negari non possit, quin oriatur ex serie verborum magna præsumptio effectuationis.

5 Minùs releuat,quòd enunciatiuæ emanarunt à personis suspectis,quia cùm recipiant præsumptionem, & fomentum ex actu in quo fuit enunciatum, satisprobant. Achil. *decis.* 1. *de confes.* & 7. *de iurepatron.* Put. *dec.*149. *lib.*3.

ROMANA SPOLII.

Lunæ 28.*Ianuarij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Agens spolio probare debet suam possessionem anteriorem, & ea se fuisse spoliatum.*
2 *Molendinum constructum in domo, censetur quid diuersum à domo.*

Decisio CCCLXXXVII.

QVia in iudiciis restitutoriis 1
principaliter requiritur, quòd quis possederit,& possidens spoliatus fuerit, Oldrad. *cons.*209.*in princ.* Ideo dubitaui, an constaret de primo extremo Octauiani.† Et reser- 2
uato vt videatur quoàd domum in qua est constructum molendinum, quod est quid diuersum ab ipsa domo, Bald.*cons.*107.*l.*3. Rota censuit, negatiuè respondendum,quia nihil deducitur, ex quo resultet iuridica probatio,de qua in titulo, *ff.* & *C.de probat.* Imo ex multis constat potiùs de contrario.

CESENATEN. BONORUM.

Lunæ 4. *Febr.* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Mulier simpliciter contrahens, non censetur dare omnia sua bona in primo matrimonio. Ad probandum tamen cõtrarium admittuntur præsumptiones & coniecturæ,nu.*2.
3 *Confessio mariti facta absente vxore de dote recepta, non prodest marito in præiudicium vxoris.*
4 *Fructus dotis spectant ad virum.*
5 *In materia probatoria, indefinita nõ*

æquipollet vniuerſali, etiam in inſtrumentis.

6 *Teſtis de credulitate non probat.*

7 *Teſtis non reddens cauſam ſcientiæ, etiam non interrogatus in eis quæ pendent à iudicio intellectus, non probat.*

8 *Teſtis cuius ratio reſtringit ſuam depoſitionem, non probat.*

9 *Ex ſimplici patientia mulieris ſinentis ſua bona per virum poſſideri, non infertur, quòd bona ſint data in dotem.*

Decisio CCCLXXXVIII.

NOn dubitabatur, Virginiam, & Clementiam eſſe vocatas in teſtamento Malateſtæ aui, ſed dicebatur, Ludouicam filiam dicti Malateſtæ dediſſe omnia bona fideicõmiſſo ſubiecta in dotem Liuio, & propterea potuiſſe poſtmodùm de eis diſponere, iuxta tex. *in l. mulier, §. cùm proponeretur, ff. ad Trebell.* Tamen, quicquid dicendum eſſet, ſi bona excederent quantitatem congruæ dotis, & an in hoc caſu diſpoſuerit de omnibus bonis, non conſtat, Ludouicam dediſſe omnia bona in dotem, † quia cùm ſimus in primo matrimonio, iure non reperitur cautũ, quòd mulier ſimpliciter contrahendo, cenſeatur dare omnia bona in dotem, gloſ. 1 *in l. mulier, ff. de iur. dot.* Et poſt longam diſputationem dicit Bart. *in ſuis quæſtionibus, quæſt. 7. nu. 15.* latè Rolan. *de lucro dotis q. 71. num. 2.* & fuit reſolutum in cauſa Sabinen. dotis 13. Ianuarij 1576. coram bo. mem. Cardinali Lancellotto. 1

Neque obſtat, quòd admittuntur præſumptiones & cõiecturæ ad probandum contrarium, *l. cùm circa*, vbi gloſ. & DD. *C. de iur. dot.* quia hic nõ adeſt probatio ſufficiens. † Confeſſio enim mariti facta in inſtrumento, abſente Ludouica, ei nõ prodeſt, cùm ſit ad eius vtilitatem, vt dicit Corn. *conſ. 254. in fine, verſ. nec obſtat, lib. 1.* Et licèt videatur etiam reſpicere commodum mulieris propter lucrum, Socin. ſen. *conſ. 80. num. 19. lib. 4.* tamen conſtituere dotem non eſt omnino vtile mulieri, ſed magis vtile eſt, habere bona propria, propter fructus, † quia primo caſu ſpectarent ad maritum. Rim. ſen. *conſ. 63. num. 11. vol. 1.* Et propter cõſeruationem dominij, & adminiſtrationis rei ſuæ eo caſu amitteret. Bart. *dicta quæſt. 7. num. 16. verſ. item cùm hic.* Enunciatiue verò in inſtrumentis alienationum per hæc verba *inter alia bona, quæ Ludouica dedit in dotem*, nõ probant omnia bona fuiſſe in dotem data, † cùm in materia probatoria indefinita non æquipolleat vniuerſali, etiam in inſtrumentis. Surd. poſt alios, *conſ. 431. num. 69. lib. 3.* 2 3 4 5

Teſtes nihil concludunt. Alij enim deponunt per verbum *credo*, & propterea eorum dicto non eſt ſtandum, *c. relatum 5. quæſt. 2.* Bald. *in l. cõuenticulam, num. 7. C. de Epiſc. & cler.* † Alij dicentes, Lucium fuiſſe dominum, nullam reddunt cauſam ſcientiæ, quam tamen tenebantur reddere, etiam non interrogati, cùm hoc pendeat à iudicio intellectus. Innoc. *in cap. cùm cauſam, num. 3. de teſtibus*, Fel. *ibidem, num. 3. verſ. fallit ſecundò dicta concluſio.* † Alij reddunt rationem, quia viderunt, Lucium poſſidere, quæ ratio reſtringit dictum. Alexand. *conſ. 80. num. 6. lib. 2.* Et ideo nihil probant, quia poſſeſſio non ſuffragatur in caſu de quo agitur, cùm non probetur, Ludouicam paſſam fuiſſe Lucium poſſidere pro dote. Et cùm non præcedat contractus, & agatur de præiudicio mulieris, † ſimplex patientia non ſufficit 6 7 8 9

ſufficit, Bart. *d.q.7.nu.6.* Rol. *de lucro quæſt.74.per tot.* Annotatio vero in libro Cataſti nomine Lucij non releuat, cùm alia non concurrant, nec probetur, fuiſſe factam de ſcientia Ludouicæ, & potuit fieri ex quo Lucius poſſidebat. Corn. *conſ.165. num.3.vol.3.* Prout nec releuat, quòd alia ſoror dedit omnia bona fideicommiſſo ſubiecta in dotem; quia non inde probatur, quòd & hoc voluerit facere Ludouica, cùm ex diuerſis non inferatur, *l. Papinianus, ff. de minor.*

Quanta verò fuerit dos Ludouicæ, reſeruarunt Domini, vt particulariter videatur.

CÆSENATEN. DE Aldinis.

Lunæ 4. Februarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Purgandum eſt ſpolium, etiam quòd conſtet de bono iure in petitorio.*
2 *Clauſula,* arbitrio Rotæ *operatur, vt recedatur ab vtroque extremo rigoroſo, & ſeruetur æquitas.*

Decisio CCCLXXXIX.

1 FVit reſolutum, non eſſe locum reſtitutioni fructuum & expenſarum in fine litis, & excarcerationi Ioannis Baptiſtæ, qui licèt videatur conſtare de eius bono iure in negocio principali, ex ſententiis latis ad ſui fauorem, tamen hoc eſt quoàd fideicommiſſum, ſecùs quoàd bona per ipſum occupata, quia adhuc non conſtat, illa comprehendi ſub fideicommiſſo. Et in omnem euentum, cùm ſpoliauerit Mineruam, iſtud ſpolium non debet ſibi prodeſſe, & alteri nocere, † ſed in primis eſt purgandum, etiam quòd conſtaret de eius bono iure in petitorio, *cap. cùm Eccleſia Sutrina,* vbi Abb. *præſertim num.37. verſ. ſed contra hoc facit, de cauſ. poſſ. & prop.* Put. *deciſ.143.* Vbi, etiam ſtante paupertate ſpoliatoris, *lib.1.*

Neque releuat, quòd prædicta 2 procedunt inſpecto mero rigore iuris, prout etiam loquitur Put. Nam in caſu illo cauſa fuit commiſſa prout de iure. Sed cùm hic cauſa ſit commiſſa † *arbitrio Rotæ,* recedendũ eſt ab vtroque extremo rigoroſo, & ſeruanda eſt æquitas, vt per Bald. *conſ.177. num.4. lib.1.* quia hic nihil concurrit, vt recedatur à rigore iuris. Nam paupertas allegata nõ probatur: teſtes enim ſunt nulliter examinati, & eorum dicta maximè debilitantur ex fide Cataſti, in quo reperiuntur plura bona deſcripta nomine Ioannis Baptiſtæ.

IMOLEN. DIVISIONIS.

Ven. 8. Februarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Ablatiuus abſolutus prolatus ab eo qui facultatem diſponendi habet, importat diſpoſitionem.*
2 *Taxatio alimentorum fieri debet habito reſpectu ad qualitatem perſonæ, & quantitatem patrimonij, & reddituum.*
3 *Eiectio de domo quam inhabitat, competit reſtitutio.*

Decisio CCCXC.

STante clauſula, *ſubminiſtratis alimentis, & ſumptibus litis arbitrio Rotæ taxandis,* Rota dixit, quòd ſignatura diſpoſuit circa præſtationem alimentorum. † Nam ablatiui 1 abſoluti prolati ab eo qui facultatem

tem diſponẽdi habet, diſpoſitionem important, ex alleg. per Rom. *conſ.* 32. *num.* 7. Et Rotæ arbitrio ſolùm taxationem reliquiſſe, & propterea vltra illam arbitrium non debere operari, *l. finali*, §. *Titia*, vbi Bart. *ff. de lib. leg.* Circa quam viſum fuit, eſſe attendendam taxationem factam in
2 partibus, † quia etſi taxatio debeat regulari ex quantitate patrimonij, & redditnum, & ex qualitate perſonarum, *l. 2. ff. vbi pup. educ. deb. l. penul. ff. de alim. & cib. leg.* tamen in caſu iſto recedendum eſt à regula, quia cùm Matthæus inhabitaret in eadẽ domo cum fratribus, ipſi obtulerũt Illuſtriſſimo Legato, ſe fratri alimẽta ſoluturos, ſi ad tollenda ſcandala rixarum, quæ quotidiè oriebantur, de domo exiret, quæ propterea fuerũt taxata ad certam ſummam, quæ cùm non excedat quantitatem quã habuiſſet viuendo cum fratribus, & ſic qualitatem perſonæ, propterea erat attendenda, etiam non habita ratione ad quantitatem patrimonij, & redditnum, tum attenta dicta
3 oblatione fructuum, † tum quia ſi Matthæus fuiſſet eiectus, potuiſſet petere reſtitutionem ad ſtatum, ad effectum conſequendi alimenta. Pariſ. *conſ.* 98. *in princ. lib.* 2. Albe. *conſ.* 174. *num.* 7.

Circa expenſas litis Domini arbitrati ſunt, quòd nunc dentur Matthæo ſcuta 15. pro diſputatione dubiorum, deinde ſubminiſtrentur arbitrio Rotæ.

SENOGALLIEN. Emphyteuſis.

Lunæ 11. *Febr.* 1608.

SVMMARIVM.

1 *In alienatione rei Eccleſiaſticæ requiritur ſolemnitas & cauſa.*

2 *Beneplacitum Apoſtolicum ſupplet defectum ſolemnitatis, non cauſæ, num.* 3.

4 *Emphyteota de fructibus liberè poteſt diſponere, nec de eis facienda eſt mentio dum ſupplicatur pro beneplacito Apoſtolico.*

5 *Reſoluto iure datoris, reſoluitur ius acceptoris.*

DECISIO CCCXCI.

FRatres de Vigeriis, qui obtinebãt certa bona in Emphyteuſim ab Eccleſia Senogallien. illa dederunt Iacobæ eorum ſorori, certis conditionibus inter ipſos appoſitis reſpectu fructuum. Reuerendiſſimus Epiſcopus inueſtiuit dictam Iacobam. Vnde dubitaui, an iſta inueſtitura eſſet valida. Et Rota affirmatiuè reſpondit, † quia licèt in alienatione 1
rei Eccleſiæ requiratur ſolemnitas, & cauſa, *cap. ſine exceptione*, 12. *qu.* 2. & ibi Doctor. Couar. *var. reſol. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 2. † tamen cùm interue- 2
nerit beneplacitum Apoſtolicum, non eſt agẽdum de ſolemnitatibus, iuxta conſ. Abb. 41. *lib.* 2. quod Rota ſequitur. † Et licèt illud non ſup- 3
pleat defectum cauſæ, Gemin. *conſ.* 48. *num.* 9. tamen facit, vt pro cauſa præſumatur, niſi probetur contrarium, & ſentit Gem. *dicto loco*, & expreſsè dicit Dec. *conſ.* 124. *num.* 1. *verſ. & cùm dicatur.*

Neque obſtant conditiones appo- 4
ſitæ inter partes reſpectu fructuũ, quia de illis potuerunt liberè diſponere. Grat. *conſ.* 22. *num.* 3. & *conſ.* 54. *num.* 14. *lib.* 1. Et propterea de illis non erat facienda mentio, quia nec egrediebãtur vitam conductoris. † 5
Reſoluto enim iure datoris, reſoluitur etiam ius acceptatoris, *l. lex vectigali, ff. de pignor.* Grat. *locis præcitatis.*

OPPI

OPPIDEN. IVRISPATRONATUS.

Lunæ 11. *Februarij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio præsentandi, ad hoc vt suffragetur, debet habere aliqua requisita, de quibus vide remissiuè. Et vna est vt ille in cuius præiudicium possessio quæritur, hoc sciat, & patiatur, num.* 2. *Altera, quòd præsentatus fuerit admissus & institutus, num.* 3.

DECISIO CCCXCII.

CVm decisiones Rotales sint fundatæ in quasi possessione præsentandi Corneliæ Ruffæ senioris, & Corneliæ iunioris. Et propterea fuerit pronunciatum, Frõteram præsentatum à dictis mulieribus esse instituendum, iuxta terminos *c. consultationibus, de iurep.* tamen hodie ex nouiter deductis, Rota censuit, hanc quasi possessionem nõ suffragari. Et ideo videndum esse
1 de pertinentia iurispatronatus. † Ad hoc enim vt quasi possessio suffragetur, multa debent concurrere, vt per Calder. quem Rota sequitur *in*
2 *conf.* 12. *de iurep.* Et inter alia † quòd ille in cuius præiudicium possessio quæritur, hoc sciat, & patiatur. Hoc autem non interuenit, quia Gundisaluus habita notitia de præsentatione Zacconi, ex cuius putatione mulieres prætendunt acquisiuisse quasi possessionem, & ipse præsentauit Ascanium Ramirez, qui obtinuit sententias ad sui fauorem, & mandatum de immittendo contra dictum Zacconum. Vnde licèt hæc sufficiant, tamen etiam reddunt turbidum aliud requisitum ad acqui-
3 rendam quasi possessionem, † quòd præsentatus fuerit admissus, & institutus, & quòd tanquam Rector fuerit habitus in possessione beneficij. Ex quibus meritò concluſum, quòd videatur super pertinentia iurispatronatus.

BONONIEN. CAPELLÆ.

Ven. 29. *Februarij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Contentum sequitur naturam continentis.*

2 *Capella non solet de facili concedi laicis in Ecclesia monialium.*

DECISIO CCCXCIII.

CVm ex visione plantæ, & ex relatione DD. qui in ciuitate Bononiensi commorati sunt, cõstet, Capellam de qua agitur, esse intra Ecclesiam, non potest dubitari, quin Moniales, sicuti habent intentionẽ fundatam in Ecclesia, ita quoque habeant in Capella de qua agitur, † 1
vt contentum sequatur naturam continentis, vt dicit Rota *decis.* 15. *& 26. de iurep. in ant.* quam sequitur Felin. *in cap. cùm venerabilis, sub num.* 37. *vers. tu vide, de except.* † Tanto 2
magis cùm agatur de capella possessa per laicos in Ecclesia Monialiũ, quæ de facili laicis concedi non solet.

Nec obstant deducta pro parte, assumptorum, quia tendunt ad probandum eorum ius, de quo hodie non quæritur, sed de eo particulariter erit agendum, cùm Moniales tanquam actrices priùs voluerint fundare intentionem suam, prout requiritur, *l. qui accusare, C. de edendo.*

BONONIEN. RESIDVI Pretij.

Ven. 29. Februarij 1608.

SVMMARIVM.

1 *In flumine quatuor considerantur, ripa, littus, alueus, & aqua.*
2 *Ripa est illa quæ flumen secundùm naturalem cursum continet. Item ripa dicitur locus qui incipit à terreno, ex quo primùm incipit vergere vsque ad aquam.*
3 *Terra prope flumen, quæ aliquando per accidens inundatur à flumine, non efficitur publici iuris.*
4 *Possessio vitata, arborata, & pratiua, dicitur etiam illa quæ non habet in omni gleba, & parte vites & arbores.*
5 *Bonum ius requiritur ad obtinendã restitutionem in integrum.*

DECISIO CCCXCIV.

CVm venditione bonorum de quibus agitur, inter alia detur pro cõfine flumen, Domini resoluerunt, agri plagam existentem prope flumen esse mensurandam, maximè cùm sit tornaturarum nouem, & vl-
1 tra.† In flumine enim quatuor considerantur quæ inter se diuersa sunt, nempe ripa, littus, alueus, & aqua, Bal. eleganter *cons. 463. per totum vol.* 4. Et propterea cùm flumen contineatur inter ripas, quia ripa est il-
2 la, †quæ flumen secundùm naturalem suum cursum continet, *l. 1. §. ripa, ff. de flum.* Et *Ripa* locus dicitur, qui incipit à termino, ex quo primùm vergere incipit vsque ad aquam, & per attractionem aquæ, *l. penul. ff. de flum.* Bald. *d. cons. 463. n. 2.* Alex. *cons. 120. num. 7. lib. 2.* latè Surd. *cons. 376. nu. 16. vol. 3.* Inde sequitur, quòd cùm flumen fuerit datum pro confine, plaga de qua agitur, fuerit comprehensa in venditione, & propterea debeat mensurari, vt per Alex. *d. cons. 120. nu. 6. lib. 2.*

Neque obstat, quòd testes Oldourardi deponunt, hanc non esse Berledam, sed glaream fluminis, quasi infructiferã, & quòd hyemali tempore inundatur ab aquis, quia fuit responsum, quicquid sit, an hęc possit appellari Berleda, & an afferat vtilitatem, vel ne, quod considerãt Domini, quando agitur de mensuratione ripæ; hîc ex designatione confinium clarè constat, fuisse habitam rationem huius plagæ, seu littoris,† quæ licèt aliquando inunde- 3
tur ab aquis, non inde efficitur flumen, & publici iuris, sed remanet priuati iuris, vt per Alex. *dicto cons. 120. in fine, vers. postremò considerari debet fluminis consuetum, non accidentale* Surd. *d. cons. 376. in fin. vers. vltimò non mouet.*

Minùs etiam facit, quòd fuerit vendita possessio terræ arboratæ, vitatæ, & pratatæ, quæ demonstratio nõ potest verificari in plaga, de qua agitur, quia, vt deponunt testes, tota hæc possessio non est pratiua, nec tota aratiua, nec tota vitata.† Vnde 4
sufficit, cùm fuerit vendita possessio terræ arboratæ, vitatæ, & pratiuæ, quòd in plaga, quæ circa ripam est, adsint arbores: impossibile enim est, vel saltem non contingens, quòd in qualibet gleba, & particula terræ sint arbores, & vites simul, & quòd adsit terrenum aratiuum, & pratiuũ, vt considerat Alex. *alleg. cons. 120. num. 10.*

Ex quibus fuit conclusum, non 5
constare de causis restitutionis in integrum Oldourardi, cùm non doceat de bono suo iure, prout requiritur. Rot. *decis. 1. de restit. in integr. in nou.*

NEA

NEAPOLITANA PECUNIARIA.

Lunæ 3. Martij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Vnicus teſtis regulariter non probat.*
2 *Sublato principali tollitur acceſſorium.*

DECISIO CCCXCV.

DOmini dixerunt, computa, quę ſunt in proceſſu compulſoriali, non eſſe recognita per teſtes qui in dicto proceſſu habentur; cùm neque proceſſus ipſe recognitus ſit,
1 niſi per vnicum teſtem, † qui regulariter non probat, *c. licèt, de teſtibus,*
2 † acceſſorium enim tollitur principali ſublato, cùm ſine eo ſtare nequeat, *c. acceſſorium, de reg. iur. in 6. l. cum principalis, ff. eodem.* Vnde maiorem fidem non meretur, quàm principale mereatur.

BVRGEN. PRÆEMINENTIARUM.

Lunæ 3. Martij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Veniens contra tranſactionem, docere debet de læſione.*
2 *Tranſactio facta poſt rem iudicatam, eſt nulla. Quod tamen declara, niſi res iudicata poſſet aliqua diſputatione celari, vel in dubium reuocari, vel ex aliquo capite dici nulla, num. 4.*
3 *Cauſa nullitatis durat 30. annis.*
5 *In petitione cõfirmationis tranſactionis ſuper re Eccleſiaſtica, non eſt faciẽda mẽtio, quòd adſit res iudicata, ſed ſufficit facere mentionem de lite.*
6 *Per clauſulam* litis ſtatum, *cenſetur facta mentio de lite.*

DECISIO CCCXCVI.

DVbitaui, an conſtaret de cauſis 1
reſtitutionis in integrum. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendum; quia non docetur de læſione, quæ ad hunc effectum requiritur, *l. nam & poſteà, §. ſi minor, ff. de iureiur.* Licèt enim ſententia cõfirmet trã- 2
ſactionem, † quæ prætenditur nulla, ex quo facta poſt rem iudicatam cõtra tex. *in l. ſi cauſa cognita, C. de tranſ. l. eleganter, §. ſi poſt rem iudicatam, ff. de cond. indebit.* tamen adhuc tranſactio. ſuſtinetur, quia etſi commiſſio appellationis non potuerit ſuffragari, ex quo non fuit legitimè interpoſita, † ſuffragatur tamen cauſa 3
nullitatis æquè principaliter commiſſa, quæ durat per 30. annos. Frãc. *in c. dilecto, num. 171. de appell.* † Itaut 4
cùm ex iſto capite negetur iudicatũ, tranſactio poſſit ſuſtineri, vt dicit tex. *in dicto § poſt rem iudicatam, C. de tranſact.* vbi Bart. *num. 3.* Caſtren *nu.* 20. qui dicunt, ſufficere, quòd ſententia dicatur nulla ex aliqua cauſa probabili, & euidenter non calumnioſa, & quòd ſufficiat, quòd poſſit res iudicata per aliquam diſputationem etiam ſollicitari, velari, & in dubium reuocari, itaut tollatur iſtud notorium iuris, quod reſultat ex re iudicata, propter quod improbatur tranſactio, dicit Angel. *conſ. 94. nu. 6.* Hic autem de hoc ſatis apparet ex nullitatibus adductis, quæ licèt forſan non ſuſtineantur, prout etiã fuit præſuppoſitũ in diſputatione iſtius dubij, tamen ſatis eſt, quòd reddant negocium turbidum, maximè cùm cauſa fuerit in Rota ab anno 1553. vſque ad annum 1574. & pluriès fuerint fatalia prorogata ab vtraque parte, quæ protelatio ſatis

oſten

oſtendit, rem non fuiſſe ita claram.

5 Neque releuat, quòd confirmatio Apoſtolica huius tranſactionis fuit nulla, ex quo non fuit facta mentio rei iudicatæ, quia cùm res iudicata eſſet deducta in controuerſiam, ſuf-
6 ficit, † quòd fuerit facta mentio litis per clauſulam, *litis ſtatum, &c.* ita vt confirmatio non eſſet ſubreptitia. Rot. *deciſ.* 20. *de reſcr. in nou.* 6. *&* 7. Fel. *in cap. cæterum, ſub num.* 2. *in* 7. *limitat. verſ. intelligas primò, de reſcr.* Et fuit pluriès in Rota reſolutum.

CALAGVRITANA Beneficij.

Merc. 5. *Martij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Ad petitionem intereſſe habentis, reuocantur attentata, niſi notoriè conſtet de non iure petentis, in cauſis beneficialibus. Et iſtud ius ita ſit notorium, vt non requirat altiorem indaginem, nu.* 2.

Decisio CCCXCVII.

DOmini cenſuerunt, Ioannem Ortiz poſſe petere reuocationem attentatorum, quia erat in cauſa, & vult docere, ſe eſſe grauatum. Vnde ſatis conſtat de ſuo intereſſe,
1 † propter quòd attentata reuocantur. Lanc. *de attent. par.* 3. *cap.* 22. *nu.* 1.
2 *& ſeqq.* Caſſad. *deciſ.* 3. *de reſtit. ſpol.* † Quæ regula, quicquid dicendum ſit in profanis, in beneficialibus licèt non procedat, quando notoriè cõſtat de non iure petentis reuocationem attentatorum, Caſſad. *deciſ.* 3. *num.* 4. vbi plures deciſiones allegat, latiſſimè Lancell. *de attent. par.* 3. *cap.* 24. *num.* 9. *cum plur. ſeqq.* tamen hæc exceptio non procedit, niſi totaliter ſit notorium, vt non requirat altiorem indaginem. Ferret. *conſ.* 4. *num.* 5. Oſaſch. *deciſ.* 116. *num.* 8. *verſ. non obſtat.* Lancell. *dicto c.* 24. *nu.* 80. vbi *nu.* 84. concludit, etiam quòd ſit lata ſententia contra petentem reuocationem attentatorum. Vnde dubitari non poteſt, quin requirat altiorem indaginem, an in dicto Ioanne qui ſe oppoſuit ad hoc beneficium, concurrerent maiores qualitates, itaut hoc beneficium ſibi eſſet debitum. † Et propterea 3
non eſt dicendum, conſtare de non iure, quamdiu de ſuo iure poteſt docere, Ægid. *dec.* 103. Lancell. *ſæpiùs alleg. c.* 24. *nu.* 84.

TAVRINEN. DECImarum.

Lunæ 10. *Martij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Declaratoria fertur ob non paritionem.*
2 *Beneficiatus condemnatus ad reſtitutionem, & negans ſe aliquid habuiſſe, vel confitens habuiſſe, ſed cõuertiſſe in Eccleſiæ vtilitatem, declarari non poteſt excommunicatus, niſi priùs probetur perceptio, & præcedat liquidatio, nu.* 4.
3 *Frumentum non durat vltra triennium.*
5 *Officium eleemoſynarij eſt diſtribuere redditus in vſus pauperum.*
6 *Contra monachum eleemoſynarium non poteſt relaxari mandatum perſonale.*

Decisio CCCXCVIII.

ROta cenſuit, adeſſe legitimas cauſas, vt Eleemoſinarius ſit abſoluendus, quia licèt conſtaret ex eius confeſſione, quòd decimas percepit, † & propterea ante declara- 1
toriam

toriam ferendam ob non paritionē, non videbatur neceſſaria alia proba-
2 rio perceptionis, † quæ requiritur quando poſt latam ſententiam condemnatoriam, & ante declaratoriam pars negat, ſe percepiſſe fructus, vel dicit, eos conuertiſſe in vtilitatem Eccleſiæ. Rot. *deciſ.5. de re indic. in nou. & prima in fine de renunc. pariter in nou.* Veſtr. *in prax.lib.8. cap.vlt.nu.* 17. tamen confeſſio Eleemoſinarij eſt, quòd percepit quolibet anno 30.
3 ſaccos grani, † quod cùm non duret vltra triēnium, ex alleg. per Surd. *deciſ.81.num.1.* debebatur æſtimatio. Bart. *in l.cùm qui num.1.ff. de his quibus vt indig. & in l. ex diuerſo, §.1. in*
4 *fin.ff. de rei vend.* † Et ideo priùs debebat fieri liquidatio. Bald. *conſ.99. per totum lib.5.* Veſtr. *in prax. loco allegato.*

Prætereà reſpectu perſonæ dicebant Domini, quòd cùm iſte Eleemoſinarius ſit monachus, † cuius
5 officium eſt diſtribuere redditus in vſus pauperum, *Clem.2. de præb. cap.*
6 *quia contingit. de relig.dom.* † non poterat contra ipſum relaxari mandatum perſonale, Bald. *in auth. cauſa quæ, num.3. in fin. C. de Epiſc. & cler.* Dec. *in cap. reprehenſibilis, num.30. &* 31. *de appell.* vbi etiam Abb. *nu.16.*

An autem facta liquidatione poſſit fieri exequutio contra bona, & redditus Eleemoſinariæ, pendet ex duobus, nempe an iſte monachus habeat Eleemoſinariam in titulum, itaut potuerit prēiudicare ipſi Eleemoſinariæ, vel ſi non habuerit in titulum, an taliter haberet in adminiſtratione, vt potuerit præiudicare Eleemoſinariæ, de qua materia per DD. *in d. Clem. quia contingit, in §. præmiſſa verò, & in d. cap. reprehenſibilis.* Et an ex quo iſti redditus ſunt deputati in vſus pauperum, Eleemoſinarius potuit præiudicare pauperibus.

IDIACONEN.
Attentatorum.

Ven. 14. *Martij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitio Rotalis ſiue iuſta, ſiue iniuſta eſt timenda, & cauſat attentata.*

2 *Qui continuat, non attentat. Declara tamen, niſi iudicium reddatur eluſorium.*

3 *Nota, quòd ponens non ſequitur ſententiam votantium, quando ſibi de iniuſtitia conſtat.*

Decisio CCCXCIX.

D. Don Chriſtophorus de Queralt, & Paulus Campana obtinentes Dignitates & Canonicatus in Eccleſia Tarraconen. petebant reuocari attentata, quæ prætendebantur, ex eo quòd lite pendente in Rota, fuerant priuati officiis Canonicis debitis. Et Rota cenſuit, conſtare de attentatis. Nam reſpectu Don Chriſtophori negocium videbatur clarum, quia fuerat obtenta inhibitio à Rota, & præſentata per eius procuratorem Capitulo; & ideo in ſpretum illius inhibitionis nihil habebat innouare Capitulum, † quia inhibitio Rotalis, 1
ſiue iuſta, ſiue iniuſta eſt timenda, & cauſat attentata. Put. *dec.395. lib.2.* Achil. *dec.29. de appellat.* Veral. *deciſ.* 128. *lib.1. in manuſcr.*

Neque obſtat, quòd regula ſit, 2
quòd qui continuat, non attentat, & ideo Capitulum cùm ſit in poſſeſſione priuandi Canonicos, non debuit priuari ſua poſſeſſione, lite pendente, *c.1. & 2. vt lit. pend.* quia cùm lite pendente ſuper augmento inter Præpoſitos, & Canonicos, prętenderent aliqui ex Præpoſitis obti-

nentes Canonicatus, quòd grauarentur à Capitulo ſuper priuatione officiorum, & ideo cõmiſerint cauſam in Rota, ſequitur, quòd Capitulum, etiam ſtante eius poſſeſſione, non potuit lite pendente, Canonicos obtinentes Dignitates priuare officiis abſque vitio attentatorum, quia aliàs iudicium redderetur eluſorium, contra tex. *in cap. cauſam quæ, de iudic.* Fruſtrarentur enim ſua intentione, &, ſi obtinerent, nihil conſequerentur, & ita eleganter limitatur regula, quòd qui continuat non attentat. Rip. *in cap. cum M. Ferrarien. num.* 193. *ante fin. verſ. ad iſtud reſpondeo, de conſtit.* quem ſequitur Gabr. *de acquir. poſſeſ. concl.* 6. *nu.* 17.

2 Reſpectu autem Pauli, licèt fuerit reſolutum ex deductis in alia deciſione, conſtare de attentatis, tamen adhuc animus Ponentis non acquieſcit, quia nec anteceſſor Pauli in Dignitate fuit in cauſa, nec ipſe Paulus, nec videtur poſſe iuuari ex eo quòd cauſa fuit cõmiſſa ſub nomine Dignitatis, quia, vt dictum eſt, eius anteceſſor non fuit in cauſa, nec Præpoſiti conſtituunt Collegium, nec officia ſunt debita ratione Dignitatis, ſed Canonicatus. Vnde videtur etiam ceſſare, quòd Iudex ex officio poſſit reuocare huiuſmodi attentata, quia nõ adeſt lis reſpectu Pauli, attentata enim ſemper præſupponunt litem. Nec minùs fuit præſentata aliqua inhibitio nomine Pauli, prout fuit factum pro parte D. Chriſtophori.

CORDVBEN. REDEcimarum.

Ven. 14. *Martij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Præſcriptio reſpicit priuatam vtilitatem, ſiue genus perſonarum, nu.* 2.
Conſuetudo publicam, & cõmunem, & omnibus ex conſuetudine acquiritur ius, ſiue ex publico, ſiue ex priuato ius ipſum extrahatur.
3 *An Communitas in ſui præiudicium poſſit inducere conſuetudinem, etiam in fauorem perſonæ particularis.*
4 *Solutio diuturna ab initio voluntaria arguit conſuetudinem, non præſcriptionem.*
5 *Ex diuturna præſtatione præſumitur voluntaria obligatio, quæ tamen ceſſat, ſi in primis ſolutionibus adfuit tumultus, vel rebellio, nu.* 6.
7 *Ad præſcribendum contra ius requiritur quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis.*

DECISIO CCCC.

ROta cenſuit, in caſu de quo agitur, nos verſari in præſcriptione, non in conſuetudine, quia cùm poſt exactionẽ decimarum, Epiſcopus, & Capitulum exigant aliam decimam, redecimam vocatam, hæc eſt præſcriptio, non conſuetudo, † 1
quia vtilitas etiam quòd ex publico trahatur, Epiſcopo, & Capitulo priuatim acquiritur, quæ eſt principalis repugnantia inter præſcriptionẽ, & conſuetudinem, quæ è conuerſo ex communi, & permiſſiuo vſu ius conſtituit, & acquirit omnibus eius regionis, aut populi ciuibus, quibus ius illud eſt proportionabile, vndecumque ius ipſum extrahatur, ſiue ex publico, ſiue ex priuato. Doct. *in cap. final. de conſuet.* vbi Abb. *num.* 20. Card. *nu.* 16. *quæſt.* 8. Butr. *nu.* 39. Oldrad. *conſ.* 244. *num.* 7. Gem. *conſ.* 123. *num.* 2. Couar. *in regula, poſſeſſor. par.* 2. §. 3. *num.* 2. Corn. *conſ.* 268. *num.* 16. *lib.* 4. latè Roland. *conſ.* 5. qui alios allegat, *num.* 76. *vol.* 1. Et hanc diſtinctionem ſequuta fuit Rota in cauſa Caietana præcedentis, 1. Martij 1563. coram

coram Oriolen. & in cauſa Toletana redecimarum, 21. Maij 1586. coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio, & in cauſa Hiſpalen. voti 26. Nouembris 1594. coram bon. mem. Giptio, & in eadē 26. Aprilis 1599. & 6. Nouembris 1600. & 17. Decembris 1604. coram R. P. D. meo Decano.

Neque facit, quòd in caſu iſto Epiſcopus, & Capitulum exigant redecimam nomine totius Cleri, quia iſtud factum non probatur, & quatenus probaretur, non releuaret, quia non inde induceretur vniuerſalis vſus, itaut ſpecialiter non prodeſſet vni, & ſemper ageretur de auferendo vni, & acquirēdo alteri. † Vnde ex prædictis remanet præſcriptio, etiam quòd acquiratur ad fauorem certi generis perſonarum. Purpur. *conſ.* 115. *num.* 18. Abb. *in cap. cùm Eccleſia Sutrina*, per illum tex. *num.* 45. *verſ. ego fateor, de cauſ. poſſ. & propr.* 1 2

Non obſtat, quòd cùm Communitas potuiſſet ſtatuere, vt huiuſmodi redecima deberetur Eccleſiæ, hæc eſt conſuetudo, etiam quòd acquireretur perſonæ particulari. Butr. *in dicto cap. fin. num.* 49. *antè med. verſ. aduertendum quòd quandoque, & num.* 39. *verſ. ſed vbi hoc ius, de conſuet.* Aret. *conſ.* 23. *num.* 11 *verſ. reſtat igitur*, quia dicebant Domini, quicquid ſit de hac concluſione, quam pulchram, ſed non bene probatam dicit Roc. de Curt. *de conſuet. num.* 426. ſecundùm magnā impreſſionem hoc procederet. Et maximè in noſtris terminis, † quando ſolutio redecimæ ab initio fuiſſet voluntaria, vt in ſimili habetur, *in cap. ad Apoſtolicam, de ſymon.* Abb. *in cap. tuam, num.* 4. *eodem tit.* Caſſad. *deciſ. vnic. de conſuet.* Caſtr. *conſ.* 364. *num.* 2. *& ſeqq. lib.* 1. Oſaſch. *dec.* 99. *nu.* 5. 3 4

Neque facit, quòd cùm non conſtet de initio, ex diuturna præſtatione præſumitur, populum voluntariè ſe obligaſſe, vt per Doct. *in d. cap. ad Apoſtolicam, de ſym.* vbi Hoſt. *nu.* 2. *verſ. & ex eo.* Io. And. *nu.* 5. *eodem verſ.* Caſſad. *dicta dec. vnica, num.* 6. Nam hæc præſumptio ceſſat in caſu iſto, quia ex ſententia Regis Ioannis cōſtat, quòd occaſione ſolutionis huius redecimæ, populus Ciuitatis ſe ſubleuauerat, & tumultum, & rebellionem mouerat. † Vnde ceſſat præſumptio voluntariæ obligationis, *l. in rebus, C. de iur. dot. cum vulg.* † Et ita concluſum, cùm verſemur in præſcriptione, non ſufficere quadragenariam abſque titulo, ſed cùm huiuſmodi redecima ſit contra ius, iuxta reſolutiones factas, requiri vel quadragenariam cum titulo, vel immemorabilem, iuxta tex. *in cap.* 1. *de præſcr. in* 6. 5 6 7

BARCHINONEN.
Fructuum.

Lunæ 17. *Martij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Fructus beneficij à ſolo ſeparati non conſumpti de iure communi ſpectant ad ſucceſſorem.*
2 *In profanis datur remiſſoria quotieſcumque materia eſt releuans.*
3 *Statutum magis eſt attendendum, quàm conſuetudo generalis.*
4 *Probatio probationem non excludit.*
5 *Ex duobus ſtatutis contrariis, attenditur illud, quod magis eſt vſu receptum.*

DECISIO CCCCI.

POſt reſolutionem factam, quòd fructus de quibus agitur, ſpectāt vigore conſuetudinis ad hæredes, † 1

licèt de iure cõmuni ſpectarent ad ſucceſſorem, qui & ſi à ſolo ſunt ſeparati, non tamen ſunt conſumpti, ex alleg. per Calder. *conſ.2. num.2. de pecul. cler.* Archidiaconus petebat remiſſoriam ad probandũ, quòd ſtatutum diſponens contrarium, ſcilicèt, quòd ſpectẽt ad ſucceſſorem, eſt in viridi obſeruantia, & quòd in ciuitate Barchinonæ obſeruatur Bulla Iulij 3. 9. in ordine, quæ diſponit, quòd fructus inexacti ſpectẽt ad ſucceſſorem, prout ſunt iſti, qui adhuc remanent ſub depoſito. Et Rota cenſuit, remiſſoriam eſſe con-
2 cedendam, † quia quotieſcumque materia eſt releuans in profanis, datur remiſſoria, *l. iudices, & auth. apud eloquentiſſimum, C. de fid. inſtr.* Put. *dec.201. lib.1.* Caput. *dec.68. num.1.3.* Et paſſim ſeruat Rota: Releuantia autem hìc ſatis apparet, quia articulatur, quòd ſtatutũ diſponens, quòd fructus præfati ſpectent ad ſucceſſorem in beneficio, eſt in viridi ob-
3 ſeruantia. † Vnde magis eſt attendendum, quàm conſuetudo generalis. Io. And. *in cap. cùm dilectus, col.1. verſ. ſpecialis, de conſuet.* Bart. *in extrau. ad reprimen. in verb. non obſtan. nu.13.* Abb. *in c. fin. num.25. de conſuet.* Et fuit reſolutum in cauſa Recanaten. donationis, 28. Iunij 1577. & in cauſa Parmen. ſtatus 26. Iunij 1589. coram Illuſtriſſimo Seraphino. Et quamuis prætendatur etiam probata conſuetudo particularis, quæ debet præualere. Gem. *conſ.159. num.3.* tamen articulus continet, quòd ſeruatur ſtatutum, & regulæ ſunt ſtri-
4 ctæ, † quòd probatio probatum non excludit. Put. *deciſ.34. num.4. lib.1.*

5 Nonobſtat, quòd in volumine ſtatutorum adſit aliud ſtatutum, quod videtur contrarium præfato ſtatuto, quia adhuc remiſſoria eſt releuans, cùm hoc caſu in concurſu attendatur, quod magis eſt vſu receptum, Alex. *conſ.132. num.1. lib.1.* Natt. *conſ.154. in 5. lib.2.* Cephal. *conſ.124. num.9. lib.1.*

BONONIEN. DE Pepulis.

Merc. 19. Martij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Rota non exequitur ſententias aliorum Tribunalium niſi conſtito de iuſtitia.*
2 *Simpliciter adiectus ſolutioni non poteſt agere, ſed recipere.*
3 *Declara, niſi ſit adiectus in rem ſuam, vbi quando dicatur adiectus in rem ſuam.*
4 *Dictio* donec, *denotat tempus.*
5 *Indiuiduum quatuor modis dicitur.*
6 *Promiſſio quantitatis eſt diuidua.*
7 *Indiuiduum ratione formæ, eſt illud in quo adſunt verba formam denotantia.*
8 *Obligatio rem tradi eſt indiuidua.*
9 *Obligatio rem dari, eſt diuidua.*
10 *In facultatiuis non currit præſcriptio, etiamſi habens facultatem ſteterit per mille annos, quòd non ſit vſus facultate, niſi antecedat prohibitio & acquieſcentia.*
11 *Habenti aliunde vnde ſe alat, non ſunt debita alimenta, quæ debentur ex diſpoſitione iuris, vel iudicis officio, ſecus eſt in alimentis quæ debentur ex contractu, & ſic iure actionis, num.12.*

Decisio CCCCII.

ROta cenſuit, ſententias de partibus eſſe exequendas, ſtante ſtatuto de duabus cõformibus, cùm ſententiæ appareant iuſtæ, prout requirit

1 quirit ſtylus Rotæ, † quæ aliàs non dat exequutionem ſententiis extra eam latis. Iuſtitia autem ex eo apparet, quia fratres de Pepulis in diuiſione facta inter eos, mediante ſolemni ſtipulatione conuenerunt, vt emeretur creditum annui reddi-tus ſcutorum 150. Comiti Aloyſio. Vnde licèt Comes non interuenerit in huiuſmodi inſtrumento, ſed tantùm fuerit adiectus ſolutioni,
2 nihilominùs poteſt agere, † quia licèt ſimpliciter adiectus ſolutioni non poſſit agere, ſed tantùm recipere, *l. quod ſtipulatus, ff. de ſolut.* Dec.
3 *conſ.* 543 *num.* 11. † tamen hæc regula non procedit in caſu præſenti, cùm Comes fuerit adiectus ſolutioni in rem ſuam, prout adiectus hoc modo intelligitur, quando intereſt adiicientis, vel adiecti, vt ipſi adiecto ſoluatur, & ſolutum apud eum remaneat. Ruyn. *conſ.* 209. *num.* 9. *vol.* 1. Pariſ. *conſ.* 107. *nu.* 32. *vol.* 3.

4 Neque facit, quòd erat in facultate Comitum fratrum, vel emere creditum, vel ſoluere annua ſcuta 150. quia hoc non eſt verum. Promiſerunt enim, poſtquàm fuerunt ætatis 20. annorum, emere creditũ, & donec emerint, ſoluere annua 150. & ſic creditum eſt in obligatione, annua verò 150. in ſolutione ad tempus, ſcilicèt donec emerint creditum, quod denotat dictio *Donec.* Bald. *conſ.* 421. *in princ. lib.* 5. Nec iſta dilatio ad emendum debet eſſe perpetua, ſed debet regulari arbitrio boni viri, iuxta notat. *per gloſ. in l. neque ff. de leg.*

Minùs etiam facit, quòd cùm fuerit condemnatus Comes Philippus pro ſua rata, iſta condemnatio non tenet, cùm promiſſio ſit indiuidua, ex quo fuit conuentum, quòd emeretur cenſus de bonis communibus; quia veritas eſt, quòd materia eſt diuidua. † Nam indiuiduum dicitur 5
quatuor modis, aut natura, *l.* 1. *§. illud ff. de aq. quotid. & æſt. l.* 4. §. *Cato, ff. de verb. oblig.* aut ratione formæ, *l. Græcè, §. illud commune, ff. de fideiuſſ.* aut ratione voluntatis contrahentium, *l. Pedius, §.* 1. *ff. de arbitr.* aut ratione dependentiæ, vt principale, & acceſſorium, *l. tunc inutile, ff. de pecul. legat.* † 6
Hìc autem indiuiduum non poteſt dici natura, quia cùm ſit promiſſa quantitas, eſt diuidua, *l.* 2. §. 1. *& in l. in exequutione ff. de verb. oblig.* † Non 7
ratione formæ, quia nulla videntur appoſita verba, quæ inducant formam, quæ alioquin requiruntur, vt conſiderat Rom. *conſ.* 66. *num.* 2. Non ratione voluntatis contrahentium, quia non ſumus in obligatione rem tradi, † quæ eſt indiuidua, ſed in 8
obligatione rem dari, quæ eſt diuidua. Bart. *in l. ſtipulationes non diuiduntur, num.* 9. *ff. de verb. oblig.* Nec 9
etiam ratione dependentiæ, quia hìc nulla adeſt.

Neque præſcriptio obſtat Comiti Aloyſio, quia in eius facultate erat agere, vt inueſtimentum fieret. † Et in facultatiuis non currit præ- 10
ſcriptio, & ſi habens facultatem ſteterit per mille annos, quòd non ſit vſus facultate. Niſi antecedat prohibitio, & acquieſcentia, quæ non interuenit in caſu iſto. Bald. *conſ.* 201. *num.* 1. *lib.* 2. Et propterea debet probari poſſeſſio cõtraria facultati. Bal. *conſ.* 329. *circa med. verſ. ſed contrarium, lib.* 2. Cuman. *conſ.* 149. *num.* 1. Bellon. *conſ.* 1. *num.* 14. *verſ.* 3. *reſpondetur*, vbi dicit communem.

Denique non officit, quòd cùm 12
Comes Aloyſius habeat vnde ſe alat aliunde, huiuſmodi ſcuta 150. non ſunt ampliùs debita, quia fuerunt promiſſa pro alimentis; quia concluſio procedit, quando alimenta ſunt debita ex diſpoſitione iuris,

vel officio iudicis, vt in *l. ſi quis à liberis, poſt princ. verſ. denique & §. alimenta, ff. de lib. agnoſc.* † Secùs autem dicendum eſt in alimentis de quibus agitur, quæ cùm ſint debita ex contractu, & ſic iure actionis, debẽtur, etiam quòd Comes Aloyſius habeat aliunde vnde ſe alat, Alex. *in l. de alimentis, num. 2.* Dec. *num. 5.* Iaſ. *num. 6. C. de tranſact.* Alex. *conſ. 7. num. 10. lib. 2.* Et fuit reſolutum in cauſa Romana alimentorum, 23. Aprilis 1572. coram Illuſtriſſimo Seraphino, & in cauſa Portuen. bonorum 16. Febr. 1580. coram eodem & aliàs ſæpiùs. 12

PADERBORNEN. Canonicatus.

Lunæ 24. Martij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Procurator non poteſt eſſe teſtis in cauſa quàm agitat, vel agitauit, & nu. 4.*

2 *Declara, niſi inducatur in teſtem contra ſuum principalem ab aduerſario.*

3 *Contrarium vide huic declarationi hic, vbi diſtinguitur.*

5 *Procurator non poteſt eſſe teſtis contra ſuum principalem in cauſa quam agitat.*

6 *Procurator cogi poteſt ad ſubiiciendum ſe examini in his quæ ſcit non tanquam procurator, ſed vt ipſe.*

Decisio CCCCIII.

1 REgula eſt quòd procurator non poteſt eſſe teſtis pro domino in cauſa quam agitat, vel agitauit, *cap. Romana, de procur. in 6. l. fin. ff. de teſtib.* Niſi in certis caſibus, vt vtrobique not. Doctor. *& in c. inſuper, & in cap. cùm à nobis, de teſtib.* Bart. *in l. deferre, ff. de iur. fiſc.* & alios allegat Pariſ. *conſ. 70. nu. 2. lib. 4.* & Vinc. de Franch. *dec. 222. num. 1. & 2.*

Sed quando aduerſarius vult inducere procuratorem in teſtem cõtra ſuum principalem, in cauſa quã agitat, prout eſt caſus noſter, Henr. Boich. *in dicto cap. inſuper, in princ. de teſtib.* Pariſ. *dicto conſ. 70. nu. 3.* Guido Pap. *dec. 45.* affirmant, quòd hoc caſu procurator poſſit induci in teſtem. 2

Cæterùm horum opinio non videtur vera. Nam allegant ibi gloſ. *in d. cap. Romana, in verb. in teſtem, de teſtibus in 6.* & ibi Franc. *num. 8.* Ioan. And. *num. 2. verſ. in gloſ.* Archid. *nu. 1. & 2.* & Io. Monach. *num. 1. & 2.* nec non & gloſ. *in l. fin. ff. de teſtibus, & in l. etiam, C. eodem titulo,* atque Bart. *in d. l. deferre, num. 2. & in fin. verſ. hoc eſt verum, & in l. omnibus, num. 7. verſ. finito verò officio, C. de teſtibus,* & Alberic. de Roſate, *de teſtibus, § expedita, num. 6.* Quæ tamen gloſ. & Doct. hoc ſimpliciter non dicunt, ſed firmant, quòd quando cauſa eſt finita, vel quando procurator qui fuit in prima inſtantia, non eſt procurator in cauſa appellationis, ſi commodum, vel incommodum ſpectat ad procuratorem, vel ſi inducatur à domino contra aliam partem inuitam, non poteſt eſſe teſtis. Si verò producatur contra dominum, poteſt eſſe teſtis. Et hãc diſtinctionem facit expreſsè Bart *in d. l. deferre,* quẽ ita cum gloſ. præfatis legit, & intelligit Put. *deciſ. 294. num. 2. & 3. lib. 2.* 3

Et præfatus intellectus ſuadetur, quia aliàs Bart. & alij Doctores eſſent ſibi contrarij, vt aduertit Put. *vbi ſupr. nu. 1.* Nam Bart. *in d. l. deferre, num. 2. ante med. verſ. diè & in d. l. omnibus, num. 7. verſ. tu dic breuiter,* & Franc. *in d. cap. Romana, num. 9. verſ. & idem in procuratore,* & Archid. *ibidem, nu. 1. verſ. cauſa. multo minùs* expreſsè dicunt

4 dicunt, † quòd procurator qui agitat cauſam, non poteſt interrogari vt teſtis. Et pro hac opinione eſt gloſ. *in l.2.in verb. intereſt. ff. quando appell.ſit & in dicta l.deferre, in verb. interrogari,* & Archid.dat rationem, quia aliud debet eſſe teſtis, aliud pars, nè quis officio tam diuerſo fungi debeat.

Et quamuis iſti DD. & gloſ.non ita clarè loquantur, vt percipi poſſit, an ſimpliciter velint, quòd procurator nō poſſit eſſe teſtis ad fauorem domini in cauſa quam agitat, vel etiam ad fauorem aduerſarij contra
5 dominum, † tamen, quòd Bart. *in d. l.deferre,* & gloſſæ præfatæ intelligi debent, quoad proceſſum, non poſſit eſſe teſtis contra dominum in cauſa quam agitat, dicit Caſtr.Card. *in d. cap.inſuper, num.3. de teſtib.* & Bartolum ita etiam intelligit Put. *d. deciſ.* 294. *num.3. lib.2.* quæ licèt non ſit deciſio, ſed votum ipſius Auditoris, tamen non eſt ſpernendum, propter authoritatem tanti viri, & Rota de ſtylo ſeruat dictum Cardinalis, *in d.cap. inſuper,* vt eſt deciſio Verall. 416. *incip. licèt Innoc.& Abb. lib.1.in manuſcr.* & Fabij in cauſa Valentina Parochialis, quæ eſt *ſub nu.135.lib.2.*
6 *par.3.* inter impreſſas, † quibus non repugnat alia deciſio Put. 56. *lib.3.* quia eſt intelligenda, quòd procurator poſſit cogi ad ſubiiciendum ſe examini ſuper his quæ ſcit non tanquam procurator, ſed vt ipſe, antequàm eſſet procurator.

Ex quibus ſequitur, quòd cùm Alexander ſit procurator, & agitet cauſam, nō poſſit cogi ad ſubiiciendum ſe examini. Et licèt dicatur, quòd concluſio non procedit, quādo petitur, quòd procurator ſubiiciat ſe examini ſuper his quæ ſcit ex ſe, non tanquam procurator, & inſtructus à ſuo principali, vt expreſsè dicit Card. *in cap.dilecto, num.1. de teſtib.* Pariſ. *dicto conſ.70. num.13. lib.4.* Vinc.de Franch. *d.deciſ.222. num.9. in fine.* Tamen hîc propriè non agitur de his quæ ipſe ſcit ex ſe, vel de his quæ ipſe geſſerit antequàm eſſet procurator. Vnde meritò non eſt cogendus, vt ſubiiciat ſe examini.

COMPOSTELLAN.
Theſaurariæ.

Lunæ 24. Martij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Compulſor poteſt citare partes, deputare notarium, & facere alia neceſſaria ad compulſationem.*
2 *Iura extracta vigore Compulſarialium, & parte citata, ſunt in forma probanti.*
3 *Notarij de ſtylo exequuntur citationes in Hiſpania.*
4 *Citatio ad intereſſendum compulſationi non expreſſo loco, ſi aliunde habuit notitiam, non dicitur vaga.*
5 *Iura exhibita, parte præſente, & non contradicente, à notario rogato non egent recognitione, nec citatione.*

DECISIO CCCCIV.

FVit reſolutum, proceſſum compulſorialem eſſe validum, & iura quæ in eo continentur eſſe in forma probanti. Nam quantùm attinet ad proceſſum, compulſor fuit legitimè deputatus per Rotam, † 1
qui propterea potuit citare partes, & facere alia neceſſaria citra compulſationem, ſecundùm opinionem Rotæ. de qua *in deciſ.1. de fid.inſtr.in nou.* Veſtr. *in praxi. lib.6.cap.1.num.* 15. Et potuit deputare, prout fecit, notarium ad nudum miniſterium, prout de ſtylo Hiſpaniarum fieri conſueuiſſe teſtatur Couar. *var. reſ.*

lib.2.

*lib.2.cap.13.sub nu.*10. Veral.*dec.*265. *par.* 3. Et fuit resolutum in causa Calaguritana oblationum, 26.Martij 1590.coram Reuerendissimo D. Perusino,& in causa Segobricen.Parochialis 2.Decembris 1602. & 15. Ianuarij 1603. coram Illustrissimo Pamphilio. Satis enim videtur in casu de quo agitur,deputasse ad nudum ministerium, ex verbis ipsius deputationis, quæ non alteratur, etiamsi fuerit data facultas citandi, cùm insimul non fuerit data etiam facultas cogendi, vt fuit dictum in causa Licien. matrimonij 27. Aprilis 1587. coram Illustrissimo Seraphino.

2 Iura autem existétia in dicto processu sunt in forma probanti; quia fuerunt extracta vigore dictarum literarum compulsorialium, & partim ex libris Alfonsi de Budillo œconomi Ecclesiæ, parte citata. Rot.*d.decis.*1.*de fid.instr.in nou.* Quæ citatio, & si fuit facta à notario, ni-
3 hilominùs sustinetur, † quia de stylo Hispaniarum, notarij solent exequi citationes.Gonzal.Suar. *in prax. Eccles.tom.*2.*c.*2.*de citat.*Et fuit dictũ in causa Toletana primitiarum, 20. Martij 1579. coram Bubalo, & in causa Toletana decimarum, 5. Maij
4 1589.coram R.P.D. meo Decano. † Nec huiusmodi citatio potest dici vaga, ex quo non fuit expressus locus compulsationis,quia cùm compulsatio deberet fieri in ciuitate Granaten. prout fuerat intimatum parti, & postmodùm in eadem Ciuitate iterum fuerit facta citatio ad interessendum compulsationi; satis hæc citatio dicitur certa,& non vaga, cùm aliunde habuerit notitiam, quò loci compulsatio esset facienda,vt dicit Rota in causa Legionen. iurisdictionis sancti Facundi 19. Martij 1590. coram Illustrissimo D. meo Cardinali Pamphilio,& in causa Calaguritana de Maëstu,29.Octobris 1603. coram R.P.D. meo Lancellotto,& in causa Auricen. Parochialis 11.Februarij 1604.coram Illustrissimo D. meo Cardinali Seraphino. Et hæc quidem iura fuerunt benè recognita per testes desuper examinatos. Iura verò exhibita per Petrum Valdez satis etiam sunt in forma probanti,quia licèt pars non fuisset citata,neque minùs dicta iura recognita, tamen cùm ea parte præsente, & non contradicente dictus Petrus exhibuerit tanquam notarius rogatus,recognitione non egebant,Rot.*dicta decis.*1.*de fid.instr. in nou.in princ.* nec minùs citatione, vt dicit additio ad dictã decisionem primam. Vestr.*in prax.d.cap.*1.*nu.*15. *fine lib.*6.

VERCELLEN. ARCHIpresbiteratus.

Lunæ 21.*Aprilis* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Legatus potest creare protonotarios absentes,& non subditos suæ prouinciæ.*

2 *Iurisdictio voluntaria cõcessa à Principe supremo, non terminatur territorio, & potest exerceri inter non subditos prouinciæ; licèt contrarium videatur dicere Ancharanus, numer.* 3.

4 *Legatus potest conferre beneficia suæ prouinciæ existenti extra prouinciam ex quo collatio est voluntariæ iurisdictionis.*

5 *Ordo scripturæ non impedit causam iuris, & voluntatis.*1.*certam dispositionem,vel loquentis intentionem.*

6 *In facultate conferendi beneficia reseruata non veniunt reseruata ratione personarum.*

7 Clau

7 *Clauſulæ exequutiuæ non alterant diſpoſitionem principalem.*

Decisio CCCCV.

1 POſt reſolutionem factam, quòd beneficia Protonotariorũ, etiam à Legatis creatorum, ſunt reſeruata, adhuc inſiſtebatur, quòd Legatus non poterat creare protonotarium non ſubditum ſuæ prouinciæ; maximè abſentem. † Contrarium tamen cenſuerunt Domini, quia creare protonotarios, eſt voluntariæ iuriſdictionis, cùm volentes creentur abſque contradictione, gloſ. 1. *in l. 2. ff. de offic. Proconſ.* Cald. *conſ. 2. nu. 2. verſ. in contrarium, de elect. & conſ. 8. de iudic.* Et propterea iſte non ſubditus prouinciæ, etiam abſens
2 potuit protonotarius creari. † iuriſdictio enim voluntaria conceſſa à principe ſupremo non terminatur territorio, & poteſt exerceri inter non ſubditos prouinciæ, *d. l. 2. ff. de offic. Proconſ. l. emancipare, ff. de adopt.* gloſ. *in l. extra territorium, ff. de iuriſ. om. iud.* Socin. *reg. 264. incip. iuriſdictio voluntaria.* Oldrad. *conſ. 73. in princ.* Et in terminis Legati de latere, etiã gloſ. *in cap. excommunicatis, in verb. commiſſa, in fin. de offi. Legat.* & dicit Flor. de S. Petro, *diſput. 3. in vltimo dub. nu. 16. & 17.*

3 Neque obſtat, quòd Anchar. *conſ. 120. num. 2.* & Caſſan. *conſ. 31. per totum*, videatur dicere, quòd iuriſdictio voluntaria non poſſit exerceri vltra territorium, quia Anchar. loquitur quando Comes Palatinus creatus ab Imperatore legitimat ſubditũ Papæ, vt ſuccedat in caſtris exiſtentibus in ditione Papæ. Caſſaneus verò, quando Legatus, cuius facultates ſunt reſtrictæ ad certam prouinciam, diſpenſat ſubditum ſuper beneficio incompatibili extra prouinciam, quo caſu non agebatur de diſpenſatione perſonæ, ſed impedimentum prouenie bat ex parte rei. Vnde, quicquid dicendum eſſet in iſtis caſibus, longè diſtant à noſtro, quia cùm facultas creandi protonotarios, non reſtringatur ad certum locum, meritò cùm ſit voluntariæ iuriſdictionis, potuit vbique exerceri, etiam in non ſubditum prouinciæ, per ſupradicta. † Hinc 4
videmus, quòd Legatus poteſt conferre beneficia ſuæ prouinciæ vnicuique, etiam exiſtenti extra prouinciam, ex quo collatio eſt voluntariæ iuriſdictionis. Oldrad. *conſ. 3. num. 3.* qui expreſsè loquitur in Legato, *qui fil. ſint legit.* Capic. *deciſ. 203. nu. 14. & ſeqq.*

Neque eſt verum, quòd protonotarius non poterat creari niſi recepto priùs iuramento, quia præſtatio iuramenti refertur ad inſtitutionem, ex deductis in alia deciſione, quia Papa vtitur his verbis, *nonnullas facultates tribuendas duximus, &c. nec non vt & virtute præſtantes videlicèt clericos, in noſtros & ſedis Apoſtolicæ notarios accepto ab eis priùs ſolito iuramento, alios verò laicos in Palatij, & aulæ noſtræ Lateranenſis milites, &c. facta ab eis fidei profeſſione, &c. creãdi, recipiendi, & inſtituendi, &c.* Vnde ex iſta ſtructura verborum apparet, quòd gerundia ſunt poſita in fine totius clauſulæ, elegantiæ gratia, & quòd deberet fieri cõſtructio, *tribuendas duximus facultates creandi, recipiendi, inſtituendi notarios, præſtito priùs iuramẽto.* Et ſic cùm iuramentũ præſtetur de iure poſt aſſumptum officium, ex alleg. in alia deciſione, ordo ſcripturæ non attenditur, ſed ex iure ſumitur, quid agi intelligatur. Et hoc eſt quod lex dicit † or- 5
do ſcripturæ non impedit cauſam iuris & voluntatis, id eſt, certam diſpoſitionem, vel loquentis inten-

tionem,vt bene Oldr.*conſ.*314.*num.* 9. cũ allegatis in priori reſolutione. Quòd autem Capitulum haberet facultatem conferendi beneficia reſeruata, ſatis eſt ſublatum ex deductis in alia deciſione. Quibus addebatur, quòd dato etiam ſine veri præiudicio,quòd quando Epiſcopus gaudet alternatiua, poſſit conferre Dignitates, & Canonicatus vacantes in menſibus Febr.& Maij,adhuc remanentibus menſibus Martij, & 6 Iunij,Septembris & Decembris pro Capitulo, quod eſt conforme regulæ octauæ, adhuc non cenſeretur data facultas conferendi beneficia reſeruata ratione perſonæ, qualia ſunt beneficia protonotariorum, vt *in extrauag. ad regimen, de præb. in commun.* quæ innouatur per regulam primam Cancellariæ, quia in generali facultate conferendi non veniunt reſeruata. Franc.*in cap.*2.*nu.*3. *de præb.in* 6 Rot. *dec.*3.*de offic.leg. & dec.vlt.de præb.in nou.* Simonet.*de reſeru.quæſt.*81.

Neque obſtat clauſula,in qua derogatur conſtitutionibus Apoſtolicis, & reſeruationibus Dignitatum in Cathedralibus, & reſeruationibus facultatum conferendi reſeruata,quia adhuc non cenſetur data facultas conferendi beneficia vacantia per obitum protonotariorum, quia hoc non legitur,neque in principali diſpoſitione, neque in iſta clauſula,† quæ etiam cùm ſit in exequutiuis, non alterat principalem diſpoſitionem *Clem.*1. vbi Doctor. *de præbendis.*

ROMANA CENSVS.

Lunæ 28. *Aprilis* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Liberam habens diſpoſitionem,cenſetur habere dominium.*

2 *Dominium non poteſt eſſe apud duos in ſolidum.*

3 *Natura dictionis* tamen, *eſt reſtringere omnia præcedentia.*

DECISIO CCCCVI.

FVit reſolutum, cenſum ſpectare ad Amadutium, quia illum emit Liuius pro Vitellio, eiuſque hæredibus,ac ſucceſſoribus, ad liberam diſpoſitionem tamen Horatij Amadutij,tam quoàd ſortem,quã quoàd exactionem fructuum, & ipſemet Horatius ſoluit pecunias, mediante ordine directo Bancho. † Vnde ſequitur,quòd cẽſus ſpectat ad ipſum Horatium iure dominij, quia aliàs non potuiſſet de eo liberè diſponere,*l.in re mandata, C.mandat.*& conſiderat Anchar.*conſ.*127.*col.*1.*in fine, verſ. reſeruando namque,* & dixit in ſimili Rota in cauſa Romana Montium, 5. Nouembris 1576. coram S.M. Clemente 8. 1

Neque obſtat, quòd acquiſitio fuerit facta pro Vitellio, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, & ſic fuit ei acquiſitum dominium, † 2 quod non poteſt in ſolidum eſſe penes plures, ex alleg.per Signor.*conſ.* 75.*num.*9. quia in hoc caſu non fuit ſimpliciter Vitellio acquiſitum, cũ acquiſitio ſit pro Vitellio, eiuſque hæredibus,reſeruata tamen diſpoſitione Horatio,† cuius dictionis na- 3 tura eſt, reſtringere omnia præcedentia.Bald.*conſ.*195.*nu.*12.*verſ.*3.*& lib.* 2. Et ſic retorquetur motiuum quòd cum diſpoſitio & ſic dominium ſit penes Horatium,non poſſit eſſe penes Vitelliũ, cùm apud duos in ſolidum eſſe non poſſit.

Minùs obſtat,quòd cenſus videatur emptus de pecuniis Vitellij, quia de contrario conſtat ex ordine dato per Amadutium Bancho ad effectum emendi cenſum, neque ex

epiſto

epistolis constat, quòd tunc Horatius haberet in manibus pecunias Vitellij, & si constaret, necesse esset probare, quòd Amadutius de eis soluerit, & tunc videndum esset, si Vitellius voluisset donare Horatio, & si donatio sustineretur, vel aliàs resultaret aliqua simulatio, vt dici posset, censum spectare ad Vitellium.

CALAGVRITANA Beneficij.

Ven. 2. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Sententia interloquutoria dicitur, quæ non decidit negotium principale.*

2 *Sententia interloquutoria ex qua sequitur damnũ irreparabile, est mixta, vel saltem habet vim diffinitiuæ, & ab ea datur appellatio.*

3 *Gesta post appellationem sunt attentata.*

4 *Requisita ad appellationem à merè interloquutoria, vide remissiuè.*

5 *Clausula,* contradictores, *intelligitur de contradictoribus de facto, non autem de iure.*

6 *Contradictor de iure est, qui ius suum indicialiter prosequitur.*

Decisio CCCCVII.

FVit resolutum, quòd licèt sententia lata super eo quòd Ioannes non erat legitimus oppositor, esset interloquutoria,† quia nõ decidit negotium principale. Bal. *cons.* 344. *vers. in contrarium lib.* 1. Butr. *cõs.* 6. *in princ. vers. ad propositum.* † Nihilominùs cùm ex ea sequeretur damnum irreparabile, erat mixta, vel saltem habebat vim diffinitiuæ, vt per Butr. *d. cons.* 6. Et propterea ab ea dabatur appellatio, sicut à diffinitiua. Card. *cons.* 72. *num.* 11. & 12. *vers. ad aliud dubium,* Bald. *d. cons.* 344. *in fin. vers. ex his.* † Et propterea sequitur, quòd gesta post dictam appellationem sint attentata, *c. non solùm de appe. in* 6. *cum vulg.*

Neque facit, quòd ad effectum, quòd appellatio ab interloquutoria admittatur, plura debent concurrere, vt per Rom. *cons.* 501. *per tot.* quia conclusio est vera, quando appellatur à mera interloquutoria, secùs autem quando habet vim diffinitiuæ. Bal. *in l. minoribus, num.* 7. *vers. attende C. de his quib. vt indig.* cum aliis per Marant. *in prax. par.* 6. *cap. & quandoque appellatur, num.* 157.

Minùs etiam facit, quòd in Breui Sixti V. adsit clausula, *contradictores appellatione postposita compescendo,*† quia cùm posita in clausulis executiuis intelligatur de contradictoribus de facto, non autem de cõtradictoribus de iure, ex alleg. per Lanc. *de attent. app. pen. limit.* 8. *nu.* 41. Et fuit pluriès resolutum. Ioannes autem erat contradictor de iure,† quia coram Episcopo ius suum iudicialiter prosequebatur, vt fuit cõsideratum in causa Calaguritana beneficij, 18. Aprilis 1603, corã R.P.D. meo Lancellotto.

ASSISIEN. CENSVS.

Lunæ 5. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Census in quo non interuenit pecunia numerata est fœneratitius.*

2 *Simulatio non præsumitur sine causa simulandi.*

3 *Series facti multùm confert ad detegendam simulationem.*

4 *Ad ostendendam simulationem sufficiunt indicia, coniecturæ, & verisimilitudo.*

5 *Contractus in dubio non præsumitur simulatus, saltem ad effectum quòd allegans simulationem teneatur illam probare.*

Decisio CCCCVIII.

QVia secundùm ea quæ de nouo proponuntur, nouum responsum dare oportet. Et primum non mutatur, sed thema, vt inquit Bald. *in cons.*417.*nu.*4.*in fine, lib.*2.*& cons.* 52.*num.*2. *in fin lib.*3. Propterea ex nouiter deductis Rota censuit, pecuniam numeratam non interuenisse in constitutione census, de quo
1 agitur †Et per consequens esse fœneratitium, iuxta constitutionem s. m. Pij. Et vt euitaretur dicta constitutio, apparet de causa simu-
2 landi, † sine qua simulatio non præsumitur, *iuxta cons.* Bart.65.*sub*
3 *num.*4.pluriès canonizatum. † Attenta enim serie facti, quæ multùm facit ad detegendam simulationem, vt inquit Ias. *in l. Prætor,* §.*si initium, num.*3.*ff. de eden.* Dec.*cons.*544.*nu.*18. constat, dictam pecuniam numeratam non interuenisse. Nam de anno 1580. inita fuit societas de emẽdo animalia cum pecuniis Bartholomæi Rognoni emptoris census, de quo agitur inter ipsum Bartholomæum, Andream, & Petrum Paulũ, & postmodùm de anno 1584. paulo postquàm finita fuit dicta societas, Bognonus emit censum pretio scutorum 1500. super bonis Andrææ cum obligatione P. Pauli, quæ soluit partim in pecunia numerata, & partim in nominibus debitorũ, & animalibus, quæ ei obuenerant finita dicta societate pro dicto Capitale, & lucro. Et die 5. Septembris eiusdẽ anni fuit instrumentum secundę societatis aliàs initæ, finita prima, inter Andræam, & Petrum Paulum, super emendis, & vendendis animalibus, & asserebant in instrumento, iam fuisse exposita scuta 1500. in pecuniis, animalibus, & creditis. Quæ confessio satis arguit, fuisse exposita illa animalia, pecunias, & credita, quæ fuerunt habita à Bognono pro pretio census, & postmodùm septimo eiusdem mensis Septembris fuit extinctus dictus census, & illinc ad 7. dies alius creatus cum pecunia numerata, vt constabat ex attestatione notarij in præsentia testium, quæ satis probatur erronea; attenta dicta serie facti, ex quo postmodùm vigore istius societatis fuerunt exacta multa credita, quæ erãt in prima societate, & quæ Bartholomæus dederat Andrææ, & Petro Paulo pro pretio primi census, vt constat ex quietantiis existentibus penes debitores, & ex partitis librorum huius secundæ societatis. Vnde cessat ambigendi locus, quòd census fuerit extinctus ad effectum creandi nouum, cum fictione, quòd pecunia numerabatur ad euitandam constitutionem Pij V.† Cùm aliàs ad ostẽ- 4
dendam simulationem sufficiant etiam indicia, & coniecturæ, & verisimilitudo, vt dicit Aym. *in cons.*156. *nu.*7.*& seqq.*

Neque obstat, quòd in dubio cõtractus non præsumatur simulatus, & maximè cùm in hoc casu constet, post emptionem secundi census animalia fuisse empta, quia hoc est verum ad effectum, quòd allegans simulationem, illam teneatur probare, prout videtur probata ex prædictis. Quæ probatio non eliditur ex dicta emptione animalium, quæ potuerunt emi ex pecunia numerata data in censu, & ex pecuniis quæ redigebantur ex animalibus, quæ dietim vendebantur, vt constat ex partitis librorum huius secundæ societatis.

Et

Et ſic concluſum pro ſimulatione.

VITERBIEN. EIDEI-commiſſi.

Lunæ 5. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *In reſtitutione fideicommiſſi attendendus eſt valor de tempore obitus grauantis, non grauati, vbi vide de bonis Drogheriæ.*

2 *Qui commodum ſentit, ſentire etiam debet incommodum.*

3 *Hæres, vel eius procurator, non tenetur aliquid lucrari vel negotiari in gratiam fideicommiſſarij, nu. 4.*

5 *In fideicommiſſis reſtituendis veniũt ea quæ erant in hæreditate de tempore obitus grauantis.*

6 *Fructus fideicommiſſi percepti per hæredem grauatum, pendente conditione non reſtituuntur.*

7 *In fideicommiſſo vniuerſali vna res, vel quantitas ſuccedit loco alterius rei, vel quantitatis.*

8 *In reſtitutione fideicommiſſi vtenſilium, & mobilium, ceſſante fraude, & dolo, attenditur tempus purificati fideicommiſſi.*

DECISIO CCCCIX.

DVbitaui, an in reſtitutione drogheriæ, eſſet attendendus valor de tempore obitus grauati, an 1 verò grauantis. † Et Rota cenſuit, eſſe attendendum tempus obitus grauantis, & non grauati, quia genus, aut quantitas in genere eſt in fideicommiſſo, non ſpecies vel merces, quæ reperiebantur in drogheria tempore obitus grauati, aut quæ quolibet tempore reperirentur. Ita quòd fideicommiſſum creſceret, & decreſceret, ſicut peculium, *l. ſi ita, ff. de aur. & arg. l. Aurelius, §. teſtamento, ff. de liber leg. l. ſi ita ſcripſiſſet, ff. de leg. 2.* Et eſt bonus tex. *in l. hac edictali, §. mobilium, C. de ſecund. nupt.* Bald. *conſ. 135. primò caſanas, num. 1. lib. 1.* Cùm enim agatur de drogheria, cuius bona non fuerunt ſubtracta, ſed in vtilitatem grauati conuerſa, † æquum eſt, vt cùm his ſuo 2 commodo negotiaretur, ita & ſuo periculo, *l. ſi ſocius, §. 1. ff. pro ſoc. l. manifeſtiſſimè, §. ſed cùm in ſecunda, C. de furt.* Et ratio ſuadet, quòd ſicut commodũ non ſpectabat ad fideicõmiſſarium, ita nec damnum, vt in puncto conſiderat Bald. *alleg. conſ. 135. num. 1. verſ. prætereà iſte Titius, & in fine, verſ. prætereà cum ratio eadem.* † 3 Hæres enim non tenetur negotiari, & aliquid lucrari in gratiam fideicommiſſarij. Doct. *in l. deducta, §. ante diem,* vbi Alex. *num. 2. ff. ad Trebel.* † 4 Nec eſſe eius procurator, *l. poſtulante, §. ſed in huiuſmodi, in fine, ff. eodem titulo.* † Et hæc eſt regula generalis, 5 quia in fideicommiſſis reſtituendis veniunt ea quæ erant in hæreditate de tempore obitus grauantis, *l. 3. ff. ad l. falcid. l. debitor, §. fin. l. in fideicommiſſariam, §. quoties, & l. ita tamen, §. 1. ff. ad Trebel.* vbi fructus, pendente 6 fideicommiſſi conditione percepti ab hærede grauato non reſtituuntur fideicommiſſario, quia non hæreditati ſed bonis accepto feruntur.

Neque obſtat, quòd verſemur in 7 fideicõmiſſo vniuerſali, & in vniuerſalibus vna res, vel quantitas ſuccedit loco alterius rei, vel quantitatis, *l. Imperator, §. fin. cum l. ſequenti, ff. de leg. 2. l. cùm tabernam, ff. de pign.* Bald. *dicto conſ. 135. num. 1. verſ. in contrarium,* quia hæc non faciunt ad punctum. Eſſent enim conſideranda, ſi merces quæ extabant in drogheria, fuiſſent ſuppoſitæ, & non genus, aut quantitas in genere. Tunc enim eſſet videndum, an deſiiſſent ex-

tare facto,dolo,aut culpa ipſius hæredis grauati, vel naturaliter, quos caſus conſiderant Doctores,& ampliant,& limitant.

8 Non obſtat, quòd aliquando attẽditur tempus obitus grauati,quia concluſio procedit quoàd vtenſilia, & mobilia domus, quæ reſtituenda ſunt de tempore purificati fideicõmiſſi,modò non adſit dolus,& fraus grauati, quia illarum rerum vſus cenſetur permiſſus à teſtatore. Et in his terminis loquitur deciſio Foroliuien.fideicommiſſi 13. Nouembris 1595.coram bo.me. Litta.

An autem conſtet, drogheriam fuiſſe verſam in aromatariam, erit particulariter agendum.

BONONIEN. RESIdui Pretij.

Ven. 9. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio aratiua, vitata, & pratiua dicitur, etiam illa, in qua vna ex dictis qualitatibi verificatur.*

2 *An venditione facta ad corpus adiecto numero tornaturarum, ſi numerus non verificatur, id quod deficit debeat excomputari.*

3 *Emptor retinens rem, & pretium, tenetur ad fructus recompenſatiuos.*

DECISIO CCCCX.

FVit reſolutum, plagam,ſeu Berledam eſſe computandam in numero tornaturarum venditarum: neque eſſe faciendum aliquod defalcum pro tornaturis deficientibus, excepta illa quæ fuit euicta, fructus autem deberi iuxta terminos *l.curabit,C.de act.empt.*Quantum enim attinet ad plagam ſeu Berledã, cùm veniat in venditione, iuxta reſolutionem factam coram me, 29. Febr.præteriti, debet quoque computari in numero tornaturarum vẽditarum, ad faciendum numerum, cùm fuerit vendita poſſeſſio terræ arboratæ,vitatæ,& pratiuæ,& ſufficit quòd aliqua ex dictis qualitatibus verificetur in Berleda, † quia 1 impoſſibile eſt,vel ſaltem non contingens,quòd omnes qualitates verificentur in qualibet gleba, vt per Alex.*conſ.*120.*num.*10.*lib.*2.Et quantùm attinet ad tornaturas deficientes,excepta illa quæ fuit euicta,non eſt facienda aliqua defalcatio; quia cùm ſit in confeſſo apud partes, quòd venditio fuit facta ad corpus, non ad menſuram, licèt fuiſſet enunciatum,eſſe tornaturam 100.& reperiatur eſſe tornaturarum 97.tamen tornaturæ deficientes non debent excomputari, † quia quicquid 2 ſit de illa quæſtione, an in puris terminis venditionis factæ ad corpus à dicto numero tornaturarum, ſi numerus non verificetur, id quod deficit debeat excomputari, de qua per Surd. *dec.*64.*nu.*11. *& ſeqq.* hic ceſſat omnis difficultas,propter verba adiecta in inſtrumento, *& quantacumque ſit,* vt fuit latè deductum 14. Aprilis 1603. coram R.P.D. Ludouiſio,in hac cauſa.

Quantùm verò ad fructus recõpenſatitios, ad illos tenetur Macchiauellus, cùm habuerit rem, & pretium, ad quod ſoluendum nulla erat data dilatio. Bald. *in l.*2.*num.*7. Caſtr.*num.*1.*C.de vſur.*Dec.*conſ.*119. *col.*3.*verſ.*6.*adduci poteſt.* Pariſ. *conſ.* 60.*num.*26.*& ſeqq.lib.*1.Soc.ſen.*conſ.* 176.*col.vlt.num.*11.*lib.*2.

SPO

SPOLETANA DOTIS.

Ven. 9. Maij 1608.

SVM·MARIVM.

1 *Confessio de dote recepta facta ante matrimonium, præsumitur facta spe futuræ numerationis.*
2 *Exceptio non numeratæ dotis, post biennium opponi non potest.*

Decisio CCCCXI.

QVoàd scuta mille, de quibus in Capitulis matrimonialibus, Rota censuit esse debita Franciscæ pro sua dote. Guidobaldus enim in iisdem capitulis fassus est, habuisse, & recepisse à socero ducatos auri
1 mille. † Vnde licèt confessio receptionis dotis facta sit ante matrimonium, & propterea præsumatur facta sub spe numerationis, quo casu habet locum titulus de dot. caut. non num. Io. And. *in addit. ad Specul. in rubr. de donat. inter vir. & vx. in vlt. memb.* Bald. *in l. penult. §. mulier, num. 1.* vbi etiam Angel. *num. 1. ff. sol. matr.* Alex. *cons. 142. num. 5. lib. 5.* Aret. *cons. 86. num. 2. & 3.* Bald. Nouel. *de dot. 10. par. num. 7.* Socin. *in l. 1. num. 75. ff. sol. matr.* & de magis communi opinione Doctorũ testatur Couar. *var. res. lib. 2. cap. 7. num. 6. vers. est item*
2 *hoc in tractatu.* † Tamen cùm sint elapsa tempora opponendi exceptionem non numeratæ pecuniæ, mulier potest petere dotem confessatam, vt dicũt DD. præcitati. Quòd autem non competat exceptio non numeratæ dotis, satisparet, quia matrimonium durauit vltra biennium, licèt non vsque ad decennium, & tamen nec maritus, nec post eius obitum illius hæredes intra tempus à lege præfixum, opposuerunt de nõ numerata dote, vt habetur *in auth. quod locũ habet C. de dot. c. non aut. num.* † Et hæc, dicebant Domini sufficere, absque eo quòd videretur, si ex coniecturis constabat, confessionem non fuisse factam sub spe futuræ numerationis.

Quoàd alia scuta mille de quibus in literis Cambij factis constante matrimonio, erit particulariter videndum.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 12. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio datur ad statum in quo deponens erat ante factum depositum.*
2 *Clausula* sine præiudicio iurium *facta in depositio, præseruat ius, non tamen tollit mentem à facto.*

Decisio CCCCXII.

CVm Cæsar de Amannis cesserit ad fauorem suorum creditorum bona sua, inter quæ adest census de quo agitur, qui fuit à diuersis creditoribus exactus, & præsertim à Ioanne Paulo Guidotto, nomine suorum filiorum hæredum hæredis Bargini, mediante depositio facto à sororibus de Amannia, ad effectum soluendi creditoribus Cæsaris, data cautione de restituendo prioribus, & potioribus. † Domini 1
dixerunt, quòd creditoribus, & Guidottis ipsis, qui etiam sunt creditores, danda erat restitutio ad statum, vt scilicèt pecuniæ deponerentur, soluendæ creditoribus, data dicta cautione, ex alleg. per Afflict. *decis. 395. num. 4.* Put. *dec. 32. de restitut. spol.*

Neque obstat, quòd depositum fuerit factum sine præiudicio iuriũ suorum de Amãnis, quia ista protestatio

ſtatio præſeruat ius in petitorio ſororibus, ſed non interim impeditur reſtitutio ad ſtatum, cùm ſit adiecta tantùm ad præſeruandum, & non ad tollendum mentem à facto. Oldrad. *conſ.* 330. *in fine* Sarn. *in reg. de iur. quæſ. non tollend. quæſt.* 1. *in fine* Caput. *dec.* 282. *lib.* 1. *in manuſcr.*

PAMPILONEN. DE Ianzi.

Ven. 23. *Maij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Intruſus in noua gratia debet facere mentionem de fructibus perceptis. Declara, vt hoc non procedat, quando fructus debentur tertio, maximè ſi ſuper hoc fuerit condemnatus, nu.* 3.

2 *Ignorantia iuris admiſta cum facto ſemper excuſat.*

4 *Gratia non valet, non facta mentione rei iudicatæ.*

5 *Gratia non valet, non facta mentione intruſionis, ſaltem virtualiter, num.* 10.

6 *Intruſio probatur, ex quo probatur poſſeſſio capta lite pendente.*

7 *Subreptitia non dicitur gratia, in qua res non eſt expreſſa, de qua Papa potuit cogitare.*

8 *Vera intruſio propriè eſt perceptio fructuum.*

9 *Regula* de ſubrogando *obſtat intruſo qui percepit fructus.*

Decisio CCCCXIII.

DIcebatur, gratiam Antonij non ſuſtineri; tum quia non fecit mentionem, quòd fructus percepit, tùm quia non narrauit, ſe eſſe intruſum. Quantùm attinet ad primam difficultatem, licèt intruſus debeat facere mentionem perceptionis fructuum in noua gratia, ex deductis in deciſione facta, ſub die 26. Octobris præteriti. Tamen Rota cenſuit, prout & in illa deciſione, quòd Antonius eſſet excuſandus, † quia regula illa 1 non procedit, quando fructus debentur tertio. Caſſad. *deciſ.* 6. *num.* 6. *& dec.* 7. *de præbend.* cum allegatis in dicta deciſione. Et licèt dicatur, quòd in caſu iſto fructus propriè tertio non deberentur, ſed Cameræ; quo caſu non intrat deciſio Caſſad. quæ fundatur in eo, quòd mentio non eſt facienda quando fructus debentur tertio, quia impetrans duplici diſpendio afficeretur, componendo cum Camera, & ſoluendo tertio. Tamen, quicquid dicendum ſit, ad quem fructus ſpectarent, in caſu iſto hodie agitur de ſola excuſatione, ad quam admittendam ſatis eſt, quòd Antonius eſſet condemnatus in ſententiis Rotalibus ad fructus reſtituendos, & quòd eſſet inſtrumentum liquidationis cóceſſum in partibus. Vnde veriſimiliter poſſet credere, fructus ſpectare vel ad Ferdinandum ſubrogatum in iuribus Ioannis defuncti, vt dicitur in alia deciſione, vel ad alios.

Neque hîc eſt agendum, ad quem verè dicti fructus de iure ſpectarent in caſu iſto, ſed ſufficit, quòd ſtante condemnatione, Antonius poſſet de hoc dubitare, †quia ignorantia iuris 2 admixta cum facto ſemper excuſat. Rota *deciſ.* 3. *de præſcript. in nou. Ægid. deciſ.* 704. *num.* 1. Doctores cómuniter, *in cap. de quarta: de præſcript.* † Tanto magis, quia interueniebat 3 authoritas iudicis, qui in ſententia ipſum condemnauerat ad fructus, Butr. *conſ.* 18. *in fine.* Et in terminis noſtris eſt deciſio Caſſad. 6. *num.* 9. Et in ſimili fuit etiam reſolutum in cauſa Salamantina dimidiæ portionis, 1. Aprilis 1591. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.

Quan

4 Quantum attinet ad ſecundam difficultatem, licèt verum ſit, quòd gratia non valebat, non facta mentione rei iudicatæ contra ſe reportatæ, vt per Alex. *conſ.42. nu.1.lib.4.* prout non valet non facta mentione intruſionis, Fel. *in cap. in noſtra, num.10. corol.2.de reſcr.* Gabr. *de acq.* 6 *poſſeſſ.concl.4.n.5.verſ.3.amplia,* †quia intruſio ſatis oſtenditur, ex quo poſſeſſio fuit capta lite pendente. Ferret.*conſ.12. num.11. verſ.nddo ad ea.* Tamen hæc non obſtant, nam reſpectu trium ſententiarum, non intrat fundamentum intruſionis, quia de tempore gratiæ Antonius non reportauerat contra ſe dictas ſententias, ad fauorem Ferdinandi. Reſpectu verò poſſeſſionis captæ lite pendente, quicquid dicendum ſit, an Antonius propterea dici poſſit intruſus, ſatis de hac intruſione fuit facta mentio, cùm in gratia narrauerit, inſtitutionem, & poſſeſſionem 7 lite pendente ſibi factam fuiſſe. † Vnde ſatis eſt ad tollendum ſubreptionem, quòd Papa in gratia de intruſione potuerit cogitare. Lap. *alleg. 89.num.6. verſ. item licèt taciturnitas, & num.7.* Aym. *conſ.79.num.8.* Et fuit pluriès reſolutum. Nec Papa potuit intelligere in hoc caſu de poſſeſſione legitima, iuxta deciſionem Oradini in cauſa Pampilonen. Prioratus 3. Iunij 1569. quia expreſsè fuit narratum, poſſeſſionem captam lite pendente, & in clauſulis generalibus adeſt, quòd Antonius poſſit expedire gratiam, *ſi neutri*, vel *ſi nulli*. Vnde Papa veriſimiliter potuit cogitare de intruſione Antonij.

Nequè obſtat, quòd Papa potuit cogitare quidem de poſſeſſione, ſed 8 non de perceptione fructuum, † quæ propriè eſt vera intruſio, vt per Gig. *de intruſ.num.70.* quia Gig. loquitur ad effectum regulæ de ſubrogandis. † Vt enim obſtet illa regula intruſo, dicit, quòd debet eſſe intruſus cum perceptione fructuum, ſed non firmat, quòd qui fructus nō percepit, non ſit intruſus, imò cōtrarium dicit. Sed hæc non alterāt caſum noſtrum, in quo dicendum eſt, ſatis eſſe quòd fuerit facta mentio virtualiter intruſionis, quia quoàd fructus, ſi erant debiti tertio, nulla erat facienda mentio, ſi Cameræ poterat fieri compoſitio, & vtcumque ſit, vt dictum eſt, Antonius venit excuſandus.

CALAGVRITANA DECIMARUM de Tritoi.

Ven. 23. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ſine citatione eſt nulla.*
2 *Tempus futurum non trahitur ad præſens, nec in præſenti verificatur.*
3 *Tempus certo modo determinatum, alterius temporis functionem non recipit.*
4 *Sententia per productionem iurium circumducitur, & habetur pro cancellata.*

DECISIO CCCCXIV.

ROta cenſuit, vtramque ſententiam de partibus eſſe nullam ex defectu citationis ad ſententiam, † 1 quæ de iure neceſſariò requiritur, *Clem. ſæpe*, vbi gloſ. *in verb. ad id, de verb.ſignif.l.1. §.item cùm ex edicto, ff. quæ ſent. ſin.appel.reſcind.* Qui defectus non poteſt ſaluari propter cōcluſionem in cauſa, iuxta ſtylum illarum partium, quia reſpectu primæ ſententiæ nulla adeſt cōcluſio. Nam & ſi procurator Capituli petierit, in cauſa concludi, & iudex habuerit

petitionem pro præſentata, & mãdauerit, dari copiam actorum alteri parti, ad effectum reſpondendi, & ſi non reſponderit, procedet ad concluſionem cauſæ, & articulum de iure debitum, non ideo ſequitur, quòd in cauſa concluſerit, quinimò ſi procedet ad concluſionem cauſæ, ſequitur, quòd nõ habuerit cauſam pro concluſa, *l. ſterilis, §. ſi ſibi fundũ, ff. de act. empt. l. qui fundum, ff. de contr.*
2 *empt.* † Tempus enim futurum ad præſens nõ trahitur, nec in præſenti verificatur, *l. cedere diem,* iuncta gloſ.
3 *in verb. pendente, ff. de verb. ſignif.* † Et tempus certo modo determinatum alterius temporis functionem non recipit, *l. vſusfructus mihi in biennium, ff. de vſufr. legat.*
4 Quantum attinet ad ſecundam ſententiam, licèt iudex in cauſa concluſerit, tamen cùm iſta concluſio fuerit circumducta per productionẽ iurium, Rot. *deciſ. 1. de teſtibus, in nou.* Alex. *conſ. 84. num. 9. lib. 4.* non poteſt ſuffragari, quia debet haberi pro cancellata, *l. & poſt edictum, §. circumducto, ff. de iudic. l. acta,* & ibi gloſ. *in verbo circumduci, ff. de re iudic.* Nec ſuſtineri poteſt, ex quo dicatur lata partibus præſentibus, quia de præſentia partium non conſtat, licèt iudex poſt ſententiam promulgatam mandauerit partibus intimari, ſed non partibus præſentibus, ſed teſtibus præſentibus.

BONONIEN. SERICI.

Ven. 30. *Maij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Mediator de proprio facto deponens pluſquàm ſemiplenè probat.*
2 *Teſti proxenetæ quando agitur de perficiendo, aut tractando actum, non creditur, ſecùs quando agitur de probanda qualitate actus iam perfecti.*

DECISIO CCCCXV.

DOmini reſoluerunt, Cæſarem de Lettis emiſſe ſericum nomine Occellorum, & non nomine proprio. † Quod probatur ex dicto 1
mediatoris, qui, cùm deponat de facto proprio, pluſquàm ſemiplenè probat. Aym. *conſ. 178. num. 7.* Cæſ. de Graſ. *deciſ. 2. in fine, de empt. & vend.* Et propterea concurrentibus inſuper circumſtantiis facti, probat concludenter. Io. Andr. *in cap. fin. num. 4. ad finem, de ſucceſ. ab inteſt.* Cæſ. de Graſ. *deciſ. 3. num. 6. de probat.* Hic autem ſatis concurrunt circumſtantiæ facti, quia poſtmodùm Occelli fecerunt apochas crediti venditoribus ſerici, in quibus conſtituebant ſe debitores, & poſt decoctionem Occellorum aliqui ex eis egerũt in iudicio, & obtinuerunt, ſe graduari, & prædicta etiam corroborantur ex dicto cuiuſdam religioſi, licèt deponat de auditu.

Non obſtat, quòd teſtis qui deponit de facto proprio, fuerit proxeneta, cui non creditur: † quia con- 2
cluſio procedit, quando agitur de perficiendo, aut retractando actum, ſecùs autem quando agitur de qualitate actus iam perfecti. Alex. *conſ. 127. in fine, lib. 7.* Gabr. *de teſtib. concluſ. 20. num. 8.* Rot. Gen. *deciſ. 188. num. 9.*

Minùs facit, quòd in libris gabellæ ſericum fuerit deſcriptum ſub nomine Letti, quia nihilominùs ex prædictis manifeſtiſſimè apparet, quomodò negocium ſe habuerit, & propterea illa deſcriptio non debet nocere veritati negocij, ex alleg. per Surd. *conſ. 80. nu. 2.*

OVE

OVETEN. MERCEDIS.

Ven. 30. Maij 1608.

SVMMARIVM.

1 *In taxatione salarij est attendenda qualitas personarum, industria, & peritia.*

DECISIO CCCCXVI.

CVm Capitulum non neget, salarium esse debitum domino Quinones, prout etiam pluriès fuit firmatum, sed solùm discordia sit circa quantitatem, Rota censuit, nõ posse fieri vim super decreto reuocationis D. Guinones, cum assignatione salarij scutorum 50. quia ista assignatio fuit facta post reuocationem, nec constat de aliqua acceptatione, sed domino Guinones deberi salarium ad rationem ducatorum 100. annuorum, iuxta resolutiones aliàs factas, quia dato etiam, quòd non constaret de aliqua promissio-
1 ne quantitatis, † nihilominùs cùm hoc casu sit attendẽda qualitas personarum, industria, & peritia, vt dicit Bald. *cons.* 155. *in fin. lib.* 5. habita ratione ad dictas qualitates D. Guinones, hæc quantitas non videbatur excessiua, sed multùm conueniens.

ROMANA SPOLII.

Merc. 4. Iunij 1608.

SVMMARIVM.

1 *In spolio vigore Ægidianæ non datur appellatio, nisi notoriè constet de grauamine, nu. 9.*

2 *Index iniustè procedens, non priuat possessione.*

3 *Possessor de tempore litis motæ, est manutenendus, etiamsi contra ipsum lata sit sententia, à qua tamen bene appellauit, nu. 9.*

4 *In concursu possessio ciuilis anterior præfertur naturali posteriori.*

5 *Iuramentum calumniæ petitum, & non præstitum, annullat sententiam.*

6 *Mandatum generale, cum clausula ad iurandum de calumnia, ex communi obseruantia admittitur.*

7 *Sententia lata sine probationibus, est notoriè nulla, contra* Afflict. dec. 28.

8 *Sententia restitutoria, in causa appellationis potest ex nouiter deductis iustificari.*

DECISIO CCCCXVII.

HErcules vigore mãdati ad eius fauorem relaxati à primo Collaterali, obtinuit pro eius credito immitti in eius possessionem molẽdini. Et cùm postmodùm Octauianus introduxerit iudiciũ spolij corã Camerario, & obtinuerit, Hercules, introducta causa in Rota, petebat manuteneri. Et Domini censuerũt, esse manutenendum, † quia licèt vi- 1
gore Ægidian. in spolio non sit dãda appellatio, & propterea non possit iuuari summariissimo possessorio, cùm sententia sit lata in plenario. Menoch. *de retinen. remed. vlt. nu.* 59. tamen secùs est, si notoriè constat de grauamine, quia tunc datur appellatio, vt sunt verba formalia cõstitutionis, quæ refert etiã Corn. *cons.* 10. *in princ. vers. item præsupponendum est, lib.* 4. & dicit Put. *decis.* 4. *de Ægidian.* Et fuit pluriès firmatum in Rota. Hìc autem constat, sententiam esse nullam, & notoriè iniustam ad effectum de quo agitur. † Et ideò Hercules non fuit sua 2
possessione priuatus, vt per DD. *in l. clàm possidere, §. qui ad nundinas, ff. de acquir. possess.* † Vnde debet manute- 3

4 neri, §. *hodiè, inſtit. de interd.* † quia in concurſu præfertur ciuilis poſſeſſio anterior naturali poſteriori, ſecundùm opinionem quam Rota ſeruat, & ſentit Menoch. *loco allegato.*

5 Nullitas enim ſatis concludenter deducitur, ex quo fuit petitum iuramentum calumniæ, & non præſtitum, *cap.1. de iuram. calum. in 6.* vbi Franc. *nu.4.* Rot. *dec.2.de iuram. cal. in antiq.* Put. *dec.398. lib.2.* Nec alia pars poteſt iuuari, ex quo iuramentum fuit præſtitum in terminis ſubſtantialibns, ſecundùm opinionem quam Rota aliàs amplexa fuit, quia nedum non conſtat de mandato ſpeciali Pompeij qui illos ſeruauit, ſed nec de aliquo mandato generali ad lites, cum clauſula ad iu-

6 randum de calumnia, † quod (quicquid de rigore iuris,) ex communi obſeruantia admitti, & ab ea non eſſe recedendum, dicit Bart. *in l.qui bona, §.ſi alieno, num.7.ff.de dam.infect.* Matheſil. *ſing.149. incip. nota quod,* Gail. *obſeru.83. nu.3.in fine & nu.4. lib.1.*

7 Notoria verò iniuſtitia deducitur, ex quo ſententia fuit lata ſine probationibus. Gem. *conſ.76.num.6. verſ. dicitur inſuper,* Anchar. *conſ.37. num.2.lib.5.& 313.num.2.verſ.ſed ponamus, eodem libr.* Gabr. *in tit.de ſent. concl.9.* vbi de magis communi. Et hanc ſententiam ſequitur Rota, reiecta deciſione Afflict.28.quæ vult, iudicem potuiſſe aliunde ſe informare, vt per Chiſſan. *deciſ.179. in manuſcr.* & fuit ſæpiùs dictum. In hoc enim caſu nullæ fuerunt factæ probationes, quia nec acta facta in Capitolio fuerunt tranſportata, vel producta ad effectum iurium, etiam Rota reſoluit, ex deductis coram Camerario non conſtare de primo extremo.

Neque releuat, quòd hodie ex teſtibus, & aliis, conſtat de primo extremo Octauiani, & regula ſit, quòd in cauſa appellationis non deducta deducam, &c. & in ſpecie, † quòd 8 ſententia reſtitutoria poſſit ex nouiter deductis iuſtificari, eſt deciſio Veral.115. *lib.3.* Et in omnem euentum cõſtat de tranſportatione actorum; Quia fuit reſponſum, regulam præfatam eſſe veram, ſed non applicari; quia hodiè non agitur de iuſtificatione ſententiæ, ad effectum quòd poſſit cõfirmari, prout loquitur Veral. ſed agitur ad effectum iuſtificationis appellationis, an eſſet admittenda, vel ne; & ad hoc quòd dum agitur ſuper iuſtificatione ſententiæ fit danda manutentio. † Et 9 ad hunc effectum ſufficit Herculi, quòd deberet admitti appellatio, ex quo ſententia illa non iuſtificatur ex actis, vt bene videtur dicere Corn. *dicto conſ.10. num.2. verſ.acta autem cauſæ, lib.4.* Hinc Bald. in iſtis terminis dicit, quòd deferendum eſt appellationi, quando eſt aliqua, vel aliquabilis *in conſ.367.in princ.lib.1.* & aliàs geſta appellatione pendente, debent reuocari. Idem Bald. pariter in iſtis terminis, *conſ.379.num. 10. lib.1.* Et fuit reſolutum in cauſa Farfen. bonorum, 16. Ianuarij præteriti coram Reuerẽdiſſimo D. meo Decano. Et prædicta nituntur maxima æquitate, quia aliàs per indirectum tolleretur Herculi defenſio, qui, ſi vidiſſet aliam partem iura ſua producere coram Commiſſario; etiã ipſe iura ſua deducendo, potuiſſet ſe defendere. Quantum verò attinet ad tranſportationem actorum, vel productionem, de ea in actis non conſtat. Vnde apparet, confeſſiones Herculis, quòd acta eſſent producta eſſe erroneas, maximè cùm fuerint factæ in quibuſdam proteſtatio-

ſtationibus, in quibus aſſerebat, cõſtare de iure ſuo ex proceſſu in actis producto, quæ fuerunt incidenter factæ, & poſſunt habere alium ſenſum.

TARRACONEN. Attentatorum.

Merc. 4. Iunij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Inhibitione pendente, nihil eſt innouandum.*
2 *Regula, qui continuat non attentat, fallit quando cauſa ſuper ipſa continuatione committitur.*
3 *Iudex ex officio poteſt reuocare attentata.*
4 *Reuocatio attentatorum, quoàd præterita, habet vim poſſeſſorij recuperandæ, quoàd futura, retinendæ.*

DECISIO CCCCXVIII.

CVm Capitulum vigore ſpecialis Commiſſionis fuerit inhibitum, ne aliquid innouaretur, circa priuationem officiorum, & tamen ſecùs fecerit; Rota cenſuit, conſta-
1 re de attentatis, † quia inhibitione pendente, nihil eſt innouandum; neque Capitulum poteſt iuuari ex
2 regula, *qui continuat, &c.* † quia fallit, quando cauſa expreſsè ſuper cõtinuatione ipſa committitur. Rip. *in cap. cùm M. Ferrarien. nu. 193. ante finem verſ. ad iſtud reſpondeo, de conſtit.* Et hæc de plano procedunt reſpectu D. Chriſtophori, quia conſtat de mandato illius qui præſentauit cõmiſſionem, & etiam reſpectu Pauli. Licèt enim nec ipſe, nec eius anteceſſor eſſet in cauſa, tamen cùm cauſa fuiſſet commiſſa nomine Dignitatum, & generaliter inhibitum Capitulo, ne aliquid innouaret circa
3 diſtributionem officiorum, † iudex poteſt ex officio reuocare attentata, cùm eius maieſtas ſit læſa. Caſſad. *dec. 3. nu. 6. de reſtit. ſpol.*

Neq; obſtat, quòd cùm huiuſmodi officia ſint annalia, non eſt in quo detur manutentio dictis Dom. Chriſtophoro, & Paulo. cùm dubiũ diſputetur ad hunc effectum, † quia 4
fuit reſponſum, quòd cùm reuocatio attentatorum, quoàd præterita, haberet vim poſſeſſionis recuperandæ, quo verò ad futura, retinendæ, vt per Oldr. *conſ. 206. nu. 4. verſ. nunc autem*, poterit in futurum dari manutentio, in præteritum verò cogi Capitulum ad reſtituendum quod percepiſſent dicti actores, ſi minimè priuati fuiſſent.

BONONIEN. FIDEIcommiſſi de Mangiolis.

Lunæ 9. Iunij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Subſtitutio reciproca, quæ etiam breuiloqua dicitur, ſub ſe continet directas ſubſtitutiones, non autem fideicommiſſarias.*
2 *Subſtitutio compendioſa cõtinet fideicommiſſariam.*
3 *Subſtitutio reciproca, quando adeſt clauſula codicillaris per verba futuri temporis, cõtinet etiam fideicommiſſariam.*
4 *Verbum* ſubſtituo *eſt commune.*
5 *In dubio verba directè debent intelligi.*
6 *Verba* non valebit, *poſita in hac clauſula codicillari*, ſi non valet, vel valebit iure teſtamenti, &c. *non ſunt reſtricta ad aliquod tempus.*
7 *Verba* ſi ſine filiis deceſſerit, *poſita in ſubſtitutione denotant tractum temporis, & an & quando*

ſubſtitutio reciproca dicatur coniuncta cum compendioſa.

8 *Verbum*, deſcendentes, *eſt collectiuũ plurium.*

Decisio CCCCXIX.

COmes Hercules ſenior inter alia legauit Octauiano filio illegitimo, & ſucceſſiuè eius filiis, & deſcendentibus maſculis legitimis, & naturalibus ex eius filiis legitimis, quatenus extarent, & præſertim Herculi nepoti naturali ex Bartholomæo filio legitimo, & ſucceſſiuè eorum filiis & deſcendentibus maſculis legitimis, & naturalibus, & dictos Octauianum, & alios filios filiorum præfatos, & illorum deſcẽdentes inuicem ſubſtituit.

Hoc ſtante, dubium eſt, an Hercules & eius deſcendentes ſint actiuè vocati ad portionem Octauiani, & quatenus ſit, an etiam paſſiuè.

Quantum attinet ad primam difficultatem, Rota cenſuit, affirmatiuè eſſe reſpondendum. Nam licèt hîc ſimus in ſubſtitutione reciproca, † quæ & Breuiloqua à Doctoribus appellatur, ex allegatis per Illuſtriſſimum Mantic. *de coniect. vlt. vol. tit. 4. num. 1.* quæ continet in ſe tantùm directas ſubſtitutiones, non autem fideicommiſſarias, *l. iam hoc iure, verſ. ſed ſi aliter*, ibi, *in vulgarem tantummodo caſum*, & ibi notant DD. cõmuniter, *ff. de vulg.* Et ratio eſt, quia fit ſimpliciter, & non habet tractum futuri temporis, itaut plura tempora complectatur, † prout habet compendioſa, quæ continet fideicommiſſariam. Iaſ. poſt Bart. *in l centurio, num. 52. ff. de vulg. & pupil.* Illuſtriſſimus Mantica *vbi ſupra, nu. 5.* Tamen ſecus dicendum eſt in caſu iſto, ex pluribus, & præcipuè, quia in hoc teſtamento adeſt clauſula codicillaris per verba futuri temporis. † Vnde certum eſt, ſubſtitutionem reciprocam continere etiam fideicommiſſariam Caſtr. Corn. & alij *in l. ſi frater, ff. de fideicom.* illuſtriſſimus Mantica *vbi ſuprà num. 9. verſ. ſed cõtrariam ſententiam*, vbi de communi, & magis communi. Et hoc probatur euidentiſſima ratione, ſecundùm Grat. *in c. 8. num. 13. lib. 2.* † Nam verbum *ſubſtitutio* eſt commune, & aptum cõprehendere tam directam, quàm obliquam ſubſtitutionem, & ex eo regulariter comprehendit directam, † quia in dubio verba directè debent intelligi, quod ceſſat, ſtante clauſula codicillari, per quam diſponitur, † quòd ſi teſtamentum non valet, vel valebit iure teſtamenti, valeat iure fideicommiſſi. Quæ verba ſignificant, quòd ſi non valet, vel valebit iure directo, valeat iure fideicommiſſi, quæ verba, *vel non valebit*, non ſunt reſtrictiua ad aliquod tempus, & ideò ſi adita hæreditate expirauit vulgaris directa, tunc valebit vt fideicõmiſſaria, vt benè & eleganter per Soc. ſen. *conſ. 6. num. 5. vol. 3.*

Et hoc etiam ex aliis apertiſſimè deprehenditur, quia ſublato de medio Hercule, & eius filiis, & morientе Octauiano ſine filiis, ſubſtituit filios legitimos ipſius teſtatoris, quo caſu ſubſtitutio reciproca dicitur coniuncta cum compendioſa, quia illa verba *ſi ſine filiis*, denotant tractum temporis, & congruunt ſubſtitutioni compendioſæ, & ideò poſt aditam hæreditatem intelligitur facta fideicommiſſaria. Rol. *conſ. 25. nu. 10. cum ſeqq. vol. 1.* Imol. *in l. Lucius Titius, 45. num. 12. verſ. aut appoſita eſt conditio, ff. de hæred. inſtit.* Capra *conſ. 7. num. 19.* illuſtriſſim. Mantica *loco allegato, num. 6. verſ. idem quoque eſt intelligendum.*

Quantum attinet ad ſecundam diffi

difficultatem ; Domini cenſuerunt, Herculem,& eius deſcendentes non ſolùm fuiſſe actiuè vocatos , verùm & paſſiuè, ex quo vocantur deſcen-
8 dentes ; † quod verbum eſt collectiuum plurium , itaut vnus poſt alium videretur grauatus reſtituere,per conſ. Socin. iun.81. *num* 10. *lib.*3. Aym.*conſ.*22.*num.*4. Et ponderabant etiam prohibitionem alienationis,& alia , ſed quia articulus eſt exemplaris,volui hîc tantum annotare ſententias Dominorum , expectando ab ipſis ex ſolita benignitate denuò reſponſum , maximè quia circa hunc articulum vota non ſatis conueniebant.

TOLETANA DECIMARUM.

Ven. 13. *Iunij* 1608.

EPITOME.

An per hæc verba (*concedo prædium con todos diezmos de los ganados que criaren en todos ſus tenimientos*) cenſeantur etiam conceſſæ decimæ , an verò exemptio à ſolutione decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Paſcere dicitur , ille qui pabulum præbet.*

DECISIO CCCCXX.

EX deductis in hac cauſa 7. Aprilis 1606. clarè conſtabat , quòd vigore ſtabilimẽtorum Religionis, etiam cómendatrix Monaſterij ſanctæ Fidei, tenebatur ſoluere decimã ex animalibus propriis,quæ nutriũtur in propriis prædiis.Sed difficultas conſiſtebat in eo,an etiam tenerentur de propriis animalibus, quæ nutriũtur in prædio ſancti Martini, quod fuerat conceſſum Monaſterio per magnum magiſtrum , *con todos diezmos de los ganados que criaren en todos ſus tenimientos.* Quæ verba interpretantur,& cum omnibus decimis gregũ quos nutriuerint in omnibus ſuis tenementis. Et propterea hæc verba ſunt intelligenda, vt poſſint habere decimas ab arrẽdatariis, non quòd ſint exemptæ à ſolutione decimarum, cùm hæc inter ſe differant , vt dicitur in alia deciſione.Et huic intellectui non repugnant verba illa , *quos nutriuerint* , quia ſatis Moniales dicuntur paſcere , etiam quòd arrendent,† cùm paſcere dica- 1
tur ille , qui pabulum præbet , vt colligitur ex tex. *in c.*1. 13. *quæſt.*1. vbi quis paſcit gregem, iuncta gloſ. *in verb.paſcit.*Et facilè fuiſſet Magno Magiſtro dicere,*concedo exemptionem à ſolutione decimarum* , prout dixit, *concedo decimas gregum , quos nutriuerint.* Et ceſſat omnis difficultas, quia in petitione confirmationis conceſſionis huius facultatis decimandi,moniales fatentur , hiuſmodi prædium fuiſſe datum cum omnibus ſuis decimis,& quod plus eſt, dicunt , percepiſſe decimas pacificè abſque contradictione,& fuiſſe ſpoliatas. Vnde manifeſtiſſimè appareret, Monialibus fuiſſe cõceſſam decimam , non exemptionem à ſolutione decimarum. Et hæc corroborantur , cùm adſit ſtabilimentum, quòd facta conceſſione terrarum, non propterea liberatur prædium à ſolutione decimarum,cum quo cenſetur ſe conformaſſe magnus Magiſter.An autem Moniales doceant de tali obſeruantia , quæ eis ſuffragetur, erit particulariter videndum.

IMO

IMOLEN. DIVISIONIS.

Lunæ 16. Iunij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Societas cum infante absque consensu tutoris contrahi non potest.*

2 *Societas omnium bonorum potest expressè & tacitè coiri.*

3 *Fratres, etiamsi aliquis sit infans, viuentes post obitum patris cum hereditate indiuisa, cum communicatione lucrorum, & rationis redditione, censentur contraxisse inter se societatem omnium bonorum. Et hæc tria sunt requisita societatis omnium bonorum.*

4 *Ad effectum societatis omnium bonorum, quando societas est promercalis, non requiritur par industria.*

5 *Socius omnium bonorum non habitans cum aliis per modicum tempus, non censetur à tacita societate discessisse.*

6 *In tacita societate omnium bonorum veniunt ea quæ acquiruntur ex actibus quæstuariis, non quæ ex legato, aut hæreditate proueniunt.*

DECISIO CCCCXXI.

OBiit Ioannes Antonius pistor relictis post se quatuor filiis, inter quos Matthæus infans. Vnde dubitatum fuit, an fuerit inter ipsos fratres contracta societas omnium bonorum, etiam respectu dicti Matthæi infantis, non tamen ad effectū videndi, an societas possit contrahi cum infante absque consensu tutoris, † quia vera est responsio negatiua. Rom. *cons.* 413. *num.* 14. *vers. quoad sextum*, & ibi apostil. Alex. *cons.* 49. *in princ. lib.* 1. Sed ad effectum, quòd cùm fuerit negotiatum ex communibus rebus relictis per patrem, possit effectus maior petere communicationem, actione negotiorum gestorum, vt dicit Bald. *in cons.* 236. *lib.* 4. vel ratificare quod iam est communicatum, vel communi nomine actum. Alex. *dicto cōs.* 49. *num.* 2. *vers. hoc probatur* 1. *lib.* 1. Ias. *in l.* 1. *num.* 6. *vers. vltimò limita, C. qui testam. fac. pos.* Aym. *cons.* 286. *nu.* 2. Surd. *cons.* 9. *num.* 17. *lib.* 1. vbi numero sequenti dicit, quòd satis dicitur ratificasse, cùm effectus maior se ingesserit in negociis societatis, prout in casu isto fecit Matthęus, vt deponunt testes in summario *nu.* 10. Et Rota censuit, ad effectum prædictum fuisse contractam societatem omnium bonorum, etiam respectu Matthæi. † Nam cùm societas possit induci tacitè & expressè, *l. coiri, ff. pro soc.* Bald. *cons.* 19. *num.* 1. *vers. ad intelligentiam lib.* 1. Ang. *cons.* 112. *in princ. vers. sed hic videndum*, licèt hìc non adsit societas expressa, adest tamen tacita, & quidem omnium bonorum, quæ satis probatur ex actibus consonantibus ipsi societati, & dicit Ang. *vbi suprà, vers. alio modo contrahitur tacitè.* Nam isti fructus post obitum patris per 25. annos, & vltrà, continuè communiter, & pro indiuiso simul steterunt, & cohabitarunt, viuendo cōmunibus expensis ad vnum panem, & vnum vinum, & ad vnam, eandemque mensam, & omnia eorum bona tam mobilia, quàm immobilia, & nomina debitorum communiter, & pro indiuiso tenuerunt, & possederūt, promiscuè agendo; & communicando fructus prædiorum, necnon lucra, & salaria, sine vllo computo rationum, & nulla vnquam inter eos reddita ratione, soluendo etiam collectas, & munera, & faciendo alias expensas, quæ deprehenduntur ex ipsa aditione hæreditatis facta communi nomine

1

2

mine, & exactione crediti officinæ paternæ, illudque iterum in eadem officina negotiando, ex restitutione dotis facta matri Mathæi, & ex solutione debitorũ paternorum. Quæ omnia communi nomine fuerunt facta. Et quod plus est, dotarunt cõmuni nomine sororem ex vtroque latere Matthæi, necnon, & eodem communi nomine domum emerũt. Quæ longè post obitum patris fue-
3 runt facta. † Vnde cùm, vt ex præfatis patet, isti fratres post obitum patris simul vixerint cum hæreditate indiuisa, cum communicatione lucrorum, & rationis non redditione, istis tribus copulatiuè concurrentibus, censetur inducta societas omnium bonorum. Bart. *in l. Titium*, §. *altero, num. 5. ff. de adm. tut.* Dec. *cons.* 21. *& num. 1. & 2. vers. secundum Oldr. & cons.* 628. *nu.* 3. Ias. *cons.* 2. *num.* 16. *& 17. vol.* 3. Et pluriès dixit Rota. Et hæc quidem non solùm habent locũ respectu artis pistoriæ, quæ erat in hæreditate paterna, verùm etiam respectu conductionis bonorum artis ferrariæ, vt cupedinariæ, cùm nulla appareat distinctio, & in his omnibus se ingesserit Matthæus, præstando operas suas, quę ingessio, attenta origine, satis arguit etiam communionem in istis, quia semper fuit continuatum exercitium paternum, faciendo alias negociationes, quæ quodammodò proueniebãt ex fructu negociationis artis pistoriæ. Nec iuuat fratres, quòd opus Matthæi non esset æquiualens ope-
4 ribus ipsorum, † quia ad effectum communionis omnium bonorum, quando societas est promercalis, nõ requiritur par industria, vt dicit Bald. *cons.* 120. *num.* 1. *vers. & est quædam societas, lib.* 1. & quando professiones sunt diuersæ, sufficit quòd quisque se exerceat in sua. Ang. Aret. *in cons.* 45. *num.* 8. † Nec com- 5
munis habitatio ex eo eliditur, ex quo aliquando Matthæus alibi permanserit, quia hoc fuit per modicũ tempus, non habitando in diuersa prouincia, & habenda est ratio expensarum domus quæ fiebant de rebus communibus, vt considerat Ias. *in cons.* 2. *num.* 32. *vol.* 3.

Neque obstat, quòd societas omnium bonorum non possit contrahi tacitè, quia quicquid sit de veritate istius opinionis, hæc est differentia inter tacitam, & expressam, † quia 6
in tacita non veniunt nisi ea quæ acquiruntur ex actibus quæstuariis, de quibus hodiè quæritur, non quæ ex legato, aut hæreditate proueniunt, *l. coiri, cum quatuor legibus seqq. ff. pro socio.* Alex. *cons.* 49. *num.* 2. *lib.* 1. Dec. *cons.* 190. *num.* 13. *& seqq. lib.* 1. Et ideo Matthæo etiam suffragatur ista societas tacita.

Quòd autem dicebatur, in hæreditate patris non remansisse bona considerationę digna, imò hæreditatem fuisse damnosam, non videbatur sufficienter ostensum, & de hoc si opus erit, poterit particulariter agi.

ROMANA. REMISsionis.

Ven. 20. *Iunij* 1608.

EPITOME.

An, & quando locator teneatur ad remissionem mercedis, stante pacto, *che li locatori in caso dell' inundatione del Teuere siano tenuti, & obligati far remissione & restauro al conduttore.*

SVMMARIVM.

1 *In locatione ad plures annos pro damno vnius anni circa fructus, non fit remiſſio mercedis, ſed annus ſterilis cum fertili compenſatur.*

2 *Conductori ſcienter conducenti caſale ſubiectum inundationi fluminis, vel alteri impedimento, non fit remiſſio mercedis propter ſterilitatem.*

3 *Stante pacto, quòd locator teneatur facere remiſſionem, & reſtaurum, ſi res locata propter inundationem fluminis non reddiderit fructus, conductor tenetur ad remiſſionem, ſi damnum ſit tale, quòd de iure communi requirat remiſſionem.*

4 *Pactum de quo ſuprà, operatur, vt annus ſterilis cum fertili non compenſetur.*
Item vt non ſit imputandum conductori, quòd ſcienter conduxerit rem ſubiectam inundationi. In reliquis regulatur ſecundùm ius commune.

5 *Stante pacto de quo ſuprà ſcil. ad hoc vt locator teneatur ad remiſſionem, requiritur quòd cõductor non tantũ perceperit, vt deductis expenſis circa recollectionem fructuum, reſultet læſio vltra dimidiam penſionis ſoluendæ locatori, & nu. 7.*

6 *Quoties agitur de remiſſione faciẽda, intelligitur quatenus de iure illi ſit locus.*

8 *Peritus referre debet, iudex autem iudicare.*

9 *Damnum, ſecundùm communem vſum loquendi, aliquando intelligitur circa fructus.*

10 *Stante pacto de quo ſuprà, damnum accipiendum eſt quatenus eſt diminutio patrimonij, non quatenus eſt lucrum ceſſans.*

11 *Salican l. licet in fine C. locati.*
12 *Ruin. in conſ. 81. vol. 1.*
13 *Bald. in conſ. 439. ar. fin. lib. 1.*
14 *Socin. iun. conſ. 79. num. 8. vol. 12. Surd. 383. nu. 8. & 9. vol. 3.*
} declarantur
15 *Ang. conſ. 112. n. 6.*

16 *Locatio eſt vnica quæ fit propter vnicam mercedem.*

17 *In remiſſione mercedis habenda eſt ratio omnium rerum locatarum vnica locatione, & omnium fructuũ, non autem vnius partis, aut certæ ſpeciei fructuum.*

DECISIO CCCCXXII.

FVerat locatum caſale ad nouennium, pacto in locatione appoſito per hæc verba, *che in caſo d' inondatione del Teuere, li Signori locatori ſiano tenuti, & obligati far remiſſione, & reſtauro al Signor conduttore da liquidarſi da doi periti, & che non ſi poſſino ritardare le paghe, ſe non doppo che il danno ſarà liquidato.* Vnde cùm venerit caſus inundationis, & præſupponatur nihilominùs, quòd locator tantum perceperit ex caſali, quod ſufficiat ad ſolutionem affictus, & pro expenſis factis in fructibus colligendis. Dubitaui, an locatores teneantur ad remiſſionẽ mercedis, & ad reſtaurum. Et Domini cenſuerunt, negatiuè reſpondendũ. Et pro intelligentia pacti de remiſſione facienda præmittebant duo, † 1 alterum quòd in locatione ad plures annos pro damno paſſo circa fructus in vno anno, non fit remiſſio mercedis, ſed habetur ratio anni ſterilis cum anno fertili, & è contrà, *l. ſi vno, in princ. ff. locat. l. licet, C. eodem tit. cap. propter ſterilitatẽ, pariter eodem titulo.*

2 *titulo.* † Alterum verò quòd cùm conductor scienter conduxerit casale subiectum inundationi fluminis, cessante pacto, locatores non tenentur propter inundationem, ad aliquam remissionem mercedis, vt in puncto est consilium Gozzad. 74.*num.*4.*&* 5. quem sequitur Rim. iun. *cons.*40. *nu.*18. *in fine, lib.*1. Et regulariter quando quis scit impedimentum de tempore locationis, vt belli, aut pestis, vel aliud simile, locator propter dictum impedimẽtum non tenetur facere restaurum: ex alleg. per eundem Rim. *loco proximè allegato, num.*17.

3 His duobus præmissis, inferebant Domini ad intelligentiam pacti, & resolutionẽ dubij, scilicèt, quòd pactum potest operari, vt non obstante quòd locatio sit ad nouem annos, sit facienda remissio, non habita ratione anni sterilis cum fertili, & etiã non obstante quòd scienter res subiecta inundationi sit conducta, si tamen cõcurrant requisita de iure cõmuni ad talem remissionem faciendam. Non autem quòd locatores pro simplici damno teneantur ad remissionem, vt in puncto dicunt Gozad. *d.cons.*74.*num.*15. *&* 16. Cephal. *cons.*104.*num.*8. *lib.*1. Scrader. *cons.*34.*num.*32.*& seqq. lib.*1. Nam licèt pactum debeat aliquid operari

4 vltra ius commune, † tamen hoc est intelligendum secundùm naturã contractus, vt considerant DD. præfati, & satis operatur, quia non est facienda computatio annorum, nec habenda ratio, quòd scienter res subiecta inundationi fuerit conducta, & vbi potest pactum quid minimum operari, sat est, quia vitatur superfluitas, & in reliquis restringitur secundùm ius commune, vt per Cephal. *d.cons.*104.*num.*17. Surd. *d.cons.*34.*num.*49. Et omnes Doctores, qui tractant hanc materiam, totum negocium conferunt, quid ex serie pactorum actum sit, & in hoc versatur totum negociũ: nam omnes fatentur, pacta seruanda esse.

In proposito autem casu, cùm præsupponatur, quòd cõductor tantum percepit, quod sufficiat ad solutionẽ affictus, & pro expensis factis in fructibus colligendis, non est facienda aliqua remissio, seu restaurum, † 5 quia ad effectum quòd locator teneatur ad remissionem, requiritur, quòd conductor non tantum perceperit, vt deductis expensis circa recollectionem fructuum, inde resultet læsio vltra dimidiã pensionis soluendæ locatori. DD. *in l. licèt, C. locat.* vbi Bart. *num.*1. Bald. *num.*15. Aret. *cons.*52. *num.*2. vbi de cõmuni Alex. *cons.*3.*num.*6.*vers. idem si attento*, vbi de communi, & magis communi, *lib.*1. Rol. *cons.*86. *in princ. lib.*3. vbi pariter de communi. Alios congerit Rim. *d.cons.*40. *num.*46. Surd. *cons.*34.*nu.*7.

Et prædicta maximè corroborantur, quia verba præfata pacti, *Che li signori locatori, &c.* eò tendunt, vt duo contineant, scilicèt remissionẽ mercedis, & æstimationem damni, quæ debet fieri per peritos, quorum primum ostendunt verba ille, *chè li Signori locatori siano tenuti far remissione, & restauro*, quæ verba sunt intelligenda quatenus de iure sit locus remissioni. † Quotiescumque 6 enim agitur de remissione facienda, semper intelligitur quatenus de iure illi locus sit. Paris. *cons.*38.*nu.*12. *vol.*1. Surd. *cons.*34. *nu.*26. Rim. iun. *cons.*810. *num.*21. *&* 22. Secundum verò de æstimatione facienda à peritis, satis ostendunt verba illa, *da liquidarsi da doi periti.* Vnde insurgit iuris communis dispositio, † quæ 7 est, vt si tot fructus supersint, qui-

bus conductor penſionis dimidiam partem poſſit ſoluere, ſibi reſtaurum non ſit faciendum, vt dictum eſt. Vnde declaratio peritorum verſatur circa factum, id eſt, in æſtimatione damni, non autem circa ius, vt ipſi poſſint iudicare, an reſtaurũ ſit faciendum, quando partes non
8 conueniunt, † ſed ad iudicem ſpectat iudicare. Ita Ceph. *conſ.* 104. *nu.* 26. Rim. iun. *conſ.* 810. *num.* 51. Et
9 ſtante prædicto intellectu, † licèt aliquãdo damnum ſecundùm communem vſum loquendi intelligatur circa fructus, vt voluit. Soc. iun. *conſ.* 78. *num.* 14. *vol.* 2. Surd. *conſ.* 383. *nu.* 9. & 23. tamen in caſu iſto non adaptatur iſte cõmunis vſus loquendi, quia fuit promiſſa remiſſio mercedis propter damnum, & non ſimpliciter refectio dãni. † Ergo dam-
10 num propriè eſt accipiendum, quatenus eſt diminutio patrimonij, non quatenus eſt lucrum ceſſans, quia aliàs non eſſet, mercedem remittere, ſed eſſet ſoluere intereſſe, quod differt plurimùm à remiſſione mercedis, Rim. iun. *dicto conſ.* 810. *num.* 10. & 11. & benè Surd. *conſ.* 34. *num.* 36. Et ſequeretur abſurdum, quia ſi remiſſio deberet fieri pro lucro ceſſante, deberet conductor conſequi fructum ſeminis, prout ſi Tiberis non inundaſſet, & ſi lucrum excederet quantitatem penſionis, etiam ad illud locatores tenerentur. Vnde non ſolùm priuarentur debita mercede, ſed etiam tenerentur de ſuo ſupplere id, in quo vltra penſionem conductor foret damnificatus, quod etiam eſſet alienum ab omni iuſtitia, & æquitate, vt benè conſiderat Surd. *conſ.* 34. *num.* 40. & poſt eum Rim. iun. *conſ.* 810. *num.* 13.

11 Non obſtat, quòd ſtante pacto prædicto, Salyc. *in l. licèt, in fin. C. locat.* teneat, ſufficere, quòd damnum reducat fructus ad exiguitatem, quia mouetur ex quo pactum in caſu ſuo nihil operari potuiſſet, nam de iure caſus ſterilitatis ſpectabat ad locatorem. Ergo per neceſſe dicendũ erat, cõtrahentes ſenſiſſe de exiguitate, quod non eſt in caſu iſto, quia pactum, vt dictum eſt, multum operatur, & ita etiam reſpondetur ad Alex. *in l. Titius, in princ. num.* 2. *ff. de lib. & poſthum. & in l. ſed & ſi quis,* §. *quæſitum, num.* 15. *ff. ſi quis caut.* quia cùm alleget Salyc. debet intelligi iuxta terminos in quibus Salyc. loquitur, ex doctr. Bart. *in l. non ſolùm,* §. *liberationis, num.* 7. *ff. de liber. leg.* † 12
& Ruin. etiam *in conſ.* 81. *vol.* 1. mouetur in caſu ſuo, quia aliàs pactum fuiſſet otioſum, & ſine virtute operandi. Et propterea, vt dictum eſt, ſemper animaduertendum eſt, quid ex ſerie pactorum actum ſit, quia omnes conueniunt, quòd pacta ſunt ſeruanda.

Minùs obſtat, quòd idem videa- 13
tur voluiſſe Bal. *in conſ.* 439. *ante fin. lib.* 1. ſcilicèt, quòd ſtante pacto, ſit faciendum reſtaurum pro rata fructuum non perceptorum, quia, vt dicit Surd. *dicto conſ.* 34. *num.* 17. *verſ. parum etiam reſiſtit.* Bald. loquitur, quando adeſt pactum expreſſum, quòd fiat reſtaurum pro rata fructuum, & inſuper tractat de modo faciendi reſtaurum, & ſubdit, quòd ſi Bald. loqueretur in terminis iuris communis, eius dictum eſſet falsũ, quia remiſſio non fit, niſi quando deductis expenſis pro fructibus, tantum non ſupereſt, quod ſufficiat ad medietatem penſionis. Et Rim. iun. *conſ.* 40. *num.* 13. dicit, quòd Bald. tenet contra communem opinionem, & quòd parum ſibi fuit conſtans, cùm contrarium tenuerit, *in l. licèt.* Et quamuis excepta prima reſponſione Surdi, aliæ ſint intelligendæ,

quate

quatenus Bald. loqueretur in terminis iuris communis, ideo meliùs poteſt reſpóderi ad Bald. quòd mouetur ea ratione, quòd pacta ſunt intelligenda ſecundùm æquitatem, in caſu autem iſto, vt patet ex prædictis, cum maxima æquitate pactum intelligitur, & multa operatur.

14 Neque etiam reſiſtit Soc.iun.*conſ.* 78.*num.*2.quem ſequitur Surd.& allegati per eum *in conſ.*383. *num.*8.*&* 9.*vol.*3.quia non loquitur in noſtris terminis, ſed in caſu quo adſit pactum, quòd locator teneatur reficere damnum, quod paſſus fuit conductor vltra ſcuta 200. Et concludit, quòd huiuſmodi pactum verificatur, quando damnificati ſunt fructus ſupra conuentam quantitatem,itaut locator teneatur reficere, etiamſi conductor in penſione nihil damni ſenſerit,quia recepit tot fructus, qui ſufficiunt pro ſoluenda penſione. Et mouetur ea ratione, quia ſecundùm communem vſum loquendi, quando agitur de damno paſſo,intelligitur circa fructus,quia ſimpliciter dicitur,tantum damnum habui ex ruptura fluminis,vel inundatione,quæ ratio,vt dictum eſt,nõ applicatur ad præſentem caſum, cũ fuerit actum de remiſſione mercedis,& ſic de damno, non quatenus conſiſtit in lucro ceſſante,ſed in diminutione patrimonij, vt per Rim. & Surd. alleg. Vltrà quòd quicquid ſit de opinione Socin. & adhærentium, veritas eſt, quòd Surd. non ſequitur ſimpliciter Socinum, cùm de eius dicto dubitauerit *in conſ.*34. *nu.*51.*lib.*1.*&* *in dicto conſ.*383. *nu.*9. *& ſeqq.*mouetur ex aliis fundamentis elicitis ex inſtrumento locationis, ex quibus colligebatur, quòd partes ſenſerint de damno circa fructus, & expreſsè contra Socinum conſuluit Rim.iun. *conſ.*810. *præſertim,nu.*32.*& ſequentibus.*

Nec eſt verùm,quòd aliter videã- 15
tur ſenſiſſe contrahentes, ex quo conuenerunt, quòd locatores non teneantur facere aliquam remiſſionem pro quauis occaſione grandinis, aut ſiccitatis, abſentiæ,aut obitus ſummi Pontificis, aut ex quolibet alio caſu proueniente ex cælo, aut à terra, & ideò cùm voluerint fieri remiſſionem ex inundatione, debet hæc remiſſio intelligi de ſimplici damno reſpectu fructuum, vt æqualitas ſeruetur ex iſta correſpectiuitate pactorum, vt conſiderat Ang. *conſ.*112. *num.*6. *verſ. & potiſſimè*: nam fuit reſponſum, quòd Angelus mouetur ex præciſa mente cõtrahentium, elicita ex prægnantia verborum, vt habetur *dicto num.*6. ibi,*ſic enim voluerunt contrahentes.* Et licèt etiam moueatur ratione prædicta,tamen illa non militat in caſu iſto, quia ſi expreſsè non fuit cautum circa remiſſionem faciendam propter inundationem, nullo pacto debuiſſet fieri,cùm ſcienter res ſubiecta inundationi fuiſſet conducta, vt per Gozad. & Rim. alleg. Ergo iſtud pactum non fuit factum ad inducendum correſpectiuitatem, ſed ad declarandum, quòd in euentum inundationis deberet fieri remiſſio, non obſtante quòd ſciretur à conductore, quòd caſale erat ſubiectũ inundationi. Quod etiam ſuadetur, quia caſus belli,& peſtis fuit remiſſus ad diſpoſitionem iuris communis. Vnde expreſsè apparet, quòd mens contrahentium fuerit declarare, in quibus caſibus eſſet agendum de remiſſione, & in quibus non.

Non officit,quòd cùm caſale partim ſit montuoſum,& partim inundationi ſubiectum, dicendum eſt,

conductorem ſibi voluiſſe proſpicere, quoàd partem ſubiectam inunda-
16 tioni: quia fuit reſponſum,† quòd cùm vnica ſit locatio, ex quo fuit facta vnica mercede, ex alleg. per Natt. *conſ.* 449. *num.* 6. conductor le-
17 gem ſibi apertiùs debebat dicere,† quia ſi ex pluribus rebus locatis vnica locatione, damnum patiatur conductor in vnica re, vel in certa ſpecie fructuum, ad effectum remiſſionis, eſt habenda ratio omnium rerum locatarum vnica locatione, & omnium fructuum. Bald. *in l. licet, num.* 15. *in fine, C. locat.* Natt. *conſ.* 149. *num.* 5. *& ſeqq.* Rim. Sen. *conſ.* 406. *nu.* 6. Calcan. *conſ.* 24. *num.* 6. *in fine.* Alios allegat Rim. iun. *conſ.* 40. *num.* 11. *& conſ.* 810. *num.* 12. Surd. *conſ.* 34. *nu.* 21. *verſ.* 2. *quæſtio & ſeqq.*

CÆSENATEN. DE Aldinis.

Ven. 20. *Iunij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* arbitr. Rotæ, *operatur, vt recedatur ab vtroque extremo rigoroſo, & ſeruetur æquitas. Item operatur, vt actus factus ſine iuriſdictione ſuſtineatur, ſi non adfuit totalis defectus iuriſdictionis.*

2 *Veriſimilitudo multùm operatur ad mouendum iudicem.*

3 *Inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit.*

4 *Spolium ante omnia eſt purgandum, ad effectum, vt ſpoliator non poſſit audiri, ſecùs ad effectum euitandi carceres.*

Decisio CCCCXXIII.

ROta cenſuit, intrare arbitrium, vt adhibeatur fides teſtibus deponentibus ſuper paupertate Aldini. Nam cùm fuerint examinati parte citata, & cum interrogatoriis, & ſolus adſit defectus iuriſdictionis, quæ cùm in totum non deficiat, vtique recedendum eſſe ab vtroque extremo rigoroſo, & ſeruandam eſſe æquitatem. † Talis enim eſt natura 1
iſtius clauſulæ, *arbitrio*, vt per Bald. *in conſ.* 177. *num.* 4. *lib.* 1. & aliàs in iſtis terminis fuit reſolutum in cauſa Venetiarum illegitimitatis, 7. Febr. 1601. coram Illuſtriſſimo Decano, & in cauſa Meten. Monaſterij 16. Febr. 1598. coram bo. me. Litta, & coram Illuſtriſſimo Millino 11. Ianuarij 1603. in cauſa Illerden. iuris decimandi. Nec fides dictorum teſtium videtur debilitata ex annotationibus bonorum in libris Cataſti, quia iſta annotatio eliditur ex fide Communitatis, quòd iſta bona poſſidentur ab aliis, & maximè cùm non ſit veriſimile, quòd Aldinus, vt non ſolueret ſcuta 40. tamdiu ſuſtinuiſſet carceres. † Quæ veriſimili- 2
tudo licèt non probet per neceſſe, multùm tamen operatur ad mouendum iudicem, ſtante clauſula, *arbitrio*, vt per Franc. Aret. *in conſ.* 127. *num.* 2. vbi benè ad propoſitum.

Hinc ſequitur, quòd cùm conſtet de paupertate Aldini, intret quoque arbitrium ad effectum, quòd excarceretur,† cùm inanis ſit actio quam 3
inopia debitoris excludit, & impoſſibile præceptum non obligat, Abb. *in cap. Odoardus, num.* 7. *in fine, & nu.* 9. *de ſolut.* Fel. *in cap. ad aures, num.* 1. *de ſimon.* Put. *dec.* 56. *num.* 4. *lib.* 1.

Non obſtat, quòd ſpolium in primis, & ante omnia eſt purgandum, etiam ſtante paupertate, Put. *dec.* 143. *lib.* 1. Quia Put. loquitur ad effectum quòd ſpoliator non poſſit audiri, non ad effectum euitandi carceres, & inſpecto mero rigore

iuris

iuris, à quo receditur in casu isto, stante clausula *arbitrio*, vt per Bal. alleg.

An autem intret arbitrium, stante paupertate Aldini, vt fructus, & expensæ in fine litis reseruentur, & interim audiatur, pendet ex eo an fuerit dolosus spoliator, vt fuit cõsideratum in causa Toletana Parochialis 13. Ianuarij 1595. coram Reuerendissimo Pacen. in qua fuerunt allegatæ Put. *decis.* 143. *lib.* 4. *&* 4. *de solut.* & Mohed. 2. *eodem titulo*, de quo erit particulariter agendum.

ROMANA FIDEICOMMISSI.

Ven. 27. *Iunij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Acta causarum auocatarum, sunt transportãda ab illo qui vult in causa procedere.*

2 *Sententia non visis actis probatoriis, est nulla.*

3 *Iudex potest procedere cum actis transportatis ab vna parte, quando altera pars est monita, & negligens in producendo iura sua.*

4 *Declara, vt hoc non procedat, quando adest vnus tantùm processus apud notarium, communis vtrique parti.*

DECISIO CCCCXXIV.

1 DOmini resoluerunt, acta causarum auocatarum esse trãsportanda ab eo qui vult procedere in
2 causa, quia † secundùm dispositionem iuris, sententia, non visis actis etiam probatoriis, est nulla, Bart. *in l.* 2. *nu.* 5. *C. de eden.* Rim. sen. *ibidem, num.* 12. *circa med. vers. tamen contraria opinio*, Felin. *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, num.* 17. *de constit.* Cagnol. *in d. l.* 2. *nu.* 68.

3 Neque obstat, quòd iudex potest procedere cum actis transportatis, quando pars est negligens in producendo iura sua, & postquàm fuit monita per iudicem, iuxta formam traditam per Cagnol. *in d. l.* 2. *nu.* 70. Seys. *ibidem, num.* 12. Quia responderunt Domini, hæc procedere quando iura separatim producuntur, & vnaquæque partium recipit iura sua. Tunc enim si altera pars est negligens in producendo, post monitionem factam iudex potest procedere, quia negligentia partis in producendo, non debet retardare expeditionem causæ, & sibi prodesse in præiudicium partis. † Sed
4 quando sit vnicus processus communis, qui remanet apud notarium, & pars quæ vult procedere in causa potest illum transportare, vtique transportandus est, quia etiam ſtãte negligentia partis in producendo, alia pars potest habere acta, & satisfacere dispositioni iuris, quòd iudex procedat visis actis. Et fuit semper seruatum in Rota, & ita seruari in Romana Curia dicit Vant. *de nullit. in tit. à quo, & quib. mod. num.* 21. *in fine*, postquàm plura deduxit ad propositum nostrum.

PALENTINA BENEficij.

Ven. 4. *Iulij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Possessio probatur per instrumentum, & per testes.*

2 *Possessor de tempore litis motæ, etiam post sententiam priuationis contra se latam, à qua est appellatum, est manutenendus.*

3 *Recurrenti per se, vel procuratorem ad iudicem laicum, denegatur audientia.*

4 *In*

4 *In probando recurſu ad iudices laicos ſufficiunt leuiores probationes.*

Decisio CCCCXXV.

De poſſeſſione Alphonſi ſatis videbatur conſtare ex depoſi-
1 tione teſtium. † Poſſeſſio enim non modò probatur per inſtrumentum adeptionis, verùm etiam ex depoſitione teſtium. Rebuff. *in prax. de miſſ. in poſſeſſ. num.* 41. Et fuit dictum in cauſa Placentina Capellaniæ 17. Nouembris 1603. coram Illuſtriſſi-
2 mo Pamphilio. † Vnde ſuccedunt regulæ, quòd poſſeſſor de tempore motæ litis, eſt manutenendus, §. *hodiè, inſtit. de interd.* Et hæc procedunt etiam non obſtante ſententia lata contra Alfonſum, quia eſt ſuſpenſa per appellationem, & interim ſua poſſeſſione non eſt priuandus.

3 Sed difficultas cõſiſtit in eo, quòd Alphonſo eſt deneganda audientia, quia plures recurſus habuit ad iudices laicos, itaut nec poſſit petere manutentionem, vt pluriès fuit reſolutum. Et ad hunc effectum ſufficit, quòd eius procurator recurſus habuerit, quia præſumitur de mandato principalis feciſſe, & cùm res ſit difficilis probationis, leuiores probationes ſufficiunt, cùm agatur ſolùm ad effectum denegandi audientiam, donec obtinuerit abſolutionem à ſanctiſſimo Domino noſtro.

LVCANA IVRISPATRONATUS.

Lunæ 4. Iulij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Patronus non poteſt præſentare lite pendente inter præſentatos.*

2 c. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. *habent locum, etiam in præſentatione.*

3 *An lite pendente poſſit præſentari collitigans ſuperſtes.*

4 *Lis dicitur pendere ſuper titulo beneficij, quando vterque collitigans prætendit, beneficium eſſe ſuum.*

5 *Lis calumnioſa non facit beneficium litigioſum.*

Decisio CCCCXXVI.

Domini reſoluerunt, vltimo lo- 1
co præſentatum non eſſe inſtituendum, quia cùm lis penderet ſuper titulo beneficij inter Franciſcũ Priami approbatum per concurſum ab Ordinario, & Vincẽtium de Dominicis præſentatum, non potuerũt patroni poſt ceſſionem dicti Dominici, ex quo obtinuit aliud beneficium incompatibile, præſentare alium collitigantem, *cap.* 1. *&* 2. *vt lit. pen. in* 6. † Quæ iura loquentia 2
de eluſione, habent ex identitate rationis etiam locum in præſentatione. Calder. *conſ.* 1. *eodem titulo* Caſſad. *dec.* 3. *nu.* 5. *pariter eodem titulo* Creſc. *dec.* 8. *de iurepatronat.* Lap. *alleg.* 22. *num.* 3. vbi addentes in verb. *renuntiare*, dant concordantes, & de communi teſtantur. † Quibus non reſi- 3
ſtit idem Creſcent. *dec.* 10. *eodem tit. de iurepatr.* quia, quicquid ſit de veritate illius opinionis, loquitur in præſentatione facta lite pendente, de collitigante ſuperſtite, qui fuerat præſentatus per priùs, quo caſu extinguitur lis, quod non eſt in caſu noſtro.

Quòd autem lis penderet ſuper 4
titulo beneficij, non poteſt dubitari, quia poſt appoſitionem edictorum, ſe oppoſuit fiſcalis, & poſtmodùm Franciſcus aſſerens, ſe fuiſſe approbatum in concurſu, & negans iuſpatronatus, & dicens, hoc non poſſe impedire, quominùs obtineret à ſancta ſede Apoſtolica prouiſionem Parochialis, iuxta diſpoſitionem

Con

Concilij Tridentini. Quæ, & ſi fortaſſe non ſufficerent ad faciendum beneficium litigioſum, ex deductis per Bald. *in auth.litigioſa,num.*1.*C.de litigioſis*, tamen in progreſſu cauſæ produxit literas Apoſtolicas, & allegauit, ſe poſſidere, & propterea non eſſe locum petitioni factæ per partem aduerſam, quæ oppoſuit, literas præfatas fuiſſe ſubreptitias, ex multis. Vnde negari nõ poteſt, quin lis inter ipſos penderet, ex alleg. 4 per Aſin. *in prax.*§.17.*c.*1.*num.*7.† Et quòd hæc lis eſſet ſuper titulo beneficij, cùm vterque prætenderet, beneficium eſſe ſuum, gloſ. *in Clem. diſpendioſam,in verbo beneficiis*, ibi, *ſi vero agatur de iudice*, vbi Card.*nu.*16. Vital.Imol. & alij, *de iudic.* Bald. *in* 5 *dicta auth.litigioſa, num.*1.*C.de litig.* † Et hæc prætenſio Franciſci non poterat dici calumnioſa, itaut hæc lis non eſſet habenda ad hunc effectum in conſideratione, vt per Lanc. *de attent.in præf. num.*601. *in verſ.* 8. *& vlt. limitatur*, cùm cauſa poſteà diù fuerit in Rota agitata, & valdè dubitatum de hoc iure patronatus, vt patet ex deciſionibus factis.

Neque obſtat, quòd ſententia fuit in partibus lata tantùm ad fauorem fiſci, quia nihilominùs patronus, & præſentatus fuerunt proſequuti etiã iudicium contra Franciſcum Priami, narrando in commiſſione, quòd ſententia fuerat lata, forſan etiam ad ſui fauorem, & obtinuerunt, illum citari ad dicendum contra cõmiſſionem. Et ſemper iudicium cum ipſo etiam fuit agitatum. Vnde non eſt quærendum, an ex dicta prolatione ſententiæ tãtùm cõtra fiſcum potuerit dici lis extincta, reſpectu Frãciſci, cùm poſtmodùm iudicium ſemper contra dictum Franciſcum fuerit agitatum.

An autem beneficium ſit debitum Franciſco, & an ei ſuffragetur ſubrogatio obtenta, non eſt præſentis inſpectionis.

ROMANA DOMVS, & Cenſus.

Ven. 4. *Iulij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Duæ ſententiæ conformes inter ciues, & incolas, ex ſtatuto Vrbis*, c.178. lib.1.*faciunt rem iudicatam.*

2 *Statutum de duabus conformibus ſeruatur in Rota.*

3 *Sententiæ conformes in aliquo, debent in eo exequi, licèt in alia re ſint difformes.*

4 *Incolatus probatur ex eo quòd quis talem ſe vocat.*

Deciſio CCCCXXVI.

DOmini reſoluerunt, conſtare de re iudicata, & propterea eſſe locum exequutioni, iuxta tex. *in l.*2.*& l. ſi vt proponis,& l.exequutorem,C.de exequut.rei iudic. l.*1.*ff. de re iudic.* Niſi tamen obſtet intereſſe Vrſelinæ & Philippi, de quo erit particulariter agendum. † Fuerunt 1 enim inter ciues, & incolas latæ duę ſentẽtię Rotales cõformes, quę vigore ſtatuti Vrbis *c.*178.*li.*1. habẽt vim rei iudicatæ.† Quod ſtatutum, 2 omiſſa quæſtione, ſi ſimpliciter ſumatur, ac cenſeri debeat ordinatorium, vel deciſorium, ſatis eſt, quòd cùm in eo diſponatur, vt debeat ſeruari in omnibus curiis inter ciues, incolas, & diſtrictuales Vrbis, debeant quoque ſeruari apud nos, vt aliàs etiam ponderauit Rota in cauſa Romana hæreditatis de Comitibus, 21. Iunij 1557. coram S.M. Clemente 8. Et quòd ſententiæ ſint conformes, & iudicium pendeat

inter ciues, & incolas, dubitari non poteſt. Nam reſpectu primi hoc patet ex lectura ſententiarum, quarum ſecunda, & ſi diſcordet à prima quoàd condemnationem fructuum
3 qui percipi potuerunt, † ſatis eſt, quòd in aliis conueniant, itaut poſſint exequi in ea parte in qua ſunt conformes. Conar. *practic. quæſt. c. 25. num. 6. verſ. 11.* Afflict. *deciſ. 362. in fine* Surd. *conſ. 102 num. 11.* Reſpectu ve-
4 rò ſecundi, † cùm Laurentius vocauerit ſe incolam Vrbis, & eius filij vocent ſe Romanos, ſatis in eorum præiudicium probatur incolatus, & ciuilitas. Alex. *conſ. 150. num. 1. & 2. lib. 2.*

Non releuat reſtitutio in integrum, quia fuit præfixus terminus ad docendum de cauſis reſtitutionis, & in termino nihil fuit doctũ. Et licèt hodie deducatur nullitas primæ ſententiæ, tamen non officit, quia Rota habuit negocium pro intrigato, quoàd ea quæ deducebantur circa proceſſum agitatum per contradictas contra Dominicum. Et ideo proceſſit ad confirmationem, ſtante iuſtitia ſententiæ, prout paſſim fieri conſueuit, vt in cauſa Arianen. beneficij. 26. Februarij 1567. coram Gropperio, & in cauſa interamnen. bonorum 14. Nouembris coram D. Ludouiſio.

VERCELLEN. ARCHIpreſbiteratus.

Ven. 4. Iulij 1608.

SVMMARIVM.

1 *Obitus probatur ex fide parochi.*
2 *Clericatus, & doctoratus probatur per teſtes de publica voce, & fama.*
3 *Reſeruatio penſionis probatur ex literis reſeruationis.*
4 *Valor beneficij probatur per teſtes.*
5 *Poſita in literis, quæ non ſunt poſita in ſupplicatione, non egent iuſtificatione.*
6 *Exequutor cum clauſula* quatenus per diligentem examinationem idoneum repereris, *poteſt procedere ad examen abſque citatione partis.*

Decisio CCCCXXVIII.

POſtquàm per binas deciſiones fuit reſolutum, gratias D. Marci Antonij eſſe iuſtificatas, quoàd reſeruationem, dubitaui, an quoque eſſent iuſtificatæ quoàd reliqua. Et Rota, omiſſo quòd particulariter videatur de valore, cenſuit affirmatiuè reſpondendum. Nam quòd Archipreſbiteratus, & Canonicatus vacauerint per obitum Octauij, benè probant teſtes iuxta 13. in ſummario *num. 7* qui etiam probant ſuper tertio, quòd Archipreſbiteratus non eſt prima Dignitas poſt Pontificalem, & quòd vnà cum Canonicatu ſolet retineri ſine diſpenſatione Apoſtolica. † Obitus verò in 1
menſe Septembri probatur ex fide Curati, vt in ſummario *num. 3.* & deponunt teſtes in ſummario *nu. 4.* cùm aliàs ſufficerẽt leuiores probationes, cùm non agatur de probando obitu in menſe ad effectum reſeruationis, iuxta deciſionem Put. 266. *lib. 3.* pluriès canonizatam, † 2
Clericatum verò, necnon & Doctoratum probant teſtes in ſummario *num. 5.* ad quæ probanda ſufficiunt teſtes de publica voce, & fama, vt per Veral. *deciſ. 277. par. 1.* Quòd autem Archipreſbiteratus habeat curam animarum, prout fuit ſuppletum narrari in gratia, *perinde valere*, probant teſtes in ſummario *num. 10.* Qui etiam in ſummario *num. 11.* benè probant reſeruationem penſionis, prout fuit narrata in eadem gratia

3 gratia *perinde valere.*† Et de ea etiam
4 conſtat ex literis reſeruationis.† Et in ſummario *num.*15.probant valorem obtentorum, ad quod probandum ſufficit qualis qualis probatio, & minor quàm ſemiplena, prout ſeruat Rota. Et denique intruſio de qua habetur mentio in primis literis, & in gratia *perinde*
5 *valere,*† cùm non legatur in ſupplicationibus, ſed tantùm in literis, non eget iuſtificatione, quia in illis apponitur ad euitãdam ſolutionem annatæ, donec impetrans poſſeſſionem poſſit conſequi, vt fuit dictum in cauſa Legionen. præſtimoniorũ. 5.Iulij 1593. coram Reuerendiſſimo Pacen. & in cauſa Calaguritana beneficij de Arriola 26. Iunij 1595. coram bo. me. Gyptio.Et poſtremò commiſſio data exequutori, ſcilicèt *quatenus per diligentem examinationẽ M.Antonij ad id idoneum eſſe repereris,* fuit adimpleta, cùm fuit examinatus,& idoneus repertus,vt in fide quæ habetur, *num.*6. † Ad quod examen potuit procedere exequutor abſque citatione partis, vt poſt Innoc. dicit Felin. *in c.final.num.*36. *de præſumpt.*

ROMANA LIQVIDAtionis fructuum.

*Merc.*19.*Nouembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Ex reuolutione regiſtri probatur ſententiæ validitas,vel nullitas.*
2 *Fructus officiorum liquidari poſſunt ex libris depoſitarij officiorum.*

Decisio CCCCXXIX.

DOmini dixerunt, ſententiam Rotalem liquidatoriam fructuum eſſe confirmandam, cùm ſit
1 valida, & iuſta. † Ex reuolutione enim regiſtri apparet, interueniſſe omnia quæ requiruntur ad validitatem ſententiæ, qui eſt modus probandi eius validitatem,vel inualiditatem.Gem. *conſ.*57.*num.*1. Alex.*cõſ.* 186. *num.*15. *lib.*2. Iuſtitia etiam eſt manifeſta, quia cùm liquidet fructus officij ſcriptoriæ Breuis in ducatis de Camera nouis 439.& ſcutis 15.monetæ, à prima die menſis Auguſti anni 1601.vſque,& per totum menſem Septẽbris anni 1605.prout pars fuerat condemnata, apparet, huiuſmodi liquidationem ritè & rectè factam,† cùm fuerit deſumpta 2
ex libris D. Roberti Primi, qui eſt depoſitarius officialium ſcriptorum Breuium, qui non eſt præſumendus voluiſſe in ſui præiudicium adnotare maiorem ſummam, quàm officia redderent, ſtante maximè legalitate perſonæ, & propterea dictis partitis eſt ſtãdum, iuxta notata per Ioann. de Anan. *in conſ.*35.*nu.*2.

CESENATEN. BONOrum.

Lunæ 24.*Nouembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Promiſſio dotis in genere probari poteſt ex coniecturis.*
2 *Quantitas dotis incertæ taxari debet à iudice, cuius arbitrio ſtatur,etiamſi arbitretur, totum patrimonium eſſe dandum in dotem.*

Decisio CCCCXXX.

CVm bona quæ obuenerunt in portione Ludouicæ, non excedant valorem ſcutorum 596. ſi conſtat de promiſſione dotis in genere,
† quod admittebant Domini poſſe 1
probari ex coniecturis, ex ponderatis per Surd. *in conſ.*94.*nu.*18.*lib.*1.

de quo erit particulariter agendum,
2 † cùm hoc caſu quantitas debeat taxari arbitrio iudicis, Bald. *conſ.* 102. *in* 1. *collect. poſt med. verſ.* 2. *caſu, vol.* 4. *& l. fin. num.* 8. *C. de ſent. quæ ſin. cert. quant.* Ial. *in rubr. ff. ſol. matr. num.* 2. cum aliis per Surd. *d. conſ.* 94. *num.* 31. Domini arbitrati ſunt, quòd omnia prædicta bona conſtituant dotem, quia attenta qualitate perſonarum, vt deponunt teſtes, vir tanta dote dignus erat. Quod etiam comprobatur, ex quo alia ſoror dedit ſuam portionem aſcendentem ad ſimilem ſummam in dotem viro. Vnde rectum eſt arbitrium, quòd prædicta bona cõſtituant dotem, etiam quòd abſorbeant totum patrimoniũ Ludouicæ. Bart. *in l. ſi conſtante, num.* 78. *ff. ſolut. matr.* Bald. *in d. l. fin. d. num.* 8. *& in l. nulla num.* 7. *verſ. ſi autem de dote, C. de iure dot.* & latè Surd. *vbi ſuprà num.* 29.

PADERBONEN. CANONICATUS.

Ven. 28. *Nouembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Arbitrium conceſſum ſimpliciter iudici, non debet lædere ius partis.*

2 *Prouiſus ab Ordinario, & poſſidens, eſt legitimus contradictor cõtra prouiſum Apoſtolicum gratioſè ſubrogatum, itaut agẽdum ſit ordinariè, non exequutiuè, & nu.* 4.

3 *Exequutio literarum Apoſtolicarum regulatur eiſdem terminis quibus* l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.

5 *Subrogatio gratioſa non prodeſt, niſi quando beneficium eſt litigioſum, ad effectum procedendi exequutiuè contra prouiſum ab Ordinario, & poſſeſſorem.*

6 *Rota de ſtylo concedit inhibitiones, aſſerto procuratori, etiam parte oppo-*
nente, dummodò intra duos menſes docuerit de mandato.

7 *Ante exequutam citationem non dicitur lis introducta, ad effectum, quòd beneficium efficiatur litigioſum.*

DECISIO CCCCXXXI.

DOmini reſoluerunt, intrare arbitrium ad effectum ſuperſedendi in exequutione literarũ Apoſtolicarum, & non ad effectum illas exequendi, † quia cùm arbitrium 1
conceſſum ſit ſimpliciter iudici, non debet lædere ius partis. Bald. *in conſ.* 217. *circa finem, verſ. vnde ſciendum eſt, lib.* 4. Et propterea cùm D. Theodorus ſit in poſſeſſione collationis ſibi factæ à Canonico Turnario, eſt legitimus contradictor, † & contrà, 2
eum non poteſt procedi exequutiuè, ſed ordinariè eſt agendum, & ille obtinere debet, qui potiora iura habet, vel probauerit. Bart. *in l. final. num.* 21. *verſ. aut comparet aliquis qui dicit poſſidere, C. de edict. d. Ad tol.* Dec. *ibidem, num.* 41. Rol. *conſ.* 78. *num.* 5. *&* 27. *lib.* 3. qui licèt loquantur in terminis *l. fin.* † Tamen eadem 3
eſt ratio in noſtris terminis. Mohed. *deciſ.* 13. *art. fin. vt lit. pend.* Et in his terminis fuit reſolutum, coram me in cauſa Celſonen. Canonicatus, 1. Iunij 1607. & aliàs ſæpiùs.

Neque obſtat, quòd D. Theodo- 4
rus habeat titulũ à Canonico Turnario, D. verò Gulielmus habeat titulum à Papa, & ſubrogationẽ gratioſam, quia nihilominùs D. Theodorus eſt legitimus contradictor ad effectum impediẽdi proceſſum exequutiuum, iuxta notata in *capitulo, ſi à ſede de præben. lib.* 6. Et fuit reſolutum in cauſa *Elerien.* beneficij ſancti Saluatoris, 16. Nouembris 1602. coram Reuerendiſſimo D. meo Decano. Et quoàd ſubrogationem gratioſam (quicquid dicendum eſſet ſi
ſubro

ſubrogatio gratioſa in caſu iſto intraret, in hoc caſu non eſt habenda
5 ratio dictæ ſubrogationis, † cùm non poſſit, niſi quando beneficium eſt litigioſum. Vital. *in Clem. 1. nu. 41. verſ.* & ideo *vt lit. pend.* vel aliàs reſeruatum, vel affectum, prout Rota ſeruat. Nam licèt prætendatur adfuiſſe litem, tamen ea non probatur, cùm non conſtet de mandato expreſſo, aut tacito illius qui commiſſionem impetrauit. Et licèt obtinuerit etiam inhibitionem, cum promiſſione de rato, ex hoc magis arguitur, quòd non conſtet de man-
6 dato, † quia de ſtylo Rotæ inhibitiones ſolent concedi aſſerto procuratori, etiam parte opponente, dummodò intra duos mẽſes docuerit de mandato, vt per Veral. *deciſ.*
7 386. *lib. 1. in manuſ.* † Vltra quòd ante exequutam citationem non dicitur lis introducta ad effectum, quòd beneficium efficiatur litigioſum, vt per Achil. *dec. 10. de reſcr.* Vital. *in clem. 2. nu. 24. & 25. vt lit. pend.*

Denique non officit, quòd Papa voluit concurrere cum Ordinario, quod potuit facere, ex latè deductis in cauſa Meten. Canonicatus, 8. Nouembris 1577. coram bo. me. de Rubeis, quia de his agendum erit in iudicio ordinario. Satis enim eſt, quòd in hoc caſu non poſſit procedi exequutiuè, cùm D. Theodorus ſit legitimus contradictor.

ROMANA FIDEICOMmiſſi de Marganis.

Ven. 28. Nouembris 1608.

SVMMARIVM.

1 *Cenſus impoſitio ſuper re fideicommiſſaria eſt valida pro quantitate legitimæ, & Trebellianicæ.*

2 *Res fideicommiſſaria ſuper qua cenſus eſt impoſitus pro quantitate legitimæ, & Trebellianicæ, reſoluto cenſu reſtituitur fideicommiſſo ſi cenſus ſuper alia re ſubiecta fideicõmiſſo imponatur.*

3 *Aſſerenti in ſui fauorem, non creditur, niſi concurrant coniecturæ, vel veriſimilitudo.*

DECISIO CCCCXXXII.

PRæſuppoſito inter alia, quòd Stephanus, & Baptiſta de Marganis ante annum 1554. conſumpſerint legitimam, & Trebellianicam ipſis debitam in bonis Iacobi patris, Dubitaui an cenſus impoſitus per dictos Stephanum, & Baptiſtam de dicto anno 1554. ad fauorem Ioannis à Porta ſuper caſali Criognolæ ſuppoſito fideicommiſſo, eſſet validus, vel nullus. Et Rota cenſuit, eſſe validum, quia Ioannes priùs emerat certam domunculam in regione Tranſtyberim à dictis Stephano, & Baptiſta, pretio ſcuti 400. quam cùm repererit eſſe cenſu grauatam, egit pro conſequutione pretij, & obtinuit, & cùm Domini Margani non haberent vnde ſoluerent, impoſuerunt cenſum ſuper dicto Caſali, & illum vendiderunt Ioanni pro dictis ſcutis 400. † Vnde cùm vendi- 1
tio domus fuiſſet valida, quia tunc non erat conſumpta legitima, & Trebellianica, & propterea in eas veniat computanda. Aret. *conſ. 18. &* 19. Ruin. *conſ. 135. num. 11. lib. 3.* ſequitur, quòd mediante iſta reſtitutione pretij, venditio fuerit reſoluta, & domus fuerit reſtituta fideicommiſſo, † & cenſus impoſitus 2
cenſetur ſubrogatus in locum dictæ domus per priùs alienatæ, iuxta notata per Card. Mant. *de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 8. num. 28.* & benè facit tex. *in l. ſi donante, 37. §. ſi dominus,* & ibi gloſſ. *ff. de donat inter vir. & vx.* &

not. per Oldr. *conſ.* 224. *num.* 25. *verſ. ad hoc quia*, & per Grat. *in conſ.* 123. *nu.* 8. *& ſeqq. lib.* 1.

Neque eſt verum, quòd non conſtat de alienatione domus facta ad
3 fauorem Ioannis à Porta, † & non creditur aſſertioni Stephani, & Baptiſtæ grauatorum, *l. qui teſtamentũ, ff. de probat.* Creſc. *dec.* 3. *num.* 6. *de conſtit.* quia hæc procederent, ſi allegaretur nuda confeſſio, & ita loquitur tex. *in d. l. qui teſtamentum.* Sed concurrunt in caſu iſto coniecturæ, quia cùm retroueditio fuerit facta, ex quo non erat libera, prout fuerat promiſſum, ſed cenſu onerata, verè conſtat de impoſitione huius cenſus, vt habetur in præſuppoſitis. Et ſic, cùm conſtet de iſto primordio veritatis, oritur maxima coniectura, quòd confeſſio ſit vera, vt per Alex. *conſ.* 18. *per totum librum tertium*, qui ita limitat diſpoſitionem dicti tex. *in l. qui teſtamentum*, Dec. *conſ.* 96. *nu.* 3. *verſ. primò principaliter*, vbi inquit, ſufficere in terminis, *d. l. qui teſtamentum*, quòd confeſſio ſit veriſimilis, prout in caſu iſto, quia non poteſt allegari ratio, ad quid hæc confeſſio fuerit facta, cùm certum eſſet, quòd in reſtitutione erat habenda ratio omnium alienationum, vt videretur, an aliquid vltra debitas detractiones fuerit alienatum.

ROMANA RESCISSIONIS Contractus.

Lunæ 1. *Decembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Vrbis* c. 151. lib. 1. *de contractibus ſine certa ſolemnitate non valituris, non habet locum, quando mulier ſe obligat pro dote, vel pro augmento dotis, nu.* 2.

3 *Habet tamen locum in augmento dotis, quod fit à perſona quæ non tenetur dotare, & prohibetur donare.*

4 *Proximioribus impeditis, aut interuenire nolentibus, cum decreto iudicis poteſt celebrari contractus, & proximiores dicuntur impediti, qui commodè eodem die interuenire non poſſunt.*

5 *Donatio cum onere alendi, non eget inſinuatione.*

6 *Statutum Vrbis* cap. 150. lib. 1. *procedit in donationibus, quæ de iure inſinuationem requirunt.*

7 *Donatio reciproca, aut ob cauſam non requirit inſinuationem.*

DECISIO CCCCXXXIII.

LIcèt Domini admittant concluſionem, quòd ſtatutum Vrbis, 1
cap. 151. *lib.* 1. *de contr. ſine cert. ſolem. non valituris*, non habeat locum, quando mulier obligat ſe pro dote, vt per Lamb. *de contr. gloſ.* 21. *num.* 2. *& 4. & ſeqq.* Put. *dec.* 160. *lib.* 3. Caput. *dec.* 199. *par.* 3. Et fuit reſolutum in cauſa Romana dotis 29. Maij 1602. coram R. P. D. meo Ortembergo, & aliàs ſæpiùs. † Et quòd idem dicen- 2
dum ſit de augmento dotis, vt per Gabr. *conſ.* 10. *num.* 6. *lib.* 1. † Tamen 3
placebat etiam, quòd hæc non habeant locum, quando augmentum dotis fit à perſona, quæ non tenetur dotare, & prohibetur donare, quia tunc augmentum dotis præſumitur factum ad defraudandũ ſtatutum, vt benè conſiderat in terminis ſtatuti Vrbis Gabr. *d. loco.* Et propterea cùm in caſu iſto mulier, quæ poſt contractum matrimonium fecit augmentum dotis, non teneretur dotare, & prohibeatur donare, ideo dictum augmentum præſumitur factum ad defraudandum ſtatutum. Sed videbatur ceſſare omnis

diffi

difficultas, quia etiamſi hæc fuerit donatio, nihilominùs interuenerũt in ea ſolemnitates requiſitæ *in dicto cap.*151. quia fuit facta interuenien-
4 te curatore, cum decreto iudicis, † qui proximioribus impeditis, aut interuenire nolentibus, potuit celebrare contractum. Rom. *conſ.*36. *num.*1. *in fine* Abb. *conſ.*65. *num.*2. *poſt med.verſ. & facit quod in ſimilibus terminis*, vbi de communi teſtatur, *par.* 2. Et fuit reſolutum in cauſa Firmana reſtitutionis dotis,23.Iunij 1603.coram R.P.D. meo Decano.

Neque releuat,quòd Martha donatrix haberet conſanguineos, quia non probatur, quòd eadem die donationis eſſent in Vrbe, & quòd cõmodè interuenire potuiſſent, iuxta not.per Bart. *in l.ſi tertius,num.*5.*&* 6.*ff. de aq. plu. arc.* Pariſ. *conſ.*56. *num.*35. *lib.*1. Et meliùs ad propoſitum Bald. *in l. in coniunctione,propè fin.num.*4. *C. de nupt.* Et in terminis ſtat etiam deciſio Guidob. 97. *incip. in caſu ſtatuti.* Et fuit reſolutum in dicta cauſa Firmana reſtitutionis dotis, coram R. P. D. meo Decano.

5 Neque etiam releuat, quòd iſta donatio non fuit intimata iuxta præſcriptum ſtatuti, *in cap.*150. *lib.* 1. quia dixerunt Domini,quòd cùm fuerit donatio cum onere alendi, & ſoluendi ſcuta 15.annua,necnon ſcuta 10. poſt obitum donatricis, non
6 eget inſinuatione, † quia ſtatutum loquitur in donatione, quæ de iure
7 inſinuationem requirit, † qualis nõ eſt donatio reciproca, ſed viciſſitudinaria,aut ob cauſam, vt per Clar. *in §. donatio,quæſt.*16.*verſ.ſed nunquid* Tiraq. *in l.ſi vnquam,in vlt. donatione largitus,num.*127. Aret.*conſ.*17.*num.*9. Gabr. *de donat.concluſ.*1. *num.* 60.65. *&* 69. Et in terminis,quòd ſi donatio fiat vt donans alatur, & pro-

ptereà quòd iſta donatio, cùm non ſit ſimplex, ſed ob cauſam, non requirat inſinuationem, dicit poſt alios Surd. *de alim.tit.*8.*priuil.*27. *nu.* 4. Et ſæpè dixit Rota, vt in cauſa Romana Viridarij 23. Februarij 1590.coram bo.me.Orano.

Et ita concluſum pro validitate contractus, reſeruato tamen vt videatur, an donatio facta per Martham ſit exceſſiua, ita vt in exceſſu requireretur inſinuatio,vt per Alex. *conſ.*21.*num.*4.*lib.*3.Gabr.*vbi ſupr.nu.* 68.vbi alios allegat. & an huiuſmodi donationi obſtet defectus ſubſcriptionis, iuxta diſpoſitionem ſtatuti,*in c.*149.*lib.*1.*de donat.int. vir. & vx. & cauſ. mortis.*

ROMANA MOLENdini.

*Ven.*12. *Nouembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Quando plures actiones oriuntur ex diuerſis factis, poſſunt ſimul, & ſemel intentari, ſiue ſint omnes criminales, ſiue ciuiles, ſiue mixtæ.*
2 *Paritas in iudiciis eſt ſeruanda.*
3 *Cauſa criminalis præiudicialis ciuili, non impedit quominùs peti poſſit manutentio in ciuili,lite pendente.*
4 *Iudicia poſſeſſorio, & petitorio ſimul pendente,coram eodem iudice,de poſſeſſorio priùs poteſt cognoſci, ſi de eo priùs liquet.*

Deciſio CCCCXXXIV.

DOmini dixerunt, in caſu de quo agitur, cauſam criminalem non eſſe præiudicialem ciuili, itaut in ciuili ſuperſedendum ſit, donec terminetur criminalis, quia Hercules mouit iudicium ciuile de anno 1603. pro conſequutione ſui credi

crediti, & vigore mandati ad eius fauorem relaxati cepit poſſeſſionem molendini 3. Ianuarij 1604. Vnde licèt 10. Maij eiuſdem anni 1604. Octauianus introduxerit iudicium criminale, querelando contra eum, tanquam vſurarium, in quo iudicio criminali, dato quòd potuiſſet contineri etiam iudicium ſpolij, quod prætendebat Octauianus vigore dicti mandati relaxati ad fauorẽ Herculis; tamen Octauianus poſuit deducere principaliter eundem articulum ſpolij in alio iudicio, *l. ſed in antè ff. de except.* Natt. *conſ.* 137. *in fine, iuncto nu.* 25. *lib.* 1. prout introduxit de anno 1605. & obtinuit
1 contra Herculem. † Nam quando plures actiones oriuntur ex diuerſis factis, poſſunt ſimul, & ſemel intentari omnes criminales, ſiue ciuiles, ſiue mixtæ, ex allegatis per Natt. *dicto conſ.* 137. *num.* 4. Surd. *conſ.* 139. *num.* 6. *lib.* 1. Vnde cùm Hercules appellauerit à decreto obtento per Maſcarinũ in iudicio ſpolij principaliter intentato, & cauſam introduxerit in Rota, non poteſt impediri Hercules, quominùs petat manutentionem in Rota, quia Octauianus ipſe diuiſit iudicium. Quæ diuiſio ita prodeſſe debet Herculi, ſi-
2 cut profuit Octauiano, † quia paritas in iudiciis eſt ſeruanda, *cap. non licet, & cap. in iudiciis, de reg. iur.* cum concord. per gloſ. *vtrobique* alleg.

3 Nec eſt verum, quòd ex eo cauſa criminalis eſt præiudicialis ciuili ex quo pronunciato, quòd contractus ſit vſurarius, non erit ampliùs agendum de poſſeſſione, quia hoc eſt verum lite finita, ſed durante lite, cùm Hercules intentet iudicium retinendæ, non eſt impediendus, quòd pendente iudicio criminali non petat manutentionem, quia circa hoc petitorium, criminale non præiudicat poſſeſſorio retinendæ ciuili, quod durat ſolùm quantum ipſa lis. Et ideo ſententia ferenda non poteſt præiudicare huic poſſeſſorio durante lite, † & propterea ſicuti 4 petere poſſet manutentionem, ſi vtrumque iudicium, petitorium & poſſeſſorium penderet coram latrunculatore, quia de poſſeſſorio priùs poteſt cognoſcere, niſi de eo priùs liqueret, ex allegatis per Contard. *de mom. poſſeſſ. in ſecunda limitatione ratione mixturæ, §. 5. num. 26.* ita & cùm Octauianus ſeparauerit huiuſmodi iudicia, dicendum eſt, cauſam criminalem non eſſe præiudicialem ciuili, itaut in Rota non poſſit cognoſci, an Hercules ſit manutenendus.

BONONIEN. DE Pepulis.

Ven. 12. *Nouembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt quis alteri ſtipulari, etiãſi verba obligatiua proferantur in perſonam ſtipulantis, exequutiua verò in tertium, niſi ſtipulantis interſit, quo caſu ipſi ſtipulanti ius acquiritur, & tertius non poteſt agere abſque ceſſione nu.* 2.

3 *Stipulatio fauore dotis ad fauorem tertij, eſt valida. Item ad fauorem pauperis, non alienantis, nu.* 4.

5 *Diſpoſitio imperſonaliter concepta in ſtipulatione, refertur ad ſtipulantem.*

6 *In ſtipulatione facta ad fauorem tertij, vt tertio ius quæratur, non eſt opus ceſſione.*

7 *Stante ſtatuto diſponente, quòd ex ſtipulatione alteri facta ius quæratur, ad effectum agendi, ceſſio non eſt neceſſaria.*

DECISIO CCCCXXXV.

NObiles fratres de Pepulis conuenerunt, quòd ſolueretur certum quid annuum illi qui curam educationis Comitis Aloyſij haberet, & poſtquàm peruenerit ad 20. ſuæ ætatis annum, ceſſaret prædicta ſolutio, & ſubditur: *Et li detti Signori Fratelli l'habbinò à comprare di commune vno credito di ſcudi 150. l' anno, & per ſino che ſe li comprara ciaſcheduno l'habbia da reſpondere è pagare ſcudi 50. d'oro.* Et quoàd hæc omnia interuenit ſtipulatio inter ipſos fratres. Hoc ſtante, dubitaui, An Comes Aloyſius poſſet cogere vnum ex fratribus ad faciendum dictum inueſtimentum proportione ſua, in caſu, & ad effectum de quo agitur, qui eſt, vt ſententiæ de partibus ſuper hoc ad fauorem Comitis latæ, ſint iuſtæ, itaut ſit locus ſtatuto de duabus cõformibus, quia Rota non ſequitur ſententias aliorum Tribunalium, niſi docto de iuſtitia. Et Rota cenſuit, Comitem Aloyſium potuiſſe petere inueſtimentum, ſtante dicta ſtipulatione,
1 ex qua ſibi fuit ius quæſitum. † Nam licèt quis alteri non poſſit ſtipulari, *l. ſtipulatio iſta, §. alteri, ff. de verb. oblig.*
2 *l. ſi quis alij, inſt. de inutil. ſtipul.* † Et hoc etiam procedit, quando verba obligatoria proferuntur in perſonam ſtipulantis, exequutiua verò in tertium, vt *promittis mihi, ſoluere Titio decem.* Niſi tamen ſtipulantis interſit, quo caſu ipſi ſtipulanti ius acquiritur, & tertius non poteſt agere abſque ceſſione, vt per Bald. contra Bart. *in l. ſtipulatio iſta, §. ſi ſtipuler, per totum*, & ibi Angel. *in §. ſi quis inſulam*, & Iaſ. *in dicto §. ſi ſtipuler, num. 10. ante fin.* vbi de communi teſtatur Rom. *conſ. 441. in prine.* Caſtr. *conſ. 171. num. 2. col. 2. antè fin. verſ. cùm tamen de iure communi lib. 2.*

Tamen dixerunt Domini, hanc concluſionem multis modis limitari, vt per Bart. *in dicto §. ſi ſtipuler*, & per Iaſ. *ibidem nu. 11. & ſeqq.* Cum. & alios. Et præſertim quando promiſſio eſt facta fauore dotis, † quia 3
tunc ſtipulatio ſuſtinetur ad fauorem tertij, alio ſtipulante, ex latè congeſtis per Surd. *de alim. tit. 8. qu. 73. num. 8.* vbi ſubdit, † quòd idem 4
dicendum eſt de alimentis pauperis, quæ gaudent eodem fauore dotis, ex deductis per eundem Surd. loco præcitato. Et propterea, cùm ſtipulatio fuerit facta pro alimentis Comitis Aloyſij, qui tunc nihil habebat; quod probatur, quia eſt promiſſio annua, quæ non excedit quantitatem alimentorum, Surd. *de aliment. tit. 2. quæſt. 12. num. 5. vſque ad finem.* Quod etiam ſuadetur, quia voluerunt, promiſſionem annuam intrare in locum educationis particularis, iuxta notata per Surd. *vbi ſuprà, quæſt. 13. num. 8.* Vnde ſequitur, quòd cùm iſta ſtipulatio ſit pro alimentis, etiam quòd ſit facta per alium, ad fauorem ipſius Comitis Aloyſij, ſit valida. Et ſatis etiam probatur ſtipulatio, quia adeſt in clauſulis generalibus, *quoàd omnia & ſingula contenta in diuiſione*, (quæ licèt verba obligatiua debeãt intelligi imperſonaliter, prout ſunt verba, *che li detti fratelli l'hablino à comprare*) † tamen hoc non refert, 5
quia ad validitatem actus verba debẽt referri ad ſtipulatorẽ, vt per Iaſ. *in d. l. ſtipulat. iſta §. ſi ſtipuler. nu. 10. in fin. ff. de verb. obl.* Et propterea in hoc caſu non eſt agendum de ceſſione, † quia cùm ſtipulatio fuerit facta, 6
non vt ſtipulanti quæratur, ſed Comiti Aloyſio, ceſſio non erat neceſſaria, vt eleganter per Cum.

qui benè diſtinguit hanc materiam *in dicto §. ſi ſtipuler, num. 8. verſ. vnde*
7 *dico.* † Sed quatenus de iure ceſſio fuiſſet neceſſaria, in hoc caſu non requireretur, ſtante ſtatuto Bononien. diſponente, quòd ex ſtipulatione alteri facta agi poſſit, vt notat Iaſ. *in dicto §. ſi ſtipuler, num. 29. & ibi apoſtil. dat concord.*

Neque eſt verùm, quòd iſta promiſſio videatur indiuidua, & ideo non poterat agi contra vnum ex fratribus pro portione ſua, quia vltra deducta in alia deciſione, ſatis materia fuit diuidua, ex quo fuit actum de emendo credito in ipſa diuiſione. Et ſic videtur dicendum, ſatis conſtare, mentem contrahentium fuiſſe, vt quilibet teneatur pro portione ſua.

Aliis obiectis videtur ſatisfactum in prima deciſione.

VRBEVETANA FIDEIcommiſſi.

Lunæ 15. Decembris 1608.

SVMMARIVM.

1 *Obſeruantia ſubſequuta non æquiuoca, declarat actum antecedentem.*

2 *Hæres non poteſt venire contra factum defuncti, niſi repudiet hæreditatem.*

3 *In diuiſione hæreditatis poſſunt vni aſſignari bona ſubiecta fideicommiſſo, alteri bona libera, niſi reclamat.*

4 *Enunciatiua antiqua vnica non probat.*

5 *Tranſactio facta propter timorem litis, eſt valida.*

6 *Tranſactio operatur, vt promiſſum illius vigore ſit debitum, etiam quòd verè non ſit.*

7 *Verba ſunt intelligenda ſecundùm ſubiectam materiam.*

8 *Clauſula* ſaluo iure, *eſt iurium præſeruatiua.*

9 *Fundans ſe in obſeruantia, oſtendere debet, actus obſeruãtiæ habuiſſe effectum, ſcientibus illis, & non reclamantibus, in quorum præiudicium agebatur.*

10 *Confeſſio pro exoneratione conſcientiæ multum operatur.*

11 *Obſeruantia valida non poteſt induci cum mala fide.*

12 *Non poteſt agere ſpolio, qui facto proprio cecidit à poſſeſſione.*

DECISIO CCCCXXXVI.

POſt reſolutiones factas, quòd conſtabat de fideicommiſſo ad fauorem deſcendentium Petrucij, quia pars aſſerebat, obſeruantiam eſſe in contrarium, † & ex ea præ- 1
tendebat declarari teſtamẽtum, iuxta not. per Aym. *conſ. 101. num. 3.* Menoch. *conſ. 349. num. 15. lib. 4.* Decian. *reſp. 124. num. 15. lib. 3.* Ideo ſuper dicta obſeruantia volui particulariter videre. Et per Dominos fuit reſolutum, dictam obſeruantiam non adeſſe, nam dum primò deducebatur, ex quo Hugolinus nepos Petri teſtatoris ex Petrucio filio de anno 1365. diſpoſuerit de fructibus ſalicis, legando cuidam Religioſo raſerios 50. tritici, tamen non inde poteſt inferri ad aliquam obſeruantiam deſtructiuam fideicõmiſſi, cùm Hugolino ex perſona patris competeret ius detrahendi, & propterea cùm iſta obſeruantia de neceſſitate non concludat contra fideicommiſſum, non releuat, iuxta notata *in cap. in præſentia, de probat.* Et tanto magis, quia cùm inſtituerit hæredem Franciſcum vnicum fratrem, † dictus Franciſcus non pote- 2
rat venire contra factum teſtatoris,

niſi

niſi hæreditatem repudiaſſet, *l. cùm à matre, C. de rei vendi.* Et hoc legatũ nec etiam ſufficeret ad oſtẽdendam obſeruantiam, niſi doceretur de illius effectuatione. Gem. *conſ.* 14. *nu.* 5. *verſ. quoàd ſecundum*, Alex. *conſ.* 32. *in princ. lib.* 6.

Nec etiam dum ſecundò deducitur, quòd inter filios dicti Franciſci fuit facta diuiſio bonorum, & in portione alterius ex fratribus obuenerunt bona ſubiecta fideicommiſſo, in portione verò alterius bona libera, vt conſtat ex infeudatione dd. bonorum, quæ datur, poteſt induci aliqua obſeruantia, quia certi iuris eſt, quòd in diuiſione, alteri ex fratribus non reclamanti poſſunt aſſignari bona ſubiecta fideicommiſſo, alteri verò libera, vt notat Modern. *de fideicom. art.* 52. *nu.* 62. *&* 63. Prout nec etiam inducitur obſeruantia, ex quo Rodulfus vnus ex filiis dicti Franciſci inſtituit hæredem Hugolinum iuniorem fratrẽ, quia vltra quòd hoc non probatur, cùm allegetur vnica tantùm enunciatiua, quæ licèt antiqua, cùm ſit vnica, non probat, *l. non nudis, l. non epiſtolis, C. de probat.* Tamen, etſi hoc probaretur, nec releuaret, quia non apparet, quòd diſpoſuerit de bonis ſubiectis fideicommiſſo, & hoc deberet probari, & non ſufficeret, niſi etiam oſtenderetur, diſpoſitionem habuiſſe effectum, iuxta notata per Gemin. & Alex. *locis ſuperiùs allegatis.*

Et pari modo etiam non ſuffragatur, quòd Imperia neptis dicti Franciſci, ex Carolo filio, de anno 1527. per viam tranſactionis ceſſerit iura ſua, quæ habebat ſuper caſtro Corbariæ, vigore ſucceſſionis, & promiſſionis dotis, quia non inde oritur aliqua obſeruantia contra fideicommiſſum, quia cùm fuerit actum per viam tranſactionis, † ſufficit ad eius validitatem, quòd adeſſet timor litis, Rom. *conſ.* 244. *nu.* 2. Ang. Aret. *conſ.* 38. *num.* 16. † Et operatur quòd promiſſum illius vigore ſit debitum, etiam quòd verè non ſit, *lib.* 2. *C. de cond. indeb.* Aym. *conſ.* 717. *num.* 26. Sed propterea non poteſt inferri per neceſſe, quòd bona non fuerint habita tanquam ſubiecta fideicommiſſo. Et ſimiliter etiã parum refert, quòd de anno 1460. Ioannes Franciſcus, & Nicolaus filij dicti Hugolini iunioris diuiſerint bona ſua, & poſtmodùm voluerint, ea eſſe communia inter ſe, & ſucceſſores ſuos, † quia hæc verba ſunt intelligenda ſecundùm ſubiectam materiam, vt comprehendant hæredes ſanguinis, non quoſcumque hæredes, itaut cenſeatur derogatum fideicommiſſo. Gabr. *de verb. ſig. concl.* 2. *num.* 7. Rolan. *conſ.* 96. *nu.* 8. *lib.* 1.

Iſidem etiam non poteſt induci obſeruantia, ex quo defunctis Io. Frãciſco, & Nicolao filiis dicti Hugolini iunioris, ſuperſtite ex Ioanne Franciſco Marphiſia de anno 1484. tamen cepit poſſeſſionem omnium bonorum, quæ poſtmodùm de anno 1488. fuerunt reſtituta Marphiſiæ, quæ poſſedit vſque ad annum 1514. de quo tempore ea donauit Nicolao & Cæſareo filiis, & defuncto Cæſareo de anno 1528. confirmauit eandem donationem ad fauorem dicti Nicolai, & Bandini nepotis ex Cæſareo prædefuncto, quia ſi attenditur reſtitutio facta per Cameram, non nocet, quia non oſtenditur, tunc fuiſſe ventilatum fideicommiſſum, & reſtitutio fuit facta cum clauſula, ſaluis iuribus aliis competentibus contra Marphiſiam, † quæ clauſula præſeruat ius Comitum vocatorum, quibus

Papa noluit præiudicare. Old. *conſ.* 237. *in fine verſ.* 3. *quia Angel. Aret. conſ.* 101. *num.* 23. *& ſeqq. verſ. ex quo ſequitur, & num.* 28. *verſ. quod maximè patet.* Et propterea verba illa in fine reſtitutionis, quòd Marphiſia moleſtari non poſſit, quouis prætextu, & alia ſimilia conciliantur cum dicta clauſula *ſaluo iure &c.* itaut per ea non cenſeatur præiudicatum illis quibus ius fuit reſeruatum, vt per Oſaſch. *deciſ.* 164. *num.* 6. *&* 7. *& ſeqq.* vbi *num.* 9. teſtatur de communi. Et quantum attinet ad præfatas
9 donationes, neque etiam faciunt,† quia neceſſe eſſet oſtendere, quòd habuerint effectum, habita notitia fideicommiſſi, & eo caſu, ſtante dubietate, non reclamantibus, & non aliis fuiſſet præiudicatum, Soc. ſen. *conſ.* 12. *num.* 10. *lib.* 3. Pariſ. *conſ.* 11. *num.* 39. *lib.* 2. Decian. *reſp.* 87. *nu.* 22. *lib.* 2. Menoch. *conſ.* 337. *in fine lib.* 4. Et ceſſat omnis difficultas, quia de anno 1539. eadem Marphiſia donauit eadem bona Hieronymo, & fratribus filiis Dulcij ſenioris deſcendentis per rectam lineam à Raynutio fratre dicti Hugolini iunioris, & in eadem donatione aſſeruit, eam facere pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, quia bona erant ſubiecta fideicommiſſo ad fauorem maſculorum de familia, vigore diſpoſitionum Maiorum, & præſertim Comitis Petri antiqui, & aſſeruit, feciſſe donationem filiis per vim, & metum, & quamuis de anno 1543. eadem Marphiſia in inſtrumento publico dixerit, velle valere donationem factam filiis ad fauorem Portiæ, & Lucretiæ filiarum Bandini nepotis, & ipſam fuiſſe ſeductam, ad donandum dictis Hieronymo, & fratribus, tamen de anno 1547. cùm eſſet ætatis 83. annorum condidit teſtamentum, & in eo repetiit dicta in donatione facta Hieronymo, & fratribus, & pro exoneratione ſuæ conſcientiæ reuocauit donationem factam filiis, quia variis viis & modis ſciebat, ac ex relatione Maiorũ, quòd bona ſpectabant ad Comites maſculos de familia, & non ad fœminas, & præſertim vigore teſtamẽti Comitis Petri ſenioris.† Quæ cõ- 10
feſſiones per oxonerationem conſcientiæ factæ in dicta donatione, & in teſtamento contra proprias proneptes multùm faciunt; iuxta notata per Socin. ſen. *in dicto conſ.* 12. *nu.* 20. *lib.* 3. quia non agitur de validitate donationum, ſed agitur ad oſtendendum malam fidem Marphiſiæ, qua ſtante, non poteſt induci aliqua obſeruantia quæ ſuffragetur, iuxta notata per Bald. *in conſ.* 118. *num.* 4. *& per totum lib.* 5. & benè Ioann. de Imol. *conſ.* 73. *num.* 4. *&* 7. Maximè quia conſtat de reclamatione Comitum, cùm de anno 1544. dicti Hieronymus, & fratres non modo commiſerint cauſam ſuper donatione ſibi facta à Marphiſia, ſed etiam ſuper fideicõmiſſo, quam cauſam non modo proſequuti fuerunt dicti Hieronymus, & fratres, & etiam deſcendentes contra dictas Portiam, & Lucretiam, ſed etiam contra Iuliani Cæſarinam matrem, & hæredem ab inteſtato dictarum Portiæ & Lucretiæ, & eam etiam hodiè proſequuntur contra D. Liuiam Capranicam donatariam dictæ Iuliæ.

Vltimo loco non ſuffragatur ſententia obtenta per dictas Portiam, & Lucretiam contra Marphiſiam, quia fuit ſententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij, & meritò, quia Marphiſia egerat ſpolio, quo iudicio agere non poterat, † ex quo, facto ſuo, mediante donatione, ceciderant à poſſeſſione, Socin. *in*

l. rem

l. rem quæ nobis, num.8. ff.de acquir. poſſeſſ.

MEDIOLANEN. SPONſalium.

Ven. 19. Nouembris 1608.

SVMMARIVM.

1 *Contrahens ſponſalia per verba de futuro, non eſt cogenda contrahere per verba de præſenti, etiamſi ſint iurata, nu.8.*
Si iuſta cauſa diſſoluendi ſuperuenerit, quæ relinquitur arbitrio iudicantis, nu.2.
3 *Inhumanum, & iniurioſum eſt, aliorum defectus detegere.*
4 *Actus abſque dolo factus, ſi ad iracundiam prouocat, facit offenſam.*
5 *Paria ſunt dare articulos, vel illos ratificare ab alio datos.*
6 *Voluntas facto, & verbis declaratur.*
7 *Reuocatio articulorum per alium datorum, operatur, vt contra articulantem non poſſit agi actione iniuriarum, non tamen efficit, vt inde non oriatur cauſa iuſta diſſoluendi ſponſalia, ſi articuli erant iniurioſi.*
9 *Sponſalia habent tacitam conditionem, ſi res in eodem ſtatu permanſerit.*

Decisio CCCCXXXVII.

DOmini dixerunt, ſententiam Rotalem eſſe confirmandam, quia licèt inter Marcum Antonium, & Annam Mariam fuerint contracta ſponſalia per verba de futuro, † 1
tamen ipſa non eſt cogenda contrahere matrimonium per verba de præſenti, cùm ſubſit probabilis cauſa, ex qua poteſt à ſponſalibus recedere, *cap.ex his 2. de ſponſalibus*, 2
vbi Doctor. not. † Et cauſa probabilis committitur arbitrio iudicantis. Abb. *in cap.requiſiuit, num.4. de ſponſal.* Alex. *conſ.212.nu.8. lib.2.* Qui ſatis videntur concurrere in caſu iſto; nam pendente iudicio ſuper diſſolutione horum ſponſalium Marcus Antonius dedit in iudicio articulos concernentes honorem matris ipſius Annæ Mariæ, necnon & natales eiuſdem Annæ. Qui defectus, etiam quòd fuiſſent veri, cùm prouenirēt abſque culpa ipſius Annæ, ſequitur quòd grauiter fuerit offenſa, ei talia obiiciendo, vt per Roman. *conſ.99. num.1. & 2. verſ.2. vera opinio.*† Defectus enim noſtros 3
inhumanum, atque iniurioſum eſt detegi, *l.2.verſ.quid enim, C.quand.& quibus quarta pars debetur, lib.10.* Vnde meritò orta ſunt odia, & rancores, quæ ne perpetuum pariant diſſidium, hæc iuſta videtur cauſa, vt recedatur à ſponſalibus, & matrimonium impediatur, Abb. *in dicto cap. requiſiuit, nu.4.* Alex. *d.conſ.212.nu.8.* Gutier. *lib.1.quæſt.canonic.c.20.nu.23.* ne matrimonium infęlicem exitum habeat, prout habere ſolet, etiam quando poſt contractum ſuperuenit odium, vt conſiderat Iacob. Menoch. *conſ.69. num.44. & ſeqq. num.1.*

Neque obſtat, quòd præfati articuli fuerint dati pro Marco Antonio ad tuendum ius ſuum, quia Anna dicebat, eum ſibi non eſſe natalibus parem, & propterea videtur dicendum, iniuriam non intuliſſe, vt per Roman. *loco allegato, nu.2. verſ. mihi verò*, quia hæc procedunt ad effectum, quòd Marcus Antonius non teneatur iniuriarum actione, quia caret dolo, ſed non ad effectum quòd dicatur culpa carere, ita vt non fuerit ſequuta offenſa, vt conſiderat Caſtren. *conſ.255. col.2. verſ. his non obſtantibus, lib.1.* † actus 4

enim licèt fiat abſq; dolo, ſi tamẽ ad iracundiã prouocat, facit offenſam, Bart. *in conſ.*188. *in princ. verſ. quaſi dicat, lib.*1. Poterat enim Marcus Antonius euitare offenſam modeſtiùs excipiendo contra Annam, vt oſtenderet, natalibus eſſe parem, abſque eo quòd ex profeſſo honorem matris, & natales ipſius tangeret.

5 Neque releuat, quòd Marcus Antonius ipſe non dedit articulos, imò & illos reuocauit, quia ſufficit, quòd illos approbauerit, requirendo te-
6 ſtes, vt ſuper illis deponerent.† Voluntas enim non minùs facto, quàm verbis declaratur, *l. Paulus, ff. rem rat. haber.* Et reuocatio fuit facta hîc in Curia, longè poſt datos articulos, & poſtquàm Marcus Antonius requiſiuit dictos teſtes. Vnde iſta reuocatio ei non ſuffragatur, ad effectum de quo agitur, cùm non poſſit tollere odium quod inde
7 prouenit.† Et Doctores loquentes de reuocatione, loquuntur ad effectum, vt non poſſit agi actione iniuriarum, vt per Felin. *in cap. dilecti, num.*16. *de except.* qua actione non agit Anna, ſed ad alium effectum, vt dictum eſt.

Neque facit, quòd iſta ſponſalia
8 ſint iurata,† quia ſi ſuperuenit noua cauſa, non cõtrahendi per verba de præſenti, iuramentum non obligat, cùm aſſumat naturam, & conditiones contractus cui adiicitur, *l. fin. C.*
9 *de non num. pecun.* † Sponſalia verò habent tacitam conditionem, ſi res in eodem ſtatu permanſerit, id eſt, ſi cauſa iuſta ab eis recedendi non ſuperueniat, *c. quemadmodum, de iureiur.* vbi gloſ. *in verb. oculos*, Hoſt. *nu.*8. Io. Andr. *num.*13. Anchar. *num.*3. Butr. *nu.*13. Bald. *in princ.* Abb. *nu.*9. Imol. *num.*3.

ROMANA LAVDI.

Ven. 19. *Decembris* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Laudum nullum non debet exequutioni mandari.*
2 *Laudum latum poſt præfixum terminum ad laudandum eſt nullum, ſi non appareat de expreſſa prorogatione, nu.*4.
3 *Iuriſdictio iudicis poteſt prorogari à compromittentibus, & prorogatio debet abſentibus intimari, nu.*4.
5 *Tacita prorogatio non poteſt induci à compromittentibus quando vna pars nunquam comparuit.*

Dec. CCCCXXXVIII.

QVia in concordia inita inter hæredes Ioannis Gauæ, & Bernardinum Cinum ſuper ſocietate Magazeni, fuit aſſignata portio capitalis dictis hæredibus, & compromiſſum circa lucrum, & redditione rationis, ad quam tenebatur Cinus. Dubitaui, an mandatum relaxatum per AC. ſuper exequutione laudi inde lati, eſſet confirmandum. Et Rota cenſuit, eſſe infirmandum, † 1
quia cùm laudum fuerit nullum, non poterat exequutioni demandari, iuxta *not. in l.*4. §. *condemnatum, ff. de re iudic.*† Nullitas autem eſt eui- 2
dens, quia fuit latum poſt terminum præfixum in compromiſſo, nempe poſt ſex menſes, Bald. *conſ.*170. *nu.*1. *verſ. aut non erant feriæ, lib.*1. *& conſ.* 101. *num.*15. *lib.*3. *& conſ.*321. *in fine lib.*5. vbi quòd hæc eſt veritas, Angel. *conſ.*404. *in princip.* Signorol. *conſ.* 227. *in princ.* Ioan. de Anan. *conſ.*83. *pariter in princ. verſ. & inter alia*, Rom. *conſ.*67. *in princ.*

Neque releuat, quòd fuerit data 3
facultas prorogandi ad ſex menſes,

quæ

quæ facultas à partibus poteſt con-
4 cedi, Bald. *conſ.* 60. *num.* 1. *lib.* 3. † quia cùm non appareat de expreſſa prorogatione, adhuc laudum remanet nullum, Bald. *conſ.* 321. & 322. *lib.* 5. Et prorogatio partibus abſentibus debuiſſet intimari. Bald. *in dicto conſ.* 101. *num.* 10. *lib.* 5. & latiùs *conſ.* 102. *num.* 4. & 5. & *conſ.* 103. *num.* 2. *verſ. verba dicunt, lib.* 3. Curt. ſen. *conſ.* 31.
5 & 32. † Nec poteſt induci aliqua prorogatio facta à partibus, quæ habeat vim noui cõpromiſſi. Socin. *conſ.* 104. *num.* 3. *in fine*, & *num.* 4. *lib.* 4. Alex. *conſ.* 84. *num.* 3. & *ſeqq. lib.* 5. Quia poſt primos ſex menſes licèt alia pars pluriès comparuerit coram iudice, tamen pro parte Bernardi nunquam fuit comparitum.

An autem laudum ſit iuſtum, vel iniuſtum, hoc pendet à veritate calculi, de quo eſſet particulariter agendum, maximè cùm non ſit verum, quòd in laudo Cinus condemnetur in ſcutis 966. ſed computatis partitis, aſcendentibus ad ſummam ſcutorum 193. in reſiduo tamen condemnatur.

PERVSINA LIQVIDAtionis Fructuum.

Ven. 12. *Ianuarij* 1608.

SVMMARIVM.

1 *Liquidatiõ fructuum in ſpolio non violento, neque attentato, eſt facienda à die motæ litis, & non à die ſpolij. Et non ad fructus qui percipi potuerunt, ſed ad fructus perceptos.*

2 *Fructuum perceptio debet probari per teſtes qui perceptioni fuerunt præſentes, quantitas verò fructuum probari poteſt per teſtes deponentes à conſuetis percipi.*

3 *Illud præſumitur perceptum, quod percipi conſueuit.*

4 *Vna pars, altera non opponente, poteſt procedere coram ſecundo Auditore in locum alterius impediti ſubrogato, etiam re integra, quando iuriſdictio eſt perpetuata.*

DECISIO CCCCXXXIX.

DOmini dixerunt, cùm non ver- 1
ſemur in ſpolio violento, neque attentato, liquidationem fructuum eſſe faciendam à die motæ litis, & non à die ſpolij, & non ad fructus qui percipi potuerunt, ſed ad fructus perceptos, vt latè fuit deductum in cauſa Romana Vineæ 14. Iunij 1577. coram bo. me. Epiſcopo Oriolen. Quorum fructuum quantitatem ſpectantem ad portionem dominicam reſpectu tritici, vini, & olei, bene probant teſtes à conſuetis percipi, nempe tritici ſalmas tres cum dimidia, Vini barrilia quadraginta, olei verò, vt dicunt, Mezzo Mezzolino. † Nam licèt Bald. *in l.* 2
1. *num.* 22. *C. de fruct. & lit. expenſ.* dicat, quòd fructuum perceptio debet probari per teſtes qui fuerunt præſentes perceptioni, tamen hoc dictum procedit, quando agitur de probanda perceptione. Si verò non dubitetur de perceptione, ſed ſolùm de quantitate, prout in caſu iſto, quia bona ſuper quibus fuerat commiſſum ſpolium erant de ſui natura fructifera, vt declarat Neguſ. *de pign. num.* 2. *memb.* 3. *partis num.* 19. *verſ. ſed in hoc poſſet dubitari*, tunc ſufficit probare à conſuetis, vt eſt deciſio Achil. 22. *de reſt. ſpol.* quæ ita declarat dictum Baldi. † Nam illud præſu- 3
mitur perceptum, quod communiter conſueuit percipi. Bald. *in conſ.* 323. *in fine lib.* 2. & *in conſ.* 53. *pariter in fine lib.* 1. Reſpectu verò valoris fructuum nihil firmarunt Domini, ſed dixerunt, eſſe attendendum calmerium ciuitatis Peruſiæ, prout fuit

ſerua

ſeruatum in cauſa Imolen. tutelæ 27. Octobris 1595. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.

Quod dicebatur, vltimam ſententiam Rotalem fuiſſe nullam, ex quo Auditor Rotæ qui eam tulit, fuerat per tunc D. Decanum ſubrogatus in locum bonæ memoriæ D. Littæ infirmi, qui ante prolationem ſententiæ conualuerat, eſt merum ſomniũ. Tum quia veritas eſt, vt reperio notatum in meis Diariis, quòd D. Litta à die Martij 1607. vſque ad diem 23. Iulij non fuit in Rota, & ſententia fuit lata die 9. eiuſdem menſis
4 Iulij. † Tum etiam quia quando eſt perpetuata iuriſdictio, partę non opponente, poteſt procedi coram ſecundo Auditore deputato, etiam re integra. Put. *dec.* 470. *lib.* 2. Et ita practicatur.

De aliis verò nullitatibus, & obiectis, erit particulatiter agendum.

FAVENTINA DILAtionis.

Ven. 16. *Ianuarij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Maior pars creditorum poteſt præiudicare minori ſeruata forma*, l. vltimę C. qui bon. ced. poſſ. *vbi quod eſt de ſubſtantia, vt creditores inſimul conueniant, na.* 2.

3 *Maior pars creditorum, ſi debitum eſt iuratum, non poteſt præiudicare minori.*

Iuramentum ſeruandum eſt, niſi tendat ad interitum ſalutis animæ.

DECISIO CCCCXL.

DVbitaui, an ſententia extra Rotam lata, ſit confirmanda, vel infirmanda. Et quia agebatur de concordia inita inter illos de Gadis, & illorum creditores, pro directione cauſæ, voluerunt Domini, quòd ſtrictè informaretur ſuper eo, An in caſu de quo agitur, maior pars creditorum potuerit præiudicare minori in dilatione danda. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendũ, quia licèt ſit vera concluſio, ſimpliciter 1
loquendo, † quòd maior pars poſſit præiudicare minori in dicta dilatione danda, *l. vltima, C. qui bon. ced. poſſ.* vbi Bart. *num.* 5. & Bald. *num.* 2. Angel. *num.* 1. *verſ. bene ergo poſſunt.* Alber. & alij, Roman. *conſ.* 439. *num.* 1. *&* 2. *cum ſeq.* Tamen debet ſeruari forma *dicta l. vltim.* ſcilicèt vt creditores inſimul conueniant. Quæ forma non fuit ſeruata, ſed fuit actum per viam ſubſcriptionis folij, abſque 2
dicta conuentione, † quæ eſt de ſubſtantia, vt dicit Alexand. *conſ.* 205. *num.* 1. *lib.* 2. ex mente Bald. *in dicta l. vltima, in princ.* quicquid dixerit Pariſ. *conſ.* 100. *num.* 5. *lib.* 3. quem reprobat Stracc. *de decoct. in 6. par. n.* 19. 3
† Vltra quòd nec maior pars poteſt præiudicare minori, quando debitum eſt iuratum, ex alleg. per Boër. *deciſ.* 296. *num.* 5. qui licèt ſubdat, quòd hoc non viderit ſeruari, tamen de iure non probat, quòd non debeat ſeruari, prout nec hoc probat Theſaur. *dec.* 186. *num.* 6. & Guido Pap. *deciſ.* 211. *num.* 1. & alij qui in contrarium poſſent allegari, cùm 4
regula ſit, † quòd iuuamentum debet ſeruari, niſi tendat ad interitum ſalutis animæ, *c. ſi verò, de iur. iur. cap. quamuis, de pactis, in* 6.

An autem illi qui ſubſcripſerunt concordiæ, teneantur illi ſtare, erit particulariter videndum.

BAR-

BARCHINONEN. Prioratus.

Ven. 23. Ianuarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *A ſententia in qua pronunciatur, quem eſſe inſtituendum, datur appellatio, ſecùs à decreto.*

DECISIO CCCCXLI.

1 CVm per ſententiam diffinitiuã fuerit pronunciatum, Paulum eſſe inſtituendum, Rota dixit, non eſſe procedendum ad illius inſtitutionem, quia ab illa ſententia dabatur appellatio, licèt ſecùs eſſet ſi per decretum fuiſſet pronũciatum, vt diſtinguit Benintend. *deciſ.* 79. Contard. *de moment. poſſeſſ. limit.* 3. *num.* 48. Gail. *obſer.* 7. *num.* 4. & 7. *lib.* 1. Et ſæpè Rota fecit hanc diſtinctionem, & præſertim in cauſa Bergomen. præeminentiarum, 16. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Manzanedo. Et propterea Paulus debet expectare tres cõformes, quia priùs ſententiæ exequi non debent, niſi tranſitum fecerint in iudicatum ob non interpoſitam appellationem.

PAPIEN. SALARII.

Lunæ 26. Ianuarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Salarium non debetur illi, qui culpa ſua non inſeruiuit.*

DECISIO CCCCXLII.

DOmini voluerunt, Camillo coadiutori non deberi aliquod ſalarium per Veſpaſianum coadiu-
1 tum, † quia cùm vigore lit rarum coadiutoriæ, ſibi fuerit aſſignatum pro ſeruitio, & ipſe culpa ſua non inſeruierit, ex quo cepit poſſeſſionem, attentando poſt inhibitionem Rotalem, meritò ſibi non debetur dictum ſalarium, ex deductis per Bolognin. *in l. diem functo, num.* 56. *& ſeqq. ff. de offic. Aſſeſſor.*

Nec poteſt iuuari ex eo, quòd lite iniuſta mota per Veſpaſianum coadiutum, fuerit impeditus, quominùs reſideret, quia adhuc non conſtat, litem fuiſſe iniuſtam, & ſi conſtaret, non releuaret, quia inhibitio obtenta per Veſpaſianum non fuit ordinata ad hoc, vt Camillus contraueniendo attentaret, ſed culpa ſua Camillus attentauit, & propterea Veſpaſianus non tenetur ad ſalarium. Abb. *conſ.* 49. *num.* 3. *verſ.* 2. *principaliter, par.* 2. Roman. *conſ.* 508. *nu.* 4. *in fin. verſ. cùm igitur dicta villa.*

PIENTINA BENEficij.

Lunæ 26. Ianuarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *In cauſis beneficialibus cenſetur omne ius ab initio cauſæ deductus.*

2 *In cauſis beneficialibus proceditur ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſine libello, & ſine litis conteſtatione.*

3 *Exequutor datus in gratia* in forma dignum *impetrata per tertium, lite pendente in Rota inter alios, non poteſt dare poſſeſſionem prouiſo, ſine vitio attentatorum, & idem eſt in gratia* ſi neutri, vel ſi nulli, *numer.* 1.

4 *Lite pendente non licet principi ſupplicare.*

Decisio CCCCXLIII.

PEndéte lite coram me inter tres præſentatos, & prouiſum Apoſtolicum, Tantuccius vnus ex dictis præſentatis impetrauit hoc beneficium ob non delationem habitus per Albertum alterum ex præſentatis, & obtinuit literas in forma *Dignum*, & in eiſdem gratiam *ſi neutri*, vel *ſi nulli*, directas Vicario Pientino. Et cùm dictus Vicarius fuiſſet inhibitus iuxta formam commiſſionis, Rota cenſuit, inhibitionem fuiſſe legitimè conceſſam, itaut moderari non debeat, † quia in beneficialibus cenſetur deductum omne ius ab initio. Ægid. *deciſ.* 661. *incip. ſi ex gratia.* Put. *deciſ.* 83. *num.* 3. *lib.* 1. Et fuit dictū in cauſa Grennen. Scholaſticæ, coram Fabro. † Nam in cauſis beneficialibus proceditur ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, vt *in Clem. diſpendioſam, de iudic.* hoc eſt, ſine libello, & litis conteſtatione, & aliis, vt declaratur *in Clem. ſæpè, de verb. ſignif.* Vnde meritò ſequitur, quòd cenſeatur deductum omne ius ab initio, quia pars non ſe reſtringit ad certum libellum. Et propterea in propoſito cenſetur per Tantuccium ab initio etiam deducta iſta noua gratia, de qua in Rota cognoſci debet, † itaut exequutor datus in dicta gratia, non poſſit vllo pacto abſque vitio attentatorum procedere ad illius exequutionem, quia Auditor deputatus in cauſa vigore *Clem. auditor, de reſcript.* poteſt purificare gratiam de qua agitur coram ſe, Vitalin. *in dicta Clem. auditor, nu.* 49. Ægid. *deciſ.* 666. *incip. auditor deputatus.* Et pluriès Rota reuocauit ſimiles exequutiones tanquam attentatas, vt in cauſa Salamantina portionis, 23. Iunij 1586. coram Bubalo, & in cauſa Aquilana beneficij, 1. Iulij coram Orano, vbi dicitur, quòd licèt mentio litis operetur, quòd gratia ſuſtineatur, ea non obſtante, † cùm lite pendente non liceat Principi ſupplicare, Franc. *in cap. vt debitus, nu.* 34. *de appell.* Ægid. *deciſ.* 46. Caſſad *deciſ.* 18. *num.* 6. *de præbend.* Non tamen operatur, quòd ea pendéte, exequutor abſque vitio attētatorum poſſit procedere ad exequutionem propter prædicta.

Reſpectu verò gratiæ *ſi neutri, vel nulli*, viſa fuit Dominis ceſſare omnis difficultas, quia quatenus Vicarius poſſet procedere ad exequutionem, nihilominùs debet expectare euentum litis in Rota, vt expreſsè legitur in dicta gratia, & ideò vlteriùs non eſt inſiſtendum, iuxta notata *in l. ille, aut ille, §. cùm in verbis, de leg.* 3.

ROMANA DE MAgdalenis.

Ven. 30. *Ianuarij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Species reſtringunt genus, vt non cõprehendat niſi ſpecies pares expreſſis, quando in diſpoſitione præcedunt ſpecies, & poſteà ſequitur genus, ne contineat maiora expreſſis, quoàd qualitatem, aut quantitatem numer.* 2.

3 *Dictio* alia, *eſt interpretatiua ſimilium.*

4 *Soluens debita, eaque dinumerans, ſi aliquod omittit, cenſetur illud ignoraſſe, maximè ſi eſt cõſiderabilis magnitudinis, nu.* 5.

6 *Veriſimilitudo multùm operatur ad intelligendam mentem diſponentis.*

7 *Species poſita poſt genus, declarationis cauſa, non reſtringit diſpoſitionem.*

8 So

8 *Solutio debitorum commiſſa in teſtamento, cenſetur facta pro exoneratione conſcientiæ.*

Decisio CCCCXLIV.

DOmini pro maiori parte dixerunt, hæredem Antoninæ non teneri ad ſolutionem debiti de quo agitur. Nam licèt Antonina inter alia legauerit per infrà ſcripta verba. *Item laſcia alli hæredi di Maiſtro Marco phyſico ſcudi cento, & ſcudi cento alle figliole d'vna certa Erminia. Et quelli del ſud. maeſtro Marco, & queſta della ſudetta Donna ſi laſcia per ſgrauare affatto l'anima del ſign. Fabio de Creſcentij, ordinando all infraſcritto ſuo herede, che li paghi, & ſi renſciſſero altri debiti del ſud. ſign. Fabio, il che non crede, ordina che il ſudetto herede li paghi tutti, & non lo facendo, l'agraua la ſua conſcientia.* Tamen non propterea ſequitur, quòd ſtantibus verbis illis, *& ſe riuſciſſero altri debiti, &c.* hæres teneatur ad ſolutionem debiti cenſus ſortis principalis ſcutorũ 2700. vnà cum fructibus, vſque ad obitũ
1 Fabij decurſis, † quia quando in diſpoſitione præcedunt ſpecies, & poſteà ſequitur genus, ſpecies reſtringunt genus, vt non comprehendat, niſi ſpecies pares expreſſis, *l. fin. §. cui dulcia, ff. de trit. vin. ol. leg.* vbi quia teſtator dixit, *lego tibi vina, & omnia dulcia*, ſub illo genere, *& omnia dulcia*, veniunt omnia dulcia, dummodò ſint potabilia. In propoſito autem, cùm teſtatrix voluerit per viã legati ſolui debitum medici ſcutorum 100. quod ſonabat in mercedem, & ſcuta centum filiabus Erminiæ, quæ videntur habere certam cauſam particularem, maximè cùm teſtatrix dixerit, hæc duo legata velle ſolui *per ſgrauare à fatto l'anima del ſign. Fabio*, ſequitur, quòd cùm dixerit, *che ſe appariranno altri debiti (il che non crede) ſi paghino tutti*, quòd iſta verba generalia poſita poſt dictas ſpecies, ſint intelligenda de ſimilibus debitis, † itaut non cõ- 2
tineant maiora expreſſis, neque quoàd qualitatem, neque quoàd quantitatem. Bart. *in l. quæſitum, §. ſi quis fundum, num. 15. circa medium, verſ. ſi verò dubitatur, ff. de fund. inſtr.* Abb. *in cap. ſedes, num. 2. & num. 12. verſ. quandoque, &* 3. vbi etiam Felin. *numer. 5. in 4. declar. verſ. non obſtat 2. declaratio de reſcript.* Et tanto magis, quia genus fuit appoſitum poſt ſpecies per dictionem *alia*, † quæ in- 3
terpretatur de ſimilibus expreſſis, Felin. *in dicto cap. ſedes, num. 6. verſ. dictio alius*, Alex. *conſ. 1. num. 10. lib. 4. & conſ. 34. nu. 2. lib. 1.*

Et prædicta etiam ſuadentur. Nã Antonina habuerat ſcientiam huiuſmodi debiti, quia cùm eſſet hæres ipſius Fabij cum beneficio legis, & inuentarij, & peteret immiſſionem in 5. parte caſalis, ſuper quo fuerat impoſitus huiuſmodi cenſus, ſibi opponebatur, immiſſionem non deberi, quia tanquam hæres Fabij, tenebatur pro huiuſmodi cenſu releuare indemnes dominos de Magdalenis. Vnde manifeſtiſſimè apparet, quòd ipſa non cenſerit de iſto debito, quia cùm dixerit, *& ſi reuſciranno altri debiti, il che non crede*, per hæc verba, *il che non crede*, ſi debita poſtmodùm apparerent, † teſtatrix 4
cenſetur negaſſe veritatẽ, ob ignorantiam facti. Fed. de Sen. *conſ. 23. in fin.* Calder. *conſ. 4. de confeſſ.* Oldrad. *conſ. 329. num. 2.* Quæ ignorantia facti cùm nõ poſſit verificari in iſto debito, de quo teſtatrix habebat ſcientiam, dicendum eſt, quòd de eo non ſenſerit, † maximè cùm non 5
ſit veriſimile, quòd ſi de eo ſenſiſſet, propter eius magnitudinem, ali-

quam expreſſionem non feciſſet, vt dicit Pariſ. *in conſ.96. num.19.& ſeq. lib.3.* † Quæ vetiſimilitudo etiam multùm operatur ad detegendum, de quo fuerit diſpoſitum, vt dicit idem Pariſ. *loco allegato, num.15. & ſeq.* Oſaſch. *deciſ.70. nu.10.*

Neque prædictis obſtat tex. *in l.nomen debitoris, §. final.de leg.3.* vbi quòd filius non ſolùm tenetur ſoluere debitum teſtatoris, ratione mutui, quod fuerat expreſſum, ſed debita ex alia cauſa, propter rationē expreſſam, vt quod ſorori cohæredi
7 reliquerat, liberum proueniret. † Quia in caſu illius textus primo loco fuerat expreſſum genus. Et licèt poſtmodùm fuerit expreſſa vna ſpecies, tamen non cauſa reſtringendi genus ad ſimiles, ſed cauſa declarationis, vt notat ibidem Bart.& meliùs declarat *in §.final. dicta l. quæſitum, ff.de fund. inſtr.* ad quam ſe refert, & bene etiam declarat Felyn. *in dicto cap. ſedes, loco ſæpiùs allegato,* & tanto magis, quia non ſolùm ſpecies fuerant poſitæ poſt genus, ſed aderat ratio expreſſa, vt quod cohæredi reliquerat, liberum proueniret. At in caſu noſtro non fuit primo loco poſitum genus, ſed fuerunt primo loco poſitæ ſpecies, quæ declarant genus per ſupradicta, neque aliqua ratio expreſſa quoàd alia debita, ſed ſolùm ad debita medici, & mulieris.

8 Minùs releuat, quòd iſta ſolutio debitorum, cùm ſit demandata in teſtamento, cenſetur demãdata pro exoneratione cõſcientiæ Fabij iuxta notata per Natt. *in conſ.402. nu.56.* quia quicquid ſit de hoc, in caſu iſto quæſtio voluntatis eſt, an Antonina intellexerit de iſto debito, iuxta notata, *in l.ſi ita fuerit*, ibi, *quòd ſi ex his quæ ſcripſit, ff. de manum. teſtam.* Et cùm ex prædictis conſtet, Antoninam nõ ſenſiſſe de huiuſmodi debito, non eſt quærendum, ex qua cauſa voluerit ſolui debita Fabij quæ apparerent, cùm ſatis ſit, quòd de iſto debito non intellexerit.

BONONIEN. BONORUM de Manſumatico.

Ven. 6. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *In alienatione rei Eccleſiaſticæ ſolemnitas, & cauſa copulatiuè requiruntur.*

2 *Beneplacitum Apoſtolicum in alienatione rei Eccleſiaſticæ ſupplet defectum ſolemnitatum, non cauſæ.*

3 *Cauſa alienandi eſt neceſſitas, vel euidens vtilitas Eccleſiæ.*

4 *Euidēs vtilitas in alienatione rei Eccleſiaſticæ eſt cõſideranda, non ſolùm reſpectu valoris fructuum, ſed etiam valoris rei.*

5 *Ad validitatem alienationis rei Eccleſiaſticæ ſufficit ab initio vtilitas putatiua, licèt Eccleſiæ detur poſteà reſtitutio in integrum, ſi non fuit vtiliter contractum.*

6 *Eccleſiæ contra contractum alienationis obſeruatum per 40. annos tranſacto quadriennio non datur reſtitutio in integrum.*

7 *Reſtitutio in integrum propter enormiſſimam læſionem datur poſt quadriennium.*

8 *Tempus Prælati alienantis in alienatione rei Eccleſiaſticæ ab initio malè facta non computatur in præſcriptionem, ſecùs ſi fuit bene facta.*

9 *Eccleſiæ alienanti datur reſtitutio in integrum contra contractum validè factum, ſi fuit læſa.*

DECI

Decisio CCCCXLV.

POſt reſolutionem factam, quòd ex eodemmet inſtrumẽto locationis non conſtabat de læſione, licèt in eo fuiſſet data facultas affrãcandi, quia iſtud pactum de per ſe non erat conſiderandum; ſed totus contractus. Dubitaui an eſſet danda remiſſoria ad probandum, quòd tornaturæ alienatæ erant 110. & quòd de tempore alienationis nempe de anno 1562. erat valoris librarum 50. Bonon. pro vnaquaque tornatura, & quòd non erant ſubiectæ aquis, & quòd de anno 1578. de quo tempore fuit facta affrancatio, erant valoris librarum 60. monetæ pro qualibet tornatura. Vnde in effectu articuli tendunt ad probandum, quòd tornaturæ alienatæ aſcendũt ad valorem locorum Montium aſſignatorum pro affrancatione. † Et difficultatem faciebat, quia in alienatione rerum Eccleſiæ, duo copulatiuè requiruntur; ſolemnitas ſcilicèt, & cauſa, vt latè per Couar. *var. reſ. lib. 2. cap. 17. num. 2.* † Et licèt beneplacitum Apoſtolicum ſuppleat ſolemnitates, iuxta *conſ.* Abb. 41. *num. 3. lib. 1.* tamen non ſupplet defectum cauſæ. Gemin. *conſ. 48. nu. 9.* Dec. *conſ. 142. num. 5. verſ. non obſtat.* Et hæ concluſiones ſunt tritæ in Rota. † Quæ quidem cauſa eſt neceſſitas, vel euidens vtilitas, *cap. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Clem. 1. eodem tit.* Rebuff. *de alien. reb. Eccleſ. num. 9.* Couar. *loco ſæpius allegato.* † Et hæc euidens vtilitas hìc non adeſt, cùm ſit conſideranda, non ſolùm reſpectu valoris fructuum, ſed etiam reſpectu valoris rei ipſius, vt ſi detur Eccleſiæ res maioris fructus & minoris valoris, non eſt euidens vtilitas, ſi è conuerſo per Eccleſiam detur res maioris valoris, licèt minoris redditus, Ioan. de Anan. *in cap. vt ſuper, in fin. de reb. Eccleſ. non alien.* Et fuit dictum in cauſa Placentina bonorum, 7. Nouembris 1580. in fine deciſionis coram Illuſtriſſimo Domino Cardinale Seraphino.

Verùm reſpondebatur, quòd in alienatione rerum Eccleſiæ ſufficit vtilitas putatiua, vbi ab initio adfuit cauſa primaria vtilitatis, vt quia bona erant ſterilia, licèt non fuerit vtiliter cõtractum in pretio. Et hoc caſu contractus non eſt nullus, ſed Eccleſiæ datur reſtitutio. Cui tamen non eſt locus in caſu iſto, vt mox dicetur. Butr. *in c. 1. num. 19. & ſeqq. de in integ. reſtit.* vbi etiam Franc. *nu. 10. verſ. item nota, & num. 16. circa fin.* & Abb. *num. 17.* Couar. *loco ſuperius allegato, num. 2.* circa *med. verſ. ſed opinio poſterior.* Et fuit dictum in cauſa Lucana bonorũ, 24. Nouembris 1574. & 15. Ianuarij 1571. coram bo. mem. Cardinale Lancellotto. Verùm hæc reſponſio non placuit, quia ex ipſomet inſtrumento conceſſionis conſtabat, bona eſſe fructifera, & non eſſe ſterilia.

Secundò reſpondebatur, quòd contractus erat validus, quia interuenit beneplacitum Apoſtolicum. Et cùm fuerit ſeruatus ſpatio 40. annorum, obſtat Eccleſiæ præſcriptio *cap. de quarta, de præſcript.* Et cùm ſit lapſum quadriennium ad petendum reſtitutionem, deberet oſtendere enormiſſimam læſionem. Et ideo remiſſoria non eſt concedenda, quia ei non ſuffragatur, cùm non articulet enormiſſimam læſionem, † pro pter quam datur reſtitutio in integrum poſt dictum quadrienniũ datum ad illam petendum. Couar. *var. reſ. lib. 1. cap. 3. num. 10. & 11.* Old. *de reſtit. in integr. par. 1. quæſt. 19. art. 7. nu. 66. verſ. in contrarium.* † Neque in hoc caſu eſt deducendum tempus

Rectoris alienantis, ex quo alienatio non fuit malè facta, videlicèt absque beneplacito Apostolico. Tūc enim tempus antecessoris subducitur, quando alienatio fuit malè facta ab initio. Guido Pap. *decis.* 150. *num.* 2. latè Rodoan. *de reb. Eccles. non alien. de sign. verb. alien.* §. *item sub vocabulo alienationis, nu.* 5.

Verùm quia pactum de affrancando potest intelligi de affrancatione facienda, assignādo rem æqualis valoris rei alienatæ, & cùm assignatio fuerit facta de anno 1578. à quo tempore nondum effluxerant 40. anni, non obstat Ecclesiæ præscriptio. Et quatenus pactum intelligeretur, vt laicus posset affrancare pro re minoris valoris, licèt contractus esset validus, stante quòd alienatio est facta cum solemnitatibus,
9 † tamen Ecclesiæ ex ista læsione cōpeteret restitutio in integrum, vt per Butr. & alios *in dicto cap.* 1. *de restit. in integr.* Et potest dubitari hoc casu, an Ecclesiæ obstaret præscriptio, quia affrancatio fuit facta de anno 1578. Ideo statui, super hoc dubio iterum consulere Dominos, maximè quia Ecclesia non deduxit in hac positione iura sua.

ROMANA MOLENdini.

Ven. 6. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Clausula,* parito iudicato *dat iurisdictionem conditionalem, & de stylo signaturæ solet apponi, quando adsunt tres cōformes, non autem quando adest vnica tātùm sentētia, etiam quòd ob non interpositam appellationem, vel prosequutionem transiuerit in iudicatum, nu.* 2.

3 *Clausula,* parito, *non obstat ei qui per vnicam sententiam fuit condemnatus, & ab ea appellauit.*

4 *In spolio à sententia notoriè iniusta, etiam vigore Ægidianæ datur appellatio.*

Decisio CCCCXLVI.

DOmini resoluerunt, in casu de quo agitur, non obstare clausulam *parito iudicato,* quominùs possit procedi ad vlteriora, † quia licèt 1
per ipsam detur iurisdictio cōditionalis. Put *dec.* 429. *lib.* 1. quæ exerceri non potest ante paritionem, *cap. cùm dilecta, de rescript. cap. cùm olim, de offic. deleg.* † tamen cùm stylus signaturæ 2
sit, quòd detur solùm quādo adsunt tres conformes, nō autem vbi adest vnica tantùm sententia, etiam quòd ob non interpositam, vel prosequutam appellationem trāsiuerit in iudicatum, vt fuit resolutum in causa Mediolanen. Capellaniæ, 13. & 23. Maij 1591. coram Illustrissimo Seraphino, & in causa Toletana Capellaniæ, 14. Aprilis, & 12. Maij 1595. coram Illustrissimo D. meo Cardinale Millino & in alia Toletana pensionis, 12. Decembris 1597. coram bon. me. Litta, † propterea non debet ob- 3
stare Herculi, qui per vnicam tantùm sententiam fuit condemnatus, & ab ea appellauit.

Neque releuat, quòd sententia fuerat lata in spolio, & propterea vigore Ægidianæ non dabatur appellatio, vnde clausula *parito,* debet operari, cùm adsit iudicatum, non ex negligentia partis, in non appellando, vel prosequendo, sed ex dispositione Constitutionis. † Nam fuit 4
responsum, quòd quando sententia in spolio est notoriè iniusta, vel nulla, etiam vigore Ægidianæ datur appellatio, quia Constitutio habet hanc exceptionem in ventre. Et

pro

propterea cùm in casu isto fuerit resolutum, appellationem suffragari Herculi, absque eo quòd pars opponeret de clausula *parito*, sequitur, quòd dicta clausula *parito*, non debeat operari, quia cùm sit admittenda appellatio, non adest iudicatum.

PAMPILONEN. DE Iansi.

Lunæ 9. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Intrusus dicitur qui remanet in possessione post rem iudicatam.*

2 *Impetrans gratiam post rem iudicatam aduersus gratiam prouisi Apostoli, non debet facere mentionem de re iudicata, quæ non est ad fauorem prouisi Apostolici.*

3 *Neque tenetur facere mentionem de continuatione intrusionis, tanquam accessoria ad rem iudicatam.*

4 *Accessorium attenditur vti principale, quando in eo militat ratio diuersa.*

Decisio CCCCXLVII.

DVo opponebantur contra gratiam Antonij. Alterum quòd non fecerat mentionem rei iudicatæ, alterum, quòd non fecerat mentionem intrusionis, quam incurre-
1 rat, † ex quo remanserat in possessione post ipsam rem iudicatã; iuxta *consil.* Ferret. 12. *num.* 11. *vers. addo ad ea, lib.* 1. quæ non obstare Antonio
2 Domini censuerunt, † quia cùm impetrasset gratiam aduersùs gratiam Ferdinandi, de re iudicata non habebat facere mentionem, cùm non esset ad fauorẽ Ferdinandi tanquam prouisi Apostolici de hoc beneficio, sed esset ad fauorem patronæ, & propterea hoc casu nõ erat facienda mentio, vt colligitur ex glos. *in l. final.* ponderando verba, *vt sententia retractetur, C. sent. rescind. non posse.* Et idem sentit Alex. *in cons.* 94. *nu.* 2. ibi, *imo nec rescriptum factum in contrarium tenet, lib.* 2. Et ex hac resolutione pendet etiam resolutio secundi dubij, † quia cùm fecerit men- 3
tionem de intrusione, quia lite pendente cẽperat possessionem, de ista continuatione, quæ proueniebat ex sententiis latis contra ipsum non erat facienda mentio, cùm esset accessoria ad dictam rem iudicatam, de qua, si nõ tenebatur facere mentionem, multo minùs nec de ista cõtinuatione intrusionis, tanquam accessoria ad ipsam rem iudicatam, iuxta notata per Anchar. *in cons.* 361. *num.* 4. *in princ.*

Neque releuat, quòd accessorium 4
attenditur vti principale, quando in eo militat diuersa ratio, vt per Alex. *cons.* 4. *nu.* 5. *lib.* 1. prout in casu isto, nam intrusio potuisset mouere Papam ad denegandam gratiam. Quia hoc esset verum, si Papa non sciuisset, Antonium esse in possessione beneficij, & iam fuisse intrusum, quia ceperat possessionem lite pendente, & propterea, cùm factum nõ esset omninò ignotum Papæ, quia sciebat, Antonium fuisse intrusum, videtur dicendum, quòd in continuatione intrusionis propter rem iudicatam, non militet diuersa ratio ab ipsa re iudicata, itaut de ipsa cõtinuatione intrusionis esset facienda mentio.

BAREN. IVRISDIctionis.

Lunæ 16. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam*

tam in tota ſua diœceſi exercendi iuriſdictionem temporalem.

2 *Fundamentum ſuæ intentionis quilibet concludenter probare tenetur.*

3 *Verba ambiguæ ſententiæ debent interpretari ex libello, & petitione, cui conformis eſſe debet.*

4 *Forum Eccleſiaſticum de iure cognoſcit de multis cauſis inter laicos.*

5 *In odioſis ſtricta interpretatio eſt facienda.*

6 *Sententia eſt ſtricti iuris, & nihil amplius probat, quàm ex ea neceſſariò inferatur.*

7 *Diſpoſitio correctoria iuris communis eſt interpretanda vt minùs quàm fieri poſſit corrigat ius commune.*

8 *In dubio facienda eſt interpretatio contra illum qui ſe in ſententia fundat.*

9 *Inſtitutio de iure communi ſpectat ad Epiſcopum.*

10 *Ad Epiſcopum ſpectat reſeruare caſus in ſua diœceſi.*

11 *Dictio*, prout hactenus, *aliquando ſtat conditionaliter.*

12 *Ad præſcribendam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, requiritur vel immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, ſicut in qualibet præſcriptione contra ius.*

13 *In probanda immemorabili, vel quadragenaria eſt demendum tempus litis.*

Decisio CCCCXLVIII.

FVit per Dominos reſolutum, laudum ad fauorem Archipresbiteri Acquauiuæ latum, non eſſe
1 iuſtum, † quia cùm terra Acquæuiuæ ſit in Dioceſi Baren. D. Archiepiſcopus de iure communi habet intentionem fundatam, quòd dicta terra ſuæ iuriſdictioni ſpirituali ſit ſubiecta, *cap. cùm perſonæ de priuil. in 6. cap. omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. Rom. *conſ.* 180. *nu.* 4. *verſ. habet enim Epiſcopus.* Feder. de ſen. *conſ.* 145. *num.* 6. *ante finem, verſ. vnde ſi aliquis.* Et propterea ſequitur, quòd allegans, iuriſdictionem ad ſe ſpectare, tenetur hoc concludenter probare, † cùm 2
ſit fundamentum intentionis ſuæ, iuxta notata per Innoc. *in cap. ſuper his, num.* 10. *verſ. ſed argumentum contra, de accuſat.* & per Bart. *in l. in illa, nu.* 5 *ff. de verb. oblig.* Quòd non probat Archipreſbiter. Primò enim nullibi apparet, prout illi conceditur in laudo, quòd in terra Acquæuiuæ, eiuſque territorio liceat ſibi exercere iuriſdictionem in cauſis ciuilibus, & criminalibus, & mixtis, ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus. Nam ſententia declaratoria Archiepiſcopi Andreæ lata de anno 1221. hoc ſibi non concedit, nec minùs ſententia Epiſcopi Vigilien. lata de anno 1452. quia licèt vtraque ſententia dicat, quòd poſſit ferre ſententias de motis quæſtionibus coràm ipſo, tamen, ſi attendatur prima ſententia, ex præcedentibus, & ſubſequẽtibus verbis apparet, quòd ſemper loquitur de clericis Eccleſiæ ſancti Euſtachij terræ Acquæuiuæ, & eodem modo loquitur ſententia Vigilien. Nam in Commiſſione, quę inſeruit loco libelli, dicitur, quòd cognitio cauſarum inter clericos Eccleſiæ ſancti Euſtachij, ſpectat ad Archipreſbiterum. Ex quo ſequitur, quòd cùm in ſentẽtia dicatur, quòd Archipreſbiter de motis quæſtionibus coram ipſo ſententiam ferre poſſit, intelligẽda ſit de motis quæſtionibus inter clericos dictæ Eccleſiæ ſancti Euſtachij. † Vbi enim ver- 3
ba ſententiæ ambigua ſunt, debent interpretari ex libello, & petitione, cui conformis eſſe debet, *l. vt fundus, ff. commun. diuid.* & not. *in c. licèt Heli, de ſimon.* Bald. *in l.* 1. *nu.* 6. *C. ſi plur. vn. ſent.*

Vnde

Vnde ſequitur iniuſtitia laudi, quod dat facultatem Archipreſbitero, vt poſſit cognoſcere cauſas ciuiles, & criminales, & mixtas ad forum Eccleſiaſticum ſpectantes, 4 quia in hoc excedit. † Tamen quia multæ ſunt cauſę, quę de iure etiam inter laicos ſpectant ad forum Eccleſiaſticum, vt notatur, *in cap. final. de except. in 6. & in cap. licet, de iureiur. eodem libro*, & in aliis iuribus, quæ hîc eſſet longum recenſere, de quibus nulla habetur mentio in dictis ſententiis. Tum etiam quia datur huiuſmodi facultas cognoſcendi, non ſolùm quoàd clericos ſancti Euſtachij, ſed generaliter quoàd omnes in terra, & territorio Acquauiuæ, & tamen pariter in ſententiis nulla habetur mentio dicti territorij, ſed ſolùm quoàd clericos ſancti 5 Euſtachij. † Et cùm materia ſit odioſa, nempe contra diſpoſitionem iuris communis, vt in ſpecie habetur *in cap. vltimo, de offic. Archipresbiteri*, propterea dictum territorium non comprehenditur ſub diſpoſitione Eccleſiæ ſancti Euſtachij terræ Acquauiuæ, vt bene per Oldrad. *in conſ. 121. num. 8. verſ. 3. ſicut ſe habet*, 6 † maximè cùm diſpoſitio ſit in ſententia, quæ eſt ſtricti iuris, itaut nihil ampliùs probet, quàm ex ea neceſſariò inferatur. Alex. *conſ. 84. nu. 3. lib. 3.* Anchar. *conſ. 437. in fine.* Ioan. de Anan. *conſ. 18. in princ.* Achil. *deciſ. 21. num. 3. de reſtit. ſpoliat.* In tantùm quòd omiſſum habetur pro omiſſo, ad effectum, vt remaneat in diſpoſitione iuris communis, Anchar. *dicto conſ. 437. in fine*, qui expreſsè loquitur in ſententia tribuente iuriſdictionem. Dec. *conſ. 445. num. 3.* Tum denique quia dictum laudum concedit etiam iuriſdictionem criminalem Archipreſbitero, contra diſpoſitionem Sacroſancti Concilij Tridentini, *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform. in §. ad hæc*, Circa quam iuriſdictionem ſententiæ non tribuũt aliquid Archipresbitero, quia verba illa ſententiarum, quòd Archipreſbiter poſſit cognoſcere de motis quęſtionibus coram ipſo, in hac materia odioſa debent intelligi de cauſis ciuilibus. † Quando enim diſpoſitio 7 eſt correctoria iuris communis, ſufficit, quòd aliquid operetur, & eſt interpretanda, vt minùs quàm fieri poſſit, corrigat ius commune, *c. cùm dilectus, de conſuet. lib. 2. C. de noxal.* Roman. *conſ. 199. num. 6.* Pariſ. 110. *num. 6. lib. 3.* † Maximè cùm in du- 8 bio fiat interpretatio contra illum qui ſe in ſententia fundat. Alex. *conſ. 81. num. 3. lib. 3.* Dec. *conſ. 321. num. 4.*

Laudum quoque remanet iniuſtum, dum dat facultatem conferendi beneficia in terra Acquæuiuæ eiuſque territorio, quia ſententiæ ſunt reſtrictæ ad beneficia Eccleſiæ ſancti Euſtachij, & nullum verbum in eis de territorio. Et ex iſto capite laudum etiam remanet iniuſtum, quoàd alia omnia in eo contenta, quia in ſententiis antiquis nulla habetur mentio territorij, neque ad illud poſſunt extendi, per ſupradicta. Et in ſpecie remanet etiam iniuſtum, dum dat facultatem Archipreſbitero, inſtituendi præſentatos à patronis, & caſus ſibi beneuiſos reſeruandi, & monitiones de cõtrahendis matrimoniis abbreuiandi, ac omnia alia, & quæcumque ad iuriſdictionem ordinariam ſpectantia, & pertinentia exercendi. Nam quoàd facultatem inſtituendi præſentatos, nihil de hoc habetur in dictis ſententiis. † Et de iure com- 9 muni inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum, *cap. cùm ex iniuncto, in fine, de hæretic. cap. nobis, de iurepatr.* Abb.

10 *conſ.106.num.3.lib.2.* † Prout etiam ad Epiſcopum ſpectat, in ſua Diœceſi caſus reſeruare, vt poſt cõſtitutiones antiquas adeſt conſtitutio Concil. Tridentini, *ſeſſ.24.c.7.de caſ. reſeru.* Et etiam eorumdem prudentiæ, & iudicio committitur, an expediat, monitiones remittere, vt habetur in eodem Conc. *ſeſſ.24.c.7. de reformat.matrim.* Et tandem iniuſtitia laudi apparet, dum in eo dicitur, quòd Archipreſbiter omnia alia & quæcumque ad ordinariam iuriſdictionem ſpectantia, & pertinentia exercere poſſit, præter quàm monitiones, ſub pœna excommunicationis, ad finem reuelationis pro rebus deperditis concedere. Nam nullibi conſtat, Archipreſbiterum habere hanc iuriſdictionem. Et licèt in ſententia Vigilien. dicatur poſt prædicta enumerata, & alia iuriſdictionalia exercere, prout hactenus conſuetum extitit in terra Acquauiuæ; tamen, omiſſo quòd ſententia non loquitur de territorio, vt
11 ſæpè dictum eſt, dictio illa † *prout hactenus conſuetum extitit*, ſtat conditionaliter, ſcilicèt, quatenùs ſit cõſuetum, & non cauſatiuè, ſcilicèt quia conſuetum, ex quo refertur ad illa iuriſdictionalia incerta, & ſic non ad aliquid certum, vt declarat Bolog. *in l.edita*, qui expreſsè loquitur in ſententia, *num.141.C.de edend.* vbi dicit, ita intelligendam eſſe cõmunem ſententiam Bartoli *in extrauag.ad reprimen.in verb.prout, num.2.* Et ex ſtructura verborum apparet, quòd dictio *prout*, refertur ad verbũ impersonale *exercere*, & non ad verbum perſonale *concedimus*, vel *declaramus.* Et propterea debet accipi conditionaliter, vt diſtinguit tex. *in cap. Abbate ſancti Syluani de verb. ſignif.* quia cùm adiungitur verbo impersonali indefinito, quod non habet certum numerum, & perſonam, indefinitiuè intelligitur, quod cùm ſit incertum, & additum, non poteſt ſignificare rem certam. Et ideo neceſſe eſt intelligere illam dictionem conditionaliter. Io. Andr. *in dicto cap. Abbate, num.6.* Hoſtien. *num.13.* Cardinal. *ibidem, in §.contra quod, nu.2.*

Nec laudum poteſt iuſtificari ex 12
depoſitionibus teſtium, quia Archipreſbiter, ſeclusis ſententiis, deberet probare, aut immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo, vt notatur *in cap.perſonæ, de priuil.in 6.* Et regulare eſt in omni præſcriptione contra ius, *c.1. de præſcript. in 6.* vbi not. Doctor. Hic autem quicquid dicendum ſit circa teſtium dicta examinatorum coram AC, non poſſunt probare intentum Archipresbiteri, cùm alter ſit annorũ 26. alter verò annorum 28. Teſtes verò examinati in Rota, vltra quòd ſunt examinati, ſede Archiepiſcopali vacante, nemine citato, & hinc fuerũt poſiti ad partes, nec intentum Archipresbiteri poſſunt probare, cùm fuerint examinati de anno 1592. & lis fuit mota de anno 1590. & de tempore examinis vnus erat ætatis 35. annorum. Et licèt alter eſſet ætatis 60. annorum, tamen nec immemorabilem probat, neque quadragenariam, cùm ſit vnicus, & eius dictum elidatur ex multis proceſſibus factis per Dominos Archiepiſcopos pro tempore. Teſtes verò examinati coram arbitris, alter eſt ætatis 45. annorum, alter verò 50. & fuerunt examinati de anno 1600. Et ſic, quicquid deponũt, certum eſt, quòd ex defectu ætatis, neque immemorabilem, neque quadragenariã probare poſſunt. † Maximè cùm ſit de- 13
mendum tempus litis. Bart. *in l.Celſus, nu.26.& ſeq.ff.de vſucap.*

RO

ROMANA DOMVS, & Cenſus.

Lunæ 16. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Sententia in qua quis non citatus, eſt condemnatus, non afficit non citatum, non tamen eſt nulla quoàd alios.*

2 *In iudicio citandus eſt ille contra quem principaliter agitur, nec eſt neceſſe citare omnes intereſſe habentes, niſi propter extenſionem præiudicij.*

3 *Citatio per proclama eſt neceſſaria, ad hoc vt ſententia præiudicet.*

4 *Sententia lata contra hæredem, non poteſt exequi contra legatarium.*

5 *Succumbens ex ſuis iuribus, non poteſt de iiſdem iuribus dare ex perſona alterius.*

6 *Scientia litis æquipollet citationi per proclama. Scientia verò probatur ex conſtitutione procuratoris ad cauſam.*

7 *Intereſſe tertij quod obuenit lite pendente ab vno ex litigantibus, non impedit exequutionem.*

DECISIO CCCCXLIX.

1 DE validitate primæ ſententiæ Rotalis non poteſt dubitari, quia licèt in ea fuerit condemnata Vrſolina non citata, tamen non inde reſultat nullitas ſententiæ, ſed tantùm non afficit ipſam, licèt in ſententia fuerit condemnata, vt in ſpecie dicit Salicet, *in l. 1. nu. 4. C. ſi aduerſus rem iudicatam.* Neque dicta prima, & ſecunda ſententia Rotalis poſſunt dici nullæ, ex quo dicta Vrſolina & Philippus non fuerint ci-
2 tati pro ſuo intereſſe, † quia pro validitate iudicij ſufficit, citare illum contra quem principaliter dirigitur petitio; nec eſt neceſſe citare omnes intereſſe habentes, niſi propter extenſionem præiudicij. Bald. *in l. ab eo, num. 17. C. quomod. & quando iudex.*

Neque intereſſe Vrſolinæ poteſt retardare exequutionem ſententiarum Rotalium, † quia licèt verum 3
ſit, ſecundùm opinionem quam Rota ſeruat, citationem per proclama eſſe neceſſariam, ad hoc vt ſententia præiudicet illi de cuius intereſſe ſecundariò agitur, iuxta deciſionem Achil. *5. & 6. de dol. & contum.* tamen inteteſſe Vrſolinæ hodie non poteſt retardare exequutionem, quia licèt fuiſſet relicta per virum vſufructuaria, hoc intereſſe ceſſauit per obitū dictæ Vrſolinæ. Et quamuis etiam fuerit ei legata portio bonorum filij qui ingreſſus fuerat Religionem, † & ſit verum, quòd ſententia 4
lata contra hæredem non poſſit exequi contra legatarium non citatum, vt per Achil. *deciſ. 8. de dol. & contum.* prout exequeretur, ſaltem in parte, quia per reſtitutionem domus, & cenſus, minueretur portio ei relicta. Tamen fuit reſponſum, quòd aut filij ſucceſſerunt matri, aut non. † Si 5
ſucceſſerunt, cùm ipſi ſuccubuerint, ex eiſdem iuribus non poſſunt hodie ex perſona matris dare de eiſdē iuribus, vt in fortioribus eſt deciſio Veral. *253. num. 1. & ſeqq. par. 3.* Aut non ſucceſſerunt matri, & non eſt in cauſa perſona legitima, quæ opponat de iuribus Vrſolinæ.

Neque etiam intereſſe Philippi poteſt retardare exequutionem dd. ſententiarum, qui licèt haberet intereſſe pro ſua legitima, vel etiam ex quo fuit admiſſus per fratres ad portionem hæreditatis, non obſtāte quòd fuerat exhæredatus: Tamen fuit reſponſum, quòd intereſſe legi-

timæ non obſtat, ex quo ſciuit cauſam tractari, quod probatur ex cóſtitutione procuratoris, qui poſteà
6 renunciauit mandato. † Nam hæc ſententia ſufficit, & æquipollet citationi per proclama, vt in iſtis terminis dicit Achil. *alleg deciſ.5.de dol. & contumac.* Intereſſe verò ex quo fuerat admiſſus per fratres ad portionem hæreditatis, non eſt conſiderabile, ex quo prouenit lite pendente ab eiſdem fratribus hæredibus inſtitutis, contra quos fuerunt prolatæ ſententiæ, ex iuribus quæ hodie Philippus poſſet deducere, iuxta notata per Verall. *in alleg. deciſ.*
7 253. *num.1.& ſeqq.par.3.* † Vltra quòd intereſſe tertij, quod obuenit lite pendente ab vno ex litigãtibus non impedit exequutionem, iuxta notata per Franc. *in cap. ex ratione, num.* 29 *de appell.* Gabr. *concluſ.31.num.20. lib.2.*

ASSISIEN. CENSVS.

Lunæ 23. Februarij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum publicatum per notarium de eo rogatum, probat.*
2 *Inſtrumenta pes partem producta ſunt in forma probanti.*
3 *Inſtrumentum extractum ex Archiuio probat inter ſubditos.*
4 *Quietantiæ recognitæ per teſtes habentes notam manum ſcribentis probant.*

Decisio CCCCL.

FVit reſolutum, iura ſuper quibus eſt fundata deciſio vltimo loco
1 facta, eſſe in forma probanti. † Inſtrumentum enim ſocietatis anni 1580. eſt in forma probanti, quia eſt publicatum per notarium de eo rogatum Rot. *dec.1. num.1. de fid.inſtru.in nou.* Caput. *dec.244. par.2.* Inſtrumentum verò emptionis cenſus ſub die 11. Iulij 1584. & aliud extinctionis eiuſdem cenſus ſub die 7. eiuſdem anni, & inſtrumẽtum creationis noui cenſus 14. eiuſdem menſis, & anni, ſatis ſunt in forma probanti, ad effectum quòd iudex poſſit ſe fundare in illis, † cùm fuerint 2
producta per partem aduerſam. Rot. *dec.2.de fid.inſtr.in nou.* Put. *deciſ.415. lib.1.& 119 lib.2.* Inſtrumentum verò ſocietatis 7. Septembris 1584. ſatis etiam eſt in forma probanti, † 3
quia fuit extractum ab Archiuiſta ex archiuio, quod propterea probat inter ſubditos. Felin. *in cap. ad audientiam, num.12. verſ.qui tamen non negant, de præſcript.* Cardin. *conſ.72. num.8.* Verall. *deciſ.42.lib.1.* † Quie- 4
tantiæ etiam ſuper quibus eſt fundata deciſio, ſunt in forma probanti, quia fuerunt recognitæ per teſtes habentes notam manum, & hoc ſufficit de ſtylo Curiæ, cùm verſemur in ſcriptura, quæ teſtibus non eget. Vt fuit reſolutum in cauſa Romana hæreditatis de Mazzochis 9. Martij 1580. coram bo. mem. Lauretano.

SPOLETANA DOTIS.

Lunæ 9. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Dotis numeratæ confeſſio facta ante contractum matrimonium, vel poſt, præſumitur facta ſub ſpe futuræ numerationis, vel ex eo quòd fuit ſoluta, & aliis de cauſis, num. 2. & 5.*
In dubio autem confeſſio facta conſtante matrimonio, præſumitur facta ſub ſpe futuræ numerationis, numer.3.

4 *Reuocatio confeſſionis, parte non intimata, non interrumpit præſcriptionem.*

Decisio CCCCLI.

CVm in capitulis matrimonialibus Guidobaldus confeſſus fuerit, ſe recepiſſe ſcuta mille, & poſt contractum matrimonium confecerit literas Cambij ſibi directas, in quibus promiſit, in euentum reſtitutionis dotis, ſe reſtituturum alia 1000. Qui modus contrahendi fieri conſueuit in ciuitate Raguſina, vt conſtat ex ſententia lata in illis partibus, & deponit vnicus teſtis qui datur in ſummario, num. 6. Rota cenſuit, cùm venerit caſus reſtitutionis dotis hæredes Guidobaldi teneri reſtituere, vtrumque mille. †
1 Nam quoàd ſcuta mille confeſſata ante contractum matrimonium, illa præſumuntur confeſſata ſub ſpe futuræ numerationis, ſecundùm magis communem Doctorum ſententiam, vt dicitur in alia deciſione vltimo loco facta. Et propterea cùm matrimonium duraverit vltra biennium, licèt non vltra decennium, & neque maritus, neque hæredes oppoſuerint de non numerata dote intra tempus à iure præfixum, mulier poteſt illam petere, vt *in auth. quod locum habet, C. de dot. caut. non numerata.* †
2 Et idem dicendum eſt etiam quoàd alia ſcuta mille confeſſata in literis Cambij poſt cõtractum matrimonium. Cum *conſ.* 31 *num.* 1 *verſ. circa* 2. vbi de communi teſtatur. Ang. de Peruſ. *conſ.* 4. *num.* 5. *in fine.* Nam, vt dicit Alex. *conſ.* 142. *num.* 5.
3 *verſ. etiam quando eſt confeſſata, lib.* 5. † confeſſio dotis receptæ conſtante matrimonio, in dubio præſumitur facta ſub ſpe futuræ numerationis.

Neque releuat, quòd Guidobaldus reuocauerit dictas confeſſiones in actis cuiuſdam notarij AC. †quia 4
iſta reuocatio non fuit parti intimata, & propterea non interrumpit præſcriptionem, vt in terminis dicit Bald. *in l. in contractibus*, §. *fin.* & ibi etiam Caſtr. *C. de non num. pecun.*

Conſiderabant etiam Domini, 5
quòd cùm confeſſio dotis poſſit fieri nedum ſub ſpe futuræ numerationis, verùm etiam ex eo quòd fuit ſoluta, & etiam aliis modis, vt per Abb. *in conſ.* 73. *num.* 2. *&* 3 *lib.* 2. non erit inconueniens dicere, quòd confeſſiones fuerint factæ, ex quo dos fuerat ſoluta. Nam in ciuitate Raguſina ita conſueuit contrahi, vt dictum eſt, & quod plus eſt, nunquam Guidobaldus negauit iſtam dotem, quia reuocatio confeſſionis non ſuffragatur. Et verè ex ſerie facti apparet, reuocationem fuiſſe factam propter rixas, quæ tunc erant inter ipſum Guidobaldum, & ſocerum. Imò poſt latum laudum, in quo inter alia ordinabatur, quòd Guidobaldus aſſecuraret dotem, ipſe laudum ſimpliciter acceptauit. Nec videtur ſpernendum, quòd vxorem per nouennium habuit, tanquam hoc modo dotatam, quia licèt ad hunc effectum requireretur decennium, vt per Socin. *in l.* 1. *num.* 8. *in fine, ſol. matr.* tamen hæc coniectura non deducitur principaliter, vt per ſe profit, ſed vt aliàs coadiuuet, & fratres ipſius Guidobaldi, ipſo defuncto, quodammodo etiam agnouerunt bonam fidem, aſſignando certum terrenum pro dote.

Ex quibus concluſum, dotem deberi quoàd vtrumque mille.

CÆSARAVGVSTANA
præeminentiarum.

Ven. 13. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſor de tempore litis motæ eſt manutenendus, etiam in præeminentiis.*
2 *Poſſeſſio anterioris ſuffragatur ſucceſſori, etiamſi anteceſſor eſſet Capitulum regulare, verbi gratia, quod fuerit mutatum in ſæculare, nu. 6.*
3 *Confeſſio anteceſſoris præiudicat ſucceſſori.*
4 *Poſſeſſio probari per teſtes.*
5 *Poſſeſſio præſumitur continuata vſq; ad tempus litis motæ, cùm animo retineatur.*
7 *Ius eſt metiendum ex parte actoris, non rei.*
8 *Capitulum regulare quod mutatur in ſæculare, non mutat ſubiectionem.*
9 *Legiſlator per viam declarationis procedens, nihil de nouo inducit.*
10 *Confeſſio procuratoris non præiudicat domino.*

DECISIO CCCCLII.

1 FVit reſolutum, Eccleſiæ de Pilari dandum eſſe mandatũ de manutenendo aduersùs Decanum, & Capitulum Cæſarauguſtanũ, quoàd præeminentias, de quibus in mandato aliàs per Rotam relaxato; quia concurrunt requiſita ad hunc effectum: nempe poſſeſſio de tempore litis motæ, & turbatio, de quibus *in §. retinendæ, inſtit. de interd.* Bart. *in l. 1. §. hoc interdictum, nu. 1. & §. final. num. 18. ff. vti poſſid.* Angel. *conſ. 19.*
2 *num. 1. & 4.* † Dicta enim poſſeſſio Capituli de Pilari, quæ ſuffragatur etiam ſucceſſoribus in Canonicatibus, iuxta *deciſ. 1. de reſtit. ſpoliat. in nou.* ſatis probatur ex dicto mandato per Rotam relaxato, & per Capitulum Cęſarauguſtanum acceptato, cum obligatione de parendo, † 3
quæ præiudicat ſucceſſoribus in dicto Capitulo Cæſarauguſtano, cùm non proueniat à nuda voluntate dicti Capituli Cæſarauguſtani, ſed ex neceſſitate, ſtante iudicio, iuxta notata per Calder. *in conſ. 5. de confeſſion.* Ægid. *deciſ. 695.* † Et adſunt etiam 4
teſtes probantes poſſeſſum poſt dictum mandatum, qui eſt vnus ex modis probandi poſſeſſionem. Rebuff. *in prax. tit. de miſſion. in poſſeſſ. num. 41.* † Quæ poſſeſſio præſumi- 5
tur continuata vſque ad tempus litis motæ, cùm animo retineatur, *l. licèt, de acq. poſſeſſ.* Abb. *in cap. cùm ad ſedem, num. 15. de reſtit. ſpoliat.* Put. *deciſ. 17. lib. 2.*

Nec releuat, quòd non probetur poſſeſſio contra Capitulum ſæcularizatum, ſed ſolùm contra regulares, quia ſufficit, quòd probetur poſſeſſio contra Capitulum, prout probatur, † quia regulares cõſtituebant 6
Capitulum, & erant loco Canonicorum. Doctor. *in cap. cauſam quæ, 1.* vbi Abb. *num. 8. de iudic.* † Et pro- 7
pterea cùm ius metiendum ſit ex parte actoris poſſeſſoris, mutatio perſonarum Capituli Cæſarauguſtani rei, cõtra quod poſſidetur, non mutat poſſeſſionem Capituli de Pilari, actoris, iuxta *deciſionem* Guido. Pap. 629. pluries in Rota canonizatam, † Et in terminis ſæcularizatio- 8
nis in fortiori videmus, quòd ſæcularizatio non mutat ſubiectionem. Abb. *in cap. 2. num. 9.* vbi Imol. *num. 4. circa med. verſ. ſed videtur, de capel. Monach.* & vt dicit. Vital. *in clem. 1. num. 31. de elect.* idem iudicium eſt de Eccleſia cathedrali, ſiue ſit regularis, ſiue ſæcularis. Et ceſſat omnis

nis difficultas, quia ſanctæ mem. Clemens 8. per ſuum Breue declarauit, ſuæ intentionis non fuiſſe, per ſæcularizationem præiudicare præeminentiis Eccleſiæ de Pilari. Et propterea ex dicta ſæcularizatione illi nullum fuit illatum præiudiciũ, cùm Papa proceſſerit per viam de-
9 clarationis,† quæ nihil de nouo inducit, ſed per retrotractionem, quod erat, detegit, vt dicit Bald. *in l. leges, & conſtitutiones, nu. 5. C. de legibus.*

Denique non officit, quòd dictum mandatum de manutenendo aliàs à Rota obtentum, videatur nullum, ex quo Capitulum de Pilari falſum fuit in Commiſſione, quòd fuerat ſpoliatum, & ideo ei competebat remedium recuperandæ, & non in-
10 terdictum retinendæ, quia illa fuit confeſſio procuratoris, quæ non potuit præiudicare Domino, cùm non pendeat ab eius poteſtate, iuxta deciſionem Achil. 4. *de cõfeſſ.* & adeſt ſecunda commiſſio, in qua ſimpliciter petebatur manutentio. Et in omnem euentum de poſſeſſione Capituli de Pilari, etiam poſt mandatum de manutenendo, conſtat ex dictis teſtium, vt dictum eſt.

Ex quibus concluſum, Priori & Capitulo Beatæ Mariæ maioris de Pilari dandum eſſe mandatum de manutenendo, aduersùs Capitulum Cæſarauguſtanum, quoàd præeminentias, de quibus in mandato Rotali.

PIENTINA IVRISPATRONATUS.

Ven. 13. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Ex donatione acquiritur iuſpatronatus interueniente conſenſu Ordinarij, nu. 2. & 6.*

3 *Aſſertio donantis iuſpatronatus, quòd hoc fecerit cum conſenſu Epiſcopi, probat etiam inter perſonas prohibitas, concurrentibus adminiculis.*

4 *Clauſula* omnia & ſingula, *in fine poſita, refertur etiam ad enunciata.*

5 *Diuturnitas temporis ſine obſeruantia inſeruit pro adminiculo ad præſcribendum.*

6 *Notarius Epiſcopi in donatione iuriſpatronatus non eſt neceſſarius ad contractum donationis, ſed ad translationem iuriſpatronatus in donatarium.*

7 *Conſenſus Epiſcopi poteſt interuenire ante, vel poſt donationem iuriſpatronatus.*

DECISIO CCCCLIII.

FVit per Dominos reſolutum, iuſpatronatus non ſpectare ad dominos de Cacciacomitibus, cũ olim Bartholomæus, à quo iſti deſcendunt, donauerit illud Iulio de Albertis, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus,† qui eſt vnus ex modis ac- 1
quirendi iuſpatronatus, *c. illud, de iurepatr. c. vnic. eodem titulo, in 6.* Veral. *deciſ. 287. par. 1.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. par. 2. quæſt. 1. art. 1. nu. 2. & qu. 4. art. 1. fol. 149.* Rot. *deciſ. vltim. de iurepatr. in antiq.* † Et quamuis ad hunc 2
effectum requiratur conſenſus Ordinarij, vt in dictis iuribus,† tamen 3
de eo ſatis videbatur hîc conſtare, ex aſſertione donationis, quæ concurrentibus adminiculis probat, etiam quòd ſit inter perſonas prohibitas, vt latè per Tiraquell. *in l. ſi vnquam, in verb. donatione largitus, num. 102. C. de reuoc. donat.* Achill. *deciſ. 1. de confeſſ.* Iſta autem non eſt nuda aſſertio, ſed interuenit etiam nominatio notarij, qui de dicta licentia fuit rogatus, & iuramentum, ibi, *impetrauit licentiam ab Ordinario*

Epiſco

Episcopatus Pientiæ, prout constat per publicum instrumentum manu Ser Antonij Roselli, & infrà, *cum licentia dicti D. Ordinarij, de qua in dicto instrumento,* & inferiùs, *iurauit dictus Bartholomæus tactis, &c. omnia, & singula fuisse vera.* Vnde censetur iurasse, verum etiam esse, consensum fuisse habitum ab Ordinario, † quia dicta clausula *omnia, & singula, &c.* in fine posita refertur etiam ad enunciata. Alex. *cons.* 17. *num.* 2. *lib.* 3. Ruyn. *cons.* 137. *num.* 6. *lib.* 1. *& cons.* 103. *num.* 11. *lib.* 4. Paris. *cons.* 97. *num.* 91. *lib.* 1. Cresc. *decis.* 5. *de fid. instr.* Concurrit etiam lapsus 36. annorum, qui si esset cum obseruantia, cessaret omnis difficultas. † Sed cùm nunquam beneficium in isto tempore vacauerit, negari non potest, quin iste lapsus inseruiat pro adminiculo. Concurrit insuper amissio scripturarum notarij qui de dicto consensu fuit rogatus. Et insuper considerabant Domini, non esse verisimile, quòd dicta assertio fuisset facta, si verè consensus non interuenisset, cùm non possit excogitari causa, ex qua voluerit donans mentiri, † cùm consensus Episcopi in donatione iurispatronatus non sit necessarius ad donationem, seu contractum donationis, sed ad translationē iurispatronatus in donatarium, cùm contractus possit fieri in præiudicium donantis, cùm disponat de iure suo, sed non translatio iurispatronatus in qua requiritur consensus Episcopi. Rota *decis. vltima, num.* 5. *versic. item non est necessarius, de iurepatronatus, in antiquis.* Roch. *eodem tractatu, in verb. ipse, vel eis, num.* 31. *vers. aduerte tamen.* † Hinc dicitur, quòd consensus Episcopi ante, vel post donationem, potest interuenire. Rota *dicta decis. vltima,* Roch. *in verb. pro eo, num.* 9. & est decisio Than. 20. Et propterea potuisset donatarius post donationem impetrare huiusmodi consensum, qui de facili concedi solet, maximè cùm non fuerit donatum potentiori.

SABINEN. DECIMARUM.

Lunæ 16. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Parochus prætendens decimas ex prædio, debet plenè & concludenter probare, prædium esse intra limites suæ parochiæ.*

2 *A limitibus iurisdictionalibus non infertur ad decimatorios. In dubio tamen aliquando infertur, nu.* 4.

3 *Parochiæ fuerunt diuisæ per Dionysium Papam.*

5 *Præsumitur adfuisse Ecclesias in loco vbi fuit Castrum.*

6 *Gens aduentitia tenetur sumere sacramenta à Parocho in cuius parochia degit.*

7 *Omnis Ecclesia parochialis dicitur habere curam, non tamen omnis Ecclesia habens curam, est parochialis, sed requiritur ad effectum parochialitatis, quòd de necessitate administret sacramenta.*

8 *Ex eo quòd Ecclesia sit matrix, non infertur, quòd Ecclesia castri diruti sit in eius parochia.*

DECISIO CCCCLIV.

DOmini censuerunt, non constare tenutam Montis Maioris esse intra limites parochiæ montis Libertorum, ad effectum quòd illius Parochus dicatur habere intentionem fundatam in decimis iliius tenutæ, quæ percipiuntur à Rectoribus Ecclesiarum ruralium, iuxta tex. *in cap. fin. de paroch. & cap. cùm sint, de decimis.* Nam cùm dicti Rectores

ctores ſint in poſſeſſione longiſſima quadraginta annorum, percipiendi dictas decimas, vt patet ex teſtibus
1 in ſummario Rectoris, *num.*3.† Parochus Montis Libertorum debet plenè & concludenter oſtendere, dictam tenutam eſſe intra limites ſuæ parochiæ, *l.eum qui ff.de probat.* Et in terminis eſt cõſilium Bertrãd. 350.*per totum,& præſertim, nu.6.vol.* 2.*par.*1. Quod non probauit dictus Parochus, quia licèt deducat plures teſtes ad probandum, quòd tenuta Montis maioris ſit de limitibus iuriſdictionalibus caſtri Montis Libertorum, & quòd ipſe adminiſtrauit Sacramenta paſtoribus, & aliis aduentitiis in dicta tenuta, & quòd ex eadẽ tenuta ſepeliuit mortuos,& quòd hæc beneficia de conſenſu Rectoris fuerunt tranſlata ad Eccleſiam Montis Libertorum,tanquã ad matricem, tamen hæc probatio ad effectum de quo agitur non ſuf-
2 fragatur. † Primò quia non benè infertur à limitibus iuriſdictionalibus ad decimatorios, in quibus verſamur. Hoſtien. *in cap.ſuper eo,nu.*3. *&* 11.*de paroch.& in cap.querimoniã, num.*2. & ibi etiam Butr. *num.*6. *de iurepat.* Et fuit dictum coram me in Pacen.decimarum del' *Hebrero* 9.Ia-
3 nuarij 1601. Et ratio eſt, † quia parochiæ olim fuerunt diuiſæ per Dionyſium Papam, *& in cap.*1. 13. *q.*1. *c.paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælatis* Io. Andr. Abbas, & alij *in rubr. de Paroch.* Bertrand. *in alleg.*
4 *conſ.*350. *vol.*1.*par.*1. † Et licèt aliquando arguatur à limitibus iuriſdictionalibus ad decimatorios. Butr. *in cap.*1.*num.*15.*de reliq. domib.* Fel.*in cap.quia iudicante,num.6.verſ.cum iſtis concordat, de præſcript.* Franc. March. *dec.*352.*num.*2.*par.*2.tamen hoc procedit in dubio. Et propterea in caſu iſto non poteſt argui, tum quia conſtat, limites decimatorios parochialis Mõtis Libertorum eſſe omnino diſtinctos,& ſeparatos à dicta tenuta,& illius limitibus decimatoriis, mediantibus finibus naturalibus vnius fontis nuncupati *de Monte Maggiore*,& aliorũ,de quibus deponunt teſtes dati in ſummario, *nu.* 1.in fine,& *num.*4. Tum etiam quia conſtat,olim in tenuta præfata fuiſſe quatuor caſtra certis finibus inter ſe diſtincta,& à territorio Montis Libertorum ſeparata, vt colligitur ex inſtrumento acquiſitionis caſtri Caminatarum factæ de anno 1428. & deponunt teſtes, qui dantur in ſummario *num.*1. Vnde non ſolùm redditur æquiuoca probatio, quòd tenuta originaliter ſit de iuriſdictione caſtri Montis Libertorũ,
† verùm etiam oritur vehemens 5
præſumptio, quòd cùm adeſſent dicta caſtra, adeſſent etiam Eccleſiæ parochiales, propter populum fidelem,iuxta notat. per Archid. *in cap. licèt canon. nu.*2.Gemin.*nu.*4.*de elect. in* 6. Per quæ eliditur intentio parochialis Montis Libertorum.

Et quoàd adminiſtrationem Sacramentorum conſiderabant Domi-
ni, † quòd licèt gens aduentitia te- 6
neatur ſumere Sacramenta à Parocho in cuius Parochia degit, vt pet Hoſtien. *in cap.omnis vtriuſque ſexus, num.*23. & Abbas pariter, *num.*23.*de pœnit. & remiſſ.* tamen cùm in iſta tenuta nõ adſit populus permanens, ſed aliqui paſtores,& ruſtici aduentitij, propterea non videbatur oriri certa præſumptio, quòd ex adminiſtratione Sacramentorum tenuta ſit de parochia.Tum quia iſti paſtores & ruſtici in loco non habebant, neque habent domicilium,tùm quia licèt omnis Eccleſia parochialis dicatur habere curam, tamen non è conuerſo omnis Eccleſia habens cu-

ram dicitur parochialis, ſed requiritur ad effectũ parochialitatis, quòd de neceſſitate adminiſtret Sacramẽta, & quòd illa populus ab eadem de neceſſitate recipiat, gloſ. *in clem. dudum, in verb. impendant, de ſepultur.* vbi Imol. *num.* 32. cum aliis allegatis in cauſa Recanaten. parochialis, 20. Maij 1577. coram bo. me. Lauretano, quæ hîc non probantur. Quinimò teſtes de quibus in ſummario numero vltimo, deponunt, paſtores, & ruſticos prædictos ad ſuſcipiendum Sacramenta acceſſiſſe, modò ad vnam, modò ad aliam Eccleſiam caſtrorum, propè tenutam exiſtente, prout eis magis videbatur, & commodius erat, per quæ neceſſitas excluſa remanet.

Quo verò ad tranſlationem beneficiorum ruralium ad Eccleſiam Montis Libertorum, non videbatur Dominis probatum, quòd huiuſmodi beneficia fuiſſent tranſlata, tanquam ad matricem. Et ſi probaretur, non releuaret, quia ex probatione, quòd Eccleſia Montis Libertorum eſſet matrix, non ſequeretur, quòd tenuta Montis maioris eſſet in ſua Parochia, quia ſtaret ſimul, quòd huiuſmodi Eccleſiæ rurales eſſent in aliena parochia, & quòd nihilominùs Eccleſia Montis Libertorum eſſet matrix. Et ita concluſum.

PORTVGALLEN. PENſionis.

Lunæ 16. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Notarius publicè excommunicatus non fictione iuris, ſed in veritate facti non poteſt conficere inſtrumenta, aliàs ſecus.*

2 *Notarius bannitus poteſt facere inſtrumenta.*

3 *Tranſlatio penſionis facta à balbutiente, vel habente linguam groſſam, vel ſemimortuo, modo intelligeretur, eſt valida num. 5. ſecùs ſi facta fuit ab illo qui loqui non poteſt, num. 4.*

6 *Suaſiones ad aliquid agendum factæ agroto non reperiuntur in iure improbatæ.*

7 *Tranſlatio penſionis non poteſt in ſtipulationem deduci, & ideo ſtante ſtylo quod pars debeat ſubſcribere manu propria contractum, non habet locum in tranſlatione penſionis.*

8 *Præſentia notarij in tranſlatione penſionis requiritur ad illam probandam non ad inducendum aliquem contractum.*

DECISIO CCCCLV.

DOmini reſoluerunt, pro validitate tranſlationis penſionis, ex deductis in aliis deciſionibus. Quibus non obſtabant ea quæ de nouo deducebantur. Nam quòd notarius qui fecit inſtrumentum tranſlationis, eſſet excommunicatus, & bannitus, non releuat, † quia excõ- 1
municatio ad effectum quòd obſtet, debet eſſe publica, non fictione iuris, vt quia ſit lata ſententia, ſed publica in veritate facti, vt quia peruenerit ad aures illorum qui ad notarium currebant pro inſtrumentis, vt declarat Feder. de Sen. *in conſ. 74. num. 3. verſ. ſed poſito quòd communis opinio.* † Et bannum non priuat no- 2
tarium, quominùs poſſit facere inſtrumenta, vt dicit Anchar. *in conſ. 287. num. 1. verſ. contrarium, de iure ſentio.* Et vtrumque etiam obiectum ceſſabat ex facto, quia cùm notarius fuiſſet excommunicatus, ex quo in die Paſchatis non fuerat confeſſus, & communicatus, iuxta diſpoſitionem

nem tex. *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* conſtat, quòd poſteà vtrumque fecit, ex diſpoſitione Abbatis, qui eſt parochus, & ſcriba. Et quoàd bannum, probatur, quòd nõ habuit effectum, vel quòd notarius fuerat abſolutus, ex quo reperiebatur in loco banni.

3 Quòd verò transferens ita titubaret, vt malè loqueretur, non ſuffi-
4 cit, † quia licèt, ſi non potuiſſet loqui, quia deficeret, trâſlatio non teneret, per tex. *in l. iubemus, C. de teſtam.* tamen hoc procederet, ſi ita transferens balbutiiſſet, vt nõ potuiſſet in-
5 telligi. † Sed ſi poterat intelligi prout in caſu iſto, licèt balbutiret, valet tranſlatio, prout etiã valuiſſet, ſi habuiſſet linguã groſſam, & fuiſſet ſemimortuus, modò intelligeretur quid diceret, ex notatis per Alex. *in conſ.* 101. *nu.* 7. *verſ. & ſi qua difficultas, lib.* 7. Coactio verò allegata non pro-
6 batur ex teſtibus. † Suaſiones verò, quæ ex dictis teſtium colliguntur, iure non reperiuntur improbatæ, vt *in l. final. C. ſi quis aliq. teſt. prohib.*

Quòd denique dicebatur, de ſtylo illarum partium requiri, quòd partes quæ faciunt contractus, vel inſtrumenta, debeant illa ſubſcribere, aliàs ſint nullius valoris, non placuit, quia hîc non verſamur in contractibus, vel in inſtrumentis inducentibus obligationem ex contra-
7 ctu, † cùm non agatur de re quæ poſſit in ſtipulationem deduci. Bald. *conſ.* 104. *in princ. lib.* 1. Sed in nuda tranſlatione penſionis facta ex conceſſione Papæ, iuxta notata per Caſſad. *deciſ.* 4. *nu.* 5. *de locat.* Quæ facul-
8 tas, cùm ſit conceſſa militibus, † præſentia notarij requiritur ad probandum tranſlationem, non ad probandum, vel inducendum aliquem contractum, vt per Put. *deciſ.* 344. *num.* 1. *lib.* 2. Et propterea non eſt neceſſaria ſubſcriptio partium.

ROMANA ACCOMmanditæ.

Ven. 20. *Martij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula* aſſecurato iudicio *importat cautionem de iudicio ſiſti, & de iudicatum ſoluendo.*

Decisio CCCCLVI.

CVm AC. relaxaſſet mandatum contra D. Philippum, pro ſcutis 10500. qui appellauit, & obtinuit eidem AC. reſcribi, vt præuia repoſitione procedat, omni, & quacumque appellatione remota, & de voto Rotæ aſſecurato iudicio. Rota cẽſuit in caſu de quo agitur, † quòd 1
iſta clauſula *aſſecurato iudicio*, ne dum importet cautionem dari de iudicio ſiſti, ſed etiam de iudicatũ ſoluendo, quia ſignatura voluit prouidere vtrique parti, nempe D. Carolo, qui iam obtinuerat mandatum, vt daretur ei cautio de iudicatum ſoluendo, aliàs non ſibi fuiſſet æqualiter conſultum. Prout Domino Philippo, qui obtinuit repoſitionem, & quòd procederetur de voto Rotæ. Et ſignatura voluit maturiùs negotium videre, conſulendo tamen in omnibus indemnitati Domini Caroli.

ROMANA LVCRI Dotis.

Ven. 9. *Ianuarij, & Lunæ* 23. *Martij* 1609.

EPITOME.

Statutum Vrbis c.137.lib.1. habet locum in dote, & in lucro dotis.

SVMMARIVM.

1 *Fructus dotis & lucri debentur à die iudicialis intimationis.*

2 *Diſpoſitio clara non eget interpretatione.*

3 *Statutum Vrbis de fructibus dotis habet locum in lucro dotis & num.6.*

4 *Diſpoſita per ſtatutum in dote an habeant locum in donatione propter nuptias.*

5 *Diſtingue,& dic,quòd ad effectum prælationis non eſt idem dicendum de augmento dotis dato à muliere, & lucro dotis, quod prouenit à viro. Secus eſt ad effectum quòd fructus debeantur ob moram non ſoluti lucri dotis,nu.6.& 7.*

8 *Debitum vigore ſtatuti eſt debitum neceſſarium.*

9 *Teſtator legans creditori cenſetur voluiſſe cõpenſare cum debito: quod limitatur quando legatum fuit factum ex alia cauſa,nu.10.*

11 *Terræ quæ ſunt in diſtrictu Vrbis comprehenduntur ſub ſtatuto Vrbis.*

DECISIO CCCCLVII.

1 DOmini reſoluerũt, fructus dotis,& lucri dotalis deberi Portiæ,à die 23.Februarij 1607.quo die fuit facta iudicialis interpellatio,vſque ad diem, quo fuit reſtituta, & quo lucrum reſtituetur.Intrat enim clara diſpoſitio ſtatuti Vrbis, quod fructus dotis debeantur viduæ, ob moram non ſolutæ dotis, poſt iudicialem interpellationem,vt *in c.137.*

2 *lib.1.*† Cuius verba,cùm adeo clara ſint,interpretatione non egent,*l.ille, aut ille, §. cùm in verbis, de leg. 2.* † 3 Quod ſtatutum, licèt non loquatur in lucro dotis, tamen etiam lucrum ſub eius diſpoſitione comprehenditur, quia quod ſtatutum eſt de dote principali, tacitè intelligitur ſtatutum in augmento,quod venit in cõſequentiam.Bald.*in l.etiam per illum, tex in princ.verſ. nam quod iuris eſt de antecedenti,& num.4.verſ.2.nota C.de iur.dot.*Bart.*in d.l.etiam,in fine*, idem Bald. *in l.2.num.1.verſ.vltimò nota C. de bon. quæ liber.* Natt. *conſ.253.num. 4.lib.2.* Ruin. *de augm. conclu.5. per totum,& concl.9 in princ.* Et in hanc ſententiam aliàs Rota inclinauit in cauſa Romana fructuum dotis, 17. Aprilis 1600. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Millino. Et fuit expreſsè reſolutum in cauſa Romana dotis de Maximis,3.Martij 1606. coram R.P.D.meo Pamphilio.† Ne- 4 que obſtat,quòd diſpoſita per ſtatutum in dote non videantur habere locũ in donatione propter nuptias, vt expreſsè dicit Fulgoſ. *in conſ.92. num.3. verſ.de donatione verò propter nuptias*, & Natt. *dicto conſ.253.nu.7.* conſtituit differentiã inter augmentum dotis datum à muliere, de quo loquuntur Doctores prædicti, & etiam *tex.in §.his cõſequens,in authent. de æqualit dot.& donationis propter nuptias*, in qua nos verſamur. † Quia 5 pro reſponſione diſtinguendum eſt, quòd aut agitur ad effectum prælationis contra creditores,& hoc caſu non eſt idem dicendum de augmento dotis dato à muliere,& lucro dotis quod prouenit à viro. Et ita loquitur tex.*in l.final. C. qui pot.in pig. hab.*quem allegat Fulgoſ. *loco prædicto.* Et ita expreſsè loquitur Natt. qui allegat tex. *in dicto §. his conſequens*, qui loquitur in iſtis terminis. † Aut agitur ad effectum, quòd de- 6

bean

beantur fructus lucri dotis ob moram non ſoluti dicti lucri, & hoc caſu diſpoſita à ſtatuto in dote, habent locum etiam in lucro dotis, quia dos & lucrum æquiparantur, ex prædictis, quæ licèt loquantur in augmento dotis dato à muliere, tamen in caſu de quo agitur eadem eſt ratio in lucro quod prouenit à viro, quia de iure communi, ne dum debentur fructus dotis, quando cõcurrunt requiſita Abbatis *in cap. ſalubriter, de vſur. ſub num. 6.* Angel. *in l. diuortio, num. 4. verſ. ſi autem mulier,* Imol. *num. 6. verſ. tu potes dicere, ff. ſol.*
7 *matrim.* † Verùm etiam debentur fructus lucri dotalis, ſeu donationis propter nuptias, iuxta receptam ſententiam, de qua per Gramm. *in deciſ. 103. num. 98.* Vbi quod Conſilium neapolitanum receſſit ab opinione contraria, quam aliàs tenuit, vt in deciſione Afflict. 291. & Capic. *deciſ. 65.* Theſ. *deciſ. 45. nu. 3.* vbi alios allegat Vrſill. ad Afflict. *dicta deciſ.* 291. Surd. *de alim. num. 1. quæſt. 42. nu. 75. verſ. limitat rurſus.* Et inclinauit, & dixit Rota in deciſionibus ſuprà allegatis.

8 Non obſtat, quòd cùm iſtud lucrum deberetur vigore ſtatuti, erat debitum neceſſarium, ex allegatis per Illuſtriſſimum Mantic. *de coniec-*
9 *tur. vltim. volum. lib. 11. tit. 2. num. 3.* † Et propterea cùm teſtator reliquerit ſcuta 7. cum dimidio menſtrua, cenſetur voluiſſe compenſare cum iſto debito neceſſario, idem Illuſtriſ-
10 ſimus Mantic. *vbi ſuprà num. 2.* † Quia hæc concluſio limitatur, quãdo ex alia cauſa legatum fuerit factum, vt author idem dicit, *vbi ſuprà, num. 10. verſ. 3.* debet reſtringi, prout in caſu iſto, quia legatũ menſtruum fuit relictum donec Portia vidualem, & honeſtam vitam ſeruauerit. Et fuit in propriis terminis reſolutum in cauſa Romana donationis propter nuptias, 12. Decembris 1594. coram bon. mem. Litta.

Quæ dicuntur de conſuetudine in terra Fiani, quòd non ſoluatur lucrum dotis, non egent reſponſione, quia talis conſuetudo non fuit probata, & ſi probaretur, videndum eſſet, an eſſet attendendum domicilium originis, vel habitationis viri; interim intrant prædicta, quia terra Fiani eſt in diſtrictu Vrbis, † & propterea comprehenditur 11
ſub ſtatuto, vt *in cap. 42. lib. 1.*

TVLLEN. CANONICATUS.

Ven. 27. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Publicatio reſignationis probatur inſtrumento ſuper ea confecto.*
2 *Literæ prouiſi probant modum prouiſionis contra prouiſum.*
3 *Valor beneficij probatur ex teſtibus de publica voce, & fama, & ſufficit qualis qualis probatio.*
4 *Clericatus probatur ex teſtibus de publica voce & fama.*
5 *Exequutio literarum Apoſtolicarum non conceditur prouiſo de Canonicatu ante fidei profeſſionem.*

DECISIO CCCCLVIII.

CVm Henricus reſignaſſet ius quod habebat in Canonicatu de quo agitur, ad fauorem Nicolai, Rota cenſuit, procedendum eſſe ad exequutionem literarum Apoſtolicarum, quia ſunt iuſtificatæ, iuxta norata per Mohed. *deciſ. 13. vt lit. pend.* Nicolaus enim nedum oſtendit publicationem, prout tenetur, quia eſt pars reſignationis, vt fuit

reſolutum in cauſa Calaguritana Theſaurariæ, 4. Februarij 1579. coram ſanctæ Mem. Clemente 8. & 14. Iunij 1600. in cauſa Hiſpalen. præſtimoniorum, coram R. P. D. meo Lancellotto. Verùm etiam in reliquis
1 iuſtificat ſuam gratiam. † Et quantùm attinet ad publicationem, oſtēditur ex inſtrumento ſuper ea confecto, quod probat. Oldrad. *conſ.* 139. *in fine verſ. decimo* Gem. *conſ.* 27.
2 *in princ.* † Modus autem ex quo fuit prouiſus Henricus, probatur ex eiſdem literis prouiſionis, quæ contra ipſum probant, *ad l. cum precum, C. de*
3 *liber. cauſ.* † Valor autem Canonicatus probatur ex teſtibus deponentibus de publica voce, & fama. Verall. *deciſ.* 277. *nu.* 8. *par.* 1. Put. *deciſ.* 29. *lib.* 1. Ægid. *dec.* 674. prout iidem probant valorem obtenti, ad quem probandū ſufficit qualis qualis probatio, iuxta notata per Ægid. *deciſ.*
4 682. *in princ.* † Clericatus verò probatur ex depoſitionibus teſtium de publica voce, & fama, iuxta dictam deciſionem. Verall. 277. *par.* 1. Quòd Henricus non fuerit adeptus poſſeſſionem Canonicatus, colligitur ex ipſamet narratiua in reſignatione, & in mandato dato ad reſignandum.

Non obſtat, quòd Nicolaus non emiſerit profeſſionem fidei, & quòd ſit clericus regularis, quia emiſſio profeſſionis fidei poterit fieri ante
5 exequutionem literarum, † quæ poterit concedi facta profeſſione fidei. Quòd autem ſit clericus regularis, non probatur, immò ex eiſdemmet teſtibus qui dantur, conſtat de contrario.

IMOLEN. DIVISIONIS.

Ven. 27. *Martij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Auiamentum, & creditum apotheca, recipit æſtimationem.*

DECISIO CCCCLIX.

EX deductis in alia deciſione cōſtat de ſocietate omnium bonorum inter fratres de Ruſſellis, quæ non inficiabantur per fratres qui negant communionem, ſed ſolùm dicunt, quòd non aderāt bona cum quibus poſſit continuari exercitium paternū, & propterea quòd totum lucrum prouenit ex induſtria propria. Sed replicabatur, quòd nō probabatur, quòd bona nō adeſſent,
† & quòd in omnem euentum con- 1
ſiderandum erat, auiamentum, & creditum paternum, quæ recipiunt æſtimationem, & ſtante dicto auiamento, & credito paterno, prouenit lucrum. Vnde Rota permanſit in deciſis, ex rationibus tunc deductis, quæ, vt dictum eſt, non inficiabantur.

Sed quia aliqui ex Dominis dicebant, velle videre ſtatum hæreditatis, & conſiderare etiam, ſi fuiſſet tenuis, an vnà cum auiamēto & credito poſſet eſſe talis cōſiderationis, vt dici poſſet lucrum non proueniſſe ex propria induſtria, quod, & Ponenti placet. Ideo tutiùs videtur, eligere peritum, qui videat, & referat ſtatum hæreditatis.

SABINEN. VILLETTARUM.

Lunæ 30. *Martij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Confinia probantur per ſententiam. Item per teſtes, nu.* 2. *Item per enunciatiuas, nu.* 4.

3 *Con*

3 *Confine prædij illud dicendum eſt, quod prædio magis adaptatur, & conuenit.*

5 *Ceſſantibus verbis, diſpoſitio debet ceſſare.*

6 *In probandis confinibus admittuntur præſumptiones, & coniecturæ.*

Decisio CCCCLX.

DOmini, vna tantùm parte informante, cenſuerunt, Villetas contineri intra fines deſignatos per homines Montorij, non autem intra deſignatos per homines Viuarij. Nam cùm in conceſſione facta vtrique Communitati ab Abbatia Farfenſi, & in ſententia læta de anno
1 1520. † quæ probat confinia, vt per Bald. *in conſ.* 420. *verſ. item probatur per ſententias, lib.* 1. dentur pro cõfinibus ab vno latere pertinentiæ Porticæ, vt in planta, *num.* 17. anno-
2 tato cum ſigno aſteriſco, † & probãt etiam teſtes, qui admittũtur ad probandum confinia, vt per Bald. *loco ſuperiùs allegato, verſ. interdum per vulgi opinionem*, qui dicunt, etiam hodiè dictas pertinentias, eſſe de territorio Vallis infredæ, ſequitur, quòd foſſatum Stephani ſit illud deſignatum pro confine ab hominibus Montorij, vt in planta, *num.* 16. quod homines Viuarij in planta ſub litera I. quod homines Montorij vocant *de Morconi.* Nam ſi eſſet iſtud deſignatum ab hominibus Viuarij, nullo pacto poſſet verificari confine de pertinentiis Porticę, quę ſunt extra iſtud foſſatum, quod homines Montorij dicunt, Stephano, & intra hæc duo foſſata adſunt pertinentiæ Caſtri diruti Finibaldi, vt
3 in planta, *num.* 18. † Et propterea dicendum eſt, foſſatum Stephani eſſe illud deſignatũ ab hominibus Montorij, iuxta notata per Alexand. *in l. ſi in nomine, num.* 3. vbi etiam Caſtr. *num.* 4. *verſ. item quòd ſi exprimit, C. de teſtam.* Rolan. *conſ.* 67. *num.* 19. *vol.* 2.

Et prædicta corroborantur, quia in donationibus antiquiſſimis factis Abbatiæ de hoc territorio, nempe de anno 1021. 1203. & 1206. datur pro confine foſſatum Stephani. † 4 Quæ inſtrumenta donationum, cùm contineant enunciatiuas, ſatis probant confinia, gloſ. & Doctor. *in cap. cùm olim, de cenſibus*, Alex. *conſ.* 89. *nu.* 6. *& conſ.* 50. *num.* 9. *lib.* 5. Cùm verò hodiè in vtraque conceſſione facta per Abbatem Communitati dentur pro confine pertinentiæ Porticæ, quod confine, vt dictum eſt, cùm adhæreat foſſato Stephani deſignato per homines Montorij, ſequitur, quòd iſtud confine foſſati ſit reale, & verum, & non illud deſignatum ab hominibus Viuarij.

Et hinc etiam ſequitur, quòd nedum iſtud ſit foſſatum Stephani, ſed etiam quòd petra ficta naturalis, ſit illa deſignata in planta ab hominibus Montorij, ſub *num.* 14. quæ datur pro confine in dictis donationibus, & non deſignata ab hominibus Viuarij, ſub litera G. Nam expreſsè in donatione facta de anno 1023 datur pro confine ab vno latere foſſatum, quod dicitur Stephani, aſcendens in Volubrium, & petram fictã, & per ipſam ſupra foſſatum aſcendens in riuum ſancti Martini. Nam ſi petra ficta, & foſſatum Stephani eſſent illa deſignata ab hominibus Viuarij, foſſatum deſcenderet ad petram fictam, quæ non conueniunt confinibus aſſignatis in dicta donatione. † Et propterea eliditur in- 5 tentio hominum Viuarij. Bart. *in l.* 4 § *toties, ff. de dam. infect.* Roman. *conſ.* 197. *in princ. verſ. neque præmiſſa.* Et ideo petra ficta, & foſſatum ſunt illa deſignata ab hominibus Montorij,

torij,quia aſcendit in Volubrium,& petram fictam, vnde iſta deſignatio Communitati Montorij ſuffragatur, iuxta notata per Caſtr. *in conſ. 154.in princ.lib.1.*

Quod etiã ſuadetur, quia in donatione facta de anno 1206. datur pro cõfine à capite volubrium, & petra ficta naturalis, & terra quæ diſtat inter Viuarium,& Malam mortem, & Serrę,id eſt,cacumina Montium, dantur pro confine, tam in alia donatione facta de anno 1021.quàm in ſententia lata de anno 1520. in qua expreſsè datur pro confine Serra Viuarij, & etiam in conceſſione facta hominibus Montoriæ. Vnde ſi petra ficta naturalis eſſet illa deſignata ab hominibus Viuarij,non verificaretur, quòd à capite pro confine eſſet petra ficta naturalis,& Serrę quæ diſtant inter Viuarium, & Malam mortem, quia in loco vbi deſignatur petra ficta naturalis ab hominibus Viuarij, non poteſt verificari, quòd ibi adſunt Serrę Viuarij,prout verificatur in deſignatione facta per homines Montorij,vt in planta, *num.13.*

Et ceſſat omnis prorſus difficultas, quia vt dictum eſt, petra ficta naturalis datur pro confine à capite, petra autem ficta deſignata ab hominibus Viuarij, eſt à pede, quod clarè oſtenditur, quia hæret riuo ſancti Martini, qui in omnibus donationibus prædictis,& in ſententia datur pro confine à pede,prout etiã datur in conceſſione facta hominibus Montorij.Ex quo dicendum eſt, petram fictam naturalem,& foſſatũ Stephani eſſe deſignata ab homini-
6 bus Montorij. † Maximè cùm in materia cõfinium admittantur præſumptiones,& coniecturæ,*c.cùmcauſam,in fine*,vbi Fel.*in princ. de probat.* Dec. *conſ.42.num.10. verſ. his tamen non reſiſtentibus*, Pariſ. *conſ.27. num. 15. lib.1.* Natt. *conſ. 672. num.13. lib.4.*

Quoàd alia confinia, non eſt controuerſia,quia quoàd riuum ſancti Martini, partes ſunt concordes, & tota difficultas conſiſtit in eo, an petra ficta,& foſſatum Stephani ſint deſignata ab hominibus Montorij, prout ſunt ex prædictis. Ad quam autem ex iſtis duabus Communitatibus ſpectent Villettæ, erit particulariter videndum.

FIRMANA, SEV NVLlius Iuriſpatronatus.

Lunæ 30. Martij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum* ſeſſ.25.c.9. de reform. *habet locum tam in petitorio,quàm in poſſeſſorio.*

2 *Præſentationes effectum ſortitæ vltra 100. annos probant iuſpatronatus.*

3 *Exiſtens in quaſi poſſeſſione præſentandi, vel inſtituendi, ſi de iurepatronatus conſtet, eſt manutenendus.*

Decisio CCCCLXI.

FVit reſolutum, Antoniæ Bonacurſiæ,& Priori ſanctæ Victorię, dandum eſſe mandatum de manutenendo, quoàd quaſi poſſeſſionem præſentandi,& inſtituendi reſpectiuè. † Nam licèt diſpoſitio Concilij 1
Tridentini *ſeſſ.25. cap.9. de reformat.* habeat locum tã in petitorio, quàm in poſſeſſorio. Vnde ſola quaſi poſſeſſio non ſuffragatur, vt cenſuit Congregatio Illuſtriſſimorum interpretum, & dixit Rota in cauſa Romana Parochialis 31. Ianuarij 1600.coram Reuerendiſſimo Pacen.

tamen

tamen in caſu iſto quaſi poſſeſſio D. Antoniæ præſentandi, & Prioris inſtituendi, debet ſuffragari, quia conſtat de iurepatronatus ex donatione, & fundatione, qui eſt mo-
2 dus probandi iuſpatronatus. † Et adſunt præſentationes effectum ſortitæ vltra centum annos. Quæ centenaria poſſeſſio probat iuſpatronatus. Et cenſuit Congregatio Con-
3 cilij, & pluriès dixit Rota. † Et propterea cùm conſtet de iurepatronatus D. Antoniæ, quæ eſt in quaſi poſſeſſione præſentãdi, & Prioris in quaſi poſſeſſione inſtituendi, debet dari manutentio, §. *hodie, inſtit. de interdict. cap. cùm Eccleſia Sutrina*, vbi not. *de cauſ. poſſ. & prop.*

VITERBIEN. FIDEIcommiſſi.

Lunæ 30. *Martij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis vnicus concurrentibus coniecturis probat læſionem.*

DECISIO CCCCLXII.

CVm peteretur reſtitutio in integrum aduersùs aditionẽ hæreditatis Pacifici de Diuitia, Domini, ante quàm de aliis cognoſceretur, voluerunt videre, an adeſſet læſio. Et affirmatiuè fuit reſolutum, quia cùm non dubitetur de fideicõmiſſo ad fauorem Octauij, & aliorum, reſolutio pendet ab eo, an Pacificus reliquerit bona propria: & non reliquiſſe, ſatis probatur ex depoſitione vnius teſtis, qui dicit, quòd Pacificus nihil proprij habebat, ſed omnem ſubſtantiam ſibi
1 fuiſſe relictam à patre. † Qui teſtis licèt ſit vnicus, nihilominùs ſatis probat, ex quo cum dicto ipſius concurrunt coniecturæ, & præſumptiones ex circumſtantiis facti, iuxta doctrinam Io. Andr. *in cap. fin. nu. 4. verſ. nam vt dicit, de ſucceſſion.* Cæſ. de Graſſ. *deciſ. 3. num. 6. de probation.* Dictæ autem coniecturæ, & præſumptiones, ſatis colliguntur ex depoſitionibus duorum teſtium, qui deponunt, quòd Pacificus erat luſor, & quòd malè vtebatur ſubſtantia ſua, illam alienando. Vnde non eſt veriſimile, quòd bona acquiſiuerit, ita vt ex aditione ſuæ hæreditatis, non reſultet læſio.

Neque prædicta poſſunt velari ex aditione ipſa hæreditatis, quaſi fuerit cum maturitate adita, quia aditio firmiter facta non adeſt, & fuit ſolùm inducta, ex quibuſdam coniecturis, vt in deciſione corã me facta, ſub die 5. Aprilis 1604. Vnde concluſum pro læſione.

VRBEVETANA FIDEIcommiſſi.

Ven. 3. *Aprilis* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Filij poſiti in conditione cenſentur vocati, quando teſtator reſpexit ad conſeruationem agnationis, & numer. 6.*

2 *Exceptio eſt de regula, & limitat regulam.*

3 *Subſtitutio facta cum clauſula, ſi ſine filiis deceſſerit, habet locum etiam ſi deceſſerit cum vno filio.*

4 *Subſtitutio fideicõmiſſaria facta cum clauſula ſi deceſſerit ſine filiis, ſi ſubſtitutus decedat vno ſuperſtite filio, fideicommiſſum expirat, niſi contrarium conſtet ex coniecturis, nu. 6.*

5 *Filij non cenſentur grauati ex eo quòd ſunt vocati, niſi contrarium conſtet ex coniecturis, nu. 7.*

8 *Fideicommiſſum inducitur inter deſcendentes ex eo quòd teſtator habuit rationem conſeruandæ agnationis.*

Decisio CCCCLXIII.

PEtrus teſtator inſtituit Petrucium filium, & alios filios maſculos naſcituros, & ſi quis eorum deceſſerit in pupillari ætate, vel poſteà quandocumque, ſine filiis maſculis legitimè ex ſe deſcendentibus, ſubſtituit etiam & eis ſuper viuentem & ſuperuiuentes, & eorũ filios maſculos, & alios deſcendentes. Quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus maſculis ex filiis vel nepotibus, vel aliquis alius deſcendens maſculus non ſupereſſet, ſubſtituit eis Hugolinum, & Leonellum, quos etiam ſubſtituit in euentum, quòd ipſe Petrus teſtator decederet ſine filiis. Concludens teſtamentum: Ita quòd hęreditas dicti teſtatoris nunquam ad filias vel deſcendentes fœminas deueniat, ſed ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe dicti teſtatoris, ſaluo, quòd dictus Petrucius, & alij filij teſtatoris, & alij maſculi deſcendentes ex eis poſſint in vita ipſorum, & quilibet ipſorum de bonis ipſius teſtatoris ad eos pertinentibus liberè facere ad velle ipſorum, in totum vel in parte, non obſtante ſubſtitutione præfata.

1 Vnde ſtante tenore huius teſtamenti, Rota tertia vice reſoluit, conſtare de fideicommiſſo ad fauorem deſcendentium Petrucij, reſeruato tamen vt videatur particulariter, an extendatur vltra pronepotes, & an adſit reciproca inter ipſos. Et vltra deducta in aliis deciſionibus, particulariter conſiderabant Domini, quòd licèt in clauſula, *quòd ſi aliquis, &c.* deſcendentes ſint poſiti in conditione, & propterea ex communi ſententia non cenſeantur vocati, tamen contrarium dicendum eſt in caſu iſto, ſtante alia clauſula, *ita quòd hæreditas dicti teſtatoris nunquam ad filias vel deſcendentes fœminas deueniat, ſed ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe*, per quæ verba per neceſſe dicendum eſt, deſcendentes fuiſſe vocatos, quia cùm expreſſerit rationem, *ita quòd bona ſemper remaneant apud maſculos de ſtirpe*, & ſic pro conſeruatione agnationis, † videtur etiam voluiſſe vocare deſcendentes, quos poſuit in conditione. Et hæc eſt firma, & communis cõcluſio, vt dicit Pariſ. *in conſ. 6. nu. 16. volum. 3.* latè Illuſtriſſimus Mantic. *de coniect. vltim. vol. lib. 11. tit. 3. nu. 15.* Et hoc etiam manifeſtiſſimè oſtenditur ex facultate alienandi conceſſa deſcendentibus in dicta clauſula *ſaluo quòd &c.* quæ cùm denotet ex- 2
ceptionem diſpoſitorum, & ſit de regula, Signorol. *conſ. 75. num. 8. verſ. ſed aduocatus*, & importet limitationem & exceptionem, vt ea quæ ſunt ſalua non veniant in fideicommiſſo, vt bene per Anchar. *conſ. 27. num. 5. & 6. verſ. accedit ad hoc*, per neceſſe dicendum eſt, cùm fuerit data facultas deſcendentibus Petrucij alienandi, quòd fuerit vocatus ad fideicommiſſum, quia iſta exceptio eſt de regula, & venit limitatoriè ad diſpoſita. Ergo in diſpoſitione veniunt etiam deſcendentes, quibus data eſt hæc facultas, iuxta notata per Anchar. & Signorol. *locis prædicatis.*

Neque eſt verum, quòd prædicta procederent ſi teſtator deceſſiſſet pluribus filiis relictis, ſed cùm deceſſerit vnico tantùm filio relicto, prædicta non habent locum, iuxta conſ. Oldrad. 177. † quia vt fuit di- 3
ctum in aliis deciſionibus, communis ſententia eſt contra Oldrad. & Doctores ſequuntur ſententiã Bart.

in l.

in l.quamdiu inſtitutus, 68.*num.*10.*ff. de acq. hered.* vt dicit Iaſ.*in conſ.*148. *num.*15.*lib.*2.Marzar.*de fideicommiſſis, quæſt.*13.*per totum,& conſ.*1.*nu.*1.

4 Neque etiam facit, quòd in omnem euentum expirauit fideicommiſſum, quia ſubſtitutio eſt facta ſi quis decederet ſine filiis.Vnde cùm Petrucius obierit cum filiis,expirauit fideicommiſſum , iuxta conſil. 5 Old. 21. † Et eius filii & deſcendentes ex eo quòd ſunt vocati, non ideo infertur , quòd ſint grauati, quia non bene infertur de vocatione actiua ad paſſiuam. Marzar. *conſ.* 6.& 7. Pariſ. *conſ.*31. *num.*28. *lib.*2. Et fuit dictum in cauſa Romana hæreditatis de Foſſanis, 12. Febr. 6 1588. coram bo. me. Gyptio.† Nam conſilium Oldrad. non habet locũ quando conſtat de contraria mente teſtatoris , etiam per coniecturas. Corn. *conſ.*146.*num.*7. & *ſeqq. lib.*2. Dec.*conſ.*477.*nu.*4.Curt.iun.*conſ.*121. *num.*15.Soc.iun.*conſ.*1.*num.*70. Et in ſpecie non habet locum,quando teſtator habuit rationem conſeruandæ agnationis, vt per Curt. *in dicto conſ.*121.*num.*15.*cum ſeqq.*Marzar.*conſ.* 4.*num.*11. & *conſ.*7.*num.*11. Rimin. iun. *conſ.*456.*num.*32. prout in caſu iſto,quia non ſolùm ſemper vocauit deſcendentes maſculos excluſis fœminis, ſed poſt deſcendentes vocauit agnatos tranſuerſales. Aym.*conſ.* 98.*ſub num.* 1.& *conſ.*326. *num.*16. *verſ.*3. *concurrit.* Gabr. *de fideic.concl.* 7.*num.*7. Guido Pap. *quæſt.*531.*nu.*6. *verſ.*1. *quia eſt.* Et ex hac reſponſione tollitur etiam quod dicitur, non 7 inferri ex vocatione ad grauamen,† quia concluſio non procedit,quando ex coniecturis conſtat de contrario , vt admittunt Doctores præcitati , prout in caſu iſto,quia vocatio eſt qualificata, & declaratur, ita quòd bona ſemper remaneant apud maſculos de ſtirpe , & nunquam ad filias fœminas deueniant.† Vnde ex 8 iſta ratione conſeruandæ agnationis videtur inductum fideicommiſſum inter deſcendentes , iuxta conſil. Cum.2. *nu.*4.*verſ.ad hoc etiam facit*, Dec. *conſ.*227. *num.*6.*verſ. nam dum teſtator.* Et fuit ponderatum in aliis deciſionibus.

Quæ inculcabantur circa obſeruantiam contra fideicommiſſum,nõ egent reſponſione,quia ſunt ſublata ex vltima deciſione particulariter ſuper hoc facta , cum qua tranſierunt Domini , cùm nihil de nouo deduceretur.

TERDONEN. IVRISpatronatus.

Ven. 6.Aprilis 1609.

SVMMARIVM.

1 *Præſentatus debet inſtitui , quando conſtat de iurepatronatus , numer.*2.

2 *Conc.Trid.*ſeſſ.25.c.9.de reformat. *habet locum in petitorio,& in poſſeſſorio.*

3 *Poſſeſſio defuncti non transfertur in hæredem, etiam ſuum, ſine noua apprehenſione.*

4 *Statutum laicorum,quòd poſſeſſio cõtinuetur in hæredem, non procedit in iurepatronatus.*

5 *Præſentatus habens maiorem partem vocum,debet inſtitui.*

6 *Iuspatronatus acquiritur ex generali inſtitutione hæredis. Item acquiritur ex donatione, nu.*7.

8 *In donatione iurispatronatus facta compatrono, non requiritur conſenſus Epiſcopi.*

9 *Tutrix poteſt præſentare ad iuspatronatus , & conſtituere procuratorem ad præſentandum, nu.*10.

11 *Patronatus poteſt accumulando præſentare etiam ab alio compatrono præſentatum, itaut vox vtriuſque præſentato debeat computari.*

DECISIO CCCCLXIV.

1 ROta dixit, quòd licèt præſentatus ab eo qui eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi, debeat inſtitui, iuxta tex. *in cap. conſultationibus, de iurepatr.* tamen hæc concluſio eſt vera, quando conſtat de iurepatro-
2 natus,† quia diſpoſitio Concilij *ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.* habet locum tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio, vt cenſuit Congregatio Illuſtriſſimorum interpretum, & pluries dixit Rota, & quando illemet qui ho-
3 die præſentat, aliàs præſentauit, † quia Rota tenet illam opinionem, quòd poſſeſſio defuncti non transfertur in hæredem ſine noua apprehenſione, iuxta tex. *in l. cùm hæredes*, vbi Doctor. *ff. de acquir. poſſeſſ.* quod habet locum etiam in ſuis hæredibus. Bald. *in l. fin. num. 2. C. de edict. Diu. Adr. toll.* Alber. *in l. 1. §. hoc interdictum, num. 2. ff. quorum bonorum.* Natt. *conſ. 439. num. 5.* Alex. *conſ. 37. ſub num. 5. poſt medium, verſ. ſaltem in caſu noſtro, lib. 1.* vbi de communi. Et fuit dictum in cauſa Spoletana cenſus 27. Ianuarij 1603. coram R. P. D. meo Lancellotto, & aliàs ſæpiùs. Et in terminis iuriſpatronatus eſt deciſio Achil. *5. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* & Verall. *dec. 420. par. 2.* Et fuit dictum in cauſa Tarui ſina, ſeu nullius iuriſpatronatus 17. Martij 1603. coram R. P. D. meo Decano, & in cauſa Ianuen. iuriſpatronatus, eadem die & anno, coram bon. mem.
4 D. Litta. † Neque in terminis iuriſpatronatus poteſt intrare ſtatutum laicorum, quòd poſſeſſio continuetur in hæredem, quia licèt Verall. annotauerit, tale ſtatutum ſuffragari, *vt in deciſione 211. par. 3.* tamen Rota ſemper receſſit à dicta annotatione, tanquam nitente falſo fundamento, vt ſignanter fuit dictum in cauſa Comen. iuriſpatronatus, 8. Iunij 1601. coram bo. me. Illuſtriſſimo Cardinale Seraphino olim noſtri ordinis inſigni Auditore.

Et propterea in caſu de quo agitur, duo ſunt videnda. Primum, an conſtet de iurepatronatus. Secundum, quis habeat maiorem partem vocum, † quia ille debet obtinere *c. 3.* & ibi gloſ. *in verb. qui maioribus,* 5 vbi Ioan. Andreas, Cardin. & alij *in princ. de iurepatr.* Et quantum ad primum, cùm neque Epiſcopus, neque ab eo prouiſus ſint in cauſa, ſed agatur inter compræſentatos, ſufficiunt leuiores probationes. Hic autem multa adſunt quæ videbantur Dominis ſufficere. Quantum verò attinet ad ſecundum, de anno 1542. præſentarunt infraſcripti patroni, Antonius, Petrus, Ioannes, Dominicus, Symon, Carolus, Iacobinus, Marcus Antonius, & Antonius Galeatij, mediante perſona Ioannis eorum procuratoris, & Ioannes della Torre, mediante perſona Simeonis, & eius procuratoris, omnes de Guidobonis, de cuius Ioannis voce hodie non eſt agendum, quia non eſt qui pro eo compareat. Vnde fit, quòd remaneant quatuor voces. Vnde cùm Ioannes Guidobonus filius, & hæres Simonis, vt probant teſtes in ſummario, *num. 1.* præſentauerit Ioannem Paulum Guidobonũ eius filium, & cùm idem Ioannes tanquam donatarius Auguſtini filij Ioannis Dominici, cuius deſcendentiam probant teſtes in ſummmario, *num. 4.* & etiam tanquam donatarius Caſtellini filij Marci Antonij, cuius deſcendentiã probant teſtes in ſummario, *num. 5.* & etiam idem Ioannes tanquam hæres Iacobini, præſentauerit

tauerit eundem Ioannem Paulum, ſequitur, quòd ipſe Ioannes Paulus habeat quatuor vota ex perſona dicti Ioannis; cum præſuppoſito tamen, quòd conſtet de dictis inſtitu-
6 tione & donationibus, † quia per generalem inſtitutionem hæredis acquiritur iuſpatronatus hæreditarium. Bart. *in l. quia perinde, verſ. reſtituta, ff. ad Trebell.* Bald. *in l. final. nu. 59. verſ. ſi autem hæreditatem, C. de edict.*
7 *D. Adr. toll.* † prout etiam acquiritur ex donatione, *cap. vnic. de iurep. in 6.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. par. 2. art. 1. quæſt. 1. nu. 2. fol. 109. & art. 1.*
8 *quæſt. 4. fol. 149.* † Nec in caſu noſtro requiritur conſenſus Epiſcopi, ex quo donatio fuit facta compatrono, Verall. *deciſ. 131. lib. 2.* Et idem Ioannes cùm eundem Io. Paulum præſentauerit, tanquam procurator D. Placidæ matris, & tutricis Petri pronepotis Petri, qui præſentauit de anno 1572. cuius deſcendentiam probant teſtes in ſummario, *num. 2.* ſi de tutela matris cõſtabit, & de mandato procuræ tutricis hoc votum
9 proderit Io. Paulo. † Tutrix enim poteſt præſentare, iuxta notata per Lambert. *de iurepatr. lib. 2. par. 1. qu. 2. art. 10. in princip.* Aym. *conſ. 76. num. 2.* Rocch. *in eodem tractatu, in verb. competens, in 4. quæſt.* Rot. *deciſ. 6. de iure-*
10 *patr. in antiq.* † Et conſtituere procuratorem ad præſentandum, iuxta notata per Lambert. *de iurepatr. lib. 2. par. 1. quæſt. 4. art. 3. num. 1. 2. & 6.* Habet quoque dictus Ioannes Paulus vocem Antonij iunioris deſcen-
11 dentis ab Antonio Galeatij, † qui accumulando, præſentauit eundem Ioannem Paulum, quod licuit ei facere, *cap. cùm autem,* vbi Abb. & Doctor. *de iurepatr.* Et propterea ſequitur, quòd attenta voce Antonij, quæ debet vtrique computari, Ioannes Paulus habeat ſex ex nouem vocibus, Ioannes Baptiſta verò in omnem euentum non poteſt habere, niſi quatuor voces, & ſic inſtitui debet dictus Ioannes Paulus, iuſtificatis prædictis, *vt in dicto cap. 3. de iurepatronatus.*

CRYPTÆ FFRRATÆ, ſeu nullius iuriſdictionis.

Lunæ 6. Aprilis 1609.

SVMMARIVM.

1 *Quando præiudicium eſt viciſſitudinarium, vt quia vna cauſa propter facti poſſibilitatem approbet aliam, & oriantur ex eodem facto, & vna non ſit priùs intentata, priùs cognoſci debet de maiori.*

2 *Exceptio præiudicialis ciuilis priùs cognoſci debet, quã cauſa principalis criminalis, ſtante clauſula* conſtito quòd cauſa ciuilis præiudicet criminali.

Decisio CCCCLXV.

LIcèt verũ ſit, quòd quando præiudicium eſt viciſſitudinariũ, vt 1
quia vna cauſa propter facti poſſibilitatem approbet aliam, & oriatur ab eodem facto, & vna non ſit priùs intentata, debeat cognoſci primo loco de maiori, qualis eſt criminalis, *l. 1. C. qui accuſ. non poſſ.* Salyc. *in l. final. num. 1. verſ. cauſa hæc, C. de ordin. cogn.* Bart. *in l. fundum, num. 5. ff. de except.* Tamen in caſu de quo agitur, non eſt agendum de maioritate, cauſæ, ſed ſolùm an cauſa ciuilis ſit præiudicialis criminali, ſtante reſcripto ſignaturæ, quæ voluit, vt conſtito Rotæ, quòd cauſa ciuilis eſſet præiudicialis criminali, latrunculatori inhiberetur. Quod quidem præiudicium eſt clariſſimum: † nam cùm fuerit proceſſum 2
contra Miniſtros Abbatiæ, tanquam

turbatores iuriſdictionis Domini Arcis Papæ, replicatur, locũ in quo prætenditur, turbatam fuiſſe iuriſdictionem, nõ eſſe de territorio Arcis, ſed de territorio Abbatiæ, ex qua replicatione oritur præiudicium: nam obtento per Abbatem quòd locus ſit de territorio Abbatiæ, oritur exceptio rei iudicatæ in cauſa criminali, vt per Bartholum *in dicta l. fundum, num.* 4.

CONCHEN. DECIMARUM *della torre el monje.*

Lunæ 6. Aprilis 1609.

SVMMARIVM.

1 *Sumptum ſumpti non probat.*
2 *Immemorabilis ad ſui probationem quæ requirat.*
3 *Sententia lata parte non citata, vel citato procuratore non legitimo, eſt nulla.*
4 *Sententia lata cõtra arrendatarium, non præiudicat Domino.*
5 *Teſtes examinati ſine citatione ad videndum iurare, ſunt nulliter examinati.*
6 *Obſeruantia del et eſſe proxima, aliàs non ſuffragatur.*

DECISIO CCCCLXVI.

IN cauſa reſtitutionis in integrum aduerſus rem iudicatam, ſuper eo quòd Capitulum Conchen. habet de iure intentionem fundatam ſuper decimis de quibus agitur, ſtante legitima donatione ſibi facta per Epiſcopum Ioannem, iuxta reſolutiones factas ſub die 9. Decembris 1602. coram Illuſtriſſimo D. Cardinale Pamphilio. Dubitaui, an ſententia lata de anno 1516. & teſtes nuper examinati, releuarent. Et Rota cenſuit, negatiuè reſpondendum, tum quia ſententia nõ eſt in forma probãti, † cùm ſit ſumptum ſumpti, 1 *auth. ſi quis in aliquo*, & ibi Dec. *num.* 36. *& ſeqq. C. de eden.* Put. *dec.* 159. *nu.* 4. *lib.* 1. Caput. *dec.* 244. *num.* 2. *par.* 2. Quod probatur, quia copia producta non eſt extracta ab originali, ſed à quodam tranſumpto producto in ciuitate de Alcala, de anno 1524. Tum etiam quia ſententia eſt manifeſtiſſimè iniuſta, quia cùm canonizet immemorabilem ad fauorem laici, de contrario conſtat, ex arrendamentis factis per ſubhaſtationem ab anno 1403. vſque ad annum 1531. Nam ſi Capitulum erat in poſſeſſione à dicto anno 1403. vſque ad annum 1531. † impoſſibile eſt, quòd 2 immemorabilis potuerit probari ad fauorem laici, cùm ex iſta poſſeſſione Capituli excludatur, quòd teſtes potuerint deponere de viſu per 40. annos de auditu à ſuis maioribus, & quòd ipſi nunquam audiuerint contrarium de publica voce, & fama, per verbum *fuit*, & *eſt*. Quæ omnia requiruntur in dicto teſtis, ad hoc vt probet immemorabilem, iuxta gloſ. *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. quam Rota ſeruat. † Tum & tertiò, quia 3 ſententia eſt nulla, cùm fuerit lata non citato Capitulo, neque eius legitimo procuratore, quia licèt fuerit citatus Rodericus de Anaya, tanquam refectuarius, & arrendatarius prout verè erat, † tamen ſententia 4 non potuit Capitulo præiudicare. Innoc. *in cap. quoniam frequenter*, §. *ſi ſuper in gloſ. nominare, de re iudic.* Alex. *in l. ſæpe nu.* 114. *ff. de re iudic.* Et licèt fuerit citatus, etiam tanquam procurator, tamen de mandato non cõſtat, nec poteſt præſumi mandatum ex obſeruantia ſententiæ, quia de ea non conſtat. † Nam teſtes qui fue- 5 runt inducti in partibus ad illam probandam, ſunt nulliter examinati ex defectu citationis ad videndum

iurare

iurare teſtes, *l. ſi quando, C. de teſtibus.* Teſtes verò examinati vigore remiſſoriæ Rotalis de anno 1606. non releuant, quia cùm à die prolatæ ſententiæ, vſque ad diem examinis effluxerint 90. anni, non probant
6 obſeruantiam, † cùm debeat eſſe proxima, iuxta notata per Soc. ſen. *in conſ. 6. num. 2. lib. 1.* Et fuit ſæpiſſimè reſolutum. Nam teſtes non deponunt de obſeruãtia proxima poſt ſententiam, ſed longè poſt, nec illorum ætas patitur, vt deponere poſſint de dicta obſeruantia proxima. Et quamuis deponant etiam de publica voce, & fama, tamen conuincuntur, quia conſtat de poſſeſſione Capituli, ex arrendamentis vſque ad annum 1532. Et in omnem euentum, ſententia remanet iniuſta, cùm canonizet immemorabilem ad fauorem laici, & tamen ex prædictis conſtat de contrario.

Et ita concluſum, vna tantùm parte informante.

PERVSINA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 4. Maij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Quando nomen filiorum ponitur in conditione, non deficit conditio, ſi extant napotes, & alij deſcendentes.*

2 *Inſtrumentum cum apoſtilla in margine non requirit ſubſcriptionem notarij atteſtantis ſe apoſtillam ſcripſiſſe, quando eſt certum, à quo inſtrumentum cum apoſtilla fuerit ſcriptum. Contrarium vide, num. 4. 5. & 6.*

3 *Ex viſione ſcripturæ probatur an inſtrumentum, & additionem ſcripſerit idem notarius.*

5 *Notario ſoli non creditur, quòd contractus fuerit celebratus, vel ab eo receſſum.*

6 *Notario atteſtanti, ſe feciſſe inſtrumeneum, creditur.*

7 *Arbitrio iudicis relinquitur, an ſcriptura facta ſit eodem atramento.*

8 *Diſpoſitum in inſtitutione non cenſetur diſpoſitum in ſubſtitutione, niſi exprimatur.*

DECISIO CCCCLXVII.

PRopoſui dubium pro R. P. D. meo Pamphilio adhuc conualeſcente; an conſtaret de fideicõmiſſo ad fauorem Dominorum de Zanettis, & litis conſortum. Et difficultas cõſiſtebat in eo, an eſſent legenda verba illa in teſtamento (*maſculis vel fœminis*) interlineata poſt alia, *& ſi quis ſuorum filiorum decederet ſine filiis legitimis, & naturalibus*; quia ſi addenda ſunt prædicta verba, *maſculis, vel fœminis*, non intrat fideicõmiſſum, cùm Alexander de cuius ſucceſſione agitur, filius teſtatoris, obierit relictis neptibus ex filia prædefuncta, & ſic non fuit purificata conditio ſub qua fuit diſpoſitum, iuxta notata *in l. Lucius, 2. ff. de hæred. inſtit.* † quia quando nomen 1
filiorum ponitur in conditione, non deficit conditio ſi extant nepotes, & alij deſcendentes. Bart. *in l. liberorum, 220. num. 18. in fine, ff. de verb. ſignif.* Bald. *in l. 1. num. 4. C. de condit. inſert.* & alios allegat Socin. ſen. *in conſ. 249. num. 2. lib. 2.* vbi etiam de communi teſtatur, *& in conſ. 17. nu. 1. col. 2. in princ. verſ. nam licèt prædicta opinio, lib. 4.* vbi etiam de magis communi.

Et Domini dixerunt, legenda eſſe verba illa, *maſculis vel fœminis*, quia licèt ſint interlineata, & non adſit probatio notarij, tamen cùm ex viſione conſtet, eſſe manu eiuſdem-

met

demmet notarij, licèt non ſint incorporata, non eſt præſumendum,
2 notarium ea falsò appoſuiſſe. † Nec nocet, quòd notarius non atteſtetur, ſe ſcripſiſſe, quia iſtud tunc requiritur, cùm aliquid reperitur de quo ignoratur à quo factum fuerit, ad tollendam ſuſpicionem; non autem quando conſtat à quo factum fuit, vt expreſsè & in noſtris terminis dicit Caſtrenſ. *in conſ.* 131. *num.* 2. *verſ. ſi conſtat, quòd ſunt de manu eiuſdem notarij, lib.* 2. quem ſequitur Aym. *in conſ.* 88. *num.* 2. *&* 4. vbi in fine dicit, hoc probari ratione naturali, & inconuincibili, quia ad alium finem non requiritur talis atteſtatio, niſi vt ſciatur, an ipſemet notarius fecerit talem apoſtillam, vel alia perſona. Sed vbi de hoc conſtat, ſuperflua videtur atteſtatio. Et hæc eſt doctrina Imol. *in cap. ex literis, nu.* 5. *poſt medium, verſ. aut non poteſt*, quam ſequitur ibidem Fel. *numer.* 14. *verſ. idem ſi ex comparatione, de fid. inſtrum.* Et eſt etiam doctrina Bald. *in rubr. C. eodem tit. nu.* 52. *ad fin. & in l. noſtram, nu.* 8. *C. de teſtam.* quam etiam ſequitur Alex. *in conſ.* 147. *num.* 11. *lib.* 2. *&* *conſ.* 14. *num.* 28. *verſ. quinimò lib.* 6. *&* *conſ.* 104. *nu.* 6. *in fine lib.* 7. & Berou.
3 *conſ.* 91. *num.* 4. *&* 12. *lib.* 3. † Et quòd prædicta additio ſit manu eiuſdemmet notarij, ne dum oſtenditur ex viſione ſcripturæ, vt dictum eſt, ſed etiam comprehẽditur ex quo idemmet notarius paulò poſt factum teſtamentum dedit partibus copiam authenticam cum dictis verbis appoſitis in corpore. Vnde nedum reſultat corroboratio, quòd apoſtilla ſit manu eiuſdem notarij, verùm etiam, quòd habuerit illam pro ſua manu conſcripta, & pro bona, & legali.
4 Et quamuis Ruyn. *conſ.* 68. *nu.* 34. *&* 5. *lib.* 4. teneat contrarium, & dicat, magis communem opinionem eſſe vt declarat Alex. *in l. ſi vnus, C. de teſtam.* cum Io. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de inſtr. edit. in* § *oſtenſo, in additione quæ incipit, dixit Rolandinus*, qui videtur tenere, apoſtillam etiam ſcriptam manu eiuſdem notarij non operari, niſi ſit approbata; tamen veritas eſt, quòd Ioannes Andræas non dicit id ad quod allegatur per Ruyn. quia Ioannes Andræas non loquitur quando notarius corrigeret illud quod priùs tanquam rogatus à partibus, vel à teſtatore omiſiſſet, prout eſt caſus noſter, ſed loquitur, quando notarius fuiſſet rogatus de inſtrumento, & antequàm fuiſſet data copia inſtrumenti in margine ſcripſit cancellatum de voluntate partium, & ſic cancellauit illud quod primò tanquam rogatus à partibus ſcripſerat. Et in hoc puncto dicit Alex. *in dicta l. ſi vnus, ante numerum 9. verſ. Io. Andræas verò loquitur, C. de teſtam.* ſententiam dicti Ioannis Andreæ eſſe veriorem, & quod plus eſt, Alex. in caſu noſtro *ſub num.* 8. ſentit pro hac parte. Et ratio diuerſitatis eſt in prõptu, & colligitur ex eodemmet Ioãne Andræa, † quia ſoli notario non cre- 5
ditur, an cõtractus interceſſerit, vel ab eo ſit receſſum. Et propterea bene procedit dictum ipſius, quòd non credatur, ſi dicat inſtrumentũ cancellatum de voluntate partium.
†Creditur tamen notario, an inſtru- 6
mentum fecerit, & propterea cùm doceat de inſtrumento, licèt adſit apoſtilla, tamen cùm ſit manu eiuſdem, ei eſt ſtandum, quia non adeſt diuerſitatis ratio, quòd ei credatur, ſi adeſt verbum *approbo*; & ſi non adeſt non credatur, quia cùm ſit manus eiuſdem, facile fuiſſet, illud apponere, per ſupradicta.

Et licèt adhuc inculcaretur dicte apoſtil

apoſtillæ non eſſe habendam fidem, tum quia ex diuerſo atramento conſcripta, tum quia etiam ex ea reſultat maxima incongruentia in teſtamento, tamen dicebant Domini, quòd diuerſitas in atramento non apparet,& ſi appareret,quicquid dicendum eſſet, ex notatis per Aym.
7 *dicto conſ.*88. *num.*7. † tamen placeret illa ſententia, quòd negocium eſſet relinquendum religioni iudicantis,vt per Ruin.*in conſ.*95.*num.*1. Menoch.*de arbitr.iud.lib.*2.*cent.*2.*caſ.* 187. *num.*35. *&* 38.*in fine.* Et propterea cùm in caſu iſto non adſit talis diuerſitas, imò nulla viſa fuerit adeſſe, dicendum eſt, non conſtare de tali defectu, vt apoſtillæ fides non ſit adhibenda. Quòd vero attinet ad incongruentiam, dicebant Domini,quicquid dicendum eſſet,ſi ex dictis verbis reſultaret, in caſu iſto non reſultare. Nam teſtator inſtituit quinque filios quos habebat, & ſi quis eorum decederet ſine filiis maſculis,vel fœminis, vocat ſuperſtites, & præmortuorum filios; ſi verò omnes filij inſtituti decederent ſine filiis legitimis & naturalibus maſculis, tunc eiſdem ſic deſcẽdentibus ſubſtituit cippum domus ipſius teſtatoris; & caſu quo in caſu iſto extarent filiæ fœminæ deſcendentes ex dictis ſuis filiis, tunc & eo caſu mandauit eas dotari ſecundùm qualitatem domus. Nam & ſi in dicta ſecunda ſubſtitutione mandauerit filias dotari, & vocauerit cippum domus; tamen iſte caſus eſt diuerſus à primo, & poteſt habere etiam rationem diuerſitatis, quia ſubſtitutio eſt facta in euẽtum,quòd omnes filij inſtituti decederent ſine filiis maſculis. Et iſto caſu, voluit fœminas dotari ſecundùm qualitatem familiæ, & vocauit cippum. At in primo caſu non ita mandauit fœminas dotari,ſed eas vocauit,& meritò quia in ſecundo caſu agebatur de tota & vniuerſa hæreditate, in primo autem caſu de parte tantùm illius qui decederet ſine filiis maſculis. Quæ pars,ſecundùm iudicium teſtatoris poterat eſſe talis,quæ non excederet quantitatem cõgruæ dotis filiæ fœminæ, maximè ſi plures adeſſent. † Hinc in primo caſu nul- 8
lam fecit mentionem de donatione filiarum,prout fecit in ſecundo. Vnde reſultat euidens coniectura,quòd ita teſtator voluerit diſponere, cùm ſi voluiſſet, in primo caſu fœminas excludere,eas mãdaſſet dotari,prout mandauit in ſecundo, iuxta notata *in l.qui filiabus*,vbi Bart.& alij,*de leg.* 1. Et poteſt etiam conſiderari ratio diffrrentiæ, quia ſi omnes hæredes inſtituti decedebant ſine filiis maſculis, totum patrimonium exibat extra familiam; quod ſecus erat ſi non omnes, ſed aliqui, quia relinquentes poſteritatem maſculinam, poterant patrimoniũ augere, prout hodie augent Domini de Banzettis agentes, inter quos adſunt publici legum profeſſores, & alij viri conſpicui.

BERGOMEN. FRVctuum.

Lunæ 11. *Maij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Symonia eſt ſtudioſa voluntas,ſeu cupiditas, ſeu vitium emendi vel vendendi aliquod ſpirituale,vel ſpirituali annexum.*

2 *Qui tenetur ſoluere partem fructuum beneficij tertio, poteſt ſe ad hoc obligare,abſque vitio ſymoniæ.*

3 *Atteſtatio Epiſcopi de beneficio tanquam vnito non probat vnionem,niſi alia concurrant.*

Decisio CCCCLXVIII.

1 Domini dixerunt, non conſtare de ſymonia, † quæ cùm ſit ſtudioſa voluntas, ſeu cupiditas, ſiue vitiũ emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum, gloſ. & Doct. *in rub. de ſymon.* Clar. *in §. ſymonia, in princ.* hîc talis cupiditas ſeu vitium non interuenit; nam licèt Horatius ſe obligauerit ſoluere Monialibus libras 370. annuas, hæc obligatio non fuit de facto extorta à monialibus, ſed ex eo quòd cùm parochialis eſſet vnita Monaſterio, Epiſcopus de anno 1565. vigore Concilij Tridentini, *ſeſſ. 7. cap. 7. de reform.* deputauit Vicarium perpetuum, & ei aſſignauit bona parochialis, cum onere ſoluendi Monialibus dictas libras 370. & reſiduum fructuum reliquit Vi-
2 cario pro congrua. † Et propterea ſequitur, quòd Moniales, exigendo ab Horatio ſucceſſore in dicta Vicaria obligationem de ſoluendo dictas libras 370. & Horatius ipſe ſe obligando de ſoluendo, nullam cõtraxerint ſymoniam, iuxta deciſionem Verall. 132. *par. 1. & 239. num. 2. & 3. par. 3.*

3 Neque releuat, quòd vnio non probatur aliunde, quam per aſſertionem Epiſcopi, quæ non probat, iuxtà conſil. Alex. 70. *num. 10. in fine lib. 3.* quia in caſu de quo agitur, ne dum concurrit aſſertio Epiſcopi, verùm etiam prouiſio anteceſſoris Horatij, vt de Vicaria perpetua, & prouiſio etiam ipſiuſmet Horatij. Quæ ſatis viſa fuerunt Dominis ſufficere, cùm non agatur principaliter de vnione, ſed ad effectum excludendi, quòd prouiſio de ſoluendo ſit ſymoniaca.

BARCHINONEN.
Prioratus.

Lunæ 11. Maij 1609. Vid. Coccin.

SVMMARIVM. 283

1 *Legitimè præſentatus debet inſtitui.*

2 *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de reform. habet locum tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio.*

3 *Confirmatio Conc. Trid. fuit facta de anno 1564.*

4 *In iurepatronatus quod poteſt reuideri ex Conc. Trid. interim dum reuidetur, exiſtens in quaſi poſſeſſione præſentandi eſt manutenendus, licèt ſecùs ſit ſi iuſpatronatus ex priuilegio vacat in menſe reſeruato, nu. 5.*

6 *Tranſactio obſeruata cùm caſus euenit, ſpatio 30. annorum, præſumitur confirmata.*

7 *In diuiduis ſententia poteſt valere reſpectu vnius, & non reſpectu alterius.*

Decisio CCCCLXIX.

Fvit per Dominos reſolutũ, ſententiam Rotalem eſſe cõfirmandam, † quia cùm concurrat vacatio 1
beneficij, præſentatio in tempore quatuor menſium facta à patrono exiſtente in quaſi poſſeſſione præſentandi, & habilitas præſentati; vtique præſentatus debet inſtitui, *cap. conſultationibus, cum ibi not. de iurepatr. cum vulgar.*

Neque obſtat, quòd iuſpatrona- 2
tus debeat eſſe ex fundatione, & dotatione, vt habetur *in Conc. ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.* Cuius diſpoſitio habet locum tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio, vt cenſuit Congregatio, & ſæpè dixit Rota. Prioratus autẽ de quo agitur, eſt ex priuilegio propter augmentum dotis. Nam reſpon

reſpondebatur, quòd quando beneficium eſt de iurepatronatus, ex augmento dotis, prout eſt iſtud, cõceſſum per Clem. 7. de anno 1533. licèt poſſit per Ordinarium reuideri, ſtante diſpoſitione Concilij *dicto c. 9. col. 3. verſ. ſimiliter*, cùm non fuerit conceſſum per 40. annos ante con-
3 firmationem Concilij, † quæ fuit de anno 1564. vt declarauit Cõgregatio Illuſtriſſimorum interpretum in
4 cauſa DD. de Ottonibus. † Nihilominùs, dum cognoſcitur an iuſpatronatus ſit reuocatum, & vtile ſit Eccleſiæ, patronus qui eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi, debet manuteneri, vt reſoluit Congregatio Cõcilij in dicta cauſa Dominorũ de Ottonibus, & fuit dictum in cauſa Lucana Canonicatus 18. Maij 1590.
5 coram Bubalo. † Licèt ſecùs ſit, quando beneficium de iurepatronatus ex priuilegio vacat in menſe reſeruato, quia tunc quaſi poſſeſſio non ſuffragatur, propter clauſulas regulæ 8. Veral. *deciſ. 29. & 326. lib. 1. in manuſ.* Et fuit latè dictum in cauſa Valentina Parochialis de Carlet. coram R. P. D. meo Lancellotto.

Neque etiam facit, quòd Prioratus ſit regularis, & propterea non poterat clericus ſæcularis præſentari, & cùm conſtet de anteriori ſtatu, non interuenerit tempus ſufficiens ad mutationem ſtatus regularis. Nam fuit reſponſum, quòd cùm in priuilegio Clementis detur facul-
6 tas præſentandi perſonam idoneã, † & in tranſactione effectum ſortita ſpatio 30. annorum, quæ propterea præſumitur confirmata, detur facultas præſentandi clericum ſecularem, prout fuit ſemper præſentatus, ſatis apparet, quòd ſufficiat præſentare ſecularem, maximè cùm nec verba priuilegij Clementis repugnent, cùm detur facultas præſentandi perſonam idoneam, & prouiſus ab Ordinario ſuo ſe ligone percutiat, cùm & ipſe ſit clericus ſecularis, & non regularis. Et iſta obſeruantia licèt videatur remota à tranſactione, cùm inceperit de anno 1569. tamen non refert, ex quo per prius ſemper Prioratus fuerat commendatus. Et propterea ſufficit, quòd veniente occaſione præſentandi, fuerit præſentatus clericus ſecularis, & quòd fuit continuatum ita fieri per ſpatium 30. annorum, & vltra.

Neque releuat, quòd præſentatio non fuit facta coram habente inſtituere, nempe coram Priore, quia iſta facultas fuit data in tranſactione; in priuilegio autem fuit conceſſum, quòd præſentationes fierent coram Ordinario, & propterea cùm tranſactio non fuerit in ea parte obſeruata, dicendũ eſt, in ea non fuiſſe confirmatam, cùm ad hunc effectũ requiratur lapſus temporis, & obſeruantia, vt dictum eſt.

Quæ dicebantur contra validita- 7
tem ſententiæ, non placuerunt Dominis, quia licèt inclinarent, ſententiam poſſe ſaluari, etiam reſpectu patronæ; † tamen dato quòd non valeret reſpectu ipſius, poteſt tamen valere reſpectu præſentati, cùm materia ſit diuidua, *l. de vnaquaque, ff. de re iud.* latè Gabr. *conſ. 56. num. 16. vol. 1.* Ruyn. *conſ. 75. num. 13. lib. 5.* prout materia de qua agitur eſt diuidua, iuxta notata per Lanc. *de attent. 2. par. c. 12. ampliat. 11. num. 12.* & per Rot. *deciſ. 2. de iurepatr. in nou.* Lamb. *de iurepatr. lib. 2. par. 2. quæſt. 8. art. 3. per totum.* Et in ſpecie in iſtis terminis fuit dictum coram me in cauſa Lucana iuriſpatronatus, 21. Maij 1603.

MANTVANA, DATIONIS in ſolutum.

Ven. 15. Maij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Venditio dicitur facta ad menſuram, in qua adſunt verba, iuxta menſurã faciendam.*

2 *Procurator conſtitutus ad dandum bona in ſolutum, poteſt bona facere menſurari, & menſurationem approbare & ſi recipiens in ſolutum nolit bona retinere, ſed vendere, proteſtari quòd illud plus quòd venduntur ponatur ad creditum ſui principalis, num. 5.*

3 *Procuratori cui committuntur conſequentia, cenſentur commiſſa anteecedentia.*

4 *Ex obſeruantia 30. annorum, præſumuntur omnia ſolemniter geſta.*

6 *Probatio ex poſitionibus habitis pro confeſſatis, non ſeruata forma* c. 2. de confeſſ. in 6. *non releuat.*

7 *Diſpoſitio rigoroſa debet ad vnguem ſeruari.*

DECISIO CCCCLXX.

DOmini reſoluerunt, conſtare de bono iure Horatij, & litis conſortum. Nam cùm eis bona fuerint euicta, ſub prætextu quòd Cardinalis ipſorum author plus debito exegerit, hoc non ſubſiſtit, quia cùm factis computis Cardinalis remaneret creditor Ioannis Marci, in ſcuta 500. auri in auro, vltra hanc ſummam ipſe nõ exegit. Cùm enim habuerit in vna manu ex primis bonis aſſignatis ducatos 290. & fol. 18. & ex ſecundis ducatos 274. fol. 48. hæc ſumma inſimul conflata conſtituit dictam ſummam ſcutorum 500. auri in auro.

Neque facit, quòd primum prædium erat bubulcarum 32. & fuit aſſignatum ad rationem ducatorum 10. pro bubulca, & ſecundum fuit venditum pro ducatis 311. & ſic Cardinalis indebitum exegit, quia iſtæ ſummæ excedunt quantitatem ſcutorum 500. auri in auro. 1

Nam ad primum fuit reſponſum, quòd venditio primi prædij fuit facta ad menſuram, non ad corpus, quod deprehenditur, ex verbis illis, *aut quantacumque ſit, iuxta menſuram faciendam.* Surd. *dec. 64. per totum*, quæ menſuratio fuit facta, & repertum, quòd prædium erat tantùm bubulcarum 29. tab. 2. vt conſtat ex enunciatiua in inſtrumento quietantiæ factæ per Cardinalem emptoribus dictarum bubulcarum. Quam menſurationem approbauit procurator Ioannis Marci, quia cùm eſſet conſtitutus ad dandum bona in ſolutum Cardinali pro reſiduo, tot ſolùm bona aſſignauit, vt computatis dictis ducatis 290. fol. 18. Cardinalis haberet tantùm ſcuta 500. auri in auro. Vnde per neceſſe approbauit menſurationem iam factam, iuxta notata *in l. rem mobilem, ff. de procur.* † Et hoc potuit facere dictus procurator, licèt eſſet cõſtitutus ad dandum bona in ſolutũ pro reſiduo, cùm nõ poſſet ſoluere reſiduum, niſi priùs illud liquidaret. † Cui enim cõmittuntur conſequentia videntur commiſſa antecedentia, *l. ad legatum*, vbi not. Bart. *ff. de procur.* Butr. *conſ. 44. num. 2. verſ. agit enim.* † Vltra quòd cùm hæc omnia fuerint effectuata ſpatio 30. annorum, præſumuntur ſolemniter geſta. Felin. *in cap. Albericus, num. 4. poſt princ. & ante finem, verſ. ſi autem in inſtrumento, de teſtibus.* 2 3 4

Ad ſecundum verò fuit reſponſum, quòd mediante conſtitutione procu-

procuratoris ad dandum bona in ſolutum Cardinali pro reſiduo, fuit effectuatum hoc mandatum, cùm prædium fuerit ſimpliciter ei datum in ſolutum, ſed quia Cardinalis fuerat proteſtatus, quòd illud nolebat retinere pro Eccleſia, ſed vendere, ideo procurator faciendo conditionem Domini meliorem, conuenit, quòd ſi vltra ſummam, ob quam fuerat datum in ſolutum, venderetur, quod euenire poterat ex affectatione mentis, illud plus ſolueretur creditoribus Ioannis Marci.† Et propterea hoc ſibi facere licuit, *l. ſi quis mihi bona, §. penult. verſ. aliter atque, ff. de acquir. hæred.* Aym. *conſ.* 278. *num.* 17. *verſ.* 6. *reſpondetur.*

Neque eſt verum, quòd iſtud prædium ſit valoris ſcutorum 700. quia cùm hoc deducatur ex poſitionibus habitis pro confeſſatis,† iſta probatio non releuat; cùm non fuerit ſeruata forma *c.* 2. *de confeſſ. in* 6. quam examinat ibidem Franc. *num.* 19. Rot. Ianuen. *deciſ.* 161. *num.* 10. † Quæ diſpoſitio tanquam rigoroſa ad vnguem debet ſeruari, Rot. *deciſ.* 3. *de confeſſ. in antiq.*

5 7

BAREN. IVRISDIctionis.

Lunæ 18. *Maij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus habet intentionem fundatam cognoſcendi cauſas criminales, & matrimoniales & interim donec ſuper hoc cognoſcitur, eſt manutenendus.*

2 *Conc. Trid.* ſeſſ. 24. cap. 20. ad hæc, *non tollit immemorabilem.*

DECISIO CCCCLXXI.

VIſum fuit Dominis, Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Baren. dandum eſſe mandatum de manutenendo, aduersùs Archipreſbiterũ Aquauiuę, quoàd cognitionem cauſarum criminalium matrimonialiũ, quia ipſe habet de iure intentionem fundatam, *vt in cap. cum perſonæ, de priuil. in* 6. & adeſt diſpoſitio Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. §. *ad hæc, de reform.* vbi quòd cauſæ criminales, & matrimoniales iudicio Epiſcopi, non Decani, Archipreſbiteri, aut aliorum inferiorum relinquantur.† Cuius diſpoſitio licèt nõ tollat immemorabilem, tamen donec probetur, Epiſcopus debet cauſas cognoſcere, vt cenſuit Congregatio Illuſtriſſimorum interpretũ, & dixit Rota in cauſa Marſicana iuriſdictionis, 18. Maij 1607. coram R.P.D. meo Manzanedo. Et propterea ceſſat quod dicit Archipresbiter, ſcilicèt ſe habere ſententiam Epiſcopi Vigilien. in qua dantur ei certæ facultates, & in ea ſubditur, *& alia iuriſdictionalia exercere, &c.* quæ iam Rota reſoluit, quòd illa verba non intelliguntur reſpectu cauſarum criminalium, & matrimonialium, & propterea dum pendet examen teſtium ſuper obſeruantia dictorum verborum ſententiæ, interim Reuerendiſſimus Dominus Archiepiſcopus debet manuteneri, iuxta mentem Concilij, quam ita declarauit Congregatio, & cenſuit Rota, vt dictum eſt. 2

BONONIEN. CApellæ.

Lunæ 25. *Maij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Confraternitas laicorum conſtituit collegium perſonale, non naturale, neceſſarium, & reale, cùm de per ſe*

conſideretur, & nullam habeat coniunctionem cum aliqua Eccleſia, num. 2.

3 *Monialibus interdicitur conuerſatio cum aliis perſonis.*

4 *Templum Veſtæ, & Virginum apud Ethnicos non fuit conſecratum.*

5 *Senatus aut Curia non poterat niſi in augurato loco haberi.*

6 *Poſſeſſio ſine titulo præſumitur eſſe iure familiaritatis, & nullius eſt conſiderationis.*

7 *Confraternitas liberè poteſt de vno loco tranſire in alium.*

8 *Prælato Eccleſiæ licet expellere ab ea Confraternitatem, quæ conuenit in Eccleſiam, & in ea tantùm habet poſſeſſionem conueniendi iure familiaritatis.*

Decisio CCCCLXXII.

DOmini cenſuerunt, Aſſumptis Confraternitatis laicorum in Eccleſia Monialium Sanctorum Vitalis, & Agricolæ, non competere aliquod ius in Capella de qua agi-
1 tur,† quia huiuſmodi Confraternitates conſtituunt Collegium perſonale, non naturale, neceſſarium, &
2 reale, † cùm nullam habeant coniunctionem cum Eccleſia, ſed de per ſe conſiderentur. Innoc. *in cap. dilecta, num. 5. de exceſſ. Prælat.* Petr. de Vbal. *de canonica Epiſcopali, num. 9. & 22.* Et propterea non ſequitur ex eo quòd iſta ſocietas eſt ſita in dicta Eccleſia, cùm non conſtet de aliqua conceſſione; quòd habeat ius in dicta Capella, quia vt dictum eſt, iſtæ ſocietates nullam habent communionem cum Eccleſia, ſed de per ſe, vti ſeparatæ conſiderantur. Quæ eò magis procedere debent in Eccleſia
3 Monialium, † quia eis interdicitur conuerſatio cum aliis perſonis, vt
4 notatur *in cap. prouenit, 18. quæſt. 2.* † Sic etiam legimus templum Veſtæ, & Virginum apud Ethnicos non fuiſſe conſecratum, ne illuc Senatus accederet. † Non enim poterat alibi 5 quàm in augurato loco Curia, aut Senatus haberi, vt notat Seruius in 7. Æneid. ibi *Horrendum ſyluis, ac religione parentum.*

Neque releuant teſtes in contrarium adducti, quia, & ſi deponant, quòd Capella inſeruiebatur per Capellanum deputatum ab Aſſumptis Confraternitatis, non inde fit, quòd eis competat ius in Capella, cùm non doceant de titulo. Et propterea cùm Moniales habeant de iure fundatam intentionem, nedum in Eccleſia, ſed etiam in iſta Capella, iuxta reſolutiones factas, & non conſtet de titulo Aſſumptorũ, † eorum 6 poſſeſſio præſumitur iure familiaritatis, & propterea nullius conſiderationis. Socin. ſen. *in conſ. 60. num. 7. lib. 1.* Alex. *conſ. 6. num. 14. & 15. lib. 3.* vbi Apoſtil. *in verb. familiaritatis*, allegat concordantes. Aym. *conſ. 61. num. 2.* latè Surd. *conſ. 6 num. 10. lib. 1.* † Hinc fit, quòd Confratres poſſunt 7 à loco liberè diſcedere, vt per Petr. de Vbald. *locis ſuperiùs allegatis.* † Et 8 propterea licitum etiam debet eſſe monialibus habentibus de iure intentionem fundatam, eos expellere, iuxta notat. *in l. final. C. communi diuid.* & per Oldrad. *conſ. 241. num. 1.*

VITERBIEN. DE Franguellis.

Merc. 27. Maij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Vnicus teſtis deponens de facto proprio plus quàm ſemiplenè probat, concurrentibus verò adminiculis probat concludenter. num. ſeqq.*

2 *In*

2 *In habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus.*

3 *Ex præſumptionibus & coniecturis oriri poteſt probatio concludens.*

4 *Liber priuatus regulariter non probat, facit tamen adminiculum.*

Decisio CCCCLXXIII.

DOmini reſoluerunt, conſtare, Drogheriam fuiſſe trãsfuſam, in aromatariam, hancque fuiſſe con-
1 ſignatam Laurentio Franguello. † Primum enim probatur ex depoſitione teſtis, qui deponit de facto proprio, cùm fuerit vnus ex illis, qui omnia bona drogheriæ trãſportauit in aromatariam. Et propterea pluſquàm ſemiplenè probat, iuxta conſ. Aym. 178. *nu.* 7. pluriès in Rota canonizatum, & ſignanter in cauſa Vrbeuetana bonorum 4 Iunij 1576. coram bo. mem. Illuſtriſſimo D. Cardinali Seraphino. Et propterea cùm eius dictum adiminiculetur ex dicto ſecundi teſtis, qui deponit, ſtatim clauſa drogheria, fuiſſe apertam aromatariam, & credere, bona drogheriæ fuiſſe tranſlata in aromata-
2 riam, † quod veriſimile eſt, cùm ſit facilis tranſitus in habentibus ſymbolum. Aym. *conſ.* 149. *num.* 14. & meliùs ex dicto primi teſtis pro parte Laurentij examinati, qui deponit, quòd maſſaritiæ, quæ hodiè exiſtunt in aromataria ſunt illæmet, quæ erant in drogheria. Vnde fit, quòd dictum iſtius teſtis, de facto proprio adminiculatum probet cõcludenter. Cæſ. de Graſſ. *dec.* 3. *num.* 6. *de prob.* Et fuit in ſpecie dictum coram me in alia Viterbien. fideiuſſionis 29. Ianuarij 1601. Secundum autem de conſignatione drogheriæ in ſocietatem Laurentio, ſatis probatur ex alibrato, ex deſcriptione facta in libris per Dominicũ, & ex teſtibus deponentibus de adminiſtratione Laurentij. Ex iſtis enim eliciuntur tales coniecturæ, & præſumptiones, † ex quibus poteſt oriri proba- 3
tio concludens, quæ releuat, iuxta conſ. Aym. 73. *num.* 19. & 178. *nu.* 10. Et fuit dictum in cauſa Oſcen. Archidiaconatus, 10. Iunij 1602. coram R. P. D. meo Lancellotto. In Alibrato enim conſtat, quòd Maximus & Hieronymus electi conſignarunt bona aromatariæ Laurentio. Et quamuis nõ adſit ſubſcriptio ipſius Laurentij, adeſt ſubſcriptio dictorũ Maximi, & Hieronymi benè recognita per teſtes. Concurrit inſuper deſcriptio facta per Dominicum in ſuis libris, † quæ etſi regulariter nõ 4
probet, tamen cùm eſſet vir bonæ conditionis, & famæ, facit magnum adminiculum. Bald. *conſ.* 275. *num.* 1. *lib.* 3. Gabr. *de probat. concluſ.* 1. *nu.* 67. Concurrit & 3. quòd Laurentius adminiſtrauit iſtam aromatariam, ita, & taliter, vt videretur dominus, vt colligitur ex depoſitionibus teſtium, & quòd etiam poſt obitum Dominici, alienauit bona iſtius aromatariæ. Ex quibus omnibus ſimul iunctis fuit concluſum, nedum cõſtare drogheriam fuiſſe verſam in aromatariam, verùm etiam fuiſſe in ſocietate conſignatam Laurentio.

SABINEN. VILLETArum.

Lunæ 1. *Iunij* 1609.

Epitome

Deciditur hic in facti contingentia, in cuius territorio ſita ſint bona controuerſa, & qualia confinia ſint attendenda.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Sententia inſeruit pro titulo.*

DECISIO CCCCLXXIV.

ITerum dubitaui, intra quos fines continerentur Villetæ, quia cùm vtraque Communitas Montorij, & Viuarij, de eis habeat conceſſionem ab Abbatia Farfen. vidēdum eſt primò, intra quos confines contineantur, & poſtmodùm ad quam harum Communitatum ſpectent. Et tota difficultas conſiſtit in eo, vbi adſint pertinentiæ Porticæ, quæ nedum dantur pro confinibus in ſententia lata de anno 1520. ad fauorem Cōmunitatis Montorij, etiam pro intereſſe Abbatiæ, cōtra Dominum Viuarij.† Quæ quidem ſententia inſeruit pro titulo, iuxta notata per Felyn. *in conſ.* 2. *num.* 25. Verùm etiam & in conceſſione facta ab eadem Abbatia eidem Communitati de anno 1578. & in conceſſione poſtmodùm facta Communitati Viuarij.

Et pro reſolutione, primò firmandum eſt, vbi adſint foſſatum Stephani, & petra ficta naturalis, quæ licèt in conceſſionibus non nominetur, nihilominùs ab vtraque parte fuerunt allegata pro confinibus, ex quo in donationibus antiquis factis Abbatię bonorum de quibus agitur, dictum foſſatum, & petra ficta fuerunt data pro confinibus, & ideo multùm faciunt ad informandum animum vt videri poſſit, quæ bona fuerint conceſſa. Et Domini iuxta aliam reſolutionem dixerunt, foſſatum Stephani eſſe illud deſignatum ab hominibus Montorij, vt in planta, *num.* 16. quod homines Viuarij vocant *Codemeſe*, & non deſignatum ab eiſdem hominibus Viuarij in planta, ſub litera I. quod homines Montorij vocant de *Morconi*. Et pariter petram fictam naturalem eſſe deſignatam ab hominibus Montorij, in planta, *num.* 14. & non deſignatam ab hominibus Viuarij in planta ſub litera G. Nam expreſsè in donatione facta Abbatię de anno 1023. datur pro confine ab vno latere foſſatum, quod dicitur Stephani, aſcendens in volubrium, & petram fictam, & per ipſum ſupra foſſatum deſcendens in riuum ſancti Martini. Quæ deſcriptio non poteſt verificari in deſignatione facta ab hominibus Viuarij, cùm, ſtante dicta deſignatione, foſſatum deſcendat ad petram fictam, & propterea benè verificatur in deſignatione facta ab hominibus Montorij, quia foſſatum aſcendit ad petram fictam. Et prædicta corroborantur, quia in donatione facta de anno 1026. datur pro confine à capite Volubrium, & petra ficta naturalis, & ſerræ, id eſt, cacumina Montium, quæ diſtant inter Viuarium, & Malam mortem, & dictæ ſerræ dantur etiam pro confine in alia donatione facta de anno 1021. & etiam in dicta ſententia lata de anno 1520. Et propterea petra ficta non poteſt eſſe deſignata, ab hominibus Viuarij, quia non conuenit, quòd ibi adſint ſerræ Viuarij, & quia dicta Petra ficta eſſet à pede, & non à capite, prout datur pro confine, quia hæret riuo ſancti Martini, qui in omnibus donationibus, & in ſententia de anno 1520. datur pro confine à pede.

His poſitis, non poteſt etiam dubitari, quin pertinentiæ Porticæ Caſtri dirupti ſint illæ deſignatæ in Planta ſub *num.* 17. annotatæ cum ſigno aſteriſco, cohærentes foſſato Stephani deſignato ab hominibus Montorij. Nam cùm ſint incorporatæ territorio Vallis frigidæ, vt

depo

deponunt teſtes, dominus Vallis frigidæ nihil prætendit vltra iſtud foſſatum. Et cùm teſtes deponant, quòd dictæ pertinentiæ Porticæ non excedũt duo foſſata, ceſſat omnis difficultas, quòd vltra iſtud foſſatum extendantur dictæ pertinentiæ. Et quamuis dicatur, quòd dictæ pertinentiæ cohærent caſtro diruto Sinibaldi ſubtus foſſatum ſancti Martini, hoc nullibi probatur, & teſtes deponunt contrarium: tum quia deponunt, dictas pertinentias non excedere duo foſſata, tum etiã quia deponunt, quòd ſunt incorporatæ territorio Vallis frigidæ, & iſtud territorium prope caſtrum dirutum Sinibaldi ſubtus foſſatum ſancti Martini, eſt territorium Canis mortui. Quæ etiam corroborantur, quia in conceſſione facta hominibus Montorij ab vno latere dantur dictæ pertinentiæ Porticæ, à pede verò riuus ſancti Martini, & caſtrum dirutum Sinibaldi. Vnde ſi dictæ pertinentiæ extenderentur ad caſtrũ dirutum Sinibaldi, eſſent pro confine à pede prout caſtrum, & non ab vno latere. Et quamuis in conceſſione facta hominibus Viuarij, dicatur ab vno latere Caſtrum dirutum Sinibaldi, & pertinentiæ Portiæ, tamen iſta enunciatiua detegitur erronea, ex dictis teſtium, & aliis ſuprà ponderatis.

Non obſtant enunciatiuæ datæ ad oſtendendum quòd Portica, & Vallis frigida ſint diuerſa, cùm in quodam inſtrumento vtrumque cõfine enuncietur, quia hoc potuit eſſe ante dirutionem dicti Caſtri, ſed non propterea eliditur, quòd territorium hodiè ſit vnicum.

OVETEN. BENEFICIORUM.

Ven. 12. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Semel poſſeſſor non ſemper præſumitur poſſeſſor, quando hoc allegatur à tertio, ſecus tamen eſt reſpectu proprietatis, quia qui ſemel obtinuit beneficium, præſumitur retinuiſſe vſque ad obitum. Et hoc poteſt allegari à tertio, nu. 2.*

2 *Beneficia non poſſunt haberi pro derelictis nuda voluntate.*

3 *Reſignatarius tenetur iuſtificare titulum reſignantis, ſi non fuit reſignãs triennalis poſſeſſor vnà cum tit. & nu. 5.*

4 *Titulus ad beneficium decennio præſumitur, triennium verò requiritur ad illum tuendum.*

5 *Poſſeſſor ſine titulo ſed decennalis, ad hoc vt iuuetur triennali, debet poſt decẽnium poſſediſſe pacificè per triennium.*

6 *Citatio exequuta impedit curſum regulæ de triennali.*

7 *Notarij de ſtylo Hiſpaniarum, exequuntur citationes, & illorum relationi creditur abſque teſtibus, numer. 8.*

9 *Obitus in menſe reſeruato probatur per teſtes de publica voce & fama.*

DECISIO CCCCLXXV.

DIxerunt Domini, gratiam Iacobi eſſe iuſtificatam. Quòd enim beneficia de quibus agitur, vacauerint per obitum Andrææ Prata, ſatis probatur ex teſtibus, qui dantur in ſummario *nu. 4.* qui cùm deponant, Andræam legitimè obtinuiſſe hæc beneficia, ille qui dicit, ea renuntiaſſe, vel aliàs perdidiſſe, tenetur cõcludenter hoc probare. † 1

Nam licèt reſpectu poſſeſſionis, ſemel poſſeſſor non ſemper præſumatur poſſeſſor, quando hoc allegatur à tertio, quia ſolo animo perditur poſſeſſio, vt latè per Alciat. *de præſumpt.reg.2.præſumpt.21.num.2. & 3.* ſecùs tamen eſt, reſpectu proprietatis, † quia tertius poteſt allegare, quòd qui ſemel obtinuit beneficia, præſumitur retinuiſſe vſque ad obitum, quia ex nuda voluntate non poſſint pro derelictis haberi. Abb. *in cap.cùm ad ſedem,num.16.verſ.idem volunt.* Butr. *num.25. verſ. ex his includit, de reſtit. ſpol.* Et ita eleganter fuit conſideratum in cauſa Eluen. Canonicatus 5. Martij 1603. coram R.P.D. meo Lancellotto. Et propterea in caſu iſto, pro iuſtificatione gratię ſufficit, quòd Iacobus probet, dictum Andræam obtinuiſſe dicta beneficia, ad effectum quòd præſumatur obtinuiſſe vſque ad obitum, cùm agatur de proprietate, & non de poſſeſſione.

Neque obſtat, quòd per obitum dicti Pratæ fuerit prouiſus D.Ioannes Vigil.cuius reſignatarius eſt Toribius Vigil. eius Frater, qui hodie eſt in cauſa, quia admiſſo ſine veri præiudicio, quòd hoc eſſet verum, † adhuc reſignatarius teneretur iuſtificare titulum reſignantis. Put.*deciſ.* 342.& 343. *lib.1.* Et licèt ſecùs ſit quando reſignans fuit poſſeſſor triennalis; Caſſad. *deciſ.2. de cauſ. poſſeſſ. & prop.& 3. & 4. eodem titulo.* Lap. *alleg.* 89. Tamen hæc concluſio intelligitur, quando reſignans fuit poſſeſſor triennalis vnà cum titulo. Si autem de titulo reſignantis non conſtat, prout in caſu iſto, † requiruntur decem anni ad præſumendũ titulum, triennium verò ad illum tuendum.Sarnenſ. *in reg. de triennal. quæſt.24.num.7. verſ.nam ſi aliquis,& quæſt.26.num.7.* Et fuit reſolutum in cauſa Boianen.penſionis 15.Ianuarij 1603. coram R. P. D. meo Decano. † Hic autem, dato, quòd D.Ioannes fuiſſet poſſeſſor triennalis, tamen cùm de titulo non conſtet, adhuc poſt decennium requiritur triennium pacificum, vt dictum eſt, ad hoc vt releuetur reſignatarius ab onere iuſtificandi titulum ſui anteceſſoris, quod non interuenit, † cùm contra ipſum fuerit exequuta citatio, die 2.Nouembris 1603.quæ ſufficit ad impediendum curſum regulæ de triennali, vt per Achill. *deciſ. 2.& 5.ſuper dicta regula.* Et huiuſmodi exequutio ſatis probatur ex relatione notarij, quę licèt ſit abſque teſtibus, † tamen cùm ipſi de ſtylo Hiſpaniarum exequantur citationes, † ſatis probat abſque teſtibus. Gonz. Suar. *in practic. Eccleſiaſt.to.2. c.2.de citat.* Et fuit reſolutum in cauſa Toletana primitiarum, 20.Martij 1579.coram Bubalo, & in cauſa Toletana decimarum 5.Maij 1589. coram R.P.D. meo Decano. Et ceſſat omnis difficultas, quia cùm non cõſtet de reſignatione ad fauorẽ Toribij, etiam quòd D. Ioannes poſſet iuuari regula de triennali, ex ea non iuuatur Toribius, cùm non ſit eius ſucceſſor. Sarn. *in dicta regula de trienn.quæſt.13. num.6.* Et fuit dictum in cauſa Legionen. præſtimoniorũ, 20. Iunij 1594. coram Illuſtriſſimo D.Cardinale Pamphilio.

Obitus verò in menſe Nouembris reſeruato non controuertitur per partem. Et quicquid dicendum eſſet, ſi Dominus Ioannes hodiè eſſet in poſſeſſione, qui propter decennium haberet præſumptionem tituli, cùm ſit in poſſeſſione Toribius, qui non docet de aliquo titulo, † ſufficit Iacobo, docere de obitu in dicto menſe, per teſtes, de publica voce & fama, vt ſæpe fuit deciſum,

& præ

& præſertim in cauſa Ægitanien. Scholaſticæ 14. Aprilis 1603. coram
10 R.P.D. meo Ludouiſio. Et ratio † quia quando exiſtens in poſſeſſione non habet titulum, non eſt legitimus contradictor ad impediendum exequutionem literarum Apoſtolicarum, vt per Bart. *in l. fin. num. 21. ante med. verſ. ſi verò allegat poſſeſſionem poſt mortem defuncti, C. de edict. Diu. Adr. toll.* Vnde ſequitur, quòd
11 agitur de re modici præiudicij, † quæ ſatis probatur per teſtes de publica voce, & fama. Bart. *in cap. veniens, 1. ſub num. 8. verſ. ſi aliter factum eſſet*, vbi etiam Abb. *num. 8. de teſtibus* Bart. *in l. de minore, §. tormenta, nu. 3. verſ. ſi verò, ff. de quæſt.* Valor autem beneficiorū de quibus agitur, quòd non excedat ducatos 200. ſatis probatur ex teſtibus de publica voce, & fama. Veral. *dec. 277. lib. 1.* Valor verò obtentorum etiam bene probatur, prout Clericatus, & quòd ſit ex dioceſi.

BARCHINONEN.
Fructuum.

Ven. 22. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Fructus beneficij depoſitati ſpectant ad ſucceſſorem in beneficio de iure communi, ceſſante conſuetudine. Et hic vide quinque caſus, & nu. 4.*
2 *Bulla Iulij tertij quæ eſt 9. in ordine in quibus fructibus habeat locum.*
3 *Fructus conſignati beneficiato, vel alteri nomine beneficiati, dicuntur ſeparati à ſolo.*

DECISIO CCCCLXXVI.

VAcante Archidiaconatu, fructus fuerunt depoſiti, iuxta terminos *cap. cùm vos, de Offic. Ordin.* Et propterea cùm Cordelles fuerit poſtmodùm de dicto Archidiaconatu prouiſus, † ad ipſum dicti fru- 1
ctus ſpectabant, *dicto cap. cùm vos*, vbi gloſ. *verb. futuris.* Sed cùm Archidiaconus Cordelles ante obitum non rehabuerit depoſitū; difficultas ſtat in eo, an ſpectent ad ſucceſſorem in Archidiaconatu, vel ad hæredem ipſius Archidiaconi Cordelles. Et pro reſolutione conſiderabatur, quòd iſti fructus erant ſeparati à ſolo, & propterea in iſtis terminis ſolent diſtingui quinque caſus, vt per Calder. *in conſ. 2. de pecul. cleric.* quòd ſcilicèt: aut beneficiatus moritur fructibus ſeparatis, ſed in area, vel in cāpo iacentibus: aut ſecundo fructibus reconditis à colono, ſed nōdum beneficiato traditis: aut tertio beneficiato aſſignatis, ſed nondum conſumptis: aut quarto quādo certi fructus, vel pretium debentur poſt ſeparationem, per vnum, duos, vel tres menſes, & interim beneficiatus moritur, aut quinto, ſi beneficiatus moritur poſt dictum terminum, nondum dicta ſpecie vel pœcunia ſoluta. Et excepto tertio caſu, in quo agitur de fructibus perceptis nondum conſumptis, † in aliis 2
caſibus, quia agitur de fructibus in exactis, loquitur Bulla Iulij 3. quæ eſt 9. in ordine. Et in omnibus iſtis caſibus, inſpecto iure communi ceſſante conſuetudine, fructus ſpectāt ad ſucceſſores, vt per Calder. *dicto loco* qui doctè, & magiſtraliter loquitur.

His poſitis dicebatur, nos verſari in tertio caſu, nempe in fructibus aſſignatis beneficiato, nondum tamen conſumptis. † Nam ad effectum, 3
quòd fructus dicantur à ſolo ſeparati, & conſignati, ſufficit, quòd ſint conſignati beneficiato, vel alteri ſuo nomine, Calder. in terminis *vbi ſuprà, nnm. 1. ante finem, verſ. & intelligi-*

tur horreo ſuo, vel alieno, ſuo nomine. Hic autem iſti fructus erant conſignati depoſitario nomine futuri Archidiaconi, & propterea dubitari non poteſt, quin eſſent fructus à ſolo ſeparati, & conſignati beneficiato,† qui erſi, vt dictum eſt, inſpecto 4
iure communi ſpectent ad ſucceſſorem, vt in ſpecie dicit Calder. *vbi ſuprà, num. 2. verſ. 3. caſus*, tamen ibidem, *in verſ. puto concludendum*, dicit, attendendam eſſe conſuetudinem, prout etiam fuit dictum in hac cauſa priùs coram R.P.D. meo Iuſto, & poſtmodùm coram me. In Regnis autem Hiſpaniarum adeſt conſuetudo, quòd iſti fructus ſpectent ad hæredes, non ad ſucceſſores in beneficiis, vt fuit firmatum in dictis deciſionibus. Et conſuetudo corroboratur etiam ex probationibus nouiter factis per hæredem Archidiaconi Cordelles. Vnde dubitari non poteſt, quin attenta conſuetudine iſti fructus ſpectẽt ad hæredem Archidiaconi Cordelles.

Non obſtant teſtes examinati pro moderno Archidiacono, & ſententiæ per eum productæ, quia loquuntur de fructibus inexactis, in quo articulo, an ſcilicèt de conſuetudine ſpectent ad ſucceſſorem in beneficio, vel ad hæredem, licèt probationes videantur contrariæ, tamen nos ſumus extra iſtã difficultatem, quia non agitur de fructibus inexactis, ſed agitur de fructibus à ſolo ſeparatis, & nomine beneficiati exactis, qui de conſuetudine ſpectant ad hæredem beneficiati, vt fuit firma tum in aliis deciſionibus.

TERDONEN. IVRISPAtronatus.

Luna 15. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Vnicus tantùm patronus poteſt habere voces ad præſentandum.*
2 *In probando iurepatronatus, ſufficiunt leuiores probationes, quando Epiſcopus, vel ab eo prouiſus non eſt in cauſa, & non agitur de illius canonizatione.*

DECISIO CCCCLXXVII.

DOmini reſoluerunt, vocem Ioannis eſſe computãdam pro quatuor vocibus, quia nedum habet ſuam vocem, verùm etiam eſt donatarius Auguſtini, & Caſtellini, & hęres Iacobi, vt cõſtat ex donationibus, & teſtamento in actis productis, ex quibus exquiritur iuſpatronatus abſq; alia approbatione Epiſcopi, cùm Ioannes eſſet cõpatronus, vt dicitur in alia deciſione. Quòd autem Ioannes præſentauerit tanquam procurator Placidæ matris, & tutricis Petri, licèt non conſtet de dicta tutela, & mandato, nihilominùs idem Petrus in tempore quatuor menſium ratificauit dictam præſentationem, & quatenus opus eſſet, de nouo præſentauit, quod ſufficit. Nam aut pręſentatio Placidæ ſuſtinetur, aut non. Si ſuſtinetur, præſentatus habet intentum: ſi non, patiter habet intentum, quia de nouo fuit præſentatus. Et hæc præſentatio ei ſuffragatur,† quia præſen- 1
tatio facta à minoribus maioribus tamen ſeptennio, præfertur præſentationi factæ à tutore, ex alleg. per Lambert. *de iurepatr. l. 2. par. 1. quæſt. 2. artic. 9. in princ. num. 3. & 4. & ſeqq.*

Quantum attinet ad iuſpatronatus, cùm Epiſcopus, neque prouiſus ab eo, ſint in cauſa, neque agatur de illius canonizatione, ſufficiunt leuiores probationes, iuxta 2
nota-

notata per Put. *dec.36.lib.3.* Et ideo viſum fuit Dominis, ex deductis, de eo ſatis conſtare.

CALAGVRITANA Beneficij de Auxeſo.

Merc.17. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Petens reſtitutionem ad beneficium, debet habere titulum ſaltem coloratum, & probare vtrumque extremum, nu.2.*

3 *Poſſeſſio tradita ab illis qui habent poteſtatem conferendi, habet vim collationis.*

4 *Poſſeſſio poteſt acquiri per procuratorem.*

5 *Secundum extremum probatur ex ſuſtentatione litis, concurrentibus adminiculis.*

6 *Vltimum ſpolium eſt purgandum.*

7 *Conſentiens ſequeſtro, non poteſt lite pendente petere illius reuocationem.*

8 *Sequeſtrum aliud eſt voluntarium, aliud neceſſarium.*

9 *Sequeſtrum voluntarium dicitur, quod partibus conuenientibus ponitur, & reuocari non poteſt durante lite, niſi procedat proteſtatio.*

10 *Sequeſtrum neceſſarium eſt, quod fit officio iudicis nobili, vel mercenario, & non priuat poſſeſſione, & nu.13.*

11 *Put.* deciſ.77. in fin. lib.1. *reprehenditur. Et dicitur ſequeſtrum poſt latam primam ſententiam in cauſa reſtitutionis contra tres conformes, non potuiſſe apponi vigore* Clemen. vnic. de ſeqq. poſſ. & fruct.

12 *Sequeſtrũ appoſitum vigore* Clem. vnic. de ſeq. poſſ. & fruct. *durat ad finem litiis, & lite pendente non debet reuocari.*

13 *Reuocatio ſequeſtri neceſſarij peti poteſt lite pendente, ab illo qui illius expeditionem procurauit.*

14 *Natura ſequeſtri neceſſarij non eſt, vt duret vſque ad finem litis.*

Decisio CCCCLXXVIII.

DOmini perſtiterunt in reſolutis, ſcilicèt Petrum eſſe reſtituendum, quia nedum conſtat de titulo colorato, † qui in beneficialibus requiritur, ne detur vitioſus ingreſſus, iuxta deciſ. Rot. *2. de reſtit. ſpol. in nou. & 20. eodem titulo, in ant.* Verùm etiam de vtroque extremo, † quæ debent probari ab eo qui petit reſtitutionem. Innoc. & DD. *in cap. ſæpè, de reſtit. ſpol.* Abb. *in cap. ſi diligenti, de præſcript.* Titulus autem prædictus probatur ex inſtrumento prouiſionis beneficiatorum, ad quos ſpectat huiuſmodi prouiſio, vt deponunt teſtes, † quod cùm inſimul contineat traditionem poſſeſſionis, cùm fuerit tradita ab illis qui habẽt poteſtatem conferendi, iuncta electione præcedente, habet vim collationis. Rot. *dec.16. de conceſ. preb. in nou.* Put. *dec.120. & 125. lib.3.* Achil. *dec.4. num.3. de præbend.* Et hinc reſultat etiam probatio primi extremi, quia poſſeſſio fuit capta à procuratore Petri ad hoc ſpecialiter conſtituto, † qui eſt vnus ex modis acquirendi poſſeſſionem, §. *pen. inſtit. per quas perſonas nobis acquir.* & ibi not. gloſ. † Secundum verò extremum probatur ex ipſa ſuſtentione litis, ex quo cum ea concurrunt plura adminicula, iuxta deciſionem Achill.4. *num.2. de reſt. ſpol.* Abb. *in epit. tit. de vtroque extremo*, §.5. Et fuit ſæpè deciſum.

Non obſtat anterior prouiſio Michaëlis, vigore Motus proprij

Sixti V. & poſſeſſio ſubſequuta. Quia, dato quòd dicta poſſeſſio cōcludenter probaretur, nihilominùs non releuaret, cùm conſtet, ipſum fuiſſe eiectum vigore Motus pro-
6 prij S. M. Clementis 8. † Et propterea vltimum ſpolium eſt purgandum, vt conſideratur in alia deciſione, & pleniùs in Calaguritana beneficij de Ormilla, 3. Martij 1606. coram bo.me. Domino Litta. Quibus non obſtant latè deducta contra dictum Motum proprium, quia illis abundātiùs fuit ſatisfactum in eadē cauſa Beneficij de Ormilla 11. Ianuarij 1608. coram R.P.D. meo Sacrato, & propterea fruſtrà hic ſunt repetenda.

7 Minus releuat, quòd Petrus conſenſit ſequeſtro, & ideo non videtur lite pendente poſſe petere reuocationem, iuxta deciſionem Put. 77.
8 *in fine lib.* 1. † quia fuit per Dominos reſponſum, ſequeſtrum aliud eſſe voluntarium, aliud verò neceſſariū. Aret. *in l. intereſſe, per totum ff. de acquir. poſſeſſ.* Cardin. *in clem. vnic. nu.* 23. *& ſeqq. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* Doctor. *in cap. examinata, de iudic.*
9 De voluntario hîc non eſt agendū, † quia eſt illud quod ponitur partibus ita conuenientibus, vt per Doct. *vbi ſuprà*, & reuocari non poteſt durante lite, niſi præcedat proteſtatio, vt per Cardinal. *in dicta clem. vnica, num.* 23. Sed agendum eſt de neceſſario, quod fit, aut ex officio iudicis nobili, vel mercenario, quod inſeruit Monitorio, aut ad inſtantiam alterius ex partibus, vt per Cardin. *in dicta Clem. vnic. num.* 28. quale fuit hoc appoſitum ex officio per Rotā,
10 † quod certum eſt non priuare poſſeſſione. Aret. *in dicta l. intereſſe*, Cardin. *in dicta clem. vnic. num.* 23. Caſſad. *dec.* 14. *num.* 12. *ſuper reg.* Sarn. *in reg. de annal. quæſt.* 46. *verſ.* adde Rebuff. *de ſequeſtr. gloſ.* 1. *art.* 1. *num.* 19. Et propterea Petrus ex huiuſmodi ſequeſtro non fuit ſua poſſeſſione priuatus, vt conſiderant Doctores præfati, quia quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro à nobis auferri non poteſt.

Non obſtat deciſio Put. allegata, 11
quia illa deciſio non loquitur in iſtis terminis, ſed loquitur in caſu *dictæ Clem. vnic. de ſequeſtr. poſſ. & fruct.* vbi quòd in beneficialibus poſt latam primam ſententiam apponitur ſequeſtrum non reuocandum, licèt in caſu Putei non debuiſſet apponi, etiam quòd fuiſſet lata ſententia, quia erat lata in cauſa reſtitutionis in integrum contra illum qui obtinuerat per tres conformes in cauſa principali, & ei fuerat tradita poſſeſſio; tamen cùm de facto fuerit appoſitum, & pars non appellauerit, imò obtinuerit etiam illius expeditionem, cenſetur acquieuiſſe præfato decreto ſuper ſequeſtro. Feder. de Sen. *conſ.* 102. *col.* 2. *in princ. verſ. ad ſecundū.* Aym. *conſ.* 103. *in princ. & conſ.* 108. *n.* 3. Et propterea ſequeſtrū non 12
debebat reuocari, ſed remanere vſque ad finem litis, iuxta naturam ſequeſtri, quod apponitur vigore *dictæ clem. vnic.* † At in caſu iſto, cùm 13
ſimus in ſequeſtro appoſito per iudicem ex officio, cuius natura eſt, vt per illud non perdatur poſſeſſio, nō eſt dicendum, quòd Petrus ex quo conſenſit, petendo expeditionem, non poſſit petere illius reuocationem, † cùm natura iſtius ſequeſtri 14
non ſit, vt duret vſque ad finem litis, vt eleganter fuit conſideratum in allegata cauſa Calaguritana de Ormilla, coram R. P. D. meo Sacrato.

ROMA

ROMANA RESCISSIONIS contractus.

Mercur. 17. *Iunij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Contractus mulieris cum interuentu curatoris, factus, ſi proximiores poterant commodè interuenire, eſt nullus.*

2 *Statutum Vrbis* cap. 151. lib. 1. *in defectum cõiunctorum proximiorum, mandat deputari curatorem.*

3 *Coniunctorum appellatione veniunt etiam affines.*

4 *Statutum Vrbis* d. c. 151. *non habet locum quando mulier ſe obligat pro augmento dotis. Quæ concluſio non procedit, ſi augmentum fit à perſona, quæ non tenetur dotare, & prohibetur donare, num. 5.*

DECISIO CCCCLXXIX.

1 FVit per Dominos reſolutum, cõſtare de nullitate donationis, quia non fuerunt ſeruatæ ſolemnitates ſtatuti Vrbis *in cap.* 151. *lib.* 1. quod inualidat contractus factos non ſeruata ſolemnitate illius ſtatuti. In caſu enim de quo agitur, non interuenit Ioannes Iandel progener Marthæ, qui die donationis erat in Vrbe, non detentus aliquo impedimento, vt deponunt teſtes, & propterea non erat locus deputationi

2 Curatoris, † quem ſtatutum deputari mandat in defectum coniuncto-

3 rum proximiorum. † Quorum coniunctorum appellatione veniunt etiam affines, qualis erat Ioannes. Blanch. *de compromiſſo, quæſt.* 1. *nu.* 12. *&* 13. Et in his terminis dicit Modernus Ferrarien. *de clauſulis, clauſ.* 7. *gloſ.* 12. *ſub num.* 5. *verſ. ſecus verò erit, ſi coniunctorum mentio fiat.*

4 Neque releuat, quòd obligatio Marthæ ſit facta pro augmento dotis, & dictum ſtatutum Vrbis non habet locum quando mulier obligat ſe pro augmento dotis, vt per Gabr. *conſ.* 10. *nu.* 6. *lib.* 1. † quia fuit reſponſum, concluſionem non habere locum, quando augmentum dotis fit à perſona quæ non tenetur dotare, & prohibetur donare, quia tunc augmẽtum præſumitur factum ad defraudandum ſtatutum, vt conſiderat Gabr. *dicto loco.* Et propterea cùm Martha, quæ non tenebatur dotare, & prohibebatur donare, poſt contractum matrimonium fecerit dictum augmentum, præſumitur illud feciſſe ad defraudandum ſtatutum, vt fuit etiam conſideratum in alia deciſione, ſub die 1. Decembris præteriti. 5

ROMANA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 22. *Iunij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Subſtitutio reciproca facta inter fratres, intelligitur facta quatenus ſine liberis decedant, & num.* 3.

2 l. cùm auus ff. de cõdit. & demon. *habet locum, nedum quando ſubſtitutus eſt ex deſcendentibus teſtatoris, ſed etiam quando remanent tantùm filiæ fœminæ: & an habeat locum quando teſtator expreſsè in alia parte poſuit filios in conditione, nu.* 5.

3 *Appellatione liberorum, abſque ſcrupulo veniunt fœminæ.*

4 *Si duo ſunt adinuicem ſubſtituti, quorum alter eſt ſimplex laicus, alter Eques Hieroſolymitanus, laicus cenſetur ſubſtitutus Equiti in omnem caſum, Eques verò laico, ſi ſine filiis deceſſerit, & num.* 5.

DECI

Decisio CCCCLXXX.

Domini dixerunt, non constare de fideicommisso ad fauorem Equitis, itaut ille potuisset succedere Virgilio, exclusis filiabus fœminis Virgilij. Nam & si testator ipsos instituerit, & ad inuicem substituerit, † substitutio intelligitur facta, quatenus Virgilius decederet sine liberis, iuxta terminos, *l. cùm auus, ff. de cond. & dem.* † Cuius dispositio habet locum, nedum quando substitutus est ex descendentibus testatoris, sed etiam quando remanent tãtùm filiæ fœminæ, vt de primo est casus *in dicta l. cùm auus*, vt not. DD. *ibidem, & in l. cùm acutissimi, C. de fideicom.* quos refert Card. Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 10. tit. 7. num. 2.* & secundum declarat tex. *in d. l. cùm acutissimi, C. de fideicom. & in l. generaliter §. cùm autem, C. de instit. & substit.* Et meritò, quia, *l. cùm auus*, vtitur verbo *liberis*, † quod de sui natura, & absque scrupulo comprehendit tam mares, quàm fœminas, *l. cognoscere, §. liberorum, & l. non est sine liberis, ff. de verb. signif.* Et hoc expressis verbis videtur voluisse testator. Nam cùm Virgilio decedenti sine masculis, aut fœminis, substituerit Flaminium nepotem, voluit, substitutionem habere effectum, nisi Eques, & Virgilius decederent, quia vnum ad inuicem alteri substituit. Ergo videtur dicere, quòd substitutio fuerit facta in euentum, in quem Virgilius decederet sine filiis masculis, aut fœminis, & tantò magis hæc habent locum, quia aliàs si veniisset casus huius substitutionis durante vita Equitis filij Virgilij, non habuissent, vnde possent se sustentare, & filiæ fœminæ vnde se dotarent.

Non obstat, quòd testator instituerit Equitem, & Virgilium, quos ad inuicem substituit, & ipsis decedentibus substituit filios masculos nascituros, & sic videtur voluisse substituere Equitem Virgilio, etiã quòd dictus Virgilius filios haberet, cùm ipsos ad inuicem substituerit, & ipsis decedentibus, substituit filios masculos nascituros Virgilij. Nam tota difficultas consistit in verbis illis, *& ipsis decedentibus*, quæ sunt illa quæ recipiunt tacitam conditionem, si sine liberis, & quæ dederunt causam Papiniano ad decisionem tex. *in d. l. cùm auus.* † Et propterea dicendum est, quòd Eques, & Virgilius fuerunt instituti à patre, & ad inuicem substituti, taliter quòd Virgilius in omni casu succederet Equiti, quia cùm esset miles Hierosolimitanus, non poterat habere filios ex legitimo matrimonio. Eques verò Virgilio, si sine liberis decederet. Nec verba illa, *& ipsis decedentibns substituit filios masculos nascituros*, importarent, quòd debeat expectari obitus vtriusque, vt habeat locum ista substitutio filiorum Virgilij, sed operatur secundùm subiectam materiam, vt scilicèt frater alteri fratri succedat. Eques quidem Virgilio decedenti sine filiis, & Virgilius simpliciter, & ambobus scilicèt Equiti, & Virgilio filij dicti Virgilij.

Neque facit, quòd dispositio, *l. cùm auus*, non habet locum quando testator in alia parte expressè posuit filios in conditione. Quia ista opinio habet difficultatem ex allegatis per Card. Mantic. *d. lib. 2. tit. 8. nu. 22.* Et contrariam opinionem, & benigniorem dicit Crass. *in §. fideicommissum, quæst. 21. ad finem.* Sed quicquid dicendum esset de illius veritate, nullo pacto potest habere locum in casu isto: nam consideranda est series testamenti, & ponderandum, quòd

quòd filij Virgilij ſunt poſiti in cõditione in alia parte, vt teſtator denotaret, in quem caſum vocabat tranſuerſales, ſcilicèt in euentum extinctionis totius lineæ deſcendẽtium, vt ſuprà fuit conſideratum. Et propterea cùm teſtator non poſſet aliter ſuam mentem declarare, niſi ponendo filios in conditione, ex hoc non poteſt induci aliqua coniectura, quòd voluerit ſubſtituere Equitem Virgilio, etiam quòd decederet cum filiis. Et negari non poteſt, quin in caſu iſto magis præualeat coniectura pietatis, de qua *in dicta l. cùm auus*, maximè quia ſi euenisſet caſus huius ſubſtitutionis, durante vita Equitis, filij Virgilij non habuiſſent, vnde poſſent viuere, & filiæ fœminæ remanſiſſent indotatæ
6 contra mentem teſtatoris.† Et propterea cùm iſtæ coniecturæ ſint longè fortiores, debent prævalere.

ROMANA CENSVS.

Lunæ 22. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Dominium Officij non acquiritur illi cui fit à Principe conceſſio, ſed illi cui reſeruatur facultas percipiendi fructus, & diſpoſitio.*

2 *Dominium acquiri poteſt per procuratorem abſenti.*

3 *Dominium penes duos inſolidum eſſe non poteſt. Et ideo ſi in eodem contractu vni eſt acquiſitum dominium alicuius rei, alteri verò diſpoſitio, intelligi debet de diſpoſitione adminiſtrationis, ſaluo alterius dominio.*

DECISIO CCCCLXXXI.

1 LIcèt vera ſit concluſio, quòd dominium officij non acquiritur illi, in cuius perſonam fit à Principe cõceſſio, & ſuper cuius vita ponitur, ſed illi cui reſeruatur facultas percipiendi fructus, & de officio diſponendi, vt fuit reſolutum, in cauſa Romana Montium 5. Nouembris 1576. coram S. mem. Clemente 8. & aliàs ſæpiùs; tamen in caſu iſto termini non ſunt pares, quia non agitur de officiis, in quorum emptione ſolent aliqui erogare pecunias, & acquirere ſibi modo prædicto, & ſolùm currere periculum vitæ illorum, in cuius caput ponunt officium, ſed agitur de emptione cenſus quem Garganus vendidit Alexandro Mariæ abſenti, Liuio in hac parte procuratore, & agente, præſente, & vnà cum notario ſtipulante pro dicto Alexandro Maria, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus.
† Vnde fit, quòd mediante perſona 2
dicti procuratoris, Alexander Maria acquiſiuit dominium dicti cenſus, §. *pen. inſtit. per quas perſon. nob. acq.* Theſaur. *dec. 70. num. 13.* vbi alios allegat.

Neque releuat, quòd incontinenti dicatur, *ad diſpoſitionem tamen Notarij, &c.* quia iſta diſpoſitio non intelligitur reſpectu dominij, quod cùm mediante ſtipulatione, fuerit acquiſitum Alexandro Mariæ, non potuit incontinenti acquiri etiam Horatio, † cùm penes duos in ſoli- 3
dum eſſe minimè poſſit, *l. ſi vt certò, §. ſi duobus vehiculum, ff. commod.* Sed dicta diſpoſitio debet intelligi de adminiſtratione, quod innuũt etiam verba inſtrumenti inferiùs appoſita, *& de illo, & illius iuribus liberè adminiſtrandi, & diſponendi*, hoc eſt, ad effectum quòd habeat quamcumque adminiſtrationem, ſaluo tamen dominio acquiſito Alexandro Mariæ, prout in ſimili fuit reſolutum in cauſa Romana Officij 30. Ianuarij 1609. coram R.P.D. meo Lancellot-

to, vbi Rota dicit, officium ſpectare ad Victoriam, cùm Papa illud Victoriæ donauerit, & non ad hæredes Caſſandræ, licèt omnimoda diſpoſitio, quoàd adminiſtrationem, eſſet relicta dictæ Caſſandræ.

Neque releuat, quòd poſt acquiſitionem factam Alexandro, in continenti dicitur, *ad diſpoſitionem tamen Horatij*, & ſic videtur acquiſitum dominium Horatio, quia contrarium eſt verius Nam ſi retineretur hic intellectus, nomen Alexandri inſeruiret de vento in inſtrumento, & magis congruit prædicta interpretatio, vt dominium fuiſſet acquiſitum Alexandro, cum adminiſtratione tamen Horatij, quæ potuit adhiberi iuſtis de cauſis, maximè cùm Horatius eſſet familiaris honorarius domus Alexandri.

Neque eſt verum, quòd cenſus fuit emptus cum pecuniis Horatij, quia pecuniæ fuerunt ſolutæ per procuratorem, nomine Alexandri abſentis, cui etiam fuit facta quietantia. Et licèt dicatur, *mediante mandato dato per Horatium ad banchum*, non inde ſequitur, quòd Horatius ſoluerit de pecuniis propriis, maximè cùm vt conſtat ex epiſtolis in alia poſitione datis, Horatius ſolitus eſſet habere in manibus pecunias Alexandri, & illas adminiſtrare.

Ex quibus Domini receſſerunt à reſolutione facta ſub die 28. Aprilis 1608.

VITERBIEN. Fideicommiſſi.

Lunæ 22. *Iunij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Fides baptiſmi per ſe ſola probat ætatem.*

2 *Rota tamen hanc concluſionem admittit iunctis adminiculis.*

3 *Cauſa reſtitutionis in integrum intra quadriennium debet expediri, niſi ſteterit per partem aduerſam.*

Decisio CCCCLXXXII.

POſt reſolutionem factam, quòd conſtaret de minori ætate Octauij, necnon etiam de læſione ob aditam hæreditatem paternam; dubitaui an conſtaret de minori ætate Marci, ad effectum reſtitutionis in integrum aduersùs dictam aditionem. Et Rota cenſuit, affirmatiuè reſpondendum. Nam licèt non ſit ita expeditum, an fides baptiſmi de per ſe probet minorem ætatem, ex notat. per Mandoſ. *ſuper reg.* 18. *quæſt.* 10. † tamen idem Mandoſ. tenet 1 partem affirmatiuam, prout eam etiam tenet Ioſeph. Ludou. *deciſ. Peruſ.* 55. *num.* 7. Odd. *de reſtit. in integ. quæſt.* 37. *art.* 9. *num.* 83. qui alios allegat. † Et Rota perpetuò ſeruauit, quòd concurrentibus adminiculis, probetur ex dicta fide minor ætas, vt in pluribus cauſis fuit reſolutum. Hic autem concurrit maximum adminiculum, nempe quòd de anno 1584. 14. Febr. fuit datus curator Marco, cum aſſertione, quòd tunc erat ætatis annorum 6. quæ aſſertio concordat cum fide baptiſmi, in qua apparet, Marcum fuiſſe baptizatum die 25. Martij 1578. & ſic per neceſſè, de dicto anno 1584. fuiſſet ætatis annorum 6. prout aſſerebatur. 2

Neque obſtat, quòd Parochus ſancti Andrææ atteſtatur, quòd in ſua Eccleſia in qua adeſt liber Baptiſmi, non adeſt fons baptiſmalis, quia idem atteſtatur, quòd parochus ſancti Andreæ adminiſtrat hoc Sacramentum parochianis ſuis in Eccleſia Cathedrali, & poſtmodùm de

de hoc faciunt memoriam in libro baptizatorum, prout conſtat fuiſſe factum in caſu iſto. Nam ex partita extracta apparet, quòd parochus ipſe baptizauit Marcum, & poſtmodùm fecit memoriam in libro Baptizatorum.

Minùs releuat, quòd licèt Marcus, & Octauius petierint reſtitui, 5. Aprilis 1604. tamen intra quadriennium non expediuerunt cauſam reſtitutionis in integrũ.† Quia 3
hoc prouenit culpa partis aduerſæ, quæ non curauit informare. Imò fuit contumax, vt dicitur in deciſione facta ſub die 16. Februarij 1607. Et propterea non debet iuuari cum aliena iactura, vt in his terminis poſt Hoſtien. & alios dicit Odd. *de reſtitut. in integ. par. 1. quæſt. 19. art. 12. num. 96.* Et quamuis replicetur, quòd probationes illuc vſque non erant ſufficientes, tamen ſi pars informaſſet, & ita Rota reſpondiſſet, non erat præcluſa via Marco, & Octauio faciendi nouas probationes, prout fecerunt, poſtquàm Rota dixit, probationes eſſe ſufficientes. Et hæc etiam contumacia detegitur, quia nec in iſta deciſione voluit informare. Sed ad intricandum negotium poſt reſolutiones factas produxit iura prædicta mendicata, quæ communicaui cum Dominis in relationibus cauſarum, die 3. & 24. Iulij, & ea conſiderata, dixerunt non releuare. Et propterea procedendum ad vlteriora.

BARCHINONEN. Prioratus.

Ven. 26. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Verba in dubio debent interpretari ab obſeruantia.*

2 *Inſtitutio facta ab exiſtente in quaſi poſſeſſione inſtituendi, eſt valida.*

Decisio CCCCLXXXIII.

ET ſi Prioratus de quo agitur, eſſet regularis, tamen cùm in indulto Clementis 7. detur facultas præſentandi perſonam idoneam, abſque alia mentione, quòd eſſet regularis, & ſemper fuerit præſentatus Clericus ſæcularis: Domini dixerunt, verba illa *perſonam idoneam*, intelligi etiam de clerico ſæculari. † Verba enim dubia debent inter- 1
pretari ab obſeruantia, Fulgoſ. *conſ. 215. circa finem.* Abb. *conſ. 9. in fine lib. 2.*

Non obſtat, quòd inſtitutio ſpe- 2
ctabat ad Abbatem, quia ſufficit ad effectum validitatis inſtitutionis, quòd Epiſcopus eſſet in quaſi poſſeſſione inſtituendi, vt in ſpecie dicit Lap. *alleg. 95. in fine, verſ. immò ſi ille qui inſtituit.* Et fuit reſolutum in cauſa Lunen. Sarzanen. Capellaniæ, 1. Martij 1602. coram R.P.D. meo Sacrato.

Ex quibus Domini perſtiterunt in reſolutis die 11. Maij præteriti.

ROMANA BONOrum.

Ven. 26. Iunij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Quod ſtatuitur in furioſo, habet locum in demente & è contra.*

2 *Furioſus eſt mente captus cum ſæua dementia.*

3 *Mente captus verò eſt cum quieta dementia.*

4 *Quilibet præſumitur eſſe ſanæ mentis.*

5 *In concurſu magis creditur teſtibus habentibus præſumptionem pro ſe, quàm non habentibus.*

Decisio CCCCLXXXIV.

ET ſi curator nedum ſit dandus furioſo, verùm etiam mente ca-
1 pto,† quod enim ius ſtatuitur in furioſo, habet locum in demente, ſeu mente capto, & è contra, vt not. Fulgoſ. *in conſ. 79. ante num. 1. verſ. ſuper*
2 *eo quod quæritur.* † Furioſus enim eſt mente captus cum ſæua dementia,
3 & quadam veluti rabie, † mente captus verò eſt cum quieta dementia. Bald. *in l. humanitatis, nu. 15. verſ. venio ad 4. notabile, C. de impub. & aliis ſubſtit.* ſequitur Fulgoſ. *dicto loco, num. 1. verſ. nam eleganter.* Tamen in caſu iſto non eſt locus curatori, quia de furore nullo pacto conſtat,
4 qui debet probari ab allegante, † cùm quilibet præſumatur ſanæ mentis ex alleg. per Illuſtriſſimum Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 2. tit. 5. num. 2.* Circa dementiam verò, licèt probationes videantur contrariæ, tamen magis eſt ſtãdum teſtibus deponentibus contra dementiam, quia cùm, vt dictum eſt, quilibet præſumatur
5 ſanæ mentis, † in concurſu magis ſtatur teſtibus qui habent præſumptionem iuris pro ſe. Bald. *in auth. omnes peregrini, nu. 10. in princ. C. commun. de ſucceſſ.* & latè proſequitur Franc. Curt. *de teſtib. concluſ. 9. nu. 22.* Et, ſi dicatur quòd ex depoſitionibus teſtium reſultat dubium facti, quod debet deduci ſecundùm naturalem æquitatem, vt per Bald. *in loco proximè allegato*, tamen nec vlla naturalis æquitas ſuadet, quòd in concurſu probationum magis credatur teſtibus deponentibus ſuper dementia, quàm teſtibus deponentibus ſuper ſana mente.

SABINEN. DECIMARUM.

Merc. 1. Iulij 1609.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus habet intentionem fundatam in decimis prædiorum, in nullius parochia exiſtentium.*

2 *Immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo requiritur ad præſcribendas decimas contra Eccleſiam.*

3 *Immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo non requiritur ad præſcribendum decimas contra illum qui de iure fundatam habet intentionem in illis, poteſt tamen illas concedere, aut alienare. Sed ſufficit quadragenaria ſine titulo, quia illius ſcientia, & patientia inſeruit pro titulo, nu. 4. Secùs autem ſi non poteſt concedere, ſeu alienare.*

5 *Epiſcopus poſt Concilium Lateranenſe non poteſt infeudare decimas laico, abſque auctoritate ſummi Pontificis.*

6 *Immemorabilis cum fama priuilegij requiritur, ad hoc vt laicus poſſit præſcribere decimas. Nec ſufficit quadragenaria cum patientia Epiſcopi.*

7 *Immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo requiritur ad hoc, vt Eccleſia poſſit contra Epiſcopum præſcribere decimas, quas ipſe poſſedit. Ad illas verò præſcribendas quas nunquam poſſedit, ſufficit quadragenaria cum ſcientia, & patientia, numer. 8.*

9 *Epiſcopus poteſt decimas recuperatas quas nunquam anteà perceperat, vel ſibi retinere, vel alteri Eccleſiæ concedere, nu. 11.*

10 *Prælatus ante acceptationẽ poteſt in quærendis præiudicare Eccleſiæ; non autem in illis quærendis quæ de iure communi debentur Eccleſiæ.*

Deci

Decisio CCCCLXXXV.

AGitur inter Eccleſias rurales exiſtentes in poſſeſſione à 40. annis,& vltrà,exigendi decimas, licèt iuxta reſolutiones factas, non ſint parochiales, & Illuſtriſſimum D. Cardinalem Epiſcopum Sabi-
1 nen. † qui dicit, ſe habere intenſionem fundatam de iure communi in dictis decimis, ex quo prædia ex quibus percipiuntur,ſunt in nullius parochia, *cap.quoniam,in 2. dicto* ibi, *alioquin*, vbi Hoſt.*nu.1.& ſeqq.*Butr. *num.2.* Anchar. *num.4.* Abb *num.2.* Boich. *num.2. de decim.c.dudum*, vbi gloſ.*in verb.de iur.commun.in verſ.verius puto*,& ibi Anchar.*num.1.in fin.* Butr. *num.2.* Card. *num.1. eodem tit.*
2 *de decim.* † Et propterea ſubiungebatur, quòd dictæ Eccleſiæ contra Epiſcopum debeant docere de immemorabili poſſeſſione,aut de quadragenaria cum titulo, *cap.1.de præſcript.in 6.* DD.*in cap.fin.* vbi Rocch. *nu.293.de conſuet.*Rebuff.*de dec.quæſt. 13.num.82.*Et fuit reſolutum in cauſa Ciuitaten. decimarum 18. Maij 1596.coram bo.me Giptio. De qua tamen immemorabili, aut quadragenaria cum titulo non docet Rector dictarum Eccleſiarum ruralium.

3 In hoc articulo qui viſus fuit ſatis ſubtilis, dicebant Domini pro reſolutione, quòd quando quis habet de iure fundatam intentionem ſuper aliquo, ſi poteſt nihilominùs illud concedere,aut alienare, quòd tunc non requiritur immemorabilis,aut quadragenaria cum titulo,ad hoc, vt contra ipſum præſcribatur,
4 ſed ſufficit quadragenaria. † Nam ſcientia & patientia illius qui poteſt concedere, vel alienare, inſeruit pro titulo, ſecus autem, ſi ille qui habet de iure intentionem fundatam, non poteſt concedere, vel alienare. Card.*in cap.cùm Eccleſia,in §.verùm quàm de cauſ.poſſeſſ. & propr. in verſ.oppono de hoc.* Et de capitulo ad decimas.Rip.*in d.cap.cùm Eccleſia, num.25.verſ.decima ſolutio.* Abb.*num.* 46.Felyn.*in cap.ſi diligẽti,de præſcript. num.7.circa finem verſ.2. reſeruatio, in fine dictæ 2. reſeruationis, verſ. tamen propter auctoritatem prædictorum.*

In propoſito autem, ſi ageretur 5
contra laicum, cui Epiſcopus poſt Concilium Lateranenſe non poteſt infeudare decimas, abſque auctoritate ſummi Pontificis, vt *in cap.prohibemus, de decimis*, Rebuff.*de decim. quæſt.13.num.73.* Hoſtien. *in ſumm. eodem tit.num.3. in §.3.quæritur.* Iaſ. *conſ.19.num.13. verſ. vnde tranſactio, lib.3.*† non ſufficeret quadragenaria 6
cum patientia Epiſcopi, vt per Doctor. *in dicto cap.cùm Eccleſia,* ſed requireretur immemorabilis cum fama priuilegij.Io.Andr. & alij *in cap. cùm Apoſtolicæ,de his quæ fiunt à Præl.* Fel. *in cap.cauſam,num.3.de præſcript. & in cap.cùm contingat, num.4. verſ.ſi tamen, de for.comp.* Rebuff. *de decim. quæſt.13.num.69. & ſeqq.*

Sed in hoc caſu,cùm agatur cum 7
alia Eccleſia, dicendum eſt, quòd ſi Epiſcopus poſſediſſet iſtas decimas, cùm in alienatione rerum Eccleſiæ requiratur certa ſolemnitas, vt latè per Couar.*var.reſol.lib.2.& 17.nu.1.* propterea iſto caſu non ſufficeret quadragenaria cum ſcientia & patientia Epiſcopi, vt dictum eſt, per ſuprà allegatos Doctores *in præcitato cap. cùm Eccleſia*, ſed requireretur immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo, vt in iuribus ſuprà allegatis pro Epiſcopo. † Sed cùm 8
Epiſcopus nunquam poſſederit decimas,quæ ſunt in nullius parochia, non agitur de iure quæſito amittendo, ſed de iure non quæſito, &

ſic Epiſcopo debito præſcribendo, vt per Abbatem, *in cap. quoniam, num.* 4. Butr. *num.* 5. Card. *in verſ. oppono de decimis.* Et propterea ſufficit ſola quadragenaria cum ſcientia, & patientia Epiſcopi, vt per allegatos
9 Doctores *in cap. cùm Eccleſia.* † Epiſcopus enim poſt recuperationem iſtarum decimarum, poteſt illas, vel ad opus ſuum retinere, vel ſecundùm diſcretionem ſibi à Deo datam alteri Eccleſiæ concedere, vt *in cap. quoniam*, & ibi Doctores omnes, *de decimis.*

10 Non obſtat, quòd licèt in quærendis ante acceptationem, Prælatus poſſit præiudicare Eccleſiæ, vt per Franc. *in cap.* 1. *ſub nu.* 26. *limit.* 11. *& n.* 27. *de reb. Eccleſ. non alien.* tamen ſecùs dicendum eſt, in quærendis, non in debitis de iure communi, vt colligitur ex notatis per Franc. *ibidem.* Quia reſpondetur, quòd hodiè non agitur, an Epiſcopus potuerit præiudicare Eccleſiæ in nõ quærendo decimas de iure communi
11 ſibi debitas. † Sed dicitur, quòd cùm de iure potuiſſet cõcedere iſtas decimas alteri Eccleſiæ, ex quo illas nunquam percepit, & ſunt in nullius parochia, cùm iſtæ Eccleſiæ poſſederint ſpatio 40. annorum cum ſcientia, & patientia ipſius Epiſcopi, iſta inſeruiunt pro titulo, quia Epiſcopus poterat illas concedere iſtis Eccleſiis, vt ſuprà dictum eſt. Nec agitur, an Epiſcopus potuerit præiudicare in non quærendo illa quæ de iure cõmuni ad ſuam Eccleſiam ſpectant, ſed ſolùm quòd ſpatio 40. annorum poſſint illæ præſcribi cum ſcientia Epiſcopi, quæ Epiſcopus ipſe concedere potuiſſet.

BRACHAREN. PAROchialis.

Merc. 1. *Iulij* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio capta per procuratorem ſpecialiter ad hoc conſtitutum, vt in beneficialibus requiritur, eſt manutenibilis.*

2 *Poſſeſſor de tẽpore litis motæ, eſt manutenendus.*

3 *Poſſeſſio licèt anterior, capta lite pendente, nullius eſt conſiderationis.*

Decisio CCCCLXXXVI.

DOmini dixerunt, Ioanni dandum eſſe mandatum de manutenendo, † quia ſatis docet de ſua 1
poſſeſſione, ex mandato de immittendo ſibi per Rotam conceſſo, & poſſeſſione capta mediante perſona ſui procuratoris ſpecialiter conſtituti, etiam ad capiendam poſſeſſionem beneficiorum, prout in beneficialibus requiritur. Lap. *alleg.* 70. *num.* 6. Et propterea eſt manutenendus. † Poſſeſſori enim de tem- 2
pore motæ litis datur manutentio, ad inſtar interdicti retinendæ, ex alleg. per Veral. *dec.* 198. *lib.* 2.

Non obſtat aſſerta poſſeſſio anterior Sebaſtiani, quia de ea non conſtat, & ſi de ea conſtaret, non releuaret, † quia lite pendente in- 3
ter Ioannem, & Petrum, & ſequeſtrata poſſeſſione per Rotam, intruſit ſe in poſſeſſione huius beneficij, ex alleg. per *Lancel. de attent. par* 1. *c.* 3. *nu.* 69. *in* 10. *limit.* Biſignet. *deciſ.* 1. *vt lit. pend.*

ROMA

ROMANA SCVTORVM
Quatuor millium.

Ven. 30. Octobris 1609.

SVMMARIVM.

1 *Relatum est in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, ita vt dicatur pars referentis.*
2 *Paria ſunt exprimere nominatim, vel per relationem.*
3 *Dictio* in reliquis *cõprehendit omnia contenta in inſtrumento ad quod habetur relatio.*
4 *Præſentia probari poteſt ex coniecturis.*
5 *Clara diſpoſitio in inſtrumento reddit inueriſimile, quòd aliter ſe habeat res, quàm dicitur in inſtrumento.*

DECISIO CCCCLXXXVII.

DOmini dixerunt, D. Principem teneri præſtare patientiam, vt iugalis ſatisfiat ſuper fructibus Multiplici, niſi tamen obſtent clauſulæ Motus proprij, ſuper quibus erit particulariter agendum. Nam ipſi Iugali retrouendiderunt Dominis Vrſinis tenutam ſanctæ Margaritæ, ſub die 10. Iunij 1594. pretio ſcutorum viginti millium ad effectum, vt illam venderent D. Principi, itaut ſuper illis nullum ius acquiratur ipſis Dominis Vrſinis, vel eorum creditoribus. Et conuenerũt, quòd pretium ſolueretur certis modo, & forma. Deinde die 19. Iulij ſequentis, inter eaſdem partes fuit nouatum hoc inſtrumentum circa ſolutionem pretij, & conuentum, quòd ſcuta ſedecim millia deberent ſolui per D. Principem pariter certis modo, & forma ibi præſcriptis, & ſcuta quatuor millia deberentur ſolui per Dominos Vrſinos, modo in inſtrumento præſcripto, cum additione, quòd deficientibus Dominis Vrſinis, vel eorum hæredibus in ſolutione, in totũ vel in parte, ſolui deberent de fructibus quindecim millium ſcutorum, & aliarum multiplicationum exinde faciendarum. Et cõſenſerunt Iugali, quòd D. Princeps, celebrato contractu emptionis Nomenti, & acceptatis obligationibus ſolutionum, poſſet propria auctoritate capere poſſeſſionem tenutæ. Vnde cùm poſtmodùm die 21. eiuſdem menſis Iulij fuerit celebratus cõtractus venditionis Nomenti, & inter alia D. Princeps promiſerit, ſoluere ſcuta ſedecim millia Iugalis, pro pretio dictæ tenutæ, adimpletis priùs per Iugalos in inſtrumento retrouenditionis promiſſis, & in reliquis, modo, & forma contentis in alio inſtrumento celebrato ſub dicta die 19. Iulij, de quo D. Princeps aſſeruit inſtructum fuiſſe, ſequitur propterea, quòd D. Princeps teneatur præſtare dictam patientiam, cùm approbauerit dictum inſtrumentum celebratum ſub die 19. Iulij, ibi, *& in reliquis modo & forma, &c.*† Relatum enim eſt in referente cum omnibus qualitatibus ſuis, *l. aſſe toto, ff. de hæred. inſtit.* vbi Bart. & Doctor. itaut dicatur pars referentis, & ſic inſtrumentum celebratum die 19. dicendum eſt, quòd fuerit pars inſtrumenti emptionis Nomenti, iuxta notata per Alex. *in conſ. 35. num. 8. lib. 4.* vbi *apoſtil. in verb. pars.*† Non adeſt enim diſcrepantia, quòd quid nominatim exprimatur, vel per relationem. Pariſ. *conſ. 122. num. 3. & ſeqq. lib. 1. & conſ. 2. nu. 51. lib. 3.* Caſtrenſ. *conſ. 91. in fine lib. 1.* Et quòd D. Princeps voluerit habere relationem non ſolùm ad modum ſoluendi ſcuta ſedecim millia, ſed etiam ad omnia alia in inſtrumento contenta, ſatis apparet, quia aliàs

1

2

facilius

faciliùs ſibi fuiſſet, dicere,& ſecundùm germanum modum loquendi, *promiſit ſoluere ſcuta ſedecim : millia adimpletis promiſſis per Iugalos in inſtrumento retrouenditionis , & modis & forma , prout in inſtrumento celebrato ſub die 19. Iulij* , & non vti verbis illis, *& in reliquis modo &*
3 *forma,*† quod verbum,*& in reliquis*, comprehendit alia contenta in dicto inſtrumento,*l.2.C.de hæred.inſtit.* itaut ſenſus verborum ſit, promiſit ſoluere ſcuta ſedecim millia , & in reliquis,modo,& forma ſcilicèt, & in reliquis ſe obligauit prout in inſtrumento celebrato die 19. Iulij. Quod maximè ſuadetur, quia hoc inſtrumentum ſub die 19.fuit celebratum in Palatio Capitolino in cubiculo D. Senatoris Vrbis, cuius præſentia de facili arguitur,cùm nõ poſſit excogitari alia cauſa , ex qua inſtrumentum fuerit celebratum in proprio cubiculo D.Senatoris , niſi quia ipſe interueniret pro parte D. Principis , cùm ipſe egerit totũ hoc negotium emptionis caſtri Numen-
4 ti. † Præſentia enim poteſt etiam probari ex coniecturis , Boër. *deciſ.* 353.*num.*3.Ruyn. *conſ.*154. *num.*11. *& ſeqq. lib.*5. Hinc etiam videmus, quòd in alio inſtrumẽto impoſitionis cenſus ſcutorum 12. inter D. Principem , & Iugalos celebratum, ſub die 13. Auguſti 1596.expreſsè dicitur in narratiua inſtrumenti , *& promiſerit ſcilicèt Dominus Princeps pro reſiduo pretij dictæ tenutæ ſoluere Iugalo ſcuta ſedecim millia , & in reliquis,ſeruata forma alterius inſtrumenti*, quæ verba nimis clara ſunt , & expreſsè in dicto inſtrumento Iugali reſeruarunt ſibi ius exigendi ſummã ſcutorum quatuor millium , ſuper fructibus dicti Multiplici,iuxta formam inſtrumenti celebrati ſub die 19.Iulij,& tamen nunquam D. Princeps reclamauit contra iſtas natratiuas,& reſeruationes.† Nec eſt ve- 5
riſimile , quòd permiſiſſet, Iugalos ità clarè loqui contra ipſum in inſtrumento cum ipſo celebrato , niſi negotium ita ſe haberet. Rim. iun. *conſ.*137.*nu.*30.

Ex quibus omnibus ſimul iunctis fuit concluſum,D.Principem teneri præſtare patientiam , vt Iugalis ſatisfiat ſuper fructibus Multiplici, niſi obſtent clauſulæ Motus proprij , de quibus erit particulariter agendum.

ROMANA DE LVCATELLIS.

*Ven.*30.*Octobris* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſor de tempore litis motæ , eſt manutenendus.*

2 *Poſſeſſio probatur per inſtrumentum captæ poſſeſſionis.*

3 *Statutum* cap.147.lib.1. *non habet locum, quando poſſeſſio fuit capta à tertio ante aditam hæreditatem. Item non habet locum in bonis emphyteoticis,nu.*5.

4 *Statutum de quo ſuprà , procedit in ſuo hærede.*

6 *Omne ius defuncti tranſit ad hæredes , excepto iure perſonali , & numer.*11.

7 *Statutum recipit interpretationem à iure.*

8 *Poſſeſſio quæ transfertur per ſtatutum , eſt poſſeſſio ciuilis, & artificialis, num.*11.

9 *Poſſeſſio non poteſt eſſe penes duos.*

10 *Emphyteota habet cum naturali poſſeſſione quandam poſſeſſionem ciuilẽ, quæ differt à poſſeſſione coloni, & ſolo animo retinetur , & ſtante ſtatuto de continuanda poſſeſſione,poteſt ſuffraga*

fragari contra tertium, licèt non contra dominum.

12 *Omnis exceptio quæ pertinet ad petitionem bonorum habet perimere fictionem, & beneficium ſtatuti de continuanda poſſeſſione.*

13 *Hæredi competit interdictum adipiſcendæ, quando ante aditam hæreditatem poſſeſſio naturalis fuit ab alio occupata.*

Decisio CCCCLXXXVIII.

1 DOmini dixerunt, Ioanni & Baptiſtæ fratribus dandum eſſe mandatum de manutenēdo in quaſi poſſeſſione domorum de quibus agitur, cùm ille qui habet poſſeſſionem de tempore litis motæ, debeat manuteneri, iuxta tex. *in §. retinendæ,* 2 *inſtit. de interd.* † de qua ſatis conſtat in caſu iſto, ex inſtrumēto adeptionis *l. non idcirco,* vbi notant Doctor. *C. de fid. inſtr. & in l. prædia, ff. de acquir. poſſeſſ.* Filij enim Bernardini non poſſunt ſe iuuare ex ſtatuto, *cap.* 147. *de continuanda poſſeſſione in* 3 *hæredem,* † tùm quia eius diſpoſitio non habet locum, quando poſſeſſio à tertio ante aditam hæreditatem fuit occupata, ex allegatis per Gabr. *de acq. poſſeſſ. concl. vlt. nu.* 18. Tiraquel. *in tract. le mort ſaiſit, 5. par. declar. 3. num.* 1. *& ſeqq.* Et ſæpè dixit Rota, vt in deciſionibus allegatis in cauſa Romana vineæ, & hoſpitij, 13. Martij 1606. coram R. P. D. meo Decano. Et quatenùs eſſet verum, quòd huiuſmodi limitatio non haberet 4 locum in ſuo hærede, † in quo loquitur dictum ſtatutum, quia aditione opus nō habet, vt in terminis dicit Gabr. *conſ.* 36. *nu.* 13. *lib.* 1. adhuc nihilominùs filij Bernardini non 5 poſſunt ſe iuuare dicto ſtatuto, † quod non habet locum in bonis 6 emphyteoticis. † Quia & ſi omne ius defuncti tranſeat in hæredem, excipitur tamen ius perſonale, *l. hæres. ff. de acquir. hæred.* prout eſt illud, quia emphyteuſis eſt finita per obitum Bernardini, & propterea dictū ſtatutum non debet intelligi de ea poſſeſſione, quæ cohæret iuri perſonali, † cùm recipiat interpretationē 7 à iure, vt in terminis dicit Cuman. *in conſ.* 173. *in fine,* quem ſequitur Rub. Alex. *in conſ.* 121. *num.* 5. & Iaſ. *conſ.* 125. *lib.* 4. & Gabr. *de acq. poſſeſſ. concl. vlt. num.* 13. Et fuit reſolutum in cauſa Imolen. bonorum 10. Aprilis 1591. coram D. Cardinali Pamphilio in cauſa Mediolanen. bonorum 28. Martij 1598. coram D. Cardinale Millino, & in dicta cauſa Romana Vineæ coram D. Decano, maximè cùm poſſeſſio † quæ transfer- 8 tur per ſtatutum, ſit poſſeſſio illa ciuilis, vt dicit Alex. *in conſ.* 24. *num.* 3. *lib.* 3. Tiraquel. *in tract. le mort ſaiſit, par.* 3. *declarat.* 2. *num.* 3. quæ remanet penes dominum directum, *lib.* 3. §. *ex contrario,* cum ibi notatis *ff. de acquir. poſſ.* † Nec poteſt eſſe penes duos, 9 gloſ. *in l. ſi vt certò,* §. *ſi duobus vehiculum, in verb. dominium, ff. cōmod.* & ibi Caſtr. *num.* 7. Et propterea non habuit Bernardinus, quid tranſmitteret in hæredem.

Neque releuat, quòd licèt em- 10 phyteuta non habeat poſſeſſionem ciuilem, habet tamen cum naturali quandam poſſeſſionem ciuilem, vt dicit Anchar. *in conſ.* 63. *num.* 4. quæ differt à poſſeſſione coloni, & ſolo animo retinetur, vt per eundem Anchar. 443. *num.* 11. quæ, & ſi in iſtis terminis non poteſt ſuffragari contra dominum directum, poteſt tamen ſuffragari contra tertium iuxta diſtinctionem Hoſt. *in cap. olim,* 12. *num.* 16. *de reſtit. ſpoliat.* † Satis enim 11 eſt, quòd ſtatutum habeat in quo poſſit operari artificium ſuum. Hæc enim poſſeſſio dicitur artificialis.

Alex. *conſ.* 24. *num.* 3. *verſ. & appellatur dicta poſſeſſio, l.* 3. Nam fuit per Dominos reſponſum, quòd quatenùs prædicta eſſent vera, adhuc non releuant in caſu iſto, quia ſumus in iure perſonali extincto per obitum Bernardini, vt dictũ eſt, & propterea nec illa poſſeſſio ciuilis quam habet emphyteuta, quæcumque illa ſit, poſſet iuuare contra tertium. Et licèt hæc videantur reſpicere petitorium, tamen poſſunt opponi in
12 caſu iſto in poſſeſſorio, † quia omnis exceptio quæ pertineret ad petitionem bonorum, habet perimere fictionem, & beneficium ſtatuti, vt in terminis dicit Bald. qui loquitur in ſimili ſtatuto, *in conſ.* 141. *num.* 3. *lib.* 1.

Neque facit quòd dicitur, competere in omnem euentum hæredi interdictum adipiſcendæ, vt per Tiraq. *d.* 5. *par. declar.* 3. *num.* 16. & per Gabr. pariter *loco allegato num.* 22. & per Rub. Alex. *dicto conſ.* 121. *num.* 5.
13 *& 6.* † quia Doctores præfati loquuntur, quando ante aditam hæreditatem fuit occupata poſſeſſio naturalis, quòd tunc hæredi non competit interdictum retinendæ, ſed adipiſcendæ. Et quicquid dicendum eſſet, ſi filij Bernardini intentaſſent hoc remedium, quia obſtarent prædicta, vt in puncto etiam conſiderat Rub. Alex. *vbi* 5. *num.* 6. *vſque ad finẽ*, hoc videtur extra dubium, quia agitur hodie de interdicto retinendæ, non adipiſcendæ.

Ex quibus fuit concluſum, Ioanni, & Baptiſtæ fratribus dandum eſſe mandatum de manutenendo.

ROMANA MELIORAmentorum.

Ven. 6. *Nouembris* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Conductori competit actio ex conducto, tam pro melioramentis neceſſariis, quàm vtilibus contra locatorem, non alium, num.* 2. *&* 3. *& retentio num.* 5.

2 *Actio ex conducto eſt perſonalis.*

4 *Conductor qui bona fide facit melioramenta, recuperat expenſas neceſſarias, & vtiles, ſi dominus fuiſſet eaſdem factурus, aut ſi eſſet venditurus rem, aut ſi non ſunt nimis oneroſæ, & extra iſtos caſus recuperat per abraſionem, expenſas verò voluptuoſas recuperat, ſi illas erat dominus facturus, vel eſt rem venditurus, num.* 5.

6 *Conductor habens cauſam à malæ fidei poſſeſſore, recuperat expenſas, ſiue habuerit ignorantiam facti, ſiue iuris, nu.* 7.

DECISIO CCCCLXXXIX.

POſt latam ſententiam contra D. Alexium poſſeſſorem domus de qua agitur, ad fauorem Longobardæ, & poſt etiam appoſitum ſequeſtrum vigore ſtatuti Vrbis, *c.* 169. *lib.* 1. per conductorem fuerunt facta multa melioramenta in dicta domo, partim neceſſaria, partim verò vtilia, & partim etiam voluptuoſa. Vnde dubitaui, an conductori daretur retentio pro iſtis melioramentis aduersùs Longobardam. † Et licèt 1
pro negatiua diceretur, quòd licèt conductori competat actio ex conducto pro melioramentis, tam neceſſariis, quàm vtilibus, *l. ſed addes, §. ſi inquilinus, & l. colonus, ff. locat. l. habitator*, vbi gloſ. *in verb. coniuncta, ff. de rei vendic.* † tamen huiuſmodi actio 2
non competit contra Longobardã, quæ domum minimè locauit; hæc enim eſt actio ciuilis perſonalis, §. *ſequens illa diuiſio, inſtit. de act.* & bonæ fidei

fidei, §. *actionum, eodem tit.* quæ competit locatori contra conductorem ad præstandum quod bonum & æquum est, *instit. de oblig. ex consensu, in vers. item in his contractibus.*

3 Contrarium tamen censuerunt Domini in casu isto, quia licèt conductor non possit agere actione ex
4 conducto contra Longobardam, † tamen cùm esset bonæ fidei possessor, & bona fide fecerit meliora-menta, recuperat nedum expensas necessarias, *vt in l. in fundo ff. de rei vend.* verùm etiam vtiles, si dominus fuisset easdem facturus, aut si non sunt nimis onerosæ, *dicta l. in fundo* vbi Bart. *num. 6. & 7.* Et extra istos casus recuperat per abrasionē, si fieri potest, vt habetur *in dicta l. in fundo, & loco allegato* notat Bart. &
5 bene Castr. *in cons. 247. num. 7. lib. 1.* † Prout etiam recuperat voluptuosas per abrasionē, vel si dominus aliàs erat facturus, vel est rem venditurus, perinde ac si essent expensæ vtiles, vt inquit Bart. *in dicta l. in fundo, num. 10.* Et propterea, sicuti pro istis melioramentis datur actio, ita competit retentio, ex latè deductis per Rim. iun. *in cons. 411. num. 4. & seqq. vol. 4.*

Neque obstat, quòd conductor habeat causam à D. Alexio qui erat malæ fidei possessor, quia hoc non
6 refert. † Satis enim est, quòd conductor habuerit ignorantiam facti, vt
7 dicatur bonæ fidei possessor. † Immò, quod plus est, sufficit in istis terminis ignorantia iuris, cùm agatur de damno euitādo, vt per Castr. *in dicto cons. 247. num. 7. in princ. lib. 1.* Corn. *cons. 147. num. 9. & seqq. & cons. 243. num. 6. & 7. lib. 2.* Quòd dicitur, conductorem iam fuisse satisfactum ex pensionibus, non est præsentis inspectionis.

GERVNDEN. IVRIS interessendi in Capitulo.

Ven. 6. Nouembris 1609.

SVMMARIVM.

1 *Possessori de tempore litis motæ datur mandatum de manutenendo, interessendi in Capitulo in actibus capitularibus.*

2 *Opinio quòd possessio defuncti non continuetur in hæredem absque noua apprehensione, non procedit, quando Ecclesia vel dignitas est in possessione, & agitur nomine Ecclesiæ vel dignitatis.*

3 *Possessio censetur cōtinuata vsque ad tempus litis motæ, cùm solo animo retineatur.*

4 *Actus possessorij capitulares, etiam non effectuati, per canonicum facti, constituunt canonicum in quasi possessione, in præiudicium eorum à quibus fuit admissus.*

5 *Regulares in Cathedrali, vel Collegiata, sunt loco Canonicorum.*

6 *Ius metiendum est ex parte actoris.*

Decisio CCCCXC.

Vide Decis. 429

DOmini dixerunt, portionariis 1 Ecclesiæ Collegiatæ de Villa Bertrandi, dandum esse pro nunc mandatum de manutenēdo in quasi possessione interessendi in Capitulo, dum agitur de actibus, in quibus ostendunt ex publicis instrumentis productis, quòd aliàs interuenerint, reseruato, vt videatur, an ex illis actibus sint constituti in quasi possessione vniuersali, ita vt generaliter sit danda manutentio, vt semper in Capitulo interuenire debeāt. De earum enim possessione constat ex ipsis actibus capitularibus, ex quibus probatur possessio, iuxta notata *in l. non idcirco*, vbi Bald. *in princ. C. de fid. instr.*

inſtr. Bart. *in l.* prædia, *num.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Quæ poſſeſſio ſuffragatur etiam ſucceſſoribus in portionibus.

2 † Nam, licèt Rota non ſequatur illam opinionem, quòd poſſeſſio continuetur in hæredem abſque noua apprehenſione, hæc tamen regula non procedit, quando Eccleſia, vel Dignitas eſt in poſſeſſione, & agitur nomine Eccleſiæ, vel Dignitatis. Innoc. *in c. quia, nu.* 1. *verſ. quidam tamen dixerunt*, ibi, *quia illud habet locum*, & ibi Hoſt. *num.* 3. *in fine, verſ. quod non placet.* Io. And. *num.* 6. *verſ. illud enim.* Abb. *num.* 11. *in* 3. *caſu verſ. ſecùs.* dicit Innoc. *de iudic.* Rota *dec.* 13. *nu.* 2. *de procur. in nou. & deciſ.* 1. *de reſtit.*

3 *ſpol. pariter in nouis.* † Et propterea cùm poſſeſſio cenſeatur continuata vſque ad tempus litis motæ, cùm animo retineatur, *l. licèt, C. de acquir. poſſeſſ.* Abb. *in cap. cùm ad ſedem, num.* 13. *de reſtitut. ſpoliat.* Hinc ſequitur, quòd cõcurrant requiſita ex quibus datur manutentio, nempe poſſeſſio de tempore litis motæ, & turbatio, vt *in §. retinendæ, inſtitut. de interd.* & not. Ang. *in conſ.* 19. *nu.* 1. & 4.

4 Et iſta quaſi poſſeſſio ſuffragatur, etiam quòd actus non oſtendantur effectuati, quia effectuatio non eſt neceſſaria in præiudicium Canonicorum, qui Portionarios admiſerũt. Rip. *in cap. cùm Eccleſia Sutrina, num.* 93. *verſ. ſed dubitatur de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Et fuit reſolutum in cauſa Florentina de Ricaiolis, 2. Febr. 1604. coram D. meo Lancellotto, & aliàs ſæpiùs. Et etiam ſuffragatur reſpectu actorum factorum antequàm Eccleſia eſſet ſecularizata, quia cùm

5 regulares cõſtituerent Capitulum, † & eſſent loco Canonicorum, vt not. Abb. *in cap. cauſam quæ*, 1. *num.* 8. *de iud.* mutatio perſonarum non mutat

6 poſſeſſionem Portionariorũ, † cùm ius ſit metiendum ex parte poſſeſſoris, iuxta deciſ. *Guido Pap.* 629. Put. *dec.* 151. *lib.* 3. Ægid. *conſ.* 21. *circa med. verſ.* 3. *quod Martinus*, Gig. *de penſ. qu.* 47. *num.* 10. *verſ.* 3. *ſciendum.* Et in iſtis propriis terminis fuit reſolutum coram me in cauſa Cæſarauguſtana præeminentiarum, 13. Martij 1609.

BVRGEN. PRÆEMInentiarum.

Lunæ 16. *Nouembris* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Tranſactio facta poſt rem validè iudicatam, eſt nulla, ſecùs autem quando dubitatur, an ſit iudicatum, vel ſententia releuat, vel res ſit dubia, nu.* 3.

2 *Sententia nulla non poteſt tranſire in rem iudicatam.*

DECISIO CCCCXCI.

CVm prætenderetur, tranſactionem fuiſſe inualidam, tanquam factam poſt rem iudicatam, *l. ſi cauſa cognita, C. de tranſact. l. eleganter*, §. *ſi poſt rem iudicatam, ff. de cond. indeb.* Ideo dubitaui, an ſententia Epiſcopi Conchen. quæ prætendebatur tranſiuiſſe in iudicatum, eſſet valida, vel nulla, † quia ſi nulla, non potuit 2 tranſire in iudicatum, *l. ſi expreſſum*, vbi Bart. Iaſ. & alij *ff. de appel.* Et Domini animaduertentes, quòd negocium diſputabatur ad effectum validitatis tranſactionis, dixerũt, tranſactionem ſuſtineri, quia licèt non poſſit tranſigi poſt rem iudicatam, hoc tamen eſt verum, quando tranſigitur poſt ſentẽtiam indubitatam, quæ nullo remedio attentari poteſt, † ſecus autem ſi incertum ſit, an iu- 3 dicatum ſit, vel ſententia valeat, vt expreſsè dicitur *in d. §. ſi poſt rem iudicatam*, & benè Bart. *in l. poſt rem iudicatam*

dicatam, num.3. ff. de tranſact. vbi ad effectum tranſactionis ſufficit, quòd ex aliqua probabili cauſa ſententia poſſit dici nulla, in caſu autem iſto cauſa fuit commiſſa bo.me. D.Dezza, qua pendente fuit facta tranſactio, quæ ſuſtinetur: nam licèt videretur Dominis, nullitates oppoſitas poſſe ſaluari, non tamen inde reſultat inualiditas tranſactionis, quia multa poterant allegari pro dictis nullitatibus, itaut dicendum ſit, materiam fuiſſe dubiam. Alex *conſ.222. num.9. verſ. denique, & num.10. lib.2. & conſ.142. num.12. lib.5.* Aym.583. *num.7.* Et inde tranſactionem ſuſtineri, vt *in dicto §. ſi poſt rem iudicatam*, & per Bart. *loco præallegato.*

BARBASTIEN. PAROchialis.

Ven.27. Nouembris 1609.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtrum apponitur, quando neutra partium poſſidet, vel quando poſſeſſio eſt attentata, nu.2.*

3 *Poſſeſſio attentata non eſt manutenibilis.*

4 *Tradens claues alicuius loci, amittit illius poſſeſſionem.*

5 *Poſſeſſio capta vigore monitorij habentis clauſulam, ſi quis, ſi nullus aderat poſſeſſor, vel legitimus contradictor, eſt valida.*

6 *Poſſeſſio capta vigore exequutorialiũ, parte conſentiente, non eſt attentata.*

7 *Poſſeſſio capta vigore monitorij habentis clauſulam, ſi quis, ſtante legitimo contradictore, eſt attentata.*

8 *Clauſula, ſi quis, poſita in monitorio, parte comparente, reſoluitur, in citationem. Cuius vigore cenſetur lis introducta ad effectum attentatorum, in præiudicium obtinentis monitorium.*

DECISIO CCCCXCII.

DOmini dixerunt, neutri ex partibus dandum eſſe mandatum de manutenendo, ſed apponendum ſequeſtrum. Apponitur enim quando partes litigantes nõ ſunt in poſſeſſione. Abb. *in cap. dilectus, num.14. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* † Vel quando poſſeſſio eſt attentata. Verall. *dec. 52. lib. in manuſcript. AA. dec.9. lib.1.* Hîc autem Martinus amiſit poſſeſſionem, & ideo non eſt agendum de manutentione, quæ non datur niſi poſſidenti, §. *hodie, inſtit. de interd.* † Bernardus verò attentauit, illam capiendo, quæ propterea non eſt manutenibilis, ex alleg. per Lancell. *de attent. c.4. declarat.4. num.49.* Nam Martinus, licèt ſibi intimato monitorio AC. fuerit proteſtatus, † acquieuit tamen traditioni poſſeſſionis, cùm dederit etiam claues Sacrarij, & propterea, dicendus ſit poſſeſſionem amiſiſſe, cùm ſolo animo perdatur, *l.3. §. in amittenda, ff. de acquir. poſſeſſ.* Et in terminis de traditione clauiũ fuit reſolutum in cauſa Vicen. Vnionis 29. Maij 1595. coram D. Cardinale Mantica.

Bernardus verò non poterat capere poſſeſſionem vigore dicti monitorij habentis clauſulam, *ſi quis*, quia licèt eam potuiſſet capere, ſi non adfuiſſet poſſeſſor, vel legitimus contradictor, vt fuit in terminis reſolutum in cauſa Triden. Parochialis ſanctæ Chriſtinæ, 4. Nouembris 1592. coram D. Cardinale Pamphilio. Vel ſi adfuiſſet, & conſenſiſſet, vt dicitur de exequutorialibus, † quarum vigore, ſi capiatur poſſeſſio parte conſentiente, non dicitur attentata, etiam quòd non reproducantur, vt ſeruentur quatuor

tuor termini, iuxta ſtylum, vt in deciſione Burgen. Iuriſdictionis, 12. Ianuarij 1582. coram D. de Rubeis. Tamen in caſu iſto, intimato monitorio, Martinus ſe oppoſuit, vt dictum eſt, & fuit proteſtatus, quòd erat poſſeſſor Eccleſiæ, & quòd propterea appellabat ad ſanctã ſedem
7 Apoſtolicam. † Et ideo ſtante clauſula, *ſi quis ſenſerit ſe grauatum, &c.* poſita in monitorio, fuit reſolutum in ſimplicem citationem. Vnde Bernardus abſque vitio attentatorum
8 non potuit capere poſſeſſionem, † quia ad effectum, quòd nihil per ipſum deberet innouari, ſatis cenſebatur introducta lis, *Clem. 2. vt lit. pend.* Rot. *dec. 6. vt lit. pend. in nou.* Roman. *conſ. 330. num. 2. ante fin.* Lancell. *de attent. par. 2. c. 4. in præfat. num. 36.* Nec poteſt dici, quòd proteſtatio fuerit facta poſt poſſeſſionem captam, quia ex ipſa intimatione conſtat de contrario, cùm in cõtinenti dederit cedulam dictæ proteſtationis. Vnde fit, quòd licèt poſtmodùm præſtiterit patiẽtiam, quòd Bernardus caperet poſſeſſionem, quòd iſta patientia operetur, quòd ſe habuerit pro ſpoliato, non autem quòd poſſeſſio Bernardi non ſit attentata, cùm fuerit capta lite pendente coram AC. quæ ex ipſo monitorio reſoluto in citationem cenſebatur introducta in præiudicium ipſius Bernardi, vt nihil deberet innouare, vt dictum eſt.

Quæ dicuntur de poſſeſſione Vniuerſitatis, nihil faciunt; quia Vniuerſitas non poteſt prætendere poſſeſſionem Eccleſiæ, ex deductis per Crotum *in conſ. 26. num. 14.*

VRBEVETANA FIDEICOMMISSI.

Ven. 27. Nouembris 1609.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommiſſum in quo ſunt vocati deſcendentes maſculi, extenditur vltra pronepotes.*
2 *Nomen* deſcendentes, *eſt collectiuũ, & comprehendit de ſui natura omnes deſcendentes in infinitum.*
3 *Dictio*, ex, *aliquando denotat cauſam immediatam, aliquando remotam.*
4 *Dictio*, extra, *verificatur etiam in cauſis ſucceſſiuis, non immediatis.*
5 *Filius participat de ſubſtãtia patris, nepos de ſubſtantia patris, & filij, pronepos de ſubſtantia patris, filij, & nepotis.*
6 *Clauſula*, ita quòd, *declarat, & regulat præcedentem diſpoſitionem.*
7 *Teſtator volens bona ſua remanere apud maſculos de ſtirpe, intelligitur voluiſſe perpetuum fideicommiſſum, & 8, & 10.*
8 *Fideicommiſſum inductum ex prohibitione alienationis, non extenditur vltra quartum gradũ, ſecùs quando conſtat de voluntate teſtatoris.*
9 *Subſtitutionis reciprocæ requiſita.*
10 *Teſtator volens totam ſuam hæreditatem remanere apud maſculos de ſtirpe, cenſetur induxiſſe fideicommiſſum, & onus reſtituendi ſuperſtitibus.*
11 *Subſtitutio dicitur facta vltimo morienti, ſi adſunt verba*, & ſi aliquis.
12 *Teſtator diuidens hæreditatem inter filios per quotas, cenſetur ſubſtituiſſe illos in tota hæreditate, ſi præceſſit reciproca ſubſtitutio.*
13 *In toto comprehẽditur quælibet pars, in omnibus verò partibus ſimul ſumptis totum continetur.*

DECISIO CCCCXCIII.

POſt reſolutiones factas, quòd conſtabat de fideicommiſſo ad fauo

fauorem deſcendentium Petrucij, qui licèt eſſent poſiti in conditione, tamen ex coniecturis cenſebantur vocati, dubitaui ſuper reſeruatis in dd. deciſionibus, ſcilicèt, an fideicommiſſum extendatur vltra pronepotes, & an adſit reciproca inter ipſos. Et Domini, præſuppoſitis dictis deciſionibus, quas tamen voluerunt reuidere, quoàd vtrumque ca-
1 put affirmatiuè reſoluerunt. † Et quantum attinet ad primum, cùm ſint vocati deſcendentes maſculi, ſequitur, quòd fideicommiſſum ten-
2 datur vltra pronepotes, † quia nomen *deſcendentes* eſt collectiuum, & comprehendit de ſui natura omnes deſcendentes in infinitum, §. 1. *in auth. de hæred. ab inteſtato venien. l. fin. C. de ſuis & legit. hæred.* latè Cardin. Mant. *de con. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. tu. 1.* & Nat. *conſ. 64. num. 6. lib. 1.* Et fuit reſolutum in cauſa Bononien. de Felicinis, 28. Febr. 1591. coram bo. me. D. Cardinale Seraphino, & nuperrimè in cauſa Florentina fideicõmiſſi de Decis. 3. Decembris 1607. coram R. P. D. meo Manzanedo. Et in iſto caſu videtur ceſſare omnis difficultas, quia teſtator expreſsè vocauit deſcendentes vltra pronepotes, ibi, *quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus maſculis, ex filiis, vel nepotibus, vel aliquis alius deſcendens maſculus non ſupereſſet.* Vnde ſi primò poſuit in conditione filios, deinde nepotes ex filiis, & poſtmodùm nepotes, vtique intellexit de pronepotibus, cùm expreſsè priùs poſuerit in conditione nepotes ex filiis: aliàs enim induceretur repetitio verborum ſine aliquo effectu operandi, vt in terminis conſiderat Alex. *conſ. 125. num. 11. & ſeqq. lib. 5.* Et benè etiam in puncto Caſtilioneus, *conſ. 26. num. 8. verſ. rurſum, cum ſeqq.* Cuman. *conſ. 13. nu. 2.*

Neque releuat, quòd illa clauſula, *quòd ſi aliquis*, eſt repetitiua immediatè antecedentis clauſulæ, *& ſi quis eorum*, (ſcilicèt Petrucius filius, & alij naſcituri hæredes inſtituti) decederet in pupillari ætate, vel poſteà quandocumq; ſine filiis maſculis legitimè ex ſe deſcendentibus, ſubſtituit etiam & eis ſuperuiuentem & ſuperuiuẽtes, & eorum filios maſculos, & alios deſcendentes maſculos ex eis. Vnde cùm primò ſubſtituerit ſuperuiuentes filios, & eorum filios maſculos, & ſic nepotes, & deinde alios deſcendentes ex eis, non excedit gradum pronepotum, cùm vocet deſcendentes ex nepotibus. † Quæ dictio, *ex*, deno- 3
tat cauſam immediatam, vt in terminis dicit Cephal. *conſ. 330. nu. 39. & ſeqq.* Nam fuit reſponſum, quòd Cephalus mouetur, quia dictio, *ex*, denotat cauſam primam, ſed ſubdit, quòd denotat etiam cauſam remotam, quando conſtat de mente teſtatoris, prout in caſu iſto, ex dicta ſequenti clauſula. *Quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris*, in qua ſimpliciter ponit deſcendentes maſculos in cõditione, & in ea verbis expreſſis, vt dictum eſt, vocauit deſcendentes vltra pronepotes. Et hæc eo ampliùs procedunt, † quia dictio, *ex*, de ſui 4
natura verificatur etiam in cauſis ſucceſſiuis, non immediatis, quando aliquid de ſubſtantia primi retinet, veluti nepos, pronepos, dicitur deſcendens ex auo, & ex proprio corpore aui, † quia ſicuti filius partici- 5
pat in generatione de ſubſtantia patris, & nepos de ſubſtantia filij & patris, & pronepos de ſubſtantia neporis, filij, & patris, dicitur verificari dictio, *ex*. Ita Caſtr. *in conſ. 164. nu. 4. verſ. conſtat autem, lib. 2.* Et in puncto fuit reſolutum in allegata cauſa Bononien. de Felicinis. Quæ opti

mè

mè confirmantur, ex quo teſtator poſt dictos ſuos deſcédentes ſubſtituit tranſuerſales, concludendo teſtamentum per hæc verba, *Ita quòd hæreditas ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe,& nunquam ad deſcendentes filias, vel fœminas deueniat.*† Quæ 6 clauſula, licèt ſtet acceſſoriè, & declaratoriè, & non ampliatiuè ad priùs diſpoſita, nihilominùs declarat & regulat præcedentem diſpoſitionem. Soc.ſen.*conſ.49.nu.2.verſ.aut dicemus,& n.5.verſ.ad propoſitũ lib.1.*† 7 Et propterea cùm teſtator voluerit bona remanere ſemper apud maſculos de ſtirpe, dicendum eſt, intellexiſſe perpetuum,& abſolutum fideicommiſſum,quia aliàs eius intentio non poſſet effectuari. Gozad. *conſ. 102.num.7.verſ.*8. Crot.*conſ.*48.*num.25.lib.1.vol.*1. Ruyn.*conſ.*147.*nu.*12. *&* 13.*vol.*2.Gabr.*de fideicom. concluſ. 10.num.*12. Et fuit dictum in cauſa Peruſina Bonorum de Herculanis, 22.Aprilis 1580.coram Braun,& in firmana fideicommiſſi de Fulchis 2. Aprilis,& 10.Decembris 1601.coram Illuſtriſſimo Pamphilio.

Neque facit, quòd fideicommiſſum non extendatur vltra quartum gradum,vt *in §.nos igitur, auth.de reſtit. fideic.* † Quia hoc procedit in 8 fideicommiſſo inducto ex prohibitione alienationis,quod etiam non eſt ſimpliciter verum, in omnibus, vt declarat Natt. *in conſ.64. num.6. lib.1.* Sed quando conſtat de voluntate teſtatoris, vt quia fideicommiſſum ſit factum fauore agnationis, prout eſt iſtud de quo agitur,vt dicitur in aliis deciſionibus, extenditur vltra quartum gradũ, vt bene per Cephal. *in conſ.*137. *num.*38. *& ſeqq.* vbi plures alios allegat. Dec. *conſ.*321. *col.*2.*in princ. verſ.non obſtat, quòd diſpoſitio teſtatoris.*

9 Quantum attinet ad ſecundum caput,an adſit reciproca inter deſcẽdentes, licèt ad hunc effectum tria requirantur; primum nempe,quòd omnes ſint à teſtatore honorati. Secundum, quòd ſubſtitutio ſit facta vltimo morienti. Tertium, quòd ſit facta in tota hæreditate,tamen idem ſequitur,ſi ex coniecturis cõſtat, teſtatorem inter vocatos voluiſſe adeſſe reciprocam, ex allegatis per Illuſtriſſimum Manticam *de coniect. vlt.vol.lib.7.tit.5.num.*15. Hîc autem ſatis hoc apparet, tam ex coniecturis, quàm quia expreſsè dicta requiſita adſunt. Ex coniecturis, quia ſi teſtator vocauit deſcendentes, & extendit fideicommiſſum vltra pronepotes, & illud fecit fauore agnationis, vtique hoc non poſſet eſſe, niſi reciproca adeſſet inter ipſos, ex allegatis per Illuſtriſſimum Mantic. *vbi ſuprà in fin.* quod etiam ſuadetur ex clauſula,*ita quòd hæreditas dicti teſtatoris ſemper remaneat apud maſculos de ſtirpe*, quæ declarat mentem teſtatoris, vt dictum eſt.† Vnde,ſi te- 10
ſtator intellexit de tota hæreditate, vt mox dicetur, cùm voluerit ſemper remanere apud maſculos de ſtirpe,cenſetur inductum fideicommiſſum, & onus reſtituendi ſuperſtitibus.Socin.*conſ.*43.*num.*5.*lib.*3. Aym. *conſ.*130.*num.*10. Curt.iun.*conſ.*145. *num.9.in fine.*Soc.iun.*conſ.*140. *nu.*8. *lib.*3. Rol.2.3.*num.*21. *lib.*4. Et fuit reſolutum in cauſa Bononien. de Sauignanis,15.Maij 1589.coram bo. me.D.Cardinale Seraphino.Et quia prædicta requiſita adſunt. Vocatio enim quæ eſt primum requiſitum, eſt clara ex tribus deciſionibus in hac cauſa factis, quæ in huiuſmodi diſputatione præſupponuntur, vt dictum eſt. † Secundum verò quòd 11
ſubſtitutio ſit facta vltimo morienti, ſatis patet ex verbis æquipollentibus, ſuperiùs relatis,ibi, *& ſi aliquis,&c.*

quis,&c.& ibi,*quòd ſi aliquis,&c.*Soc. *conſ.*110.*num.*35.*lib.*3.Tertium verò, quòd ſubſtitutio ſit facta in tota hæreditate ſatis patet ex dicta clauſula,*quòd ſi aliquis ex filiis dicti teſtatoris, vel nepotibus, &c.* ſubſtituit eis Hugolinum,& Leonellum,& Ioannem, & Farulfum, ſcilicèt prædictos Hugolinum,& Leonellum pro duabus partibus,& prædictos Ioannem & Farulphum pro reliqua ter-
12 tia parte, &c. † Vnde cùm diuiſerit hæreditatem per quotas, cenſetur facta ſubſtitutio in tota hæreditate.
13 † Sicut enim in integrali toto comprehenditur quælibet eius pars, ita in omnibus partibus ſimul ſumptis totum continetur; ex notatis per Bald.*in conſ.*153.*in princ.lib.*3. & per Cald.*cõſ.*10.*in fin.de feud.*Et in ſpecie hoc fuit reſolutum in cauſa Firmana bonorum,28.Martij 1583.ſub *n.*5. coram bo.me.Cardinale Lancellotto,& in allegata cauſa Bononien.de Felicinis. Cui tertio requiſito non obſtat facultas data alienandi; quia hæc non tollit, quòd ſubſtitutio ſit facta in tota hac hæreditate, ſi non fuerit alienata, vt conſideratur in aliis deciſionibus.

ROMANA VINEÆ DE Corbinellis.

Mercur. 2. *Decembris* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio facta in vno iudicio probat in alio, contra confeſſum, & eius hæredem, nu.*2.
3 *Sine primo extremo non cõpetit actio ſpolij.*
4 *Poſſeſſio ciuilis præſumitur continuata vſque ad decem annos.*
5 *Poſſidens naturaliter,non poteſt agere ſpolio contra anteriores poſſidentes ciuiliter,aut contra habentes cauſam ab eis.*
6 *Petens immiſſionem,ſi habet ciuilem, intelligitur petere immiſſionem pro naturali.*
7 *Poſſeſſio non poteſt eſſe penes duos.*
8 *Poſſeſſio ciuilis præſumitur retẽta per decem annos.*
9 *Acquieſcentia decem annorum præſumitur mutatio voluntatis.*

Decisio CCCCXCIV.

EX confeſſione Adolæ facta in iudicio cõtra dominos de Bandinis,conſtat,ipſam fuiſſe in poſſeſſione Vineæ de qua agitur, nomine ſuo, & ſororum. † Quæ confeſſio, 1
cùm ſit facta ab ipſamet Adola,probat etiam in alio iudicio,cùm dictæ ſorores eſſent in cauſa,& proſequerentur idem ius cõtra præfatos dominos de Bandinis. Felyn. *in c.*1.*nu.* 18.*vt lit.non conteſt.* † Et nocet Cæ- 2
ſari filio, & hæredi ipſius Adolæ. Pariſ. *conſ.*11.*num.*39. *&* 40. *vol.*3. Decian.*conſ.*44.*num.*77.*& ſeqq.vol.*3. Vnde ſequitur, quòd ſententia AC. remaneat iuſta,quia Cæſar non poterat agere ſpolio, niſi pro tertia parte, & non pro aliis duabus, vt conſtaret de primo extremo illius tertiæ partis tantùm,† ſine quo non 3
competit actio ſpolij, *cap.cùm ad ſedem, de reſtit.ſpoliat.* Socin. *in l. rem quæ nobis, nu.*16.*ff.de acquir.poſſeſſ.*

Non obſtat,quòd Adola primùm, & deinde Cæſar poſſederint totam vineam, vt probatur ex teſtibus, & ex locationibus, cum perceptione fructuum. Et in omnem euentum, dato quòd dictæ ſorores aliàs poſſederint, habuerunt ſe pro ſpoliatis, cùm obtinuerint immiſſionem,licèt nulliter, non citato Cæſare. Nam fuit reſponſum, quòd cùm ex confeſſione Adolæ,conſtet de poſſeſſione dictarum ſororum,vt dictum eſt,

cùm non conſtet, quòd ex poſſeſſione totius vineæ, quam poſtmodùm habuit, Adola, & Cęſar habuerint ſe pro ſpoliatis, præſumuntur
4 ciuiliter poſſediſſe, † quia poſſeſſio ſaltem ciuiliter præſumitur continuata, vſque ad decem annos, Bald. *conſ.* 446. *num.* 2. *& 3. verſ. nec obſtat ſi diceretur, lib.* 1. vbi de communi. Et in ſpecie de poſſeſſione, quæ probatur ex confeſſione partis, dicit Alciat. *de præſumpt. reg.* 2. *præſumpt.* 21. *num.* 10. *verſ. ſed iſta ratio non eſt bona.*
5 † Et propterea Cæſar, ex poſſeſſione naturali quam habuit totius vineæ, non potuit agere ſpolio contra dictas ſorores ciuiliter poſſidentes, vt in ſpecie dicit Hoſt. *in cap. olim,* 12. *num.* 16. *verſ. hoc caſu, de reſtit. ſpol.* & per conſequens nec contra Burgium habentem cauſam ab eis, cùm in iſtis terminis exceptiones competentes principali competant ſucceſſori, vt per Alciat. *vbi ſuprà nu.* 5. *verſ. tu aduerte.*

6 Nec ex quo obtinuerunt immiſſionem, dicēdum eſt, habuiſſe ſe pro ſpoliatis, quia de hoc non conſtat, imo potiùs apparet de contrario, quia petierunt manuteneri in poſſeſſione vineæ, ſeu immitti. Et ideo dicendum eſt, petiiſſe immiſſionem pro naturali poſſeſſione, & non pro ciuili, quam animo præſumebatur
7 retinere, vt dictum eſt. † Et non poteſt eſſe penes duos. glo. *in l. ſi vt certò, §. ſi duobus vehiculum, in verb. dominium,* vbi etiam Caſtr. *num.* 7. *ff. commod.* Et ſæpiùs hoc fuit reſolutum in Rota, & ſignanter vltimo loco in cauſa Carthaginen. Canonicatus, 25. Maij pręteriti, coram R. P. D. meo Lancellotto.

8 Neque releuat, quòd ceſſat præſumptio retentionis poſſeſſionis ciuilis, cùm ſit lapſum decennium. Alciat. *dicto loco, num.* 52. qui plures allegat, quia cōcluſio prædicta procedit, concurrente acquieſcentia. † 9 Nam per acquieſcentiam decem annorum, præſumitur mutatio voluntatis. Quæ acquieſcentia hîc non adeſt, cùm de anno 1596. dictæ ſorores petierint manuteneri, vel immitti in poſſeſſionē dictæ vineæ. Et cōſiderauit Rota in cauſa Romana fructuum, 9. Aprilis, 1601. coram R. P. D. meo Ludouiſio. Et eſt de mente Alciati *loco proximè allegato.*

FVLGINATEN. FIDEICOMMISSI.

Merc. 2. *Decembris* 1609.

SVMMARIVM.

1 *Bona fideicommiſſario non poſſunt alienari, & in dubio quis non cenſetur de illis diſpoſuiſſe, nu.* 2.

2 *Alienatio ſi prohibita ſit à teſtatore extra familiam, non cenſetur permiſſa in familia.*

3 *Prohibitio alienationis facta per fideicommiſſum declaratur, & reſtringitur à fideicommiſſo.*

DECISIO CCCCXCV.

DOmini dixerint, Tiberium non 1
potuiſſe diſponere de bonis ſubiectis fideicommiſſo ad fauorem filiorum Frāciſci Mariæ eius fratris prædefuncti, in pręiudicium Equitis Ioannis Baptiſtæ vocati ad dictum fideicommiſſum. Ruyn. *conſ.* 117. *nu.* 26. *lib.* 2. *& conſ.* 168. *nu.* 1. *lib.* 3. Curt. iun. *conſ.* 167. *nu.* 4. *verſ. ſi enim,* † prout 2
nec in dubio cenſetur diſpoſuiſſe, ex allegatis per Surd. *deciſ.* 292. *nu.* 19. Nam & ſi teſtator prohibuerit alienationē extra familiam, ideſt, filios, & deſcendentes ipſius teſtatoris, non inde ſequitur in caſu iſto, quòd permiſerit alienationem in familia, ſubuer-

ſubuertendo ordinem fideicommiſ-
3 ſi, † quia cùm dicta prohibitio ſit facta ſtatim poſt fideicommiſſum, eſt annexa, & coniuncta dicto fideicõmiſſo, & ideo recipit declarationẽ, & reſtrictionẽ à dicto fideicõmiſſo, apponẽdo etiam illi maius vinculũ, vt benè declarat, & exornat Dec. *in conſ.*636. *num.*7. *& ſeqq.* pluriès in Rota canonizato, Verall. *dec.*123. *incip. Comes Guido lib.*2. *in manuſcript.* Et fuit reſolutum in cauſa Peruſina de Fumaiolis, 5. Decembris 1597. & 21. Aprilis 1598. coram bo.mem. D. Litta, & in cauſa Firmana fideicommiſſi de Fulchis, 2. Aprilis, & 10. Decembris 1601. coram Illuſtriſſimo D. Cardinale Pamphilio & aliàs ſæpiùs.

Communitatis poſſeſſio probatur per teſtes dicentes, Vniuerſitatem, & homines poſſediſſe ſeminando, paſculando, &c. d.344. nu.2.

An Communitas in ſui præiudicium poſſit inducere conſuetudinem, etiam in fauorem perſonæ particularis. deciſ. 400. num.3.

COMMVNICATIO PRIuilegiorum.

vid. Priuilegium.

COMMVNIO.

Nemo cogitur ſtare in communione. d.333. num.1.

COMPARITIO.

Comparitio validat actionem nulliter exequutam. d.216. nu.26.

Citatus poſt citationem comparens, cenſetur habitationem in qua fuit facta citatio approbare pro domicilio. d.216. num.25.

COMPENSATIO.

Compenſationi mercedis quando ſit locus: vide Remiſſio mercedis.

De ſpecie ad quantitatem non fit compenſatio. d.65.nu.4.

Creditum melioramentorum cum aliis debitis compenſatur. d.137.nu.28.

Adminiſtrator hæreditatis tenetur compenſare ſuum creditum cum eo quod accepit ex hæreditate, etiamſi illud eſſet maioris quantitatis. d.228.nn.2.

An creditor poſſit cogi accipere partem crediti, vel aliud pro alio.d.228.nu.3.

Fideiuſſor obligatus in forma depoſiti, non poteſt opponere de compenſatione. d.269. num.1.

De liquido ad illiquidum non fit compenſatio. d.326. nu.3. d.358. nu.2.

Legatum factum vxori,an compenſetur cum dote. d.381.nu.1.& 2.

Teſtator legans creditori cenſetur voluiſſe compenſare cum debito. Quod limita quando legatum fuit factum ex alia cauſa.d.457.num.9.& 10.

COMPVLSATIO.

Vide Iura, & Scripturæ.

In Compulſatione iurium requiritur partis citatio. d.262. nu.1.

Compulſor poteſt citare partes, deputare notarium, & facere alia neceſſaria ad compulſationem. d.404.nu.1.

An ad compulſationem requiratur citatio. vid. Citatio.

CONCESSIO.

In generali conceſſione non veniunt ea quæ de facili concedi non ſolent. d.197.nu.14.

Conceſſio ſemper intelligitur facta ſine præiudicio concedentis. d.209.nu.1.

CONCIL. TRIDENTIN.

Arbitrarium eſt Epiſcopo, an velit ſeruare formam traditam à Concilio ſeſſ. 23. c.1. & ſeſſ.6.c.1.in procedendo contra non reſidentem.d.10.nu.5.

Conc.Trid.ſeſſ.25.c.9.de refor.nihil innouauit in illis iuribus patronatuum,in quibus non adeſt præſumptio vſurpationis. dec. 25. num.5,

Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 8. loquitur de Monachis exiſtentibus in locis exemptis.d.157. num.11.

Concilium Tridentinum ſeſſ.25. c.9.de refor. non reuocat conceſſiones iuriſpatronatus factas titulo oneroſo. d.163.nu.3.

Epiſcopus non poteſt concedere priuilegium contra diſpoſitionem Concilij Tridentini. ſeſſ. 25.c.9.de refor.d.209.nu.4.

Concil. Trident. ſeſſ.25. cap.9. habet locum tam in poſſeſſorio,quàm in petitorio.d.247. num.2. d.461.num.1.d.464.nu.2.d.469. num.2.

Concil. Trident.ſeſſ.24. c.20.§.præterea,habet locum in cauſis Eccleſiaſticis vertentibus coram quocumque iudice.d.274.nu.2.

Concil. Trid. ſeſſ. 21. c.9. de reform. ſuſtulit quæſtuationem, non tamen ſuſtulit ius quæſtuandi reſpectu illorum qui exercent hoſpitalitatem. d.282. nu.2.

Concil. Trid. ſeſſ.21. c.2. habet locum in permutatione beneficij. d.317. nu.1.

Limita quando permutans aſſequutus eſt poſſeſſionem pacificam alterius beneficij ſufficientis.d.317.nu.7.

Concil.Trid.ſeſſ.24.c.20.§.ad hæc, de reform. non tollit immemorabilem,nec rem iudicatam.d.346.nu.2.

Concil. Trident. fuit confirmatum de anno 1564.d.469.nu.3.

Concil. Trid.ſeſſ.24. c.20. §.ad hæc, non tollit immemorabilem d.471.nu.2.

Conſtitutio Conciliaris requirit ſpecificam derogationem, aliàs dari poteſt de defectu voluntatis.27. nu.6.

CONCORDIA.

In cauſis leuibus Rota amat concordiam, d.333. nu.3.

CONDEMNARE.

Iudex duos in ſolidum non condemnans, cenſetur pro virili condemnare. dec. 77. num.12.

Quod tamen non procedit, quando habet relationem ad libellum, in quo petitur, ambos in ſolidum condemnari. d.277.nu.13. & 15.

Condemnatio valet in eo in quo fuit probatum, licèt plus ſit petitum in quantitate, vel tempore. d. 496.nu.6.

CONDITIO.

Conditio debet cum effectu verificari. d. 39. num.2.

Conditione non purificata, iuriſdictio remanet ſuſpenſa.d.47. nu.2.

Eueniente conditione, contractus purificatur. d.84.nu.1.

Conditione deficiente, deficit conditionatum. d.108.nu.7.

Conditione adimpleta, fideicommiſſum purificatur. d.154.

Diſpoſitio quæ de ſui natura non eſt conditionalis, inducit modum, non conditionem, d.272.nu.2.

Dies incerta appoſita legato, vel præſtationi, facit conditionem, & non diem, ſecus tamen eſt, quando præfinitur dies poſt certum tempus, tunc enim cùm dies ſit certa, non facit conditionem, ſed diem. d.272. nu.4. & 5.

Declara, quando dies incerta eſt appoſita ſubſtantiæ legati, vel quando eſt appoſita præſtationi per viam conditionis. d.472. num.6.

Debitor ſub conditione non tenetur ſoluere, niſi adimpleta conditione. d.275.nu.1.

Conditione deficiente in primo gradu ſubſtitutionis, non eſt locus aliis ſubſtitutionibus. d.294.nu.3.

CONDVCTOR.

Vid. locatio.
Conductor negans rem conductam restituere, dicitur spoliare. d. 207. *nu.*13.
*Emptor ante solutum pretium, an dicatur conductor. d.*216 *nu.*18.*&* 19.
*Conductor alienando interuertit possessionem domini, & quando non. d.*216.*nu.*20.
Conductor possidet alteri, non sibi. dec. 361. *num.*3.
Conductori quando fiat remissio mercedis, vid. remissio.
*Conductori competit actio ex conducto tam pro melioramentis necessariis, quàm vtilibus, contra locatorem, non verò alium. d.*489.*num.*2.*&* 3.
*Item competit retentio. d.*489. *nu.*5.
Actio ex conducto est personalis. dec. 489. *nu.*2.
*Conductor qui bona fide fecit melioramenta, recuperat expensas necessarias, & vtiles, si dominus fuisset easdem facturus, aut si esset venditurus rem, aut si non sunt nimis onerosæ, & extra istos casus recuperat per abrasionem, expensas verò voluptuosas recuperat, si illas erat dominus facturus, vel est rem venditurus. d.*489. *nu.*4.*&* 5.
Conductor habens causam à malæ fidei possessore, recuperat expensas, siue habuerit ignorantiam facti, siue iuris. d. 489. *num.* 6. *&* 7.

CONFESSIO.

Confessio facta in memoriali probat contra confitentem. 268.*nu.*3.
*Confessio simplex extraiudicialis, coadiuuat publicam vocem,& famam, contra confitentem.d.*68.*nu.*5.
*Confessio est maior quolibet publico instrumento. d.*68.*nu.*6.
Confessio procuratoris non præiudicat domino. d. 84. *num.* 7. *d.*318. *nu.*4.*d.*452. *num.*10.
*Per confessionem procuratoris probatur administratio principalis. d.*93.*nu.*1.
*Confessio facta in instrumentis diuisionis, probat.d.*98.*nu.*4.*d.*152.*nu.*1.
*Confessio authoris nocet singulari successori. d.*98.*nu.*5.
*Confessio facta in positionibus, probat contra confitentem. d.*125.*nu.*2.
*Confessio voluntaria tutoris non probat contra pupillum. d.*152. *nu.*3.
*Non potest quis contra suam confessionem venire. d.*164.*nu.*3.
*Confessio in positionibus præiudicat confitenti respectu personæ tantùm quæ interrogauit, & probat semiplenè. d.*170. *nu.*8.
*Confessio extraiudicialis de æquitate canonica plenè probat. d.*170.*nu.*10.
*Confessio defuncti nocet hæredi, & habenti causam ab ipso mediatè, vel immediatè. d.*184.*nu.*1.
*Confessio procuratoris potest reuocari à principali, etiam non docto de errore. d.*186. *num.*1.
*Confessio probat contra confitentem. dec.*194. *num.*1.
*Confessio præiudicialis confitenti est verisimilis.d.*194.*nu.*2.
*Confessio extraiudicialis probat contra confitentem, si de ea constet per duos testes. d.*297.*nu.*1.
*Confessio erronea, docto de errore, non præiudicat confitenti.d.*305.*nu.*3.
*Confessio facta ad alium finem,& inter alios non probat, maximè si facta sit incidenter. d.*321. *nu.*2.
Confessio defuncti non nocet successoribus, quos non constat esse hæredes defuncti. dec. 343.*num.*2.
Confessio de dote. V. Dos.
*Confessio pro exoneratione cõscientiæ multùm operatur. d.*436.*nu.*10.
Confessionis reuocatio parti non intimata non interrumpit præscriptionem. decis. 451. *num.*4.
*Confessio antecessoris præiudicat successori. d.*451.*nu.*3.
*Confessio facta in vno iudicio probat in alio contra confessum, & eius hæredem. d.*494. *nu.*1.*&* 2.

Confessionis reuocatio parti non intimata, non prodest, etiamsi facta sit apud acta notarij, si lis non pendebat apud eundem notarium, secùs si pendebat. d.499.nu.10.

CONFIRMATIO.

Confirmatio cum clausula: De nouo & perpetuo statuimus, &c. *habet vim nouæ concessionis, & simplicis dispositionis. d.197.nu.11.*

Confirmatio Apostolica non validat actum nullum. d.234.nu.5.

Confirmatio Apostolica non præsumitur ex cursu temporis, cessante obseruantia, quæ non debet esse turbida. d.340.nu.2.

Papa confirmans concordiam initam inter Capitulum, & Episcopum habentem Indultum conferendi beneficia, non censetur voluisse præiudicare suis reseruationibus, cessante Indulto. d.349.nu.6.

CONFINIA.

A limitibus diuidentibus territoria, & iurisdictiones, non infertur ad terminos decimatorios Ecclesiarum. d.16.nu.2. d.35.nu.1. & 2. d.454.nu.2.

In dubio autem aliquando infertur. d.454. num.4.

In confinibus probandis leuiores, & imperfectæ sufficiunt probationes. d.35. nu.4.

Ex limitibus ciuitatis non infertur ad limites parochiæ. d.118 nu.3.

Testes de Vniuersitate regulariter admittũtur in probandis confinibus. d.140.nu.1.& 2.

Contrarium vide.nu.3.

Ex materia confinium non infertur ad pascua. d.140.nu.5.

Testes in materia confinium, vid. Testes.

Confinia an probent identitatem. Vid. identitas.

Confinia probantur per sententiam. d.460. num.1.

Item per testes. d.460.nu.2.

Item per enunciatiuas. d.460. num.4. Vid. Enunciatiua.

Confine prædij illud est dicendum, quod prædio magis adaptatur, & conuenit. d.460.nu.3.

In probandis confinibus admittuntur præsumptiones & coniecturæ. d.460.nu.6.

CONFISCATIO.

In confiscatione bonorum non veniunt ea quæ ad hæredes extraneos transire non possunt. d.298. nu.5.

Ius patronatus non venit in confiscatione bonorum facta à iudice laico, d.351. nu.5. Vid. Iuspatronatus.

Secùs tamen, si fiat à iudice Ecclesiastico. d.351. num.8.

CONFRATERNITAS.

Confraternitas laicorum constituit collegium personale, non naturale, necessarium, & reale, cùm de per se consideretur, & nullam habeat coniunctionem cum aliqua Ecclesia. d.472.nu.1.& 2.

Confraternitas liberè potest de vno loco transire ad alium. d.470.nu.7.

Prælato Ecclesiæ licet expellere ab ea Confraternitatem quæ conuenit in Ecclesiam, & in ea tantùm habet possessionem conueniendi iure familiaritatis. d.472.nu.8.

CONGRVA.

Reditus 100. ducatorum est congrua portio pro parocho. d.5. nu.1.

CONIECTVRÆ.

In concursu coniecturæ potiores sunt attendendæ. dec.29.num.7. d.48.nu.22. d.352. num.5.

Præsumptiones, & coniecturæ vrgentes faciunt plenam probationem. d.297.nu.2. d.473. num.3.

In dubio recurrendum est ad coniecturas. dec. 330.nu.6.

Præsumptiones, & coniecturæ admittuntur ad probandum, ad quam summam ascendat dos. d.388.nu.2.

Coniecturæ, & indicia, & verisimilitudo, sufficiunt ad probandam simulationem. dec. 408.nu.4.

Promissio dotis in genere probari potest ex coniecturis. d.430.nu.1.

CONIVNCTVS.

Vid. Conſanguineus.

CONTRACTVS.

In contractibus bonæ fidei bona fides debet exuberare. d.44.nu. 3.

Verba quæ ſunt de natura contractus, etiamſi notarius non appoſuerit, cenſentur appoſita, niſi partes illi renunciauerint, vel aliter conuenerint. dec.76. num.15. & 16.

Quod in contractu non dicitur, nec nos dicere debemus. d 84.nu.11.

Contractus factus per literas, cenſetur celebratus in loco vbi literæ recipiuntur. d.116. nu.1. d.133.nu.1.

Vbi facienda eſt ſolutio, ibi contractus dicitur celebratus. d.116.num.3. d.133.nu.4. & 6.

Solemnitas & conſuetudo loci contractus attenduntur in contractibus. d.116.num 4. d.133.nu.3.5.& 6.

Contractus celebratus extra territorium, ad fraudandum ſtatutum, eſt nullus, non ſeruata forma ſtatuti. d.116.nu.7.

A verbis contractus non eſt recedendum. d.119.nu.4.

Gabella pro contractu debet ſolui in loco deſtinatæ ſolutionis. dec.135. num. 8. Sed contrarium vide. nu.9.

Contraueniens contractui, non poteſt iuuari contractu. dec. 198. num. 1. dec. 204. num. 1.

Contraueniens contractui poteſt admitti ad vtendum illo, refectis damno, & intereſſe. quod non procedit pro quærenda actione. d.198. nu.3. & 4.

Vid. Contrauentio.

Contractus in continenti factus poſt alium, cenſetur illi ineſſe. d.301.nu.2.

Primus contractus fœnerarius, paupertas, & qualitas contrahentis, multùm conferunt ad probandum ſimulationem ſecundi contractus. dec.302. num.3.& 4.

Vid. Simulatio.

Contractus in dubio non præſumitur ſimulatus, aut fœneratitius. d.302.nu.6. d.408. nu.5.

Non adimplens inſtrumentum, illo vti non poteſt. Quod non procedit in contractibus nominatis. d.329. nu.3.

Contractus nominati per non adimplementum non reſcinduntur, ſed agitur ad implementum. d.329.nu.4.

Diuerſitas ſummarum inducit diuerſitatem contractuum, & obligationum. dec. 331. num.2.

Totus contractus eſt conſiderandus, ad effectum vt dicatur vtilis, vel læſiuus. d.370. num.2.

Contractus quando poſſit celebrari ſine interuentu proximiorum. Vid. Proximus. *d.433.nu.4. & v.* ſtatutum.

Contractus mulieris cum interuentu curatoris factus ſi proximiores poterant commodè interuenire, eſt nullus. d.479.nu.1.

CONTRADICTOR.

Habens gratiam puram in forma dignum, *& poſsidens, eſt legitimus contradictor, contra habentem ſubrogationem gratioſam. d.347.nu.1.& 3.*

Contradictor de iure eſt qui ius ſuum iudicialiter proſequitur. d.407.nu.6.

Prouiſus ab Ordinario, & poſſidens, eſt legitimus contradictor contra prouiſum Apoſtolicum gratioſè ſubrogatum, itaut procedendum ſit ordinariè. d.431. num.2. & 4.

Poſſeſſor ſine titulo non eſt legitimus contradictor ad impediendum exequutionem literarum Apoſtolicarum. d.475.nu.10.

CONTRAVENTIO.

Contraueniens contractui non poteſt illo iuuari. d.198.nu.1. d.204.nu.1.

Contraueniens contractui poteſt admitti ad vtendum illo refectis damno, & intereſſe, non tamen pro quærenda actione. d.198. nu.3.& 4.

Contrauenire quis non poteſt iis quæ adhuc non exiſtunt. d.204.nu.5.

Vtraque parte contraueniente concordiæ, censetur à concordia receſſum. dec. 204. num. 6.

CONSANGVINEVS.

Conſanguinei dicuntur agnati, & quocumque modo ſanguine coniuncti. dec. 137. nu. 20. & 21.

CONSENSVS.

Conſenſus Epiſcopi requiritur in acquiſitione iuriſpatronatus. dec. 106. num. 10. d. 453. nu. 2. & 6.

Conſenſus Epiſcopi poteſt interuenire ante, vel poſt donationem iuriſpatronatus. d. 453. num. 7.

In donatione iuriſpatronatus facta compatrono, non requiritur conſenſus Epiſcopi. dec. 464. num. 8.

CONSTITVTIO.

Vna Conſtitutio derogat alteri. deciſ. 169. num. 6.

Conſtitutio Conciliaris indiget expreſſa derogatione. d. 279. nu. 6.

CONSVETVDO.

Conſuetudo, ſeu ſtatutum requirens ſolemnitatem, non extenditur extra territorium. d. 116. nu. 2.

Solemnitas & conſuetudo loci contractus attenditur in contractibus. dec. 116. nu. 4.

Doctori atteſtanti de conſuetudine, non creditur. d. 123. nu. 27.

Conſuetudo eſt probanda ab eo qui in ea ſe fundat. d. 125. nu. 28.

In probanda conſuetudine tempus litis eſt demendum. d. 337. nu. 1.

Conſuetudo potius eſt attendenda, quàm ſtatutum, aut lex. d. 376. nu. 5. & 6.

Conſuetudo reſpicit vtilitatem publicam, & communem, & omnibus ius acquiritur. d. 400. nu. 1. & 2.

An Communitas in ſui præiudicium poſſit inducere conſuetudinem, etiam in fauorem perſonæ particularis. d. 400. nu. 3.

Solutio diuturna ab initio voluntaria, arguit conſuetudinem, nõ præſcriptionem. d. 406. num. 4.

Statutum magis eſt attendendum, quàm conſuetudo generalis. d. 401. nu. 3.

CREDITOR.

Creditor hypothecarius poteſt ſibi eligere vnum ex pignoribus quod voluerit. d. 67. nu. 9. d. 228. nu. 1.

Creditoribus chirographariis agentibus contra legatarios, incumbit onus probandi, hæreditatem non eſſe ſoluendo. dec. 67. num. 10.

Creditor non admittitur ad diſtractionem pignoris, etiam per ſuppoſitam perſonam, niſi debitor ipſe vendat. d. 109. num. 4.

Creditor admittitur ad licitandum in pignore iudiciali, alio emptore non exiſtente, vel dignum pretium non offerente. d. 109. nu. 12.

Creditor exigens bis debitum. Vid. Indebitum.

Difficile eſt aſſerere, quem eſſe certum creditorem. d. 151. nu. 6.

An creditor cogi poſſit partem crediti accipere, vel aliud pro alio. d. 228. nu. 3.

Creditor qui tenetur dare fideiuſſores de euictione, non ſatisfacit faciendo inuestimentum. d. 275. nu. 3.

Maior pars creditorum poteſt præiudicare minori, ſeruata forma l. vlt. C. qui bon. ced. poſſ. vbi quòd eſt de ſubſtantia, quòd creditores inſimul conueniant. dec. 440. nu. 1. & 2.

Maior pars creditorum, ſi debitum eſt iuratum, non poteſt præiudicare minori. d. 440. nu. 3.

CRIMEN. STELLIONATVS.

Vide Stellionatus.

CVRATOR.

Deputatio curatoris non probat, quem eſſe minorem. d. 219. nu. 4.

Curatores, & tutores cenſentur dati in ſolidum.

lidum, etiamsi hoc non sit dictum, quando administrationes non sunt diuisæ. dec. 378. nu. 7.

Curator rectè datur habenti patrem fugitiuum, & agitur de recuperandis bonis fideicommissariis per patrem alienatis. d. 378. nu. 8.

CVRATVS.

Vid. Parochus.

DECLARATIO.

Legislator procedens per viam declarationis, nihil de nouo inducit. d. 452. nu. 9.

DAMNVM.

Qui sua culpa damnum patitur, sibi debet imputare. dec. 15. nu. 1. dec. 71. num. 2. Vid. Interesse, & expensæ.

Damnum secundùm communem vsum loquendi, alcquando intelligitur circa fructus. d. 422. nu. 9.

Stante pacto de quo in decisione 422. nu. 3. damnum accipiendum est, quatenus est diminutio patrimonij, non quatenus est lucrum cessans. d. 422. nu. 10.

DATA.

Sola Data non probat antiquitatem, nisi concurrant alia adminicula. dec. 258. num. 3.

DATIO INSOLVTVM.

In Datione insolutum videtur necessaria æstimatio præcedens, secùs in venditione. d. 109. nu. 14.

Procurator constitutus ad dandum insolutum, potest bona facere mensurari, & mensurationem approbare, & si recipiens in solutum, nolit bona retinere, sed vendere, potest protestari, quòd illud plus quo vendentur, ponatur ad creditum sui principalis. d. 470. nu. 2. & 5.

DEBITOR. DEBITVM.

Debitor, creditore volente, potest dare speciem pro pecunia, & è contra. d. 84. nu. 10. d. 221. nu. 1.

Debitum certo generi personarum, extra illud dari non potest. d. 203. nu. 7.

An debita soluenda per testatorem die determinato, solui debeant ab hærede fideicommissario, an verò à fideicommissario. dec. 318. num. 2.

Soluens debita, eaque dinumerans, si aliquod omittit, censetur illud ignorasse, si est considerabilis magnitudinis. dec. 444. num. 4.

Debitum vigore statuti, est debitum necessarium. d. 437. nu. 8.

DECIMÆ.

Ecclesia parochialis fundatam habet intentionem in decimis prædiorum quæ sunt intra parochiæ limites. d. 16. nu. 1. d. 55. nu. 8. d. 187. nu. 1.

Quasi possessio percipiendi decimas, non releuat, nisi constet, ius decimandi ad quasi possidentem spectare, vel esse intra limites suæ parochiæ. d. 16. nu. 3.

Parochus prætendens decimas ex prædiis, probare debet, prædia esse intra fines parochiæ. dec. 118. num. 1. dec. 454. numer. 1.

Parochus vniuersalis fundatam habet intentionem in omnibus decimis. dec. 134. nu. 2. d. 187. nu. 1.

Parochus habet assistentiam iuris communi in decimis. d. 207. num. 12. d. 279. num. 1. d. 345. nu. 2.

Parocho non datur manutentio in perceptione decimarum, ex assistentia iuris communis, quæ sit turbida, decis. 261. num. 1.

Episcopus habet assistentiam iuris in perceptione decimarum, quando Ecclesia Cathedralis est parochialis. d. 38. nu. 1. d. 254. num. 4.

Decimæ Ecclesiæ Cathedralis vel ad Episcopum, vel ad Capitulum pertinent. dec. 38. num. 2.

Decimæ loci qui non est intra limites alicuius para

parochiæ ſpectant ad Epiſcopum. d.118. nu.5.d.237.nu.2.

Epiſcopus habet fundatam intentionem in decimis, quando non adeſt parochus. d. 254. nu.1.

Epiſcopus habet intentionem fundatam in decimis in nullius parochia exiſtentibus. d.485.nu.1.

Epiſcopus poſt Concilium Lateranenſe non poteſt infeudare decimas laico, abſque auctoritate Pontificis. d.485.nu. 5.

Epiſcopus poteſt decimas recuperatas, quas nunquam anteà perceperat, vel ſibi retinere, vel alteri Eccleſiæ cõcedere. d.485. nu.9.& 11.

Cauſa decimarum eſt ſpiritualis. dec.101.n.1.

Capitulum recipiens fomentum ab Epiſcopo fundatam habet intentionem in decimis. d.187.nu.3.d.254.nu.4.

Aliud eſt decimare locum, aliud in loco. dec. 207.nu.5.

Eccleſia non poteſt agere ſpolio contra parochialem Eccleſiam pro decimis exiſtentibus in ipſa parochia. d.207.nu.14.

An Decimæ tranſeant cum vniuerſitate bonorum. d.277.nu.4.

Exemptio à ſolutione decimarum non conceditur, niſi cum maxima difficultate. dec. 279.nu.2.& 4.

Priuilegia exemptionum à ſolutione decimarum ſtrictè debent intelligi. dec. 279. num.5.

Laudum ſuper exemptione à ſolutione decimarum non confirmatum à ſuperiore, non egreditur ſuos authores. dec. 279. num.7.

Obſeruantia 30.annorum requiritur, ad hoc, vt præſumantur ſolemnitates interueniſſe in exemptione à ſolutione decimarum. d. 279.nu.8.& 9.

Tranſactio ſuper decimis, non confirmata authoritate Apoſtolica, non egreditur ſuũ authorem. d.340.nu.1.

In præſcribendis decimis contra Parochum, requiritur immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. dec.345.num.6. Vid. Immemorabilis.

Tranſactio ſuper decimis eſt nulla, ſine beneplacito Apoſtolico, etiam quòd agatur, quòd decimæ remaneant apud poſſeſſorem. d.362.nu.3.

Tranſactio nulla non prodeſt. d.362.nu.4.

Vnica decima ex præcepto diuino ſolui debet. d.372.nu.1.

Solutio duplicis decimæ eſt contra ius. d.372. num 3.

Præceptum de ſoluendis decimis ex parte ſoluentis eſt affirmatiuum, ex parte illius cui ſoluitur, negatiuum. dec.372.num.2. & 6.

Locatio de prædio decimatorio intelligitur facta, ſalua decima. d.372.nu.4.

Decima parochialis ſolui debet Eccleſiæ vel prædiali, vel ſacramentali, prout viget conſuetudo. d.372.nu.7.& 8.

DECLARATORIA.

Declaratoria fertur ob non paritionem. d.398.nu.1.

Beneficiatus condemnatus ad reſtitutionem, & negans, ſe aliquid habuiſſe, vel dicens, ſe habuiſſe ſed conuertiſſe in Eccleſiæ vtilitatem, non poteſt declarari excommunicatus, niſi priùs probetur perceptio, & præcedat liquidatio. d.398.nu.2.& 4.

DECRETVM IRRITANS.

Decretum irritans poſitum in regula octo menſium, inficit titulum, & poſſeſſionem prouiſi ab Abbate. d.51.nu.2.

Etiamſi decretum non ſit poſitum in reſeruatione in corpore iuris clauſa vel aliàs ſuper certo corpore beneficij. d.51.nu.3.

Decretum irritans inficit titulum, & poſſeſſionem, quando eſt iuſtificatum. d.124.nu. 3.& 4. d.354.nu.7.

Aliàs non tollit detentationem, ſeu inſiſtentiam facti. d.124.nu.3.& 4.

DENOMINATIO.

Denominatio ſumitur à natura rei denominatæ. d.207.nu.8.

DENVNCIATIO.

Denunciatio quomodò facienda sit venditori qui non reperitur, vel est bannitus. dec. 27.nu.2.

Denunciatio quæ fit vendenti, non est necessaria, quando constat de iustitia euincentis.d.27.nu.3.d.36.nu.5.

DEPONERE, ET Depositum.

Deponens summam petitam, satisfacit petitioni, etiam si sit debitor in maiori summa, si poterat credere, in plus se non teneri. d.15.nu.2.

Conditio intrinseca non vitiat depositum, etiamsi illa exprimatur. d.15.nu.3.

Depositum, licèt non possit reuocari, non propterea ante solutionem, abdicatur dominium à deponente. d.49. nu.13.

Depositarius non potest opponere de iure aliorum, sed tenetur soluere.d.49.nu.14.

Depositarius malè soluens, sibi debet imputare. d.71.nu.2.

Depositum cum protestatione, quòd stet periculo illius cui fuit intimatum, si perit, perit periculo illius cui fuit intimatum. d.84.nu.16.

Depositarius debet releuari ab omnibus damnis, & expensis. d.114. nu.1.

Depositum non integrum, non suffragatus. d.326.nu.2.

Restitutio datur ad statum in quo deponens erat ante depositum.d.412.nu.1.

Clausula sine præiudicio iurium *facta in deposito, præseruatius, non tamen tollit mentem à facto.d.412.nu.2.*

DEPVTATIO ADMINIstratoris.

Vid. Administrator.

DEROGATIO.

Constitutio Conciliaris requirit specificam derogationem, aliàs dari potest de defectu voluntatis. d.279.nu.6.

DESCENDENTIA.

Descendentia probari debet per gradus distinctos. d.64.nu.1.d.105.nu.4.

Non descendentia à Mauris, v.g. præsumitur. d.68.nu.1.

Descendentia contra vnum ex creditoribus probatur ex testibus examinatis contra alios creditores in eadem causa, corã alio iudice, concurrentibus adminiculis.d.98. num.1.

Duo testes sufficiunt in probanda descendentia. d.85.num.2.

An enunciatiuæ probent descendentiam, vide Enunciatiua.

In probanda descendentia, si probatio deficiat in vno gradu, cæteri destruuntur. d.105. num.12.

Descendentia probatur ex confessione partis ad articulos deponentis de sua credulitate. d.147.num.1.

Descendentia probatur ex libro baptismi, concurrentibus adminiculis.d.105.nu.14. d.219. num.5.

DESCENDENTES.

Descendentium appellatione, ex proprietate verborum veniunt etiam fœminæ. d.32. num.9. dec.137.num.19.& 27. dec.294. num.5.

Etiam quòd sint vocati primo loco filij masculi, si non supersint. decis. 294. num.6.

Verbum, Descendentibus, *positum sine copula, & post verbum* successoribus, *illud qualificat, & comprehendit successores sanguinis. d.137.nu.12. & 14. & an intelligatur de hæredibus, nu.13.*

Verbum descendentes *est collectiuum. dec. 267.num.15. dec.419. num.8. dec.493. num.2.*

Nomen descendentes *comprehendit de sui natura omnes descendentes. dec. 493. num.2.*

DEVOLVTIO.

Deuolutio probari debet de gradu in gradũ, donec

donec ad Papam perueniat, ſi Papa prouidit. d.195.nu.2.

DICTIO.

Dictio ſemper, *denotat perpetuitatem. d.24. num. 3.*

Dictio, ſeu *eſt alternatiua, & poſita inter genus & ſpeciem, ſtat expoſitiuè, ſeu declaratiuè, quando conſtat de mente proferentis. d.79.nu.6.*

Dictio, ferè, *eſt diminutiua. d.123.nu.26.*

Dictio, vel, *eſt augmentatiua, & ampliat diſpoſitionem, etiam ad diuerſa. dec.157. num.5.*

Dictio, vnà cum, *denotat ſimultaneam congregationem. d.197.nu.2.*

Dictio, eiſdem, *eſt demonſtratiua, & relatiua ad ſuperiùs nominata. d.207.nu.16. & 18.*

Dictio infraſcriptis, *idem ſignificat, quod eiſdem. d.207.nu.17.*

Dictio, aliqua, *intelligitur ſecundùm ſubiectam materiam. d.215. nu.8.*

Dictio, ſupradictis, *eſt repetitiua omnium præcedentium. d.216.nu.17.*

Dictio, niſi, *præcedente negatiua, ponit, & determinat affirmatiuam in caſu nominato. d.244.nu.1.*

Dictio, quàm, *reſtringit præcedentem diſpoſitionem. d.266.nu.1.*

Dictio, ſemper, *denotat tractum futuri temporis. d.267.nu.15.*

Dictio, tunc, *denotat extremitatem temporis. d.332.nu.2.*

Dictio, immediatè, *denotat actum immediatè præcedentem. d.332.nu.3.*

Dictio, tantùm, *eſt taxatiua, & alia præter nominata excludit. d.348.nu.2.*

Dictio, huiuſmodi, *eſt repetitiua præcedentium. d.350. nu.8.*

Dictio, donec, *denotat tempus. dec.* 402. *num.4.*

Dictio, tamen, *reſtringit omnia præcedentia. d.406.nu.3.*

Dictio, alia, *eſt interpretatiua ſimilium. dec.* 444. *nu.3.*

Dictio, prout hactenus, *aliquando ſtat conditionaliter. dec.* 448. *num.* 11.

Dictio, ex *aliquando denotat cauſam immediatam, aliquando remotam. dec.* 493. *num.3.*

Item dictio, ex, *verificatur in cauſis ſucceſſiuis non immediatis. d.493.nu.4.*

DIES.

Vid. Conditio.

DIGNITAS ECCLEſiaſtica.

Dignitas Eccleſiaſtica. Præpoſitura, V.g. non cenſetur veriſimiliter dote carere. d.377. num. 3.

DIMINVTIO.

Vid. Augmentum.

DISPENSATIO.

Diſpenſationes matrimoniales committi debent Ordinariis. d.346.nu.5.

Diſpenſationes matrimoniales committi poſſunt inferioribus Ordinario, quando ſunt nullius diœceſis. d.346. nu.7.

DISPOSITIO.

Diſpoſitio correctoria quando poteſt vnum vel duos effectus contra ius operari, ſemper interpretatur vt minùs corrigat ius commune. d.2.nu.4.

Ex diſpoſitione facta in vno legato non infertur ad alia. d.48. nu.28.

Diſpoſitio hominis facit ceſſare diſpoſitionem legis. d.60.nu.2.

Quæ veniunt in neceſſariam conſequentiam, non alterant diſpoſitionem. dec. 111. *num.16.*

Vbi non verificatur qualitas conſtitutionis non militat eius diſpoſitio. deciſ. 117. *num.1.*

Diſpoſitio loquens in teſtamento, trahitur ad alios caſus, ex paritate rationis. d.128. num.5.

Diſpoſitio ſequens clara debet attendi, non antecedens. d.192.nu.2.

Diſpoſitum in vno, cenſetur diſpoſitum in alio. d.197.nu.1.

Obſeruantia non attenditur, quando verba diſpoſitionis ſunt clara. d.203.nu.15.

Diſpoſitio quæ pars Breuis vocetur à practicis.d.361.nu.5.

Diſpoſitio iuris communis ſtrictè eſt intelligenda. d.448.nu.7.

Diſpoſitio clara non eget interpretatione. dec. 457. nu. 2.

Diſpoſitio ceſſat, ceſſantibus verbis. d.460. nu.5.

Diſpoſitio rigoroſa debet ad vnguem ſeruari. d.470. nu. 7.

Diſpoſitio clara inſtrumenti reddit inueriſimile, quòd aliter ſe habeat res, quàm dicitur in inſtrumento. d.487. nu.5.

Qui dicere potuit quod non dixit, cenſetur id reliquiſſe in diſpoſitione iuris communis. d.48.nu.4.

DISTRIBVTIONES Quotidianæ.

Beneficiatus ſolitus inſeruire, quando erat præſens, & potens ſeruire, ſi facto Capituli non inſeruiat, lucratur diſtributiones quotidianas. d.21.nu.2.

Beneficiatus qui facto Capituli non poteſt inſeruire, proteſtari debet, per ſe non ſtare, ad hoc vt conſequatur diſtributiones quotidianas.d.21.nu.3.

Quæ tamen proteſtatio non eſt neceſſaria, quando Capitulum percipit diſtributiones quotidianas abſentis. d.21.nu.4.

Non reſidens amittit diſtributiones quotidianas. d.108. nu.3.

Capitulum non poteſt concedere abſenti, quòd lucretur diſtributiones quotidianas.d.108. num.4.

Canonico infirmo inſeruire ſolito, debentur diſtributiones quotidianæ. dec. 108. num.8. d.148. nu.2.

Diſtributiones quotidianæ veniunt ſub nomine reddituum, obuentionum, emolumentorum, & aliorum omnium ad beneficium ſpectantium.d.144.nu.11.

Abſentes à choro habentur pro præſentibus, dum miniſtrant Sacramenta in Capellis annexis beneficio, vel curæ.d.148.nu.1.

Qui non facit profeſſionem fidei requiſitam à Concilio Tridentino, ſeſſ.24. cap.12. non poteſt in abſentia etiam iuſta, lucrari diſtributiones quotidianas.d.256.nu.1.

Portio deficientis in choro, ſeruientibus accreſcit. d.500.

Portio deficientis propter ſtatuta, vel conſuetudines, aliquando non accreſcit ſeruientibus, ſed Eccleſiæ. d.500.nu.3.

DIVIDVVM, DIVISIbile.

In diuiſibilibus ſententia quoàd vnum poteſt valere, & non quoàd alium. d.112. nu.4. d.469.nu.7.

Reſtitutio conceſſa minoribus, prodeſt maioribus in materia indiuidua. d.219. num.7. 8. & 11.

Ius patronatus eſt indiuiduum. dec. 112. num.1.

Diuerſa capitula dicuntur, quando ex diuerſitate factorum ſeparationem recipiũt. Item quando quodlibet Capitulum determinatur de per ſe, & ab alio determinationem non recipit. d.336.nu.4.

Indiuiduum quatuor modis dicitur. dec.402. num.5.

Promiſſio quantitatis eſt diuidua. dec. 402. num.6.

Indiuiduum ratione formæ eſt illud in quo adſunt verba formam denotantia. d.402. nu.7.

Obligatio rem tradi eſt indiuidua. dec.402. num.8.

Obligatio rem dari eſt diuidua. dec. 402. num.9.

DIVISIO.

Ex confeſſione facta in diuiſione bonorum vti fideicommiſſo ſubiectorum, probatur bona eſſe ſuppoſita fideicommiſſo. dec.120. nu.1.d.241. nu.3. & 4.

In diuiſione locorum ſtatus præſens eſt attendendus.d.129.nu.5.

Cõfeſſio facta in diuiſione bonorum antequàm adeſſent creditores, probat etiam contra creditores ſuperuenientes.d.152.nu.1.

In diuisione hæreditatis possunt vni assignari bona fideicommissaria, alteri libera, nisi reclamet. d.436.nu.3.

Testator diuidens hæreditatem inter filios per quotas, censetur substituisse illos in tota hæreditate, si præcessit reciproca substitutio. d.493.nu.12.

DOCTOR.

Doctor est intelligendus secundùm iura quæ allegat. d.67.nu.8. d.291.nu.6.

Doctori attestanti de consuetudine, non creditur. d.123 nu.27.

Decisio doctoris ex vnica etiam ratione sustinetur, licèt aliæ non applicentur. d.215. num.17.

Doctori attestanti de consuetudine, si adsint testes de publica voce, & fama crediur. d.376.num.4.

DOS. DOTARE.

Dotis interesse. Vide Interesse.

Bona extra dotalia efficiuntur paraphernalia, si mulier tacitè vel expresè consensit, quòd illa vir administret. d.12.nu.3.

Dotis legatum factum à patruo filiabus, contemplatione tamen patris ipsarum, in casu restitutionis restituendum est de bonis ipsius patris, non autem de bonis extradotalibus fœminarum. d.29.nu.1.

Legatum dotis relictum filiabus intuitu patris, pleno iure ipsi patri acquiritur. d.29. nu.2.

Pater censetur de suis bonis dotasse filiam quæ omnibus bonis renunciauit. dec. 29. num.3.

Itaut si postèà declararet, se dotasse de aliis bonis, declaratio non sufficeret. dec. 29. num.4.

Quando expresè dantur in dotem nomina debitorum, cessio non est necessaria, neque traditio instrumentorum. d.60.nu.5.

Mulier secundò nubens, nulla certa dote data, censetur nubere cum prima dote. d.60. num.6.

Solutio dotis promissæ marito, facta vxori non liberat debitorem. d.65.nu.1.

Mortuo marito, vxor, vel eius hæres potest retinere bona mariti pro dote hypothecata. d.67.nu.1.

Vxor non potest auctoritate propria ingredi bonorum dotalium possessionem. d.67.nu.2. declara, vt nu.3.

Frater diues tenetur dotare sororem non habentem vnde se dotet. dec. 77. num.3. & 11.

Mater tenetur dotare filiam in concursu cum fratre. d.77.nu.5.

Declara, quando mater est diues. dec.77. num.7.

Mater non tenetur dotare filiam in concursu cum patre. d.77.nu.6.

An, & quando frater teneatur dotare sororem de bonis maioratus. d.77.nu.8.

Pater tenetur dotare filiam. d.77.nu.9. d.143. nu.9.

Etiam quòd filia habeat de proprio. d.143. num.9.

Ex modica dote non acquiritur iuspatronatus. d.106.nu.4.

Dos à patre profecta, mortuo patre, consolidatur in muliere. d.111.nu.1.

Dos à patre profecta, ipso mortuo, spectat ad filios dotatæ. d.111.nu.9.

Dos mulieris dotatæ à patre, si pater moriatur auo superstite, auocatur ab auo per filios dotatæ. d.111.nu.10.

Pro dote constituenda, vel restituenda, possunt alienari bona fideicommisso subiecta. d.143. nu.4.6.& 7. d.218.nu.2.

Hæres tenetur dotare filiam defuncti vsque ad legitimam, & si non sufficit, vltra legitimam de bonis defuncti. d.143.nu.12.

Dotem scienter recipiens super bonis emphyteoticis, lucrum dotale ex illis consequi non potest, secùs si adsit pactum, quòd lucrum dotale sit saltem aliunde consequetur. d.215.

Facultas alienandi data in casu dotis, intelligitur etiam pro lucro dotis. dec. 244. num.2.

Constante matrimonio, & viro ad inopiam

vergente, dos repeti non poteſt. dec. 257. num. 2.

Poteſt tamen agi, vt dos collocetur in tuto. d.257.nu. 3.& 5.

Aeſtimatio rei datæ in dotem, facit emptionem & venditionem.d.257.nu. 4.

Fundus dotalis quis ſit. d.257.nu.5.

Pecunia dotalis dicitur illa, quæ fuit data in dotem, & effecta viri. d.257.nu.6.

Fructus bonorum extradotalium conſtante matrimonio ſpectant ad virum. dec.268. num.8.

Bona ſideicommiſſo ſubiecta, ſi dentur in dotem, poſſunt poſtmodum per mulierem alienari. d.388. nu.1.

Mulier ſimpliciter contrahens, non cenſetur dare omnia ſua bona in dotem, in primo matrimonio. d.388.nu.1.

Ad probandum tamen contrarium admittuntur præſumptiones,& cõiecturæ.d.388. num.2.

Confeſſio mariti facta, abſente vxore,de dote recepta,non prodeſt marito in præiudicium vxoris. d.388.nu.3.

Fructus dotis ſpectant ad virum. dec. 388. num.4.

Ex ſimplici patientia mulieris, ſinentis ſua bona per virum poſſideri, non infertur, quòd bona ſint data in dotem. dec. 388. num.9.

Confeſſio facta conſtante matrimonio, in dubio præſumitur facta ſub ſpe futuræ numerationis. dec. 451.num.3. d.499.nu.1.

Contrarium vide. d.499.nu.2.

Limitatur concluſio, ſi adſint in contrarium coniecturæ. d.499.nu.3.7.& 8.

Confeſsio de dote recepta,facta ante matrimonium, præſumitur facta ſpe futuræ numerationis. d.411.num. d.451. num.1. vel ex eo quòd fuit ſoluta, & aliis de cauſis. d.451.nu.1.2.& 5.

Exceptio non numeratæ dotis, poſt biennium, opponi non poteſt. d.411.num.2. d.499. num.4.

Promiſsio dotis in genere, probari poteſt ex coniecturis. d.430.nu.1.

Quantitas dotis incertæ taxari debet à iudice cuius arbitrio ſtatur, etiamſi arbitretur, totum patrimonium eſſe dandum in dotem. d.430.nu.2.

An ſtatutum Vrbis cap.151. lib. 1. *habeat locum in dote, & illius augmento. Vid. Statutum.*

Stipulatio fauore dotis ad fauorem tertij, eſt valida. d.435.nu.3.

Fructus dotis,& lucri debentur à die iudicialis intimationis.d.452.nu.1.

Statutum Vrbis de fructibus dotis, habet locum in lucro dotis. d.457.nu.3.& 6.

Diſpoſita per ſtatutum in dote, an habeant locum in donatione propter nuptias, & in augmento dotis dato à muliere, & lucro dotis quod prouenit à viro. dec.457.nu.4. & ſeq.

Exceptio non numeratæ dotis, poteſt opponi poſt lapſa tempora, ſi confeſsio dotis fuit facta animo donandi. d.499.nu.4.

Intra quæ tempora poſsit opponi exceptio non numeratæ dotis. d.499.nu.5.

Non opponens exceptionem non numerate dotis, videtur renunciare. d.499.nu.5.

Dos congrua dicitur,quæ eſt conformis dignitati natalium, facultatibus patris, & dignitati mariti. d.499.nu.8.

DOLVS.

Dolus nemini debet patrocinari. dec.311. num.9.

Auctoritas iudicis excuſat à dolo. dec.496 num.4.

DOMINIVM.

Inſtrumentum emptionis, concurrentibus adminiculis,probat dominium. d.41.nu.2.

Licèt regulariter illud non probet. dec.41. num.3.

Dominium pecuniarum abdicatur, ſi detur ordo quòd pecuniæ ſoluantur ſub certa conditione. d.40.nu.4.

Sed contrarium verius. nu.12.

Dominium non acquiritur ſine traditione. d.49.nu.5. d.240.nu.3.

Momentanea ſolutio non tranſfert dominiũ, niſi

niſi commodum obueniat ſoluenti. dec.49. num.6.

Item non transfert dominium, ſi reſtitutio pecuniarum ſit conuentionalis, ſecùs ſi liberalis, etiam quòd commodum non obueniat ſoluenti. d.49. nu.7.

Reſtitutio dotis momentanea transfert dominium. d.49. nu.10.

Reſtitutio momentanea pecuniarum donatarum, ad hoc vt mutuentur, ex æquitate, & propter commodum donatarij, non impedit tranſlationem dominij. d.49. nu.11.

Dominium rei emptæ transfertur in emptorem, ſi vendens ſequitur bonam fidem mentis. d.49. nu.12.

Dominium in rei vendicatione debet concludenter probari. d.69. nu.1.

Ita vt non admittatur iuramentum in ſupplementum. nu.2.

Teſtis deponens de poſſeſſione, & perceptione fructuum, non probat dominium. dec.69. num.11.

Clauſula conſtituti transfertur dominium ad quoſcumque effectus. d.240. nu.4.

Ex redditione computorum arguitur dominium illius cui fit redditio. dec. 242. num.11.

Habens liberam diſpoſitionem, cenſetur habere dominium. d.406. nu.1.

Dominium non poteſt eſſe apud duos in ſolidum. d.406. nu.2.

Dominium officij non acquiritur illi cui fit à Principe conceſſio, ſed illi cui reſeruatur facultas percipiendi fructus, & diſpoſitio. d.481. nu.1.

Dominium acquiri poteſt abſenti per procuratorem. d.481. nu.2.

Dominium penes duos in ſolidum eſſe non poteſt, & ideo ſi in eodem contractu vni eſt acquiſitum dominium, alteri verò diſpoſitio, intelligi debet de diſpoſitione adminiſtrationis, ſaluo alterius dominio. d.481. num.3.

DOMVS. DOMICILIVM.

Electio domicilij, facit, vt quis citatus domi, dimiſſa copia, habeatur tanquam perſonaliter citatus. dec. 216. num.24.

Citatus in aliqua habitatione, & comparens in iudicio, videtur illam habitationem approbare pro domicilio. d.216. nu.25.

Molendinum conſtructum in domo, cenſetur quid diuerſum à domo. d.387. nu.2.

DONATIO.

Per donationem transfertur dominium in Eccleſiam, etiam abſque traditione. d.41. num.1.

Donatione acquiritur iuſpatronatus. d.106. nu.5. d.453. nu.1.

In donatione ob cauſam cadit læſio. dec.222. num.3.

Donatio ob cauſam non eget inſinuatione. d.240. nu.2.

Donatio facta, vt alimenta præſtentur, non eſt conditionalis, ſed modalis. dec.240. num.5.

In donatione modali, ſi modus non adimpleatur, dominium rei donatæ ipſo iure reuertitur ad donantem, ſi declaratio donatoris interuenerit. d.240. nu.6.

Donatio facta per patrem filio, non valet. d.379. nu.4.

Limita, niſi interueniat iuramentum, vel ſaltem ficta traditio per clauſulam conſtituti. d.379. nu.4.

Pater, ex eo quòd filios æqualiter inſtituit, cenſetur reuocaſſe donationem omnium bonorum paternorum, ſecùs autem, alicuius rei. d.379. nu.6.

Donatio facta per pupillum tutori honorario non tenet. d.379. nu.7.

Donatio cum onere alendi, non eget inſinuatione. d.433. nu.5.

Donatio reciproca, aut ob cauſam, non requirit inſinuationem. d.433. nu.7.

Statutum Vrbis cap. 150. lib. 1. *procedit in donationibus quæ de iure inſinuationem requirunt. d.433. nu.6.*

Donatio iuriſpatronatus. Vid. Iuſpatronatus.

ECCLESIA.

Ecclesia parochialis. Vid. Decimæ & Parochus.
In Sanctuario Clerus orat, prædicat, & ministrat. d.142.nu.1.
Locus in Ecclesia est nobilior in quo fiunt nobiliores functiones. dec.142. nu.2.
Item in quo est sedes Archiepiscopi, vel regia. num.3.
Quod limita, vt num.5.
Item vbi pulchrius est ædificium, ornamenta, & similia. nu.4.
Quilibet se conformare debet moribus Ecclesiæ in qua versatur. d.179.nu.2.
Pars anterior Ecclesiæ dicitur facies. dec.201. num.2.
Sacristia nomen est iuris, continens curam de iis quæ ad Ecclesiæ thesaurum pertinent, d.203.nu.5. d.238.nu.9.
Quælibet Ecclesia vnam habet Sacristiam pro seruitio Ecclesiæ, sicut pro Capellis vel aliis. d.203.nu.14.
De iure communi Ecclesiæ Cathedrales, & regulares sunt Collegiatæ. d.259. nu.9.
Præsumitur adfuisse Ecclesias in loco vbi fuit castrum. d.454.nu.5.
Ex eo quòd Ecclesia sit matrix, non infertur quòd Ecclesiæ castri diruti sint in eius parochia. d.454. nu.8.

ELECTIO.

V. Prælatus.
Creatio Prioris, vel Consiliarij, facta à Communi, est actus vniuersalis. dec. 497. num.5.

ELEEMOSINA.

Eleemosinarius.

An ex eleemosina acquiratur iuspatronatus. Vide Iuspatronatus.
Officium Eleemosinarij est, distribuere reditus in vsus pauperum. d.398.nu.5.
Contra Monachum eleemosinarium non potest relaxari mandatum personale. d.398. num.6.

EMPHYTEVSIS.

In emphyteusi recepta pro se, & filiis masculis, & fœminis, fœminæ non succedunt, extantibus masculis, sed solùm in eorum defectum, quando adest statutum excluſiuum fœminarum. d.32.nu.3.
Quæ opinio est fundata in præsumptione, quòd contrahentes censeantur se conformasse cum dispositione statuti. d.32.nu.4. A qua tamen præsumptione receditur, propter alias præsumptiones. dec.32.num.5. & 7.
Bona emphytcotica, non hæreditaria, sub generali dispositione non comprehenduntur. d.32.nu.10.
Emphyteusis in qua non est facta mentio hæredum, non est hæreditaria. d. 32.num.11. d.343.nu.3.
Primus acquirens emphyteusim an possit præiudicare successoribus. d.32.nu.14.
Secundus acquirens emphyteusim non potest præiudicare successoribus. d.32. num.15. d.343. nu.2.
Primus acquirens emphyteusim dicitur, qui ab initio fuit primus inuestitus. dec.32. num.13.
In generali obligatione veniunt fructus rei emphyteoticæ. d.56. nu.8.
Obligatio rei emphyteoticæ expirat per mortem emphyteotæ, vel per resolutionem. d.56. nu.9. & 10.
Emphyteota sine consensu domini non potest meliorationes alteri vendere, vel ius emphyteoticum transferre. d.75.nu.1.
Primus emphyteota non potest vendere secundo emphyteotæ sine consensu domini directi. d.75.nu.4.
Si primus emphyteota res emphyteoticas concedit in emphyteusim sub annua pensione, non alienando res emphyteoticas, & secundus emphyteota alienat, requiri debet consensus primi emphyteotæ, d.75.nu.6.
Dos emphyteotica vendi potest alteri comprehenso in prima inuestitura irrequisito domino, secùs extraneo. d.75.nu.7.
Emphyteusis hæreditaria non habet effectum, nisi

niſi adſint hæredes inſtituti. dec. 137. *num.*16.

*In generali diſpoſitione non venit emphyteuſis non hæreditaria. d.*137.

*In emphyteuſi pro re emphyteotica in recognitionem ſoluitur modica quantitas. dec.*137. *num.*16.

*Pater in dubio cenſetur ſtipulari pro filiis, vti hæredibus. d.*137. *nu.*11. *&* 17.

Quod non procedit in emphyteuſi, quando non eſt facta mentio hæredum. deciſ. 137. *num.*18.

*Illegitimus non poteſt ſuccedere vti hæres patris in emphyteuſi, d.*137. *num.*22.

An ex emphyteuſi debeatur lucrum dotale. Vid. Dotem ſcienter, *&c.*

*Caducitas in re emphyteotica intelligitur ipſo iure, domino tamen volente, & declarante, d.*240. *nu.*7.

*Emphyteuta negligens in ſoluendo canones poteſt præiudicare ſucceſſoribus. dec.*343. *num.*1.

*Emphyteota poteſt liberè de fructibus diſponere. d.*391. *nu.*4.

*Nec de eis facienda eſt mentio, dum ſupplicatur, pro beneplacito Apoſtolico. d.*391. *num.*4.

*Emphyteota habet cum naturali poſſeſſione quandam poſſeſſionem ciuilem, quæ differt à poſſeſſione coloni, & ſolo animo retinetur. d.*488. *num.*10.

EMPTOR.

*Emptor poſſidens rem, & pretium, tenetur ad fructus recompenſatiuos, etiam quòd venditor non adimpleuerit ex parte ſua. d.*320. *nu.*3. *&* 4. *V.* Fructus.

*Emens nomine alterius, ſed poſſidens, & faciens ea quæ veri domini faciunt, cenſetur nomen alterius ſimulatè appoſuiſſe. d.*342. *num.*2.

*Emptor cenſetur rem emere nomine proprio. d.*352. *nu.*1.

ENVNCIATIVA.

Enunciatiua contra tertium non probat. dec. 69. *num.*6.

*Niſi ſit in antiquis inſtrumentis. dec.*69. *num.*7.

*Enunciatiua vnius inſtrumenti, etiam antiqui, non probat. d.*69. *nu.*9. *d.*436. *nu.*4.

*Sed debet eſſe ad minus duorum inſtrumentorum, quæ originem habeant à diuerſis perſonis. d.*69. *nu.*9. *d.*242. *num.*1. *d.*377. *nu.*1. *&* 2.

*Vnica enunciatiua moderna nihil probat. d.*104 *nu.*19. *d.*105. *nu.*5. 7. *&* 13. *d.*106. *nu.*3. *d.*281. *nu.*1.

*Niſi ſit probata in duobus inſtrumentis, quæ originem habeant à perſonis non ſuſpectis. d.*105. *num.*6. 8. *&* 10. *d.*235. *nu.*6.

*Et ſi emanant à perſonis ſuſpectis, concurrere debent adminicula. d.*235. *nu.*6. *d.*242. *num.*2.

Duæ enunciatiuæ modernæ non probant. dec. 105. *nu.*11.

*Enunciatiuæ notarij, quòd teſtis ſit iuratus non creditur, de ſtylo Rotæ. dec.*141. *num.*1.

*Enunciatiuæ modernæ faciunt adminiculum. d.*147. *nu.*2.

Enunciatiua æquiuoca non probat. dec. 180. *num.*6.

*Enunciatiua non probat, cùm principaliter agitur de enunciato. d.*199. *nu.*9.

Probat tamen circa factum proprium enunciatum, & circa ea quæ præſumuntur ſciuiſſe enunciantes, & circa actum qui à partium voluntate pendebat. dec. 199. *num.*10.

*Duæ enunciatiuæ vltra centum annos, probant titulum aptum ad immutandum ſtatum beneficij. d.*235. *nu.*5.

*Enunciatiuæ de recenti circa factum enunciatum probant inter partes. dec.*242. *num.*3.

*Enunciatiuæ ſuper diuerſa re non probant, quando agitur de probando actu contento in hoc vel illo inſtrumento, ſecus verò ſi agitur de probando effectu qui reſultat ex illis actibus. d.*242. *nu.*13.

*Enunciatiuæ quæ emanant à perſonis ſuſpectis probant, ſi recipiunt præſumptionẽ, & fomentum ex actu in quo fuit enunciatum. d.*386. *nu.*5.

EPISCOPVS.

Episcopus circa ius decimandi. Vid. Decimæ.

Episcopus in causa suæ Ecclesiæ est iudex competens. d.79.nu.1.& 2.

Potest tamen recusari. d.79.nu.2.

Mandatum procuræ factum per Episcopum. vid. Mandatum.

Episcopis consensus in acquirendo iurepatronatus. vid. Iuspatronatus.

Episcopus habet curam generalem totius ciuitatis & diœcesis. d.118.nu.4.

Episcopus est caput, & loco Abbatis in Ecclesia Cathedrali regulari,& habet priuatiuè omnimodam iurisdictionem in Monachos Cathedralis regularis,exceptis iis quæ concernunt regularia instituta.d.157.nu.1. d.316.nu.1.d.360.nu.1.& 2.

Episcopus an habeat iurisdictionem in monachos S. Benedicti. d.157.num.7. d.316. & 360.

Episcopus non potest mutare statutum à Papa confirmatum. d.179. num.4.8.& 9. d.197.nu.6.

Nisi cum consensu illorum ad quorum fauorem est confirmatum. dec. 197. num.7. & 8.

Possessio probatur ex locatione cum adminiculis. d.161.nu.4.

Possessio antecessoris iuuat successorem. d.26. nu.3.d.86.nu.1. d.125.nu.3.d.161.nu.1. d.380.nu.1.d.452.nu.2.

Etiam si possessio habeatur à Capitulo regulari, quod fuerit mutatum in sæculare. d.452. nu.2.& 6.

Quasi possessio iurisdictionis non acquiritur sine scientia, & patientia interesse habentis. dec. 26. num. 4.

Possessio vnius rei non extenditur ad aliam. d.30.nu.3.

Quasi possessio exigendi pensionem probata contra antecessorem, afficit successorem in beneficio. d.31.nu.5.

Resignans beneficium, & soluens pensiones, præsumitur beneficium possedisse. dec.31. nu.6.

Quando habeat iustificare gratiam. vid. gratiam.

Quasi possessio in incorporalibus per vnicum actum acquiritur. d.12.num.1. d.178. d.245.nu.2.d.286.num.5.d.354.num.9. d.497.nu.4.

Item per actus contrarios amittitur. d.52.n.2. & 7.

Quasi possessio in incorporalibus, est quidam vsus cum scientia, & patientia aduersarij. d.52.nu.3.

Possessio ciuilis decennio amittitur. dec. 52. nu.5.

Patientia vnius monasterij, sufficit ad amittendam possessionem, nec requiritur consensus totius religionis. d.52.nu.8.

Vxor possidens iure familiaritatis in vita mariti eo defuncto potest sibi mutare causã possessionis, & idem potest hæres. d. 67. num.4. & omnis alius possessor. d.130, nu.6.

Mutatio possessionis censetur facta ex superuenientia noui tituli absque alia declaratione. d.67.nu.5.d.72.nu.4.

Possessio iure familiaritatis tunc præsumitur, quando alius titulus excogitari non potest. d.180.nu.5.

Possessio præsumitur iure familiaritatis, si de alterius titulo non constat. d.239.nu.4.

Quando quis dicatur possidere iure familiaritatis. d.239.nu.6.

Possidens sine titulo præsumitur possidere iure familiaritatis quæ nullius est considerationis. d.472.nu.6.

Possessor de cuius interesse agitur, est citandus. d.82. nu 6.

Possessor sine citatione priuari non potest possessione. d.113.nu.5. d.378.nu.3.

Poſſeſſio per vnicum actum iure familiaritatis factum non acquiritur. d.497.nu.4.

Poſſeſſio capta per inhibitionem Rotalem, non eſt nulla, ſi cauſa fuit commiſſa tantùm in petitorio. d.103.nu.1.

Reſignatarius ante litem motam poteſt lite pendente capere poſſeſſionem. dec. 110. num.6.

Poſſeſsio capi non poteſt, re non liquidata, etiam quòd adſit pactum capiendi poſſeſſionem propria auctoritate. deciſio. 150. num.6.

Quaſi poſſeſsio percipiendi decimas. vid. Decimæ.

Quaſi poſſeſsio vniuerſalis non extenditur ad locum vbi alter habet quaſi poſſeſsionem particularem cum titulo. d.156.nu.1.

Poſſeſsio non datur niſi contra prohibentem. d.156.nu.2.

Poſſeſsio triennalis interrumpitur per ſolam citationem. d.172.num.3. d.475.num.2. Item per litem ſuper poſſeſsione beneficij, & per controuerſias extraiudiciales, & de facto. d.122.nu.3 5.& 6.

Quaſi poſſeſsio præſentandi acquiritur per præſentationem factam de beneficio reſignato. d.174. nu.3.

Poſſeſsio non amittitur per ſententiam, niſi ſequatur exequutio. d. 185.nu.2.

Poſſeſsio tradita ab habentibus poteſtatem conferendi habet vim collationis. dec.212. nu 5.d.478.nu.3.

Poſſeſsio in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, debet capi Capitulariter. d.212.nu.2. d.235.nu.11.d.353 nu.2.

Sufficit tamen, quòd Canonicus habita poſſeſſione fecerit actus canonicales de conſenſu Capituli.d.235.nu.11.

Habens ciuilem poſſeſsionem anteriorem debet præferri habēti naturalem poſteriorem. d.239.nu.3.d.417.nu.4.

Poſſeſsio ſubſequens præſumitur ex titulo præambulo. d.239. nu.5.

Poſſeſſor pendente appellatione à ſententia contra ſe lata, non eſt ſua poſſeſsione priuandus. d.286.nu 6.

Quaſi poſſeſsio conferendi. vid. Collatio.

Poſſeſsio non poteſt eſſe penes duos. d.309. n.2.d.488.n.9.d.494.n.7.

Ad poſſeſsionem recuperandam datur remedium. Vnde vi.d.309.nu.3.

Poſſeſsio ciuilis ſolo verbo recuperatur.d.309. num.4.

Item ſolo animo retinetur.d.309.d.380.nu.4. d.490.nu.3.

Annalis pacificus poſſeſſor non dicitur ille cuius beneficium ab alio poſt annum fuit poſſeſſum.d.332.nu.4. vid. regula.

Poſſeſsio Communitatis. vid. Communitas.

Appoſitio cuſtodis arguit poſſeſsionem.d.344. num.3.

Tantum præſcriptum quantum poſſeſſum. d.346.nu.9.

Locatio an probet poſſeſsionem. vid. Locatio.

Poſſeſſor bonæ fidei facit fructus ſuos. d.369. num.3.

Iudicium poſſeſſorium nihil habet commune cum petitorio. d.378.nu.9.

Poſſeſsio præſumitur continuata vſque ad tempus motæ litis. d.452.num.5.d.490. num.3.

Poſſeſsio licèt anterior capta lite pendente nullius eſt conſiderationis. d.486.nu.3.

Poſſeſsio beneficij poteſt capi per procuratorem ad hoc ſpecialiter conſtitutum. dec.486. num.1.

Poſſeſsio vitata, arborata, & pratiua dicitur, etiam illa quæ non habet in omni gleba, & parte vites, & arbores. d.394 n.4.d.410. num.1.

Poſſeſsio anteceſſoris præiudicat ſucceſſori. d.452.nu.3.

Poſſeſsio defuncti non tranſfertur in hæredem, etiam ſuum, ſine noua apprehenſione. dec. 464.nu.4.

Statutum laicorum, quòd poſſeſsio continuetur in hæredem non habet locum in iurepatronatus. d.464 nu.4.

Semel poſſeſſor non ſemper præſumitur poſſeſſor, quando hoc allegatur à tertio, ſecus eſt reſpectu proprietatis. d.475. num.1.

Et beneficij. dec.475.num.2.

Poſſeſſor decennalis ſine titulo, ad hoc vt iuuetur

uetur triennali, debet post decennium possedisse pacificè per triennium. d.475.nu.5.

Possessio potest acquiri per procuratorem. dec. 478.nu.4.

Possessio quæ transfertur per statutum, est ciuilis & artificialis. decis.488. num.8. & 11. Vid. Statutum.

Opinio quòd possessio defuncti non continuetur in hæredem absque noua apprehẽsione, non procedit quando Ecclesia, vel dignitas est in possessione, & agitur nomine Ecclesiæ, vel dignitatis. d.490.nu.2.

Actus possessorij capitulares, etiam non effectuati, per Canonicum facti cõstituunt Canonicum in quasi possessione in præiudicium eorum à quibus fuit admissus. d.490. num.4.

Tradens claues alicuius loci amittit illius possessionem. d.492.nu.4.

Possessio capta vigore monitorij habentis clausulam, si quis, *si nullus aderat possessor, vel legitimus contradictor, est valida. dec. 492.nu.5.*

Secùs si aderat. dec.492. num.7.

Possessio ciuilis capta vigore exequutorialiũ, parte consentiente, non est attentata. dec. 492.num.6.

Possessio ciuilis præsumitur continuata vsque ad decem annos. d.494.nu.4 & 8.

Ex quasi possessione certorum actuum non acquiritur possessio vniuersalis. d.497.nu.2. & 6.

Secùs est, si actus sit vniuersalis. dec. 497. num.5.

Possessio per vnicum actum iure familiaritatis factum non acquiritur. d.497.nu.4.

POSTERIOR, ET prior.

Vid. Constitutio.

Posteriora prioribus derogant. decis. 186. num. 2.

PRÆBENDA.

Præbendatus pœnitentiarius non dicitur habere curam animarum, nisi concurrat parochia. d.328.nu.5.

PRÆCEPTORIA.

Præceptoria habens præeminentiam, & iurisdictionem, est dignitas, nisi adsit statutum in contrarium. d.259.nu.7.

Præceptoria regularis censetur manualis, nisi probetur, esse curatam, vel electiuam, maximè si illam confert prælatus. d.296.n.1. 2. & 6.

Præceptoria regularis non cadit sub reseruatione. d.296.nu.2.

PRÆLATIO.

Dominus fundi ædificare volens præfertur aliis ædificare volentibus. d.2.nu.2.

Prior in data præfertur posteriori. d.172.n.1. d.350.nu.1.

Hypotheca anterior præfertur posteriori. dec. 257.num.1.

PRÆLATVS.

Electio prælati de iure spectat ad conuentum. d.296.nu.5.

Prælatus ante acceptationem potest in quærendis præiudicare Ecclesiæ, non autem in illis quærendis quæ de iure communi debentur Ecclesiæ. d.485.nu.10.

PRÆSCRIPTIO.

Titulus inualidus, & putatiuus sufficit ad præscriptionem. d.235.nu.8.

Vid. Titulus & Error.

Possessio quadragenaria cum titulo, & bona fide sufficit ad præscribendum contrarium. d.295.nu.2. d.400.nu.7.

Litis contestatio requiritur ad effectum vt lis interrumpat præscriptionem. decis. 337. num.4.

Sententia lata ad fauorem præscribentis non interrumpit præscriptionem. decis.337. num.13.

Tantum præscriptum, quantum possessum. d.346.nu.9.

Præscriptio interrumpitur, etiamsi agatur coram iudice incompetenti, & liti cedatur. d.373.nu.1.& 5.

Protestationes iudiciales aptæ inducere ma-

Iam fidem, interrumpunt præſcriptionem. d.362.nu.2.

Præſcriptio reſtricit priuatam vtilitatem, ſiue certum genus perſonarum. dec.400. nu.1. & 2.

In facultatiuis non currit præſcriptio, etiamſi habens facultatem, ſteterit per mille annos, quòd non ſit vſus facultate, niſi antecedat prohibitio, & acquieſcentia. d.402. num.10.

Tempus prælati alienantis in alienatione rei Eccleſiaſtica ab initio malè facta, non computatur in præſcriptionem, ſecùs, ſi fuit benefacta. d.445 num.8.

Præſcriptio decimarum v. Decimæ, immemorabilis.

Ad præſcribẽdum iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem requiritur vel immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. deciſ. 448. num.12.

Reuocatio confeſsionis parte non intimata non interrumpit præſcriptionem. deciſ. 451. num.4.

PRÆSENTATIO.

Præſentatio eſt fructus ſeparatus à iurepatronatus. d.112.nu.3.

Præſentatio de beneficio per reſignationẽ facta idem operatur ac ſi eſſet facta de vacanti per obitum, quoad effectum quaſi poſſeſſionis præſentandi. d.174. nu.3.

Quaſi poſſeſſio præſentandi acquiritur ex vnica præſentatione. dec.245.num.2.

Vid. iuſpatronatus.

Præſentatio facta ab exiſtente in quaſi poſſeſſione exigendi, eſt valida, concurrentibus adminiculis. d.245.nu.1.

Patronus & præſentatus poſſunt ſeparatim agere. d.112.nu.2. d.355.nu.3.

Antiquiſsima quaſi poſſeſſio præſentandi probatur per multiplicatas præſentationes effectum ſortitas. d.386.nu.2.

Reſignatio facta à præſentato longè poſt præſentationem, non tollit quo minus dicatur, præſentationem habuiſſe effectum. d. 386. num.4.

Patronus non poteſt præſentare lite pendente inter præſentatos. d.426.nu.1.

C. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. *habent locum etiam in præſentatione. d.426.nu.2.*

An lite pendente poſsit præſentari collitigans ſuperſtes. d.426.nu.3.

Vnicus patronus poteſt habere plures voces, ad præſentandum. d.417.nu.1.

Præſentationes effectum ſortitæ vltra. 100. annos probant iuſpatronatus. deciſ. 461. num.2.

Exiſtens in quaſi poſſeſſione præſentandi, vel inſtituendi, ſi de iurepatronatus conſtat, eſt manutenendus. d.461.nu.3.

Præſentatus inſtitui debet, quando conſtat de iurepatronatus. d.464.nu.5.

Præſentatus habens maiorem partem vocum, debet inſtitui. d.464. nu.5.

Tutrix poteſt præſentare ad iuspatronatus, & cõſtituere procuratorem ad præſentandum. d.464.n.9.& 10.

Patronus poteſt cumulando præſentare etiam ab alio compatrono præſentatum, ita vt vox vtriuſque præſentato debeat computari. d.464.nu.11.

Præſentatus legitimè debet inſtitui. dec.469. num. 1.

PRÆSTATIO DIVturna.

Vid. Obligatio.

PRÆSENTIA.

Præſentia probari poteſt per teſtes. d.487. num. 4.

PRÆSVMPTIO.

An præſumptio transferat onus probandi in alium. d.107.nu.5.& 6.

Ex præſumptione non oritur præſumptio. dec. 279 nu.10.

Præſumptiones, & coniecturæ vrgentes faciunt plenam probationem. d.297.nu.7.

Ex præſumptionibus, & coniecturis oriri poteſt probatio concludens. deciſio. 473. num.3.

PRIMVS ET SECVNDVS acquirens.

Vid. Emphyteosis.

PRINCIPALIS.

Quando duo sunt obligati, ille censetur principalis ad quem specialiter spectat negotiũ, alter verò fideiussor. d.77.nu.7.

Principalis non potest ratificare spolium post factam restitutionem. d.216.nu.16.

PRIVILEGIVM.

In communicatione priuilegiorum non veniũt ea quæ de facili concedi non solent, nisi de eis fiat specialis mentio.d.279.nu.3.

Priuilegia exemptionum à solutione decimarum strictè debent, intelligi. decis. 279. num.5.

PROBATIO.

Alleganti non adesse alia bona, incumbit onus probandi. d.50. nu.7.

Agens remedio l. conductores,C. locati, *debet probare plenè,& concludenter suam intentionem.d.55.nu.1.*

*Probatio negligentiæ in non exigendo.Vid.*negligentia.

Probatio impuritatis sanguinis. Vid. impuritas sanguinis.

Probatio quæ data instantia corruit, nihil concludit. d.68.nu.22.d.223.nu.3.

Probatio dubia non releuat. dec.68.num.24. d.104.nu.15.d.203.nu.16.

Probationes quæ in sua specie non habent perfectionem, simul coniungi possunt ad faciendam plenam probationem. decis. 69. num.12.

Dicenti, taxationem esse excessiuam,incumbit onus probandi. d.70. nu.5.

Fundamentum suæ intentionis, siue agendo, siuè excipiendo, vnusquisque probare tenetur,etiamsi consistat in negatiua.d.76.n.4. d.89.num.1.& 8. d.104.num.6.dec.106. n.1. d.143.n.5.& 8.d.448.nu.2.

Probatio ex testibus de publica voce, & fama in rebus parui præiudicij est concludens. d.87.nu.3.

*Probatio subreptionis. vid.*subreptio.

Non probatur hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. d.104.nu.11.

Probatio descendentiæ, vid. descendentia.

Præsumptio an transferat onus probandi in alium. d.107. nu.5.& 6.

Veniens contra præsumptionem iuris debet vti fortioribus probationibus. dec. 180. num.7.

Allegans impedimenta, debet illa probare. d.183.nu.5.

Probatio non iuris. vid. non ius.

Actore non probante reus absoluitur. d.215. num.3.

Probationi factæ contra statutum magis creditur, quàm probationi factæ requisitæ à statuto. d.215.nu.6.

Astringens se ad duo probanda,debet vtrumque probare. d.215.nu.10.

Probatio per auditum sufficit in antiquis. d.235.nu.13.

Probatio per scripturas præualet probationi factæ per testes. d.235. nu.17.

Probatio æquiuoca non suffragatur. d. 289. nu.2.& 5.d.379.nu.9.

In concursu fortior,& melior probatio est præferenda. d.344. nu.1.

Probatio probationem non excludit. dec.401. num.4.

Probatio ex positionibus habitis pro confessatis non seruata forma, cap.2.de confess. in 6. *non releuat.d.470.nu.6.*

PROCVRATOR.

Citatus tanquam procurator, videtur vti talis approbatus. d.61.nu.3.

Procurator potest constitui ab vno ex beneficiatis pro defensione Ecclesiæ. decis.61. num.4.

Persona quantumuis coniuncta non potest constituere procuratorem anie litem contestatam, secùs tamen post.d.62.nu.1.

Procuratoris confessio non præiudicat domino. d.84. nu.7. vid. confessio.

Procurator generalis alicuius Ordinis non habet facultatem comparendi pro monasterio particulari. Quod fallit in procuratore Ordinis Prædicatorum, & Carmelitarum. d.164.nu.8.

Procurator non potest præiudicare principali sine ipsius ratificatione. d.216.num.13. & 14.

Vel speciali mandato d.283. num.2. d.326. num.4.

Procurator post litem contestatam non potest reuocari sine iusta causa. d.288.nu.1.2. & 8.d.341.nu.1.

Procuratori ex propria culpa reuocato salarium non debetur.d.288.nu.3.

In reuocatione procuratoris post litem contestatam requiritur summaria causæ cognitio. d.288. nu.4.

Procurator post litem contestatam, opponens de salario, & expensis, ante satisfactionem non potest reuocari. d.288.nu. 5.

Procurator non potest retinere pro salario instrumenta & processus,potest tamen pro expensis. d.288.nu.6.d.341.nu.2.

An principalis offerendo salarium,& expensas procuratori, possit ab illo se suasque causas eximere,& quando. d.288.num.7. d.341.nu.3.

Procurator cum libera,non potest præiudicare domino. d.307. nu.2.

Procuratoris citatio. vid. citatio.

Procurator dominus litis effectus, durat in quacumque instantia si in eius mandato adsit clausula releuans, &c. *licèt regulariter expiret lata sententia. decis.319. num.6.*

Procurator reuocatus quoàd vnam causam, non censetur reuocatus quoàd alias, nisi reuocatio sit generalis, & eo tempore nulla alia causa agitetur. d.341.num.4. dec. 364.nu.1.

Procurator ad lites, & negotia, si reuocatur quoàd lites, non censetur reuocatus quoàd negotia, & è contrà. d.364.nu.3.

Constituens procuratorem, censetur ratificare omnia gesta à procuratore. decis. 378. num.10.

Procurator censetur constitutus per traditionem iurium. d.378. nu.12.

Procurator non potest esse testis in causa quam agitat vel agitauit. dec.403.num.1.& 4. & 5.

Declara, nisi inducatur in testem contra suũ principalem. d.403.nu.2.

Contrarium vid. d.403.nu.3.

Procurator cogi potest ad subiiciendum se examini in his quæ scit non tanquam procurator, sed vt alius. d.403.nu.6.

Procuratori cui committuntur consequentia, censentur commissa antecedentia. d.470. num.3.

PRODVCTIO.

Productio. vid. Instrumentum.

Acta producta probant contra producentem. d.127. nu.4. dec.235.nu.1. d.248. num.1.

Sententia per productionem iurium circumducitur & habetur pro cancellata.d.414. num.4.

Productio iurium non acceptata à parte producente non præiudicat. d.204. num.7. d.217.nu.2.

PROOEMIVM.

Depositio recipit interpretationem à proœmio d.282.nu.3.

PROMITTERE.

Vid. Fideiussor.

Promittens de non faciendo, nunquam potest adimplere ex parte sua. d. 198. num.2. d.204.nu.2.

Promittens non facere, si facit simpliciter, non adimplet. d.204. nu.3.

Promittens factum alienum, faciendo quod in se fuit, vel adimplens per æquipollens, liberatur. d.215. nu.12.

PROROGATIO.

Vid. Iurisdictio.

Prorogatio censetur facta cum iisdem qualitatibus. d.137.nu.3. & 15.

PROTONOTARIVS.

Beneficia protonotarij Apoſtolici, ſiue ſit de numero participantium, ſiue non, ſiue ſit creatus à Papa, ſiue à legato à latere, ſunt reſeruata. d.349.nu.1.& 4.

Protonotarij, & alij officiales, de ſtylo præſtãt iuramentum ſolùm antequàm illis tradantur inſignia. d.349.nu.3.

Legatus à latere poteſt creare protonotarium perſonam non ſubditam etiam extra territorium. dec.349.num.5.

PROTESTATIO.

Proteſtatio neminem audiri, niſi docto de legitimo mandato, ſi ſententia feratur, reddit ſententiam nullam. d.28. num.1. d.169. nu.100.

Item reddit iudicium nullum. d.154.nu.2.

Ab hac proteſtatione cenſetur receſſum, ſi in aliis actibus non repetatur. d.27. num.2. dec.54.num.4.dec.169.num.11.dec.280. num.5.

Proteſtatio de nullitate actorum, non extenditur ad mandatum. d.280. nu.4.

Proteſtatio extraiudicialis interrumpit præſcriptionem. d.362. nu.2.

PROVISIO.

Vid. Collatio.

Prouiſio Apoſtolica non mutat ſtatum beneficij. d. 230. num.6.

PROXENETA.

Teſtis proxeneta depanens ſuper emptione in qua ipſe fuit proxeneta, non eſt integræ fidei. d.352. nu.4.

Mediator de proprio facto deponens, plusquàm ſemiplenè probat. d.415.nu.1.

Teſtis proxeneta quando agitur de perficiendo aut tractando actum, non creditur, ſecùs quando agitur de probanda qualitate actus iam perfecti. d.415.nu.2.

PROXIMVS.

Proximior in gradu excludit remotiorem. d.111. num.5.

Proximioribus impeditis, aut interuenire nolentibus, cum decreto iudicis poteſt celebrari contractus, & proximiores dicuntur impediti, qui commodè eadem die interuenire non poſſunt. d.433.nu.4.

PVBLICATIO RESIGNAtionis.

Vid. Reſignatio.

PVPILLVS.

Vid. Minor.

Tutrix ſola poteſt hæreditatem pupilli infantis adire. d.168. nu.2.

QVADRIENNIVM.

Vid. Reſtitutio.

QVALITAS.

Vbi non verificatur qualitas conſtitutionis non militat eius diſpoſitio. d.117.nu.1.

Non entium nullæ ſunt qualitates. dec.132. num.1. Vid. Lucrum dotale.

QVARTA.

Succedentes ab inteſtato ex vi clauſulæ codicillaris non poſſunt detrahere duas quartas, quæ detrahuntur quando ſub conditione vel in diem eſt iniunctum grauamen. d.143.nu.2.& 3.

QVASI POSSESSIO.

Vid. Poſſeſſio.

QVIETANTIA.

Quietantia Barigelli probat contra tertium, ſolutionem illi fuiſſe factam. deciſ. 91. num.2.

Quietantiæ probant ſolutionem ad effectum liquidationis. d.95. nu.2.& 3.

Quietantia probat in præiudicium quietantis. d.211.nu.1. d.220. nu.2.

Quietantiæ probant realem, & veram numerationem: & præſumuntur factæ vigore præcedentis obligationis. d.123 n.1.& 3.

Quietantiæ iunctis adminiculis probant poſſeſſionem. d.261.

Quietantia generalis comprehendit omnem cauſam, maximè ſi fuit habita relatio ad inſtrumenta, & apochas. d.384. nu.4.

Quietantiæ recognitæ per teſtes habentes notam manum ſcribentis, probant. dec.450. num.4.

RATIFICATIO.

Ratificatio mandati re integra retrotrahitur. d.2.nu.3. & 4.

Ratificare quis non cenſetur actum nullum, niſi notitiam habuerit de nullitate, quando agitur de ſe obligando. d.37. nn.2.3. & 4.

Ratificare dicitur qui de facto ratificat.d.37. num.5.

Ratificatio vim habet aliquando mandati. d.378.nu.6.

Conſtituens procuratorem ad aliquam cauſam, cenſetur ratificaſſe actus quos fecit in illa cauſa procurator conſtitutus. dec. 378. num.10.

RECVRSVS.

Facilè recurſus ad Principem tollit præſumptionem vſurpationis. d.354. nu.6.

Recurrenti per ſe.vel per alium, ad iudicem laicum denegatur audientia. decis.425. num.3.

In probando recurſu ad iudices laicos ſufficiunt leuiores probationes. d.425. nu.4.

RECOGNITIO.

In antiquis non eſt neceſſaria recognitio ſcripturarum, neque quòd conſtet de notariatu illius qui ſcripſit. d.85.num.4. d.258. num.2.

Teſtis habens notam manum ſcribentis, poteſt recognoſcere ſcripturas.d.173.n.1.d.450. num.4.

De iure communi teſtis recognoſcens ſcripturam, neceſſe eſt, vt illam viderit ſcribi. d.173.nu.2.

Limita, de ſtylo Rotæ, in recognitione ſcripturæ quæ teſtibus non egeat, vel aliàs ſit adminiculata, tunc enim ſufficiunt teſtes habentes notam manum.d.173.nu.3.

REDDITIO RATIONIS.

Ratio ſemel reddita non debet amplius reddi. d.168.nu.7. vid. Adminiſtrator.

REDVCTIO AD ARBItrium boni viri.

Reductio ad arbitrium boni viri competit læſo. d.222. num.1.

REGENS CANCELlariæ.

Vid. Cauſa.

REGVLA.

Regula de triennali, requirit titulum coloratum, & poſſeſſionem triennalem pacificam. d.172.nu.2.

Regula de annali requirit poſſeſſionem pacificam. d.292.nu.1.

Regula 8. derogat Indultis conferendi certis perſonis, dummodò illis perſonis conferatur. d.305.nu.8.

Regula de annali tuetur pacificam poſſeſſionem per annum immediatè præcedentem gratiam impetrantis, & incipit à die poſſeſſionis illius, cuius beneficium impetratur.d.332.nu.1.

Ad effectum regulæ de annali ſufficit ratificare commiſſionem. d.332. nu.6.

Regula de ſubrogandis habet locum quando Principi placet intra menſem à die ſubrogationis conceſſæ tertio etiam colitiganti concedere ſubrogationem.d.350.nu.3.

Quando menſis incipiat. vid. Menſis.

Regula de ſubrogandis obſtat intruſo qui fructus percepit. d.414.nu.9.

Reſignatarius tenetur iuſtificare titulum reſignantis, ſi reſignans non fuit triennalis poſſeſſor vnà cum titulo. dec.475. num.3. & 5.

Triennium requiritur ad tuendum titulum qui decennio præſumitur. d.475.nu.4.

REINTEGRATIO.

Reintegratio ad bona nulliter conceſſa, non reuocatur in compulſiua, ſecùs autem in expulſiua. d.97.nu.2.

RELATVM.

Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus. d.50. num.3. d.56. num.2. d.76. num.7. & 19. d.77. nu.14.d.487. num.1.

Itaut dicatur pars referentis. deciſ. 487. num.1.

Paria ſunt exprimere nominatim,vel per relationem. d.487.nu.2.

Dictio, ſeu clauſula. In reliquis *comprehendit omnia contenta in inſtrumento ad quod habetur relatio. d.487.nu.3.*

RELIGIO.

In arbitrio Religionis eſt recipere aliquem in Religionem, & retinere durante anno probationis.d.215.nu.13.

Limita vt in anno probationis non poſſit eiici, niſi ex legitima cauſa,nec pariter quis eiici poſſit,poſtquàm admiſſus fuit ad faciendas ſuas probationes in religione Hieroſolymitana. d.215.nu.14.

REMISSIO REMITTERE.

In remiſſione mercedis habenda eſt ratio anni ſterilis cum anno fertili. d.11.nu.1.

Remiſſioni mercedis non eſt locus, niſi quis probet, ſe toto locationis tempore paſſum fuiſſe damnum, eſt tamen locus compenſationi. d.11.nu.2.

Remittentibus ſua iura non eſt ad ea dandus regreſſus. d.76.nu.17.

In locatione ad plures annos pro damno vnius anni circa fructus non fit remiſſio mercedis, ſed annus ſterilis cum fertili compenſatur. d.422.nu.1.

Conductori ſcienter conducenti caſule ſubiectũ inundationi fluminis, vel alteri impedimento, non fit remiſſio mercedis propter ſterilitatem. d.422.nu.2.

Stante pacto, quòd locator teneatur facere remiſſionem & reſtaurum, ſi res locata propter inundationem fluminis non reddiderit fructus,conductor tenetur ad remiſſionem. d.422.nu.3.

Hoc pactum operatur, vt annus ſterilis cum fertili compenſetur. Item vt non ſit imputandum conductori quòd ſcienter conduxerit rem ſubiectam inundationi. In reliquis regulatur ſecundùm ius commune. d.422.nu.4.

Stante pacto de quo ſuprà, ad hoc vt locator teneatur ad remiſſionem, requiritur, quòd conductor non tantum perceperit, vt deductis expenſis circa recollectionem fructuum reſultet læſio vltra dimidiam penſionis ſoluendæ locatori. dec.422. num.5. & 7.

Item ſtante ſupradicto pacto, damnum accipiendum eſt,quatenùs eſt dminutio patrimonij,non quatenus eſt lucrum ceſſans. d.422.nu.10.

In remiſſione mercedis habenda eſt ratio omnium rerum locatarum, non autem vnius partis. d.422. nu.17.

REMISSORIA.

Remiſſoria in profanis conceditur abſque fumo. d.10.nu.1. d.20.num.3.d.23.num.1. d.149.num.1. dec.338. num.2. dec.401. num.2.

Quando adeſt timor ſubornationis,remiſſoria non conceditur. dec.10.num.6. deciſ.20. num.5.

Niſi teſtes nominentur in Curia.d.10.num.8. d.20.nu.6.

Remiſſoria propter præſumptam calumniam non facilè denegatur. d.10.num 8.d.121. num.1. d.122. num.2. d.338.nu.3.

In dubio an articuli ſint releuantes, remiſſoria in profanis conceditur. d.20.nu.4.

Remiſſoria ſecundò conceditur, quando noui articuli ſunt magis ſpecificati,quàm primi ſuper quibus fuit examinatum in partibus. d.23.nu.2.

Remiſſoria denegatur ob irreleuantiam articulorum.d.121.nu.3.d.345.nu.1.

Ex cauſa releuantiæ etiam vnius articuli remiſſoria non negatur. d.122.nu.1.d.149. num.1.

In exequutiuis remiſſoria non conceditur. d.122.nu.3.

Remissoria non datur ad probandum per testes quod potest per scripturas probari. d.149.nu.2. d.165.nu.3.

Remissoria quotiescumque est releuans conceditur. d.165. nu.1.

Remissoria in beneficialibus non conceditur in prima vel secunda instantia, nisi facta obligatione de standa vnica. d.165.nu.5. & apposito sequestro.d.246.nu.3.

Remissoria in beneficialibus non conceditur absque fumo.d.165.nu.6.

Remissoria datur ad probandum non adesse attentata interueniente maximo fumo,non tamen datur postquàm liquidò constat de attentatis. d.246.nu.1.& 2.

Remissoria conceditur ad probandam simulationem per viam exceptionis,si adsit magnus fumus.d. 260.nu.1.

Remissoria quando diu in partibus fuit agitata causa super eadem re, denegatur,secùs si super diuersa. d.338.nu.4.

Remissoria propter maximam calumniæ præsumptionem denegatur. d.339. nu.1.

Remissoria in eadem instantia super eisdem articulis iteratò dari non solet. dec. 339. num.2.

RENVNCIATIO.

Renunciatio non inducitur,nisi ex verbis claris,& apertis. d.43.nu.5.

Ex eo quòd quis obtinet, & possidet beneficium incompatibile, infertur, aliud prius beneficium renunciasse.d.180.nu.4.

Renunciatio dicitur ante delatam hæreditatem. d.285.nu.2.

Renunciatio inducitur ex actibus proximis, ex quibus alia coniectura sumi non potest. d. 318.nu.1.

REPVDIATIO.

Repudiatio fieri potest expressè, vel tacitè. d.285.nu.1.

Non dicitur repudiare hæreditatem patrui, qui experitur ad fideicommissum aui.dec. 285.nu.9.

An ex actibus de quibus nu.1.3.4.5.& 6. inducta sit repudiatio,vel aditio.d.318.

RESCRIPTVM.

Rescripto danti formam continenti fauorem partium tacitè, vel expressè potest renunciari. d.47.nu.16.

Rescripti subreptio. Vide subreptio.

RESERVATIO.

Interim dum cognoscitur, an beneficium sit reseruatum, possessor debet manuteneri. d.124.nu.5.

Reseruatio debet esse notoria, & indubitata, ad hoc vt sit locus subrogationi gratiosæ. d.124.nu 7.

Reseruatio probari debet ab illo qui in ea se fundat. d.259. num.1.

Mensis Nouembris semper est reseruatus. d.301.nu.1.

RES IVDICATA.

Vid. Sententia.

Patiens, causam agitari post rem iudicatam, censetur renunciare rei iudicatæ,dummodò detegatur iniustitia rei iudicatæ. d. 234. num.4.

Post rem iudicatam aliquando nullitas potest deduci. d.234.nu.8.

Res iudicata habetur pro veritate. dec. 263. num.4.

Res iudicata non obstat, nisi concurrat identitas rei, causæ, & personæ. decis. 301. num.5.

Res iudicata super iudicio malè intentato non impedit quo minùs agatur remedio competenti. d.301. nu.8.

RESIGNATIO.

Resignans beneficium, & soluens pensiones, præsumitur beneficium possedisse. dec.31. num.6.

Resignatarius tenetur gratiam resignantis qui nunquam possedit, iustificare. dec.82. num.1.

Per resignationem beneficij omne ius abdicatur à resignate.d.110.nu.2.

Resignans ante litem motam, potest lite pendente capere possessionem.d.110.nu.6.

Beneficium quod vacat ex alterius assequutione non potest resignari. d.183.nu.9.
Resignans non tenetur iustificare pensionem contra illum qui consensit. d. 358. nu.1.
Resignans ante admissam resignationem, iure suo non priuatur. d.358.nu.3.
Post simplicem resignationem abdicatur omne ius à resignante,secùs post resignationem ad fauorem;quo casu remanet apud ipsum resignantem omne ius, donec resignatarius etiam per captionem possessionis beneficium perfectè adipiscatur. Et interim etiam post præstitum consensum,potest bona resignata alienare. d.358.nu.4.& 5.
Resignatio facta à præsentato longè post præsentationem, non tollit quo minus dicatur, præsentationem habuisse effectum. d.386. num. 4.
Publicatio resignationis probatur per instrumentum super ea confectum. dec. 458. num.1.
Resignatarius tenetur iustificare titulum resignantis, si resignans non fuit triennalis possessor vnà cum titulo. dec.475.num.3. & 5.

RESTITVTIO.

Restitutio in integrum impedit exequutionem nondum cœptam. d.17.nu.4.
Restitutio in dubio non præsumitur facta ex conuentione. d.49.nu.8.
Et colligitur ex serie facti, an facta sit ex conuentione,vel voluntate. d.49.nu.9.
Restitutio momentanea an transferat dominium. vid. dominium.
Restitutio in integrum datur ex capite iustæ ignorantiæ. d.50.nu.10.
Restitutio in integrum non conceditur ad retardandam exequutionem,quando de bono iure non constat.d.104.nu.1.
Successori datur restitutio propter possessionem antecessoris. d.161.nu.1.
Restitutio in integrum rem iudicatam retardat. d.202.nu.2.
Restitutio in beneficialibus requirit titulum coloratum. d.212.nu.1.d.478.nu.1.
Agens ad restitutionem probare debet, se possedisse per prius, & partem aduersam nunc possidere. d.212.nu.2.
Restitutio non conceditur,quando notoriè constat de non iure petentis. d.212.nu.9.
Restitutio quando detur minoribus aduersus additionem hæreditatis. vid. minor.
Post quadriennium non competit restitutio in integrum aduersùs aditam hæreditatem. d.219.nu.12.
Restitutio in integrum conceditur propter læsionem.d.234.nu.1.
Restitutio in integrum aduersùs rem iudicatam non competit absque læsione. dec.263. num.5.
Restitutio in integrum de iure ciuili impedit exequutionem, de iure autem Canonico permittitur exequutio mediante cautione. d.311.num.13.
Restitutio non datur mulieri viduæ habenti procuratorem aduersùs rem iudicatam, ob non interpositam appellationem. dec.330. num.1.
Quadriennium datur ad petendam restitutionem in integrum.d.334.nu.3.d.368.
Restitutio in integrum datur minoribus ex causa iuuenilis imprudentiæ,etiam si semel fuerit petita, & denegata,& non appellatum. d.334.nu.5.
Quadriennium datur ad prosequendam restitutionem in integrum, & si per partem vel iudicem præstetur impedimentum,extenditur vltra quadrienniũ.d.368.d.482. num.3.
Ejecto domo quam inhabitat,competit restitutio.d.390.num.3.
Bonum ius requiritur ad obtinendam restitutionem in integrum. d.394.nu.5.
Restitutio datur ad statum in quo deponens erat ante depositum.d.412.nu.1.
Ecclesiæ datur restitutio, si alienatio non fuit vtilis. d.445. nu.5. vel fuit læsa. d.445. num.9.
Ecclesiæ contra contractum alienationis obseruatum per 40.annos, transacto quadriennio non datur restitutio in integrum. dec. 445.nu.6.
Restitutio in integrum propter enormissimam læsio-

Iasionem datur posi quadriennium.d.445. num. 7.

RETENTIO.

Retentio quando competat pro dote. vide dos.

Vtens iure retentionis, vt post satisfactionem restituat legatario, non dicitur contrauenire voluntati testatoris, qui simpliciter legauit. d.67.nu.15.& 17.

Pro melioramentis datur retentio rei fideicommissariæ. d.104.nu.17.

RETRACTVS.

Vid. Bulla.

REVS, ET POSSESSOR.

Reo, & possessori sufficit vincere per non ius actoris. d.111.nu.6. d.158.nu.1. d.259. nu.4. d.281.nu.3.d.385.nu.1.

RIPA.

Ripa est illa quæ continet flumen secundùm naturalem cursum. Item Ripa dicitur locus qui incipit à terreno ex quo primùm incipit vergere, vsque ad aquam.d.394. num.2.

Terra prope flumen, quæ aliquando per accidens inundatur à flumine non efficitur publici iuris. d.394.nu.3.

RVBRICA.

Rubrica declarat intentionem statuti.d.111. num.15.

Sacristia. vid. Ecclesia.

SALARIVM.

Salarium non conuentum non debetur.d.256. num.2.

Limita in ciuitate vbi quis solitus est locare operas suas. d.256.nu.2.

Taxatio salarij relinquitur arbitrio iudicis. d.256.nu.3.d.288.nu.2.

Procuratori propter propriam culpam reuocato salarium nodebetur. decis. 288. num.3.
vid. Procurator.

In taxatione salarij est attendenda qualitas personarum, industria, & peritia. dec. 416.

Salarium non debetur illi qui sua culpa non inseruiuit. dec.441.

SALVIANVM.

Saluianum non habet locum, vbi nulla adest hypotheca. d.50.nu.2.

Saluianum inter præsentes decennio præscribitur stante titulo, & bona fide. dec.50. num.8.

Limitatur, si præscriptio fuerit interrupta. d.50.nu.9.

Agens Saluiano debet de fructibus satisfieri. d.56.nu.7.

Saluianum competit legatario pro re legata. d.67.nu.11.

Saluianum non competit legatario, si possidens habet ius retentionis ex priori iure. d.67.nu.12.

SCIENTIA.

Scientia requiritur etiam ad consensum tacitum.d.12.nu.4.

Scientia probatur ex coniecturis,& præsumptionibus. d.76.nu.8.

Scientia præsumpta non sufficit ad effectum, vt quis iure suo priuetur. decis.283. nu.4.

Scientia litis æquipollet citationi per proclama: scientia verò probatur ex constitutione procuratoris ad causam. dec.449. num.6.

SCRIPTVRA.

Scriptura, vide, Iura,& Archiuium.

Scripturæ sunt in forma probanti quæ habẽt requisita cap.1. vid. instrumentum. *d.85.nu.1. d.258.nu.1.*

Scriptura carens die, & mense,non est in forma probanti. d.85.nu.2.

Scriptura benè compulsata,registrata in vna causa vigore Innocentiana, probat in alia. d.128.nu.1.

Scriptura carens subscriptione Notarij, si est subscripta à supremo Principe loci,

à Legato, ab Archiepiſcopo, probat. d.128. num.4.

Scriptura priuata ſubſcripta à tribus teſtibus fidem facit. d.128.num.6.

Scripturæ informi obſeruantia ſubſequuta fides adhibetur. dec. 128. nu.7. dec.258. nu.7.

Scriptura extracta lite pendente à notario in locum defuncti ſubrogato, probat.d.219. num 6.

Vna ſcriptura aliam declarat. deciſ. 235. num. 10.

Probatio per ſcripturas præualet probationi factæ per teſtes d.235. nu 17.

Scriptura rectè compulſata, & in actis producta, dicitur eſſe in forma probanti. dec. 248.nu.1.

Antiquitas ſcripturæ probatur ex ipſius viſione. 258.nu.4.

In ſcripturis antiquis non requiritur probatio notariatus. d.258.nu.5.

Scripturæ antiquæ, etiam ſi non in Archiuio, probant, dummodò reperiantur plura inſtrumenta eiuſdem notarij. deciſ. 258. num.6.

Scriptura magis debet attendi, quàm dictum notarij, & iudicis, contra ſcripturam in eorum tribunali factam atteſtantis. dec.280. num.8.

Exemplum datum, & ſubſcriptum à notario actuario, habetur pro originali. dec.367. num.1.

Sripturis magis creditur, quàm teſtibus in concurſu. d.121.nu.2.

Scripturæ ordo. vid. Ordo.

Ex viſione ſcripturæ, probatur, an illam ſcripſerit idem notarius. d.467. nu.3.

Et an ſit facta eodem atramento, relinquitur arbitrio iudicis. d.467.nu.7.

SENATVS.

Senatus & curia non poterant niſi inaugurato loco haberi. d.472. num.5.

SENTENTIA.

Rota non exequitur ſententias aliorum tribunalium, niſi iuſtificentur ex actis. d.4. nu.1.d.50.nu.1.d.108.nu.2. d.183.n 8. d.233.num.5.d.321.nu.1. d.352.nu.2. d.402.nu.1.

Sententia priuationis beneficij lata contra abſentem abſque trina citatione per publicum edictum in loco beneficij facta, non expectatis ſex menſibus, eſt nulla. d.10. num.2.

Sententia non dicitur lata præcipitanter, ab illo qui beneficiatum non reſidentem ſæpè monuit, & per multum temporis expectauit. d.10.nu.4.

Sententia lata poſt inhibitionem Rotalem, eſt nulla. d.14. nu.8.

Sententia iudicis quando ſpoliet, vel priuet poſſeſſione. vide Spolium.

Sententia lata ad inſtantiam procuratoris non habentis mandatum, eſt nulla, ſtante proteſtatione, neminem audiri niſi docto de legitimo mandato, d.28.num.1. d.45. num. 1.

Sententia lata contra procuratorem citatum, eſt valida. d.45.nu.4.

Sententia lata in iudicio coram pluribus intentato, valere poteſt quoàd vnum, & non quoàd alios in materia diuidua. d.45.n.5. d.449.nu.1.

Sententia quæ iuſtificatur ex actis, debet exequutioni demandari. vid. ſup. artic. 1. hoc tit.

Sententia nulla non vulnerat obligationem Cameralem. d.78.nu.3.

Sententia ex iiſdem actis iniuſta, non eſt notoriè iniuſta, ac proinde non eſt nulla, quando ſe non refert ad acta. d.78.nu.5.

Sententia nulla vulnerat obligationem Cameralem ad effectum appellationis. d. 78. nu.6.& 8.

Sententia ſine citatione, vel monitione vim citationis habente lata eſt nulla. dec. 45. nu.1. d.79.nu.7.d.81.nu.2. d.83.num.2. d.466.nu.3.

Sententia non afficit illum qui non eſt in cauſa. d.81.nu.5.

Sententia lata contra principalem, nocet fideiuſſori iudicij, etiam non citato. d.84. nu. 15.

Sententiæ in eo quòd sunt conformes exequi debent.d.108.nu.1.

Sententia lata non visis actis probatoriis, est nulla. d.135.nu.4.d.424.nu.2.

Limita quando pars fuit negligens in transportando.d.135.nu.5.

Præmissa tamen monitione iudicis. dec.135. nu.6.

Sententia iusta debet confirmari.d.159.

Sententia à qua intra decendium non appellatur, transit in iudicatum.d.183.num.1. d.216.nu.1.d. 280.nu.1.

Intimatio sententiæ non requiritur, quando pars est præsens. d.183.num.2. dec.280. nu.2.

Cedula sententiæ debet esse in actis,antequàm pronuncietur, aliàs sententia est nulla.dec. 183.nu.6. d.280.nu.7.

Sententia non secuuta exequutione, non priuat possessione. d.185.nu.2.

Sententia, ad hoc vt vulneret obligationem Cameralem, ferri debet inter easdem personas, & in eadem causa. decis. 189. num.2.

Sententia lata contra principalem,est validè, etiam fideiussore contra quem fieri debet exequutio,non citato. d.216.nu.4.

Sententia nulla non potest transire in iudicatum.d.234.nu.7.

Sententia lata, non transportatis actis, est nulla. d.276.nu.1.& 2.

Sententia lata intra 12.dies non dicitur lata præcipitanter,si causa fuit instructa in prima instantia,& de eius iustitia constat. d.280.nu 6.

Sententiæ iustitia probatur ex reuolutione dactorum. d.287.nu. 1.

Sententia lata in spolio non parit exceptionem rei iudicatæ in petitorio, nec lata super vna re,licèt dependenti, parit exceptionem in causa principali.d.301. nu.6.& 7.

Duæ sententiæ conformes,stante rescripto quòd semel liceat appellare, pariunt rem iudicatam. d.306.nu.1.

Sententia lata super libello sine actione, non sustinetur.d.330.nu.3.

Sententia ferri debet super toto eo quod petitur, aliàs non valet.d.336.num.1.

Sententiæ plures ferri possunt ab eodem iudice quando capitula sunt diuersa. dec.336. num.3.

Sententia lata ad fauorem præscribentis,non interrumpit præscriptionem. d.337.nu.13. d.340.nu.3.

Sententia antiqua inseruit pro titulo. d.344. num.7.

Sententia interloquutoria dicitur, quæ non decidit negotium principale. decis. 407. num.1.

Sententia interloquutoria ex qua sequitur damnum irreparabile,est mixta, vel saltem habet vim diffinitiuæ. decis. 407. num.2.

Sententia lata sine citatione,est nulla. d.414. num.1.

Sententia per productionem iurium, circumducitur,& habetur pro cancellata. d.414. num.4.

Sententia lata sine probationibus,est notoriè nulla.d.417.nu.7.

Sententia restitutoria in causa appellationis potest ex nouiter deductis iustificari.d.417. num. 8.

Duæ sententiæ conformes ex statuto Vrbis, cap.178.lib.1. *faciunt rem iudicatam. d.427 nu.1.*

Statutum de duabus conformibus seruatur in Rota. d.427.nu.2.

Sententiæ conformes in aliquo, debent in eo exequi,licèt in alia re sint difformes.d.427. num.3.

Ex reuolutione registri probatur sententiæ validitas, vel nullitas. d.429.nu.1.

Verba ambigua sententiæ debent interpretari ex libello, & petitione. d.448. nu.3.

Sententia est stricti iuris, & nihil amplius probat, quàm ex ea necessariò inferatur. d.448.nu.6.

In dubio faciendi est interpretatio contra illum qui se fundat in sententia. dec.448. num.8.

Sententia lata contra hæredem non potest exequi contra legatarium. decis. 449. num.4.

Sententia lata, citato procuratore non legitimo, eſt nulla. d.466. nu.3.
Sententia lata contra arrendatarium, non præiudicat domino. d.466.nu.4.
Sententia nulla non poteſt tranſire in rem iudicatam. d.491.nu.2.

SEPVLCHRVM.

Sepulchrum non poteſt haberi in Eccleſia, ſeu cœmiterio, niſi quoàd vſum tantùm. d.291.nu.1.
Non poteſt quis mortuos inferre in locum inuito illo cui ius offerendi competit. d.291. num.2.
Extincta familia cui ius inferendi fuit conceſſum, ius omne reuertitur ad Eccleſiam. d.291.nu.3.
Ex iure prohibendi, infertur ad ius immittendi. d.291.nu.4.

SEQVESTRVM.

Sequeſtrum regulariter remedio cautionis reuocatur. d.13.nu.1.
Sequeſtrum factum pro exequutione obligationis Cameralis ſuper bonis quæ potuerunt capi vigore dictæ obligationis, remedio cautionis, non reuocatur. d.13.nu.2.
Decretum de ſequeſtrando non probat, ſequeſtrum fuiſſe appoſitum. d.39.nu.1.
Conditio, ſi ſequeſtrum fuerit appoſitum, intelligitur cum effectu. d.39.nu.2.
Sequeſtrum neceſſarium non priuat poſſeſſione. d.158.nu.2. d.243.nu.1. d.259.nu.3. d.278.nu.2. d.478. nu.10.
Sequeſtrum apponitur, cùm poſſeſſio eſt attentata. d.225.nu.1.
Sequeſtrum voluntarium priuat poſſeſſione. d.243.nu.1.
Poſſeſſio attentata eſt ſequeſtranda, etiamſi conſtet de paupertate poſſidentis, & data fuerit cautio. d.293.nu.4.
Inueſtimentum ſapit naturam ſequeſtri, & cautionis. d.311. nu.2.
Sequeſtrum regulariter eſt prohibitum. d.311. num.3.
Sequeſtrum voluntarium appoſitum cauſa cuſtodiæ, non priuat poſſeſſione. dec.312. num.5.
Sequeſtrum non eſt apponendum in actione perſonali, niſi reo conuicto. d.383.nu.1.
Conſentiens ſequeſtro, non poteſt lite pendente petere illius reuocationem. d.478.nu.7.
Sequeſtrum apponitur quando neutra partium poſſidet, vel ſententia eſt attentata. d.492. nu.1.
Sequeſtrum voluntarium dicitur, quod partibus conuenientibus ponitur, & reuocari non poteſt durante lite, niſi præcedat proteſtatio. d.478.nu.9.
Sequeſtrum neceſſarium eſt, quod fit officio iudicis nobili, vel mercenario. deciſ. 478. num. 10.
Sequeſtrum appoſitum vigore Clement. vnic. de ſequeſtr. poſſ. & fruct. *durat ad finem litis, & lite pendente non debet reuocari. d.478 nu.12.*
Sequeſtri neceſſarij reuocatio peti poteſt lite pendente, ab illo qui illius expeditionem procurauit. d.478.nu.13.
Natura ſequeſtri neceſſarij non eſt, vt duret vſque ad finem litis. d.478.nu.14.

SEQVENS.

Vid. Actus. Obſeruantia.
Sequentia declarant præcedentia. d.120.n.6. d.137.nu.7. d.207.nu.6.
Diſpoſitio ſequens clara debet attendi, non antecedens. d.192.nu.2.
Qui vult conſequens, neceſſariò vult antecedens. d.267.num.8. d.319.num.5. d.375. num.9.
Conceſſo ſubſequenti, cenſetur approbatum antecedens, à quo neceſſariò ſubſequens dependet. d.282.nu.4.
Procuratori cui committuntur conſequentia cenſentur commiſſa antecedentia. dec.470. num.3.

SIGNIFICATIO VERborum.

Vid. Verbum.

SIMVLATIO.

Simulatio non præsumitur, nisi probetur, dec. 208. nu. 5. d. 302. nu. 6. d. 408. nu. 5.

Quod verè fit, non quod simulatè agitur, est attendendum. d. 222. nu. 4.

Clausula constituti in contractu simulato nihil operatur. d. 222. nu. 5.

Verisimilitudo multùm confert ad probandam simulationem. d. 302. num. 1. d. 408. num. 4.

Primus contractus fœneratitius multùm confert ad ostendendam simulationem secundi, sicuti paupertas, & qualitas contrahentis. d. 302. nu. 3. & 4.

Simulatio non præsumitur sine causa simulandi. d. 408. nu. 2.

Series facti multùm confert ad detegendam simulationem. d. 408. nu. 3.

Ad ostendendam simulationem sufficiunt indicia, coniectura, & verisimilitudo. d. 408. num. 4.

SOCIETAS.

Inæqualitas lucri est permissa inter socios, si alter maiorem partem sortis, vel industriæ conferat. d. 70. nu. 1.

Qui neque damnum extrinsecum, neque intrinsecum patitur in societate, sibi debet imputare, si expensas fecit in admissione officij, quæ nunquam recuperantur. d. 70. num. 2.

Lucrum incertum societatis vendi potest pro pretio determinato, proportionato tamen ad dubium euentum litis. d. 70. nu. 4.

Finita societate, capitale debet restitui. d. 310. num. 1.

Societas contracta ad tempus, illo durante, inuitis sociis dissolui non potest. decis. 310. num. 2.

Societas cum infante absque consensu tutoris contrahi non potest. d. 421. nu. 1.

Societas omnium bonorum potest expressè, & tacitè coiri. d. 421. nu. 2.

Fratres post obitum patris quando dicantur contraxisse societatem omnium bonorum. d. 421. nu. 3.

Ad effectum societatis omnium bonorum, quando societas est promercalis, non requiritur par industria. d. 421. nu. 4.

Socius omnium bonorum non habitans cum aliis per modicum tempus, non censetur à societate tacita discessisse. d. 421. nu. 5.

In tacita societate omnium bonorum veniunt ea quæ acquiruntur ex actibus quæstuariis, non quæ ex legato, aut hæreditate proueniunt. d. 421. nu. 6.

SOLEMNITAS.

